


14
19 Q
10M

M. FABII

QVINTILIANI

Oratoris eloquentissimi de Institutione Oratoria, Libri duodecim.

SINGVLARI CVM STVDIO TVM IVDICIO DOCTISSIMORVM virorum ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti: argumentisq; doctissimi viri Petri Gallandij Latinarum literarum professoris regij longè quàm antea castigatioribus & plenioribus ante singula omnium librorum capita præfixis elucidati.

ADDITAE SVNT PETRI MOSELLANI VIRI ERVDITI ANNOTATIONES in septem libros priores, & Ioachimi Camerarij in primum & secundum. Quibus & accessit doctissimus Commentarius Antonij Pini Portodemæi in tertium, nunc multò quàm antè, castigatior.

Eiusdem Quintiliani Declamationes, quibus addidimus Persiualdi Belingenij Ceci nati, in primam & secundam annotationes.

Iuvenypna





VENETIIS,
APVD HIERONYMVM SCOTVM.
M D LXVII.

M. F. QVINTILIANI VITA.




ARCVS FABIVS Quintilianus Romæ natus est: quibus consulibus, aut quo imperante Cæsare, non legi. Verissima coniectura adducor, vt fidem libris temporum non habeam, vbi legitur, Quintilianus Calagura vrbe Hispaniæ oriundus. Nam M. Valerius Martialis Calaguritani agri alumnus cum Iberos memoria dignos suis epigrammatibus inserat nullam de Quintiliano mentionem facit, sed eum separatim cum veneratione nominat,

Quintiliane vagæ moderator summe iuuentæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

Et ipse dicit, se, cum esset adolescentulus, cognouisse Domitiū Afrum, & Senecam qui ambo sub Nerone periere. Seneca in libro sexto Diuisionum, Quintiliani declamatoris meminit, cuius adhuc extant multæ declamationes acutæ & breues, stylo aliquantulum remißiore. Is auus fuit M. Fabij Quintiliani, qui Romæ multis annis rethoricen cum summa laude docuit. Et ipse rursus Quintilianus mentionem facit patris, qui causidicus fuit apud principem. Neque notitia, neque gratia caruit. Domitiani enim Cæsaris ne potum cura ei delegata fuit. Disciplinæ eius castigatißimæ plenißimum testimonium Caius Cœlius affert qui sub tali præceptore tantum profecit, vt sui temporis oratores facilè superauerit. Duxit vxorem ex nobili familia, ex qua liberos suscepit: quæ acerbißima fatorum sorte in primo iuuentutis flore rapta fuit. Alterum ex liberis, quum librum de causis corruptæ eloquentiæ edidisset, amisit: postea cum rhetorices libros scriberet, Marcellum vnicum parentis lumen ac solatium rogo dedit, testis & ipse infelix senex suarum lachrymarum. Eius filiola ex alia (vt credo) vxore, Tutilij equitis Romani filia, genita, nupsit Nouio Celeri, viro claro. Quo tempore decesserit affirmare non audeo, quoniam is qui tradit fide caret.

IN DVODECIM M. F. QVINTILIANI
DE ORATORIA INSTITVTIONE LIBROS
INDEX ALPHABETICVS.







Authoritate conuellit aperauit. 16.

B

C

 25.
Calcare ... Callimachus
97 243.

Conclusionis

D & T lite-

D

Dictantium

Exhortatio

Honestorum

ironia,

K

L

M

N

O

P

peregrina

Q

Quintilian. [illegible] quintiliani in tractandis argument. [illegible] 165

simulatio

T

tempora

V

Venales

vis ma-

X

Y

Z

INDEX ALPHABETICVS FINIS.

TABVLA CAPITVM.

LIBRI PRIMI.

LIBRI II.

LIBRI III.

LIBRI IIII.

LIBRI V.


LIBRI VI.

Libri

FINIS CAPITUM.



EX ANGELI POLETIANI PRAEFATIONE IN MARCI FABII QVINTILIANI INSTITVTIONES ORATORIAS.



VINTILIANVM uerò non nos quidem illum Ciceroni praetulerimus, sed has certè eius oratorias institutiones Rhetoricis Ciceronis libris pleniores uberioresq; esse existimamus: nempe quae ab ipsa quasi infantia, atq; ipsis incunabulis instituendum oratorem susceperint, summamq; eius eloquentiae manum imposuerint. Itaque ne ipse quidem Cicero satis, quae de arte oratoria scripserit, probasse omnia uidetur. Nam & Rhetoricos libellos, in ijs qui de Oratore sint, haud usquequaq; sequitur, & rudes inchoatosque adolescenti sibi excidisse è manibus affirmat, & ab his ipsis de Oratore in alio ad Brutum libro identidem desciscit: neq; in hoc quoque quem extremum absoluerit, ulla de arte praecepta ponit, sed oratorem quasi ipsum informat, & quod dicendi sit optimum genus decernit. Ergo ut Philosophi nostri non, cum in primis Aristotelem sequantur, statim illum Platoni anteponunt: ita nos quòd Quintilianum quàm Ciceronem interpretari maluimus, non quidem Ciceronis sacrosanctam illam gloriam detrectauimus, sed ad Ciceronem festinantibus nobis egregiè consuluimus. Hac igitur & de Quintiliano nostra ratio fuerit. Sed neq; inusitatas uias indagamus, cum ueterum libros authorum in manus sumpserimus, qui tamen si minus in usum consuetudinemque hominum aliquot iam antè seculis non uenerunt, non tam ipsorum culpa, quàm fortunae ac temporum iniuria effectum est. Quid enim nunc attinet superiorum calamitatem temporum memoria repetere? quod sine summo dolore facere uix piè possumus quibus insignes illi, atq; immortalitate dignissimi scriptores, partim à Barbaris caesi, foedeq; laniati sunt, partim ab his ipsis ad nostrorum usque parentum memoriam uelut in carcerem coniecti, atque in compedibus habiti, uix tandem aliquãdo, sicut erant semilaceri atque trunci, multumq; à seipsis immutati, suam hanc in patriam reuerterunt. Perquam igitur inhumanum facinus à nobis fieret, si de nobis, deq; maioribus nostris optimè meritos insigneis hos uiros, dudum deposita capitis diminutione, iure postliminij ciuitatem repetentes, non uel quamlubentissimè agnoscamus, atque in ipsam, quae his maximè debet, latinitatem, suam in Rempublicam, suum in ordinem, atque adeò intra priuatos parietes nostros, intra nostrum sinum benignè admiserimus. Quod quidem si me nunc primùm authore adipiscentur, cur mihi tandem id uitio uertatur, aut cur non summa potius gratia ab omnibus habeatur, quòd quasi mea priuata pecunia publicum omnium aes alienum dissoluere non dubitarim? Postremò ne illud quidem magnifecerim, quòd horum scriptorum seculo corrupta iam fuisse eloquentia obijciatur. nam si rectius inspexerimus, non tam corruptam atque deprauatam illam, quàm dicendi mutatum genus intelligemus. Neque autem statim deterius dixerimus, quod diuersum sit. maior certè cultus in secundis est, crebrior uoluptas, multae sententiae, multi flores, nulli sensus tardi, nulla iners structura, omninoq; non tantum sani, quin & fortes sunt omnes, & laeti, & alacres, & pleni sanguinis atque coloris. Quapropter ut plurima summis illis sine ulla controuersia tribuerimus, ita priora in his aliqua, multoq; potiora existere iure contenderimus. Itaq; cum maximum sit uitium, unum tandem aliquem solumq; imitari uelle, haud ab re profectò facimus, si nõ minus hos nobis, quàm illos proponimus, si quae ad nostrũ usum faciunt, undiq; elicimus, atq; (ut est apud Lucretiũ)

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.


Atque hoc profectò est, quòd cum diu Marcus Cicero Atticis illis limatis & emunctis oratoribus operam dedisset, post illa tamen & Rhodus & Asiaticis oratoribus aures commodauit: quorum lenti illi quidem, atque remissi: ij uerò inflati, uani, atque iactantes: utrique uerò minores Atticis, quasiq; ab ijs degenerantes existimarentur. Itaque egregiè nobilis pictor, qui cum interrogaretur quonam in primis magistro profecisset, illo, inquit, populum intuens. & rectè id quidem. Nam cum nihil in natura hominum sit ab omni parte beatum, plurima bona ante oculos ponenda, ut aliud ex alio haereat: & quod cuique conueniat, aptandum est. Est autem Quintiliano propositum, oratorem eum instituere, qualem fuisse neminem memoriae sit proditum: qui & moribus perfectus, & omni scientia, omnique dicendi facultate sit absolutus, quapropter qui tantae moli sit destinatus, eum recens natum, quasi de matris gremio suum in sinũ continuò accipit, nihilq; sibi reliqui facit, quod quidem ad educandum, erudiendum, informandumq; illum pertinere intelligat: nunquam à se antè dimissurus, quàm cum uiuendi, sciendi, dicẽdiq; omnibus numeris perfectum atq; absolutum, planeq; oratorem summum singularemque reddiderit. Atq; ad hunc unum terminum, omnes non suas modò, sed omnium, ut quiq; probatissimi forent, ueterũ scriptorum sententias, omniaq; praecepta quasi sagittas in scopum rectissimè collineat. Ac de intentione hactenus. Vtilitas autem tanta in his uoluminibus existit, quantam uix fortasse in unius alteriúsue ex omni Graecorũ Latinorumq; copia inueneritis. Marcus Fabius Quintilianus ex Hispaniae oppido Calagurria, maximè propter obsessum in eo Sertorium insigni, Nerone imperante, à Galba (qui & ipse deinde imperator fuit) Romam adolescens admodũ perductus est. Patre autem, quantum colligimus, cum erudito uiro, tũ in Reipublicae sua administratione honestissimè uersato, usus est. Ipse cum in ea tempora incidisset, quibus & Aunaeus Seneca, & Iulius Africanus, & Vibius Crispus, & Tracallus, & Afer Domitius, aliaq; Romanum forum praeclarissima ingenia illustraret: Domitiũ in primis senem iam co-

iam colendum sibi affectandumque proposuit, hominem cum omnium eius aetatis oratorum eminentissimum, tum praecipua quadam facetiarum atq; urbanitatis laude memorandum. neque illius solùm actiones, uerùm & domesticos sermones diligentissimè omnes obseruauit. Amauit etiam familiarissimè aequalem suum Iulium Secundum, mirae facundiae miraeq; gratiae uirum: cui tametsi properata mors iniuriam fecit, magnum tamen sic quoque inter laudata ingenia sibi locum uindicat. Cum uerò & probatissimis moribus, & summa ingenij ui, & acerrimo studio Quintilianus esset, prima statim iuuenta celebrare forum, atque in summis patronorum numerari occoepit. ad eamq; uirtutis & ingenij commendationem repentè peruenit, ut non solùm maxima quaeque ad illum caussae deferrentur, sed & notarij qui eius dicentis uerba exciperent, uulgò à studiosis hominibus conducerentur. Quoties uerò cum alijs agebat, omnium non solùm concessu, sed & consensu, ferè ab ipso ponendae caussae initium exigebatur. Primam uerò actionem iuuenili quadam cupiditate gloriae ductus, eam emisit, quae Naeuij Arpiniani caussam continebat, in qua quaesitum fuerat, praecipitatane esset ab illo uxor, an se ipsa sua sponte iecisset. Inter caeteras autem quas egit caussas Quintilianus, duae in primis insignes habentur: altera, quam pro regina Berenice apud eam dixit: altera, qua ream tuebatur quae subiecisse dicebatur mariti testamentum, & chirographum marito expirante haeredibus dedisse: quod uerum erat. Nam quia per leges institui uxor non poterat haeres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommissum peruenirent. Et caput quidem quaeri facile erat, si hoc diceret palam, sed peribat haereditas. Ita ergo figuratè caussam egit, ut iudices illud intelligerent factum, delatores autem non possent apprehendere ut dictum: idque cum maxima Quintiliani laude utrunque contigit. Verùm praeter ingenium, quod in illo fuit eminentissimum, tantam etiam uim concipiendarum imaginum, quas phantasias uocant, habuisse accepimus, ut frequenter ita motus sit, ut non solùm lachrymae illum, sed & pallor & uero similis dolor deprehenderent. Sed cum diu iam in foro tanto successu tantaque gloria uersatus foret, ut inde non ingentes modò opes, sed & Romanam ciuitatem, omniaque nobilitatis iura consequutus esset, & iam maximus (ut Iuuenalis inquit) orator haberetur, honestissimum sibi agendi caussas finem statuens, dum adhuc desideraretur, receptui cecinit, suamque mox operam uir procul dubio hominum caussa natus, ad praecipiendi munus transferre coactus est. Quo loco adnotandum nobis est primum omnium, Quintilianum Romae publicum iuuentutis gymnasium, & è fisco eximium stipendium accepisse: multique ex eius ludo quasi ex equo Troiano literarum proceres extiterunt, inter quos & Plinius ille iunior fuit, qui etiam in epistolis Quintilianum praeceptorem suum libentissimè agnoscit: & Iuuenalem item fuisse (ut quidam arbitrantur) maximè uerisimile est, qui de illo his uerbis honorificè mentionem facit, —Vnde igitur tot

Quintilianus habet saltus? exempla nouorum
Fatorum transi: felix & pulcher, & acer,
Felix & sapiens, & nobilis, & generosus,
Appositam nigrae lunam subtexit alutae.
Felix orator quoq; maximus, & iaculator.
Et si perfrixit, cantat bene.

Erat autem in eo praeter caetera adeò exprompta fidelisque memoria, ut quae ex tempore aliquando dixisset, ad uerbum etiam repetita redderet: cuius rei saepissime periculum fecit, siquando interuentus aliquorum qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coegisset. Postquam uerò in erudiendis iuuenibus uiginti annos tanta sua gloria tantaque iuuentutis Romanae utilitate posuit, ut ab ingeniosissimo Latinorum epigrammatum poeta, & uagae iuuentutis moderator, & Romanae togae gloria uerè meruerit appellari: etiam hunc laborem deprecatus, studijs aliquando suis quietem impetrauit: atque ut non solùm aetatis suae hominibus, sed & posteris quoque consuleret, totum illud ocium ad hos de oratoria institutione libros componendos transtulit: quorum cum tertium iam in manibus uolumen haberet, Domitianus augustus curam illi sororis suae nepotum delegauit. Vxorem praetorij uiri filiam, omnes quae in foeminam cadunt laudes (ut ipse inquit) supergressam, cum nondum aetatis undeuigesimum explesset annum, duos enixam filios, amisit. Quorum alterum quintum iam annum egressum, mirae gratiae, iucunditatis, ingenijque puerum, defleuit extinctum. Alter autem sui nomen parentis referens, iámque aetatis decimum egressus annum, omnibus etiam quas uix illa capiat aetas, corporis animique laudibus cumulatus, & consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum prius admotus, atque auunculo praetori gener destinatus, & omnium spe sacris eloquentiae candidatus, cum octo mensium ualetudinem perpessus esset, infelici parentibus ipsos etiam in pueri usum elucubranti libros, alterum orbitatis uulnus inflixit. atque hunc suum casum in horum librorum sexto uir pius, sed omnium suorum superstes, miserabiliter delamentatur. Hos autem qui nunc in manibus nostris libri uersantur, Victorio Marcello quum summa sibi amicitia coniuncto, tum eximio studiorum amore flagranti, dicauit: de quibus, id quod de Carthagine Sallustius ait, silere satius puto, quàm pauca dicere. Ferebantur autem & alij duo sub Quintiliani nomine libri artis rhetoricae, neque editi, ut ipse inquit, à se, neque in hoc comparati. Nam alterum sermone per biduum habito, pueri quibus id praestabatur, exceperant: alterum pluribus sanè diebus, quantum notando consequi potuerant, interceptum, boni iuuenes temerario editionis honore uulgauerant. Hos deinde composuit, in quibus eadem sunt aliqua, multa mutata, plurima adiecta. Fuit enim in homine, ut in nullo unquam, ingenuus quidam animus. Itaque omnia in his libris sedulò praecipit, & omisso interdum speciosiore styli genere, ad utilitatem se discentium summittit: omniaque in ijs quae secutus ipse est, quae partim praeceptis, partim ratione cognouerit usurpata, sine ulla dissimulatione promit. Sed neque ueterem prorsusque uulgatam opinionem suam damnare ipse in his libris est ueritus; neque in tanta re homo candidissimus conscius esse sibi dissimulanti in ulla parte iudicij sui sustinuit. Praeter hos autē, & unum librum de caussis corruptae eloquentiae, & alterum item, qui nunc quoque extat, declamationum composuit. Miro autem candore ueterum ingenia uirtutesque omnium iudicauit. Senecam tantum damnare, inuisumque habere est creditus: quod accidisse sibi ipse scribit, dum corruptum & omnibus uitijs deprauatum dicendi genus reuocare ad seueriora iudicia contendit. Nam cum solus ferè Seneca in manibus adolescentium foret, non quidem ipsum omnino conabatur excutere, sed potioribus praeferri non sinebat. Hactenus mihi de Quintiliano comperta sunt.

M. FABIVS QVINTILIANVS TRYPHONI BIBLIOPOLAE SALVTEM.



ARGVMENTVM.

Caussam edēdi operis profert, quod illud efflagitari vehemēter intelligat: & beneuolentiā captat a sua modestia, & fide diligentiaq; Tryphonis.



EFFLAGITASTI quotidiano conuicio, vt libros quos ad Marcellū meū de institutione Oratoria scripseram, iam emittere inciperem: nam ipse eos nondum opinabar satis maturuisse: quibus componendis (vt scis) paulo plus quam biennium, tot alioqui negocijs districtus, impendi: quod tempus non tam stylo, quàm inquisitioni instituti operis propè infiniti, & legendis authoribus, qui sunt innumerabiles, datum est. Vsus deinde Horatij consilio, qui in arte Poëtica suadet ne præcipitetur editio, nonumq; prematur in annum, dabam ijs ocium, vt refrigerato inuentionis amore, diligentius repetitos tanquam lector perpenderem. Sed si tantopere efflagitātur, quàm tu affirmas, permittamus vela ventis, & oram soluentibus bene precemur. Multū aūt in tua quoq; fide ac diligentia positū est, ut in manus hominum quam emendatissimi veniant.

PETRI MOSELLANI.



Bibliopola, si nominis rationem spectes, librorum venditorem significat: nimirū à βιβλίον, quod Græcis libellū significat, & πωλέω quod vendo, vnde Græci nomē formant βιβλιοπώλης: cuius vocatiuus, quoniam est nomen verbale, habetur βιβλιοπῶλα, quem Latini pro suo nominatiuo vsurpant, iuxta Prisciani traditionem: quæ est, vocatiuum primæ declinationis Græcorum, sæpissimè in nominatiuum Latinū transire, idq; fieri monet Macedonū ac Thessalorum consuetudine. Efflagitasti] differunt vehementer efflagitare & postulare. Siquidem postulare est quoquo modo exigere: efflagitare autē, velut flagris extorquere, & vehementer postulare: id quod indicat Cicero, Quanquam, inquiens, caussa postulat, non tamen efflagitat. Quotidiano conuicio] conuiciū obiurgatio est qua audientes velut ad viciū vocamus. Vnde Iurisconsultus quispiam in Pandectis, ni fi me fallit memoria, quasi conuocium dictum putat, vt sit velut exprobratio quædā multis audientibus. De institutione Oratoria] institutiones & instituta differunt, authore Cornelio Frontone. Institutiones siquidem præceptiones sunt siue introductiones quarumlibet artium, instituta verò decreta, & velut edicta. Nō tamen me fugit, Valerium Probum grammaticum probatissimum, obseruationibus suis indidisse titulum, Instituta artium. Nondum putabam satis maturuisse] id est maturos factos. Sic enim legendum censeo, cum ex veteri exemplari quod sic habet, tum quod venustior multo, & Quintiliani facilitati accōmodatior translatio sit, sumpta à frugibus maturescentibus, vt ingenij fructus temporis progressu elimentur, & velut ad maturitatē perueniant. Non tam stylo] id est lineamentis orationis, quibus hæc mea vestire volebam. Est enim stylus propriè ferreus quidam stimulus, quo veteres in ceratis tabulis scribebant. Inde reductum est ad formam elocutionis, quam variant sententiæ atque verba. Vsus deinde Horatij consilio] recentiores codices omnes, Vsus habent in principio huius clausulæ: at in veteri exemplari animaduerti deesse, idq; meo iudicio rectissimè, tum quòd primum locum in clausula ferè soleat deinde occupare, tum verò maxime quod longe purior & rotundior est sermo, si Fabius dicat consilio Horatij sese dedisse ocium suis libris. Versus Horatij hi sunt,

Nonumque prematur in annum,
Membrana intus positis delere licebit
Quod non ediderís, nescit vox missa reuerti.

Vt refrigerato] id est extincto, inuentionis amore: qui, vt Horatius innuit, cæcus est. Vnde Theocritus, Amori pulchra videtur, quæ non sunt pulchra. Et Catullus cuique suum attributū errorem tradit, ita vt non videamus mantica quæ à tergo est. Permittamus vela vētis] id est, ancipitem editionis euentū vtcunq; cadet, experiamur Sic enim Erasmus exponit in Chiliadibus ex allegoria hoc prouerbiū faciens: quod a nautis sumptum est, qui in dubiū ventorum flatū aliquoties vela expandunt. Et oram soluētibus] oram habent exēplaria magno consensu: tum Erasmus nō aliter citat Et Sipontinus oram exponit funem. Porrò alij littus exponūt: quæ omnia partim corrupta lectione, partim coacta expositione adferūtur. Nusquā enim, quod equidē sciam, ora legitur pro fune nautico. Neq; Fabio dignus est sermo, soluere oram, pro littus soluere: alioqui dixisset dubio procul, ab ora soluere. Libet ergo subscribere castigationi Aldinæ, atq; legere, Auram bene precari: perinde integræ, ac si dicas, bonam auram precari, id est prosperum ventum. Manet enim in allegoria Fabius ad clausulam vsque vt ipse faciendum præscribit lib. 8.

IOACHIMI CAMERRARII.



Et oram] aliquibus in exēplaribus auram legimus neq; parū iam vulgatū, accepisse eruditos quosdā homines, interq; eos Pontanū, oram, pro fune nautico, & adduxisse in eam sententiā locum ex Liuij lib. 28. refragente tamen Beroaldo. Quid autem, aurā, significet? Neq; n. bene precamur, huc opinor astruere liceat, maxime cū in quarto huius authoris libro similiter legatur magno consensu exemplorum, Nauim prospexi, quanti veheret interrogaui, de precio conueni, conscendi, sublatæ sunt anchoræ, soluimus oram, profecti sumus. Verba Pontani ex lib: de Aspiratione infra subscripsi. Est etiam ora funis nauticus, quo naues ligantur in portu, vt apud Quintilianum. Oram soluentibus benè precemur.

M. F. QVINTILIANI IN ORATORIÆ INSTITUTIONIS LIBROS XII. AD MARCELLUM VICTORIUM PROŒMIUM.

ARGVMENTVM.

Procemium quatuor continet, caussas condendi operis, Marcello dicandi, Qualem oratorem instituat, Quo pacto vniuersum opus partiatur. Operis condendi caussę: vt inter opiniones varias facilior esset electio quid potissimum sequendū. Caussæ copiosius etiam scribendi quàm ab amicis efflagitatū erat, vt eos plenius sibi demereretur, ne alienis solum vestigijs insistere videretur, si prioribus nihil adderet: ne duo libelli de Rhetorica impoliti, & manci diutius sub eius nomine circumferrentur. Caussæ Marcello dicandi, quia amicissimus, quia literarum amore flagrans: quia instituendo eius filio plurimū profuturos putauerit. Oratorem instituit perfectissimū, eloquentissimū, omnibus disciplinis & virtutibus instructissimū: atq; in philosophorum arrogantiam inuehitur, vltimā hanc partem ab oratoribus separantiū, & sibi vendicantium. Totum opus in duodecim libros partitur: quorum primus ea quæ ante rhetoris officium continet: Secundus rhetorices progymnasmata. Tertius, Quartus, Quintus, Sextus, Septimus, inuentionē & dispositionem, cum orationis partibus. Octauus, Nonus, Decimus, elocutionem. Vndecimus memoriam & pronunciationem. Duodecimus, vltimam partem definitionis oratoris, id est mores eius virtutes, & officia. Primæ partes ad beneuolentiam sunt comparatæ, dum suam modestiam, & scribendi caussas profert, Marcelloq; opus dicat Attentos reddit, oratorem instituendo, & pleniora q̄ omnia vetera promittendo. Diuisio operis ad docilitatem pertinet.



POST impetratam studijs meis quietem, quæ per viginti annos erudiendis iuuenibus impenderam, cum à me quidam familiariter postularent ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus: quod authores utriusq; linguæ clarissimos non ignorabam multa quæ ad hoc opus pertinerent, diligentissimè scripta posteris reliquisse. Sed quæ ego ex caussa facilio- Caussæ condendi operis.

rem mihi veniam meæ deprecationis arbitrabar fore,
hac accendebantur illi magis: quòd inter diuersas opi-
niones priorum, & quasdam etiam inter se contrarias,
difficilis esset electio: vt mibi si non inueniendi noua, at
certè iudicandi de ueteribus, iniungere laborem nõ iniu
Causæ copiosius scribendi.
stè viderentur. Quamuis autem non tam me vinceret
præstandi quod exigebatur fiducia, quàm negandi ve-
recundia: latius se tamen aperiente materia, plus quàm
imponebatur oneris, sponte suscepi: simul vt pleniori
obsequio demererer amantissimos mei: simul ne vulga-
rem viam ingressus, alienis demum uestigiis insisterem.
Cur alij non tam copiose scripserint, quadruplex causa.
Nam cæteri ferè qui artem orandi literis tradiderunt,
ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctri-
næ, summam in eloquentia manum imponerent: siue con-
temnentes tanquã parua quæ prius discimus studia, siue
non ad suum pertinere officiũ opinati, quando diuisæ pro-
fessionum vices essent: seu, quod proximum vero, nullam
» ingenij sperantes gratiam circa res etiamsi necessarias,
» procul tamen ab ostentatione positas: vt operũ fastigia
» spectãtur, latent fundamenta. Ego cum nihil existimem
» arti oratoriæ alienum, sine quo oratorem non posse fieri
» fatendum est: nec ad vllius rei summam, nisi præceden-
» tibus initijs perueniri: ad minora illa, sed quæ si negli-
» gas, non sit maioribus locus, demittere me non recusa-
» bo: nec aliter quàm si mihi tradatur educandus orator,
Causa dicandi Marcello triplex.
studia eius formare ab infantia incipiam. Quod opus
Marcelle Victori tibi dicamus: quem cum amicissimum
nobis, tum eximio litterarũ amore flagrantem, non pro-
pter hæc modò (quãquam sunt magna) dignissimũ hoc
mutuæ inter nos charitatis pignore iudicabamus, sed
quòd erudiendo nato tuo, cuius prima ætas manifestum
iter ad ingenij lumen ostendit, non inutiles fore libri
videbantur, quos ab ipsis discẽdi velut incunabulis, per
omnes quæ modò aliquid oratori futuro conferant artes,
ad summam eius operis perducere destinabamus. Atq;
Alia causa copiosius scribendi.
eò magis, quòd duo iam sub nomine meo libri fereban-
tur artis Rhetoricæ, neq; editi à me, neq; in hoc compa-
rati. Nanque alterum, sermone per biduum habito, pue-
ri quibus id præstabatur, exceperant: alterum pluribus
sanè diebus, quantum notando consequi potuerant, inter
ceptum, boni iuuenes, sed nimium amantes mei, temera-
rio editionis honore vulgauerant. Quare in his quoque
libris erunt eadem aliqua, multa mutata, plurima adie-
cta, omnia verò cõpositiora, & quàm nos poterimus ela
borata. Oratorem autem instituimus illum perfectũ,
Orator virtute, doctrina, atque eloquentia perfectus.
qui esse nisi vir bonus non potest. Ideoque non dicendi
modò eximiam in eo facultatem, sed omnes animi vir-
tutes exigimus. Neq; enim hoc concesserim, rationem
rectæ honestæq; vitæ (vt quidam putauerunt) ad phi-
losophos relegandam: cum vir ille verè ciuilis, & pu-
blicarum priuatarumq; rerum administrationi accom-
modatus, qui regere consilijs vrbes, fundare legibus,
emendare iudicijs possit, non alius sit profectò quàm ora
tor. Quare tametsi me fateor vsurũ quibusdam quæ phi
losophorũ libris continentur, tamen ea iure vereq; con-
tenderim esse operis nostri, proprieq; ad artem oratoriã
pertinere. An si frequentissimè de iustitia, fortitudine,
temperantia, cæterisque similibus sit disserendum, &
adeò vt vix vlla possit causa reperiri, in quam non ali-
qua quæstio ex his incidat, eaq; omnia inuentione atque
elocutione sint explicanda, dubitabitur, ubicunq; uis in-
genij & copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris
Lib. 3. de Oratore.
esse præcipuas? Fueruntq; hæc, ut Cicero apertissimè
colligit, quemadmodum iuncta natura, sic officio quoque
copulata, ut ijdem sapientes atque eloquentes haberen-
tur. Scidit deinde se studium, atq; inertia factum est ut
Vnde morũ & bene dicẽdi sectio fluxit.
artes esse plures uiderentur. Nam ut primùm lingua
esse cœpit in quæstu, institutumq; eloquentiæ bonis ma-
lè uti, curam morũ qui diserti habebantur, reliquerunt.
Ea uerò destituta, infirmioribus ingenijs uelut præda
fuit. Inde quidam contempto bene dicendi labore, ad for
mandos animos, statuendasq; uitæ leges regressi, par-
tem quidem potiorem, si diuidi posset, retinuerunt: no-
In philosophos arrogantes.
men tamen sibi insolentissimum arrogauerunt, ut soli sa-
pientiæ studiosi uocarentur: quod neq; summi impera-
tores, neq; in consilijs rerum maximarum, ac totius ad-
ministratione Reipublicæ preclarissimè versat, sibi vn-
quam vendicare sunt ausi. Facere.n. optima quàm pro-
« mittere maluerunt. Ac veterum quidem sapientiæ pro-
fessorum multos & honesta præcepisse, & vt præcepe-
runt, etiam vixisse facilè concesserim: nostris uerò tem
poribus sub hoc nomine maxima in plerisq; vitia latue-
runt. Non enim virtute ac studijs ut haberentur philo-
sophi, laborabant, sed vultum, & tristitiam, & dissen-
tientem à cæteris habitũ pessimis moribus prætẽdebant.
Nunc autem quæ uelut propria philosophiæ asseruntur,
passim tractamus omnes. Quis enim non de iusto, æquo
ac bono, modò nõ vir pessimus, loquitur? Quis nõ etiam
rusticorum aliqua de causis naturalibus quærit? Nam
verborum proprietas ac differentia, omnibus qui sermo
Orator perfectus nondum inuentus.
nem cura habent, debet esse communis. Sed ea & sciet
optimè & eloquetur orator: qui si fuisset aliquando per-
fectus, non à philosophorum scholis uirtutis præcepta pe
terentur; nunc necesse est ad eos aliquando authores re-
currere, quid desertam, vt dixi, partem oratoriæ artis,
meliorem præsertim, occupauerunt, & veluti nostrum
reposcere: non vt nos illorum vtamur inuentis, sed vt
illos alienis usos esse doceamus. Sit igitur orator vir ta- «
lis, qualis verè sapiens appellari possit: nec moribus mo «
dò perfectus (nam id mea quidem opinione, quanquam «
sint qui dissentiant, satis non est) sed etiam scientia, &
omni facultate dicendi: qualis adhuc fortasse nemo fue-
rit. Sed non ideo minus nobis ad summam tendendũ est,
quod fecerunt pleriq; ueterum: qui etsi nondum quen-
quam sapientem repertũ putabant, præcepta tamen sa-
pientiæ tradiderunt. Nam est certè aliquid consumma-
ta eloquentia, neq; ad eam peruenire natura humani in-
genij prohibet: quod si non contingat, altius tamen ibunt
qui ad summa nitentur, quàm qui præsumpta desperatio «
ne quò uelint euadendi, protinus circa ima substiterint. «
Quo magis impetranda erit uenia, si ne minora quidem
illa, uerùm operi quod instituimus, necessaria, præteri-
Operis diuisio.
bo. Nam liber primus ea quæ sunt ante officium rhe-
toris, continebit. Secundo, prima apud rhetorem elemen
ta, & quæ de ipsa rhetorica substantia quæruntur, tra-
ctabimus. Quinque deinceps inuentioni (nam & huic
dispositio subiungitur) quatuor elocutioni (in cuius par
tem memoria ac pronunciatio ueniunt) dabũtur. Vnus
accedet, in quo nobis orator ipse informandus est, ut qui
mores eius, quæ in suscipiendis, agẽdis causis ratio, quod
eloquentiæ genus, quis agendi debeat esse finis, quæ post
finem studia, quantum nostra ualebit infirmitas, disse-
ramus. His omnibus admiscebitur, ut quisq; locus postu
labit, dicendi ratio, quæ non eorum modò scientia, qui-
bus solis quidã nomen artis dederũt, studiosos instruat,
& (ut sic dixerim) ius ipsum rhetorices interpretetur,
sed alere facundiã, uires augere eloquentiæ possit. Nam «
plerunq; nudæ illæ artes, nimia subtilitatis affectatione «
frangunt

frangunt atque concidunt quicquid est in oratione generosius, & omnem succum ingenij bibunt, & ossa detegunt: quæ ut esse, & adstringi neruis suis debent, sic corpore operienda sunt. Ideoque nos non particulam illam, sicut plerique, sed quicquid utile ad instituendum oratorem putabamus, in hos duodecim libros contulimus, breuiter omnia demonstrando. Nam si quantum de quaque re dici potest, prosequamur, finis operis non reperietur. Illud tamen in primis testandum est, nihil præcepta atque artes ualere, nisi adiuuante natura. Quapropter ei cui deerit ingenium, non magis hæc scripta sunt, quàm de agrorum cultu sterilibus terris. Sunt & alia ingenita quidem adiumenta, uox, latus patiens laboris, ualetudo, constantia, decor: quæ si modica obtigerunt, possint ratione ampliari: sed nonnunquam ita desunt, ut bona etiam ingenij studijque corrumpant: sicut & hæc ipsa sine doctore perito, studio pertinaci, scribendi, legendi, dicendi multa & continua exercitatione, per se nihil prosunt.

Naturæ magnum momentum.

MOSELLANI.

DIu sim reluctatus} Propriè luctari significat brachijs cõplexis, certis quibusdam nexibus contendere: unde reluctari, hoc palæstræ genere aduersum aliquem pugnare significat. Fabius aptissimè traduxit ad refutationem modestam, deflexione facta à corpore ad animum. Meæ deprecationis} Id est recusationis. Nam ut author est Gellius lib.6.cap 16. præter uulgo notam significationem uerbi deprecor, quæ est ualde precor, etiam declarat aliquoties abigo, amolior, uel precibus adhibitis, uel quo alio modo. Alienis uestigiis insisterem} Quod Pythagoras uetare solebat hoc symbolo, Per publicam uiam ne ambules, id est, expositore Hieronymo, ne sequaris uulgi errorẽ, nunquam enim tam bene actum est in humanis, ut quæ optima sunt, plurimis placuerint. Summam in eloquentia manũ imponerent} Translatio est prouerbialis, sumpta ab artificibus, qui primò rude aliquod futuri corporis simulacrum effingunt, quod primam appellant manum: deinde uerò accuratius expoliendo ad perfectionem ducunt, quam uocant summam manum, quòd uidelicet postea manum non apponant amplius. Ad hunc modum Erasmus locum hunc exposuit. Mihi magis arridet eorum sententia, qui à pictoribus sumptam metaphoram putant, cum ob alia, tum quòd & alterum quoddam prouerbium fertur de pictoribus mutuo sumptum, quo iubemur manum de tabula iam satis elaborata amouere. Contemnentes tanquam parua} Hieronymus in epistola quadam in hanc sententiam sic loquitur: Non sunt contemnenda tanquam parua, sine quibus magna cõstare non possunt. Ab infantia incipiant} Medici, atq; medicorum princeps Hippocrates apud Iulium Pollucem lib. de rerum uocabulis secundo, septem hominis ætates supputant, quarum quælibet septenario numero finitur: harum primam infantiam uocant: quæ ubi sit exacta, tempus esse aiunt ut puer literariorum scholis adhibeatur. Cui sententiæ & Paulus Medicus subscribit in lib. de Præceptis salubribus. Ad ingenii lumen) Id est ad eloquentiæ facultatem. Sic enim M. Tul. in Bruto eloquentiã uocat: nimirum quòd elegans & eruditus sermo non nisi ab elegante & culto ingenio proficiscatur, quod in oratione, uelut lumine quodam adhibito, ostenditur. Vere siquidem dixit Aristoteles, talia quemq; loqui, qualis ipse sit, quòd oratio minimè mendax sit animi speculum. Sic officio quoq; copulata} Cicero libro de Orat. 3. ferme in principio, his opinor uerbis? Nam cum omnis ex re atque uerbis constet oratio, neq; uerba sedem possunt habere si rem subtraxeris, neq; res lumen si uerba semoueris. Est enim illa Platonis uera uox, quæ omnem doctrinam ingenuarum & humanarum artium, uno quodam societatis uinculo contineri dicit: quam sententiam ut probet apud Platonem Socrates in Gorgia, omnem mouet lapidem. Soli sapientiæ studiosi uocarentur) Huc enim Fabius alludit, expressa Græci nominis ratione. Siquidem Græci φίλος amicum sonat, & σοφία sapientiã, unde philosophi dicti, quasi sapientiæ amatores. Quod nomen omnium primus arrogauit sibi Pythagoras Samius. Nam tradit Socrates apud Laertium lib. 8. cum interrogaretur quẽnam se profiteretur, respondisse Philosophum se esse. Pessimis moribus prætendebant} Sunt enim propterea illis ipsis temporibus, nempe Domitiano imperante, consulto senatus philosophi eiecti, atq; urbe & Italia interdicti, quemadmodum & prioribus seculis C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala COSS. senatusconsultum scriptum est de Rhetoribus Latinis uel exigendis, uel coercendis, authore Gel. lib. 15. cap. 11. Qualis uere sapiens appellari possit} Sapientem hunc his Stoici numeris perfici uoluerũt, ut esset quispiam improhibitus, inuiolatus, liber, diues, felix, quam formam, utpote commentitiam, Horatius eleganter uersibus illudit Epistolarum libro primo.

Ad summum sapiens uno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex deniq; regum,
Præcipuè sanus, nisi cum pituita molesta est,

POst impetratam} Literas Romæ docuisse Fabium, uel ex illo notissimo Martialis uersu satis constat.

Quintiliane uagæ moderator summe iuuentæ.

Eo igitur munere defunctum se, ocium tandem post uiginti annos nactum esse ait, quod tempus uacationi professorum postea legibus attributum fuit. Summam manum imponerent} Absoluerent. Satis uel ex hoc loco apparet unde tralatio ducta sit, nempe ab operum perfectione. Eadem sententia & extremam manum imponerent, Virgilius dixit:

Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum.

Et Cicero, Extrema manus non accessit operibus eius, inchoata præclarè multa, perfecta non planè. Professionum uices} Vt exempli gratia Grammaticæ & Rhetoricæ. Ingenii lumen} Eloquentiam. Cicero in Bruto: Vt enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia. Cicero apertissimè} Locus est in tertio de Oratore. Hæc autem} Philosophos, inquit, qui nostro tempore perhiberi se uolunt, non studijs, sed specie laborant esse. Philosophiæ autem studia cum sint uitæ ac morum præcepta, hoc est, officia contineant, & tradant quãdam certitudinem sermonis, quis illa nunc non usurpat? At qui nemo uerè poterit, nisi Orator. De hac uerò quasi degeneratione Philosophorum à uirtute & constantia deficiẽtium, grauissimè queritur in secunda Tusculana Cicero. Quæ sequentibus temporibus ad studia quoque peruenit, ut iam non solum ut mali, sed etiam ut indocti incesserẽtur. Huius rei plena sunt scripta eorum qui illis ætatibus uixere, & nulla penè Luciani pagella nõ habet aliquam insignem insectationem philosophorum istorum. Illud tamen} Præcidit id quod & Horatius quæsitum esse scribit, naturáne an arte constaret eruditio. Cum enim omnis eruditio cultura ingenii sit, ubi deerit ingenium, ne culturæ quidem poterit esse locus. Ac si quis ideo studia doctrinarum contemnere uelit, quòd uæcordes nihil illis adiuuentur, perinde ac si literas, quia in aqua nihil scribi possit, spernat, facere uideatur. Nam eousque humanæ sapientiæ uis non extenditur, ac admirabilis sane doctoris sit ac diuinus, qui mente cassos instruat sapientia, ut ait Euripides.

ARGVMENTVM.

Patrem de filio, quò sit circa eius institutionem diligentior, non diffidere, sed spem optimam capere iubet: cum uis percipiendi quæ traduntur, sit hominibus propria: ut auibus uolandi facultas, & equis currendi. Nutrices, puerosque inter quos educabitur infans, uitioso sermone, malisque moribus infames, repudiandos, quia tenacius hærtant quæ rudibus annis percipiuntur. In parentibus etiam plurimum eruditionis optat. Pædagogos quoque moribus probatis, & doctos esse uult, aut ipsi se doctos non esse intelligant. A sermone Græco puerum incipere mauult, & quia Latinus pluribus in usu uel nolentibus se præbeat, & quia disciplinis Græcis prius instituendus sit, unde latinæ fluxerunt, ita tamen, ut latina statim subsequantur, & cito pariter eant. Eumq; statim ut fandi potens erit, literis instituendum, nec expectandum annum septimum, cum initia literarum sola memoria constent, quæ in pueris tenacissima est. Eundem docendum esse per lusum, & iucundam æmulationem, legere primum, deinde scribere, quorum primum ut expeditissime faciat, literarum formas prius quam nomina, contextum & syllabas perdiscat, ad quod profuturum ait, literas eburneas aut quid simile obiecisse, quo facilius ad discendum allici tenera illa ætas possit. Hinc syllabas omnes, & statim difficillimas quasque perdiscendas, nec in continuanda lectione nimium properandum, cum hanc festinationem incommoda plurima consequantur. Scribere uero & celeriter & recte perdiscere posse, si literæ ex solida materia tabellæ insculpantur, quarum sulcos stylo sequens puer, articulos firmet. Sed primam operã non in uulgaribus & forte occurrentibus uerbis ponendam, uerum ijs & uerbis & sententijs, unde plurimum fructus ad puerum redeat, qui etiam nomina quædam uersusque difficultatis affectatæ, syllabas asperrime coeuntibus catenatos celeriter proferre consuescat, ut os absoletius, & sermo expressior esse possit.

Quid circa primam pueri institutionem prouidendum sit: & quemadmodum prima elementa tradenda sint.

Cap. I.



GITVR nato filio, pater spem de illo primùm quàm optimam capiat. ita diligentior à principijs fiet. Falsa enim est querela, paucissimis hominibus uim percipiendi quæ tradantur, esse concessam. plerosque uerò laborem ac tempora tarditate ingenij perdere. Na contra plures reperias et faciles in excogitando, & ad discendum promptos. quippe id est homini naturale: ac sicut aues ad uolatum, equi ad cursum, ad sæuitiam feræ gignuntur: ita nobis propria est mentis agitatio atq; solertia: unde origo animum cælestis creditur. Hebetes uerò & indociles non magis secundum naturam hominis eduntur, quàm prodigiosa corpora, & monstris insignia: sed hi pauci admodum. fuerit argumentum, quòd in pueris elucet spes plurimorum: quæ cum emoritur ætate, manifestum est non naturam defecisse, sed curam. Præstat tamen ingenio alius alium: concedo: sed ut plus efficiat, aut minus: nemo tamen reperitur, qui sit studio nihil consecutus. Hoc qui peruiderit, protinus ut erit parens factus, acrem quam maximè curam spei futuri oratoris impendat. Ante omnia, ne sit uitiosus sermo nutricibus: quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optauit: certè, quantum res pateretur, optimas eligi uoluit. Et morum quidem in his haud dubiè prior ratio est: rectè tamen etiā loquantur. Has primùm audiet puer, harum uerba effingere imitando conabitur. Et natura tenacissimi sumus eorum quæ rudibus annis percipimus: ut sapor quo noua imbuas, durat: nec lanarum colores quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quę deteriora sunt. Nam bona facilè mutantur in peius: nunc quando in bonum uerteris uitia? Non assuescat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni qui dediscendus sit. In parentibus uerò quamplurimum esse eruditionis optauerim. Verùm nec de patribus tantùm loquor. nam Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus: & Lælij filia reddidisse in loquendo paternam eloquentiam dicitur: & Quinti Hortensij filiæ oratio apud Triumuiros habita, legitur non tantum in sexus honorem. Nec tamen ij quibus discere ipsis non contigit, minorem curam docendi liberos habeant: sed sint propter hoc ipsum ad cætera magis diligentes. De pueris inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem quod de nutricibus dictum sit. De pædagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi planè, quam primam esse curam uelim: aut se non esse eruditos sciant. nihil enim peius est ijs qui paulum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & uelut iure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus intumescit, imperiosi atque interim sæuientes, stultitiam suam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus. Siquidem Leonides Alexandri pædagogus, ut à Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum uitijs imbuit, quæ robustum quoque & iam maximum regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta.

Hebetes & indociles cōtra naturam.

Nutrices probæ & disertæ.

Parentes eruditi.

Cicero i Bruto, & Valer. lib. 8. tit 3.

Pueri inter quos educabitur, ut nutrices, probi & diserti.

Pædagogi optimi & eruditissimi, aut suā infirmitatem agnoscētes.

Leonides Alexādrum uitijs imbuit.

Si cui multa uideor exigere, cogitet oratorem institui, rem arduam: etiam cum ei formando nihil defuerit, præterea plura ac difficiliora superesse. Nam & studio perpetuo, & præstantissimis præceptoribus, & pluribus disciplinis opus est. Quapropter præcipienda sunt optima: quæ si quis grauabitur, non rationi defuerit, sed homini. Si tamen non continget quales maximè uelim, habere nutrices, pueros, pædagogos: at unus certè sit assiduus dicendi non imperitus: qui siqua erunt ab his præsente alumno dicta uitiosè, corrigat protinus, nec insidere illi sinat: dum tamen intelligatur, id quod prius dixi, bonum esse: hoc, remedium. A sermone Græco puerum incipere malo: quia Latinus, qui pluribus in usu est, uel nobis nolentibus se perbibet: simul quia disciplinis quoque Græcis prius instituendus est, unde & nostræ fluxerunt. Non tamen hoc adeò superstitiosè uelim fieri, ut diu tantum loquatur græce aut discat, sicut plerisque moris est. hinc enim accidunt & oris plurima uitia in peregrinum sonum corrupti, & sermonis, cui cum græcæ figuræ assidua consuetudine hæserint, in diuersa quoque loquendi ratione pertinacissimè durant. Non longè itaque latina subsequi debent, & citò pariter ire. Ita fiet, ut quum æquali cura linguam utranque tueri cœperimus, neutra alteri officiat. Quidam literis instituendos, qui minores septem annis essent, non putauerunt, quòd illa prima ætas & intellectum disciplinarum capere, & laborem pati non possit. In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ante Grammaticum Aristophanem fuerunt. nam is primus ὑποθήκας, in quo libro scriptum hoc inuenitur, negauit esse huius poetæ. Sed alij quoque authores, inter quos Eratosthenes, idem præceperunt: Melius autem, qui nullum tempus uacare cura uolunt, ut Chrysippus. nam is quamuis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque iam informandam quàm optimis institutis mentem infantium iudicat. Cur autem non pertineat ad literas ætas, quæ ad mores iam pertinet? Neque ignoro, toto illo de quo loquor tempore uix tantum effici, quantum conferre unus postea possit annus: sed tamen mihi, qui hoc senserunt, uidentur non tam discentibus in hac parte, quàm docentibus pepercisse. Quid melius alioqui facient, ex quo loqui poterunt? Faciant enim aliquid necesse est. Aut cur hoc, quantulumcunque est, usque ad septem annos lucrum fastidiamus? Nam certè quamlibet paruum sit quod contulerit ætas prior, maiora tamen aliqua discet puer eo ipso anno, quo minora didicisset. Hoc per singulos annos prorogatum, in summam proficit: & quantum in infantia præsumptum est temporis, adolescentiæ acquiritur. Idem etiam de sequentibus annis præceptum sit: ne quod cuique discendum est, serò discere incipiat. Non ergo perdamus primum statim tempus: atque eo minus, quòd initia literarum sola memoria constant: quæ non modò iam est in paruis, sed tum etiam tenacissima est. Nec sum adeò ætatum imprudens, ut instandum teneris protinus acerbè putem, exigendamque plenam operam. Nam id in primis cauere oportebit, ne studia qui amare nondum potest, oderit, & amaritudinem semel perceptam, etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus hic sit: & rogetur, & laudetur: & nonnunquam scisse se gaudeat: aliquando ipso nolente doceatur alius, cui inuideat, contendat interim, & sæpius uincere se putet. præmijs etiam, quæ capit illa ætas, euocetur. Parua docemus instituendum oratorem professi: sed est sua etiam studijs infantia, & ut corporum mox etiam fortissimorum educatio à lacte cunisque initium ducit, ita futurus eloquentissimus

A Græcis inspicandum.

Latina statim græca subsequi debent.

Institutio pueri nō in se primum annum differenda.

Infantia per lusum docenda.

edidit

edidit aliquando uagitum, & loqui primùm incerta uoce tentauit, & hæsit circa formas literarum. Nec si quid discere satis non est, ideo necesse non est. Quòd si nemo reprehendit patrem qui hæc non negligenda in suo filio putet, cur improbetur si quis ea quæ domi suæ rectè faceret, in publicum promit? Atque eo magis, quòd minora etiam facilius minores percipiunt: & ut corpora ad quosdam membrorum flexus formari nisi tenera non possunt, sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit.

Philippus Alexādrum Aristoteli in disciplinam tradit.

An Philippus Macedonum rex Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele summo eius ætatis philosopho uoluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia à perfectissimo quoq; tractari, pertinere ad summam credidisset? Fingamus igitur Alexandrum dari nobis impositum gremio, dignum tanta cura infantem (quanquam suus cuique dignus est) pudeatne me in ipsis statim elementis etiam breuia docendi monstrare compendia?

Literarū traditio.

Neque enim mihi illud saltem placet, quod fieri in plurimis uideo, ut literarum nomina & contextum prius quàm formas paruuli discant. Obstat hoc agnitioni earum, non intendentibus mox animum ad ipsos ductus, dum antecedentem memoriam sequuntur. Quæ caussa est præcipientibus, ut etiam cum satis affixisse eas pueris rectò illo [illegible] primùm scribi solent contextu uidentur, retroagant rursus, & uaria permutatione perturbent, donec literas, qui instituuntur, facie norint, non ordine. Quapropter optimè, sicut hominum, pariter & habitus & nomina edocebuntur. Sed quod in literis obest, in syllabis non nocebit.

Initium scribendi.

Non excludo autem, id quod est notum, irritandæ ad discendum infantiæ gratia, eburneas etiam literarum formas in lusum offerre, uel si quid aliud, quo magis illa ætas gaudeat, inueniri potest, quod tractare, intueri, nominare, iucundum sit. Cum uerò iam ductus sequi cœperit, non inutile erit eas tabellæ quamoptimè insculpi, ut per illos uelut sulcos ducatur stylus. Nam neque errabit quemadmodum in ceris (continebitur enim utrinque marginibus) neque extra præscriptum poterit egredi: & celerius ac sæpius sequendo certa uestigia, firmabit articulos: neque egebit adiutorio manum suam manu su[redacted]sita regentis.

Bene scribendi studium.

Non est aliena res, quæ ferè ab honestis negligi solet, cura bene ac uelociter scribendi. Nam cum sit in studijs præcipuum, quoque solo uerus ille profectus, & altis radicibus nixus paretur, scribere: tardior stylus cogitationem moratur, rudis & confusus intellectu caret: unde sequitur alter dictandi quæ ex his transferenda sunt, labor. Quare cum semper & ubique, tum præcipuè in epistolis secretis & familiaribus delectabit ne hoc quidem neglectum reliquisse.

De syllabis.

Syllabis nullum compendium est: perdiscendæ omnes: nec, ut fit plerunque, difficillima quæque earum differenda: ut in omnibus scribendis deprehendantur. Quinimò ne primæ quidem memoriæ temerè credendum: repetere, & diu inculcare, fuerit utilius:

Legendi optima ratio.

& in lectione quoque non properare ad continuandam eam uel accelerandam: nisi cum inoffensa atque indubitata literarum inter se coniunctio suppeditare sine ulla cogitandi saltem mora poterit: tunc ipsis syllabis uerba complecti, & his sermonem connectere incipiat. Incredibile est quantum moræ lectioni festinatione adijciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermissio, repetitio, plus quàm possunt audentibus: deinde cum errarunt, etiam ijs quæ iam sciunt, diffidentibus.

Festinationis plurima incommoda.

Certa sit ergo in primis lectio, deinde coniuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emēdata uelocitas. Nam prospicere in dextrum (quod omnes præcipiunt) & prouidere, non rationis modò, sed usus quoque est: quoniam sequentia intuenti, priora dicenda sunt, & quod difficillimum est, diuidenda intentio animi, ut aliud uoce, aliud oculis agatur.

Quæ scribendo proponēda.

Illud non pœnitebit curasse, cum scribere nomina puer (quemadmodum moris est) cœperit, ne hanc operam in uocabulis uulgaribus & fortè occurrentibus perdat: Protinus enim potest interpretationem linguæ secretioris, quas græci γλώσσας uocant, dum aliud agitur, ediscere, & inter prima elementa consequi rem postea proprium tempus desideraturam.

Aristoteles lib. de poet. & Fest. Pōp.

Et quoniam adhuc circa res tenues moramur: ij quoque uersus qui ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas uelim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. Prosequitur hæc memoria in senectutem: & impressa animo rudi, usque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum uirorum, & electos ex poetis maximè (nanque eorum paruis cognitio gratior est) locos ediscere inter lusum licet.

Memoria necessaria.


Lib. 11. ca. 2.

Nam & maximè necessaria est oratori (sicut suo loco dicam) memoria: & ea præcipuè firmatur atque alitur exercitatione: & in ijs de quibus nunc loquimur ætatibus, quæ nihildum ipsæ ex se generare queunt, propè sola est quæ iuuare curam docentium possit.

Prenūciatio quomodo formanda.

Non alienum fuerit exigere ab his ætatibus, quò sit absolutius os, & expressior sermo, ut nomina quædam uersusque affectatæ difficultatis ex pluribus asperrimè coeuntibus inter se syllabis catenatos, & uelut confragosos, quàm citatissimè uoluant. χαλεποὶ græcè uocantur, res modica dictu: quæ tamen omissa, multæ linguæ uitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum prauitate durantur.

MESOLLANI.



Nde origo animi cælestis creditur] Quòd uidelicet animus noster è cælo in corpora humana illapsus, in hoc mundo omnia sua instituta, curas omnes remittat. Vel quod creatus sit homo ad imaginem dei creatoris, ut scribit Moses, & Platonici Philosophi assentiunt, cum diuinissimum & sanctissimum hominem esse ex uniuerso rerum naturalium cœtu asserunt. Gracchorum eloquentiæ] Tiberij scilicet, de quo in claris Oratoribus sic Cicero: Ac utinam in Tiberio Graccho talis mens ad Rempub. bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit: profectò nemo huic uiro gloria præstitisset. Sed per turbulentissimum Tribunatum à Repub. interfectus est. Hic diligentia Corneliæ matris à puero doctus, & Græcis literis eruditus fuit. Nam habuit semper exquisitos ex Græcia magistros. Porrò C. Gracchus, uir à pueris quo nemo pleníor & uberior ad dicendum fuit, grandis est uerbis, sapiens sententijs, & toto genere grauis. Et Lælij filia] C. Lælius in primis eloquēs fuit, ex cuius orationibus Cicero æstimari postulat de ingenijs Oratorum, cui & dicendi laudem cæteris illustriorem tribuit in Brut. Et Q. Hortensius] Hortensius omnium Oratorum suæ ætatis, nisi M. Tullio, clarior fuit iudicatus à Gellio libro 1. Quem Cic. in Bruto socium & consortem gloriosi laboris appellat. Non tantùm in honorem sexus] uerùm multo magis in honorem artis Oratoriæ. De pædagogis] Id est ductoribus: à παῖς παιδὸς, quod puerum significat, & ἄγω duco.

Interim sæuientes] Sæpius interim apud Fabium pro aliquando ponitur. Imperiosi] id est, abutentes imperio sibi concesso in pueros. A Babylonio Diogene] Diogenes hic Stoicus philosophus fuit, ex Seleucia Ciliciæ urbe oriundus. At Babylonius dictus est ob uicinitatem, siquidem Babylon cōfinis est Ciliciæ. author est Laertius lib. 6. Non rationi defuerit, sed oneri] Id est nihilominus tamen hæc erit ratio optima instituēdi, etiamsi per nonnullos fiet quo minus seruetur. Alumno] Id est eo quem educandū & instituendum suscepit. Id quod prius] Vt pædagogi sint docti, & nutrices rectè loquantur. A sermone Græco] Aduertendum tamen est hanc rationem ad nostra tempora non omnino quadrare, propterea quod Fabij ætate uernaculus Romæ latinus sermo fuerit, nobis non itidem, quanquā Erasmus Fabij præceptum etiam nostro seculo seruandū existimet.

Ante Grāmaticum Aristophanem} Aristophanes Byzantius primus, Apellis dulcis cuiusdam filius fuit: Audiuit aūt inter cæteros præcipuè Eratosthenem, qui Cyrenensis primus Ambrosium quendā patrē habuit, is in omni disciplinarum genere tā fuit absolutus, ut secundus Plato diceretur. Suntq; adeo huius cōmentaria de Astronomicis sæpe à Plinio citata, de sectis philosophorū, & de re Grammatica, ac alijs quibusdam, author Suidas. ὑποθήκας} Præcepta breuia, argumenta quædā, admonitiones. sic Suidas. Qui minores septem annis essent} Cum sextum septimū ue annum attigerint, tum & pueros & puellas literatoribus tradere oportet, benignis quidem illis humanisq;, qui cum gratia & animi securitate doceant, quandoquidem animi relaxatio ad uegetam corporis educationem plurimū confert. Duodecimo iam exacto anno, ad Grammaticos Rhetoresq; mittendi, atq; ad corporis exercitationes cogendi sunt. A decimoquarto ad primum & secundum uicesimi anni, Mathematicæ, sapientiæq; studio incumbant, & ad fortiores exercitationes pro corporis robore ducantur Paulus medicus lib. 1 rei medicæ. Præmijs etiā quæ capit illa ætas} declarat Horatius, Pueris olim dant crustula blandi Doctores, elementa uelint ut discere prima. Et nūquam non se fecisse gaudeat} Id est doleat se non fecisse. An Philippus Macedonum rex} Extat super hoc exemplo Philippi regis ad Aristotelem, cum apud Plutarchum, tum & Gellium epistola, his uerbis: Philippus Aristoteli salutem. Filium mihi genitum scito, quod equidem dijs habeo gratiam, non perinde quia natus est, quàm pro eo quòd eum nasci contigit temporibus uitæ tuæ, spero enim fore, ut eductus eruditusq; abs te, dignus extitat & nobis, & rerum istarum successione. Valer. lib. 9 cap. 3. At eo magis} Scilicet non improbandus est qui minora præcipit. Ductus} Figuras. Sed quod in literis obest} Vt antea scilicet doceamus habitum & nomina literarum. Non excludat} Scilicet à ratione optima instituendi pueros. Tabellæ} Ligneæ uel osseæ insculpi. Tardior stylus} Id est cōsuetudo scribendi. Syllabis nullum compendium} Id est nulla breuis ratio discendi est syllabarum. Suppeditare} Id est celeritatem & continuationē subministrare. Coniuncta} Id est continuata. Per γλώσσας & interpretationem linguæ secretioris familiarē intellige, & quotidianum sermonis usum, cuiusmodi esse debet quo secretiores & sublimiores authores exponimus. Risum enim mouent doctis, qui glossas eius generis scribunt, ut minori negocio authorem ipsum intelligere liceat, quàm quæ explicationis gratia sunt annotata. Proficiet} Id est conferet. Confragosos} Cum fragore quodam sese collidentes. Χαλεποὶ} Difficiles illi uersus uocantur, quorum exempla multa sunt in Comœdiis ueterum Latinorum, ut Plauti: plura uerò in Græcis comicis, qui choris suis maximè affectant sesquipedalia uerba, hoc est longissima, & affectatæ nouitatis. Nisi} Id est si non. Eximuntur} Id est expurgantur, extorquentur.

CAMERARII.

Qvippe id} Omnium non modò animantium, sed rerum propria quædam natura est. Vrit ignis, candet nix. Sua est equis, bobus, feris omnibus natura. Ita hominis rationis usus proprius est, unde sermo existit. Nam Gracchorum} Cicero in Bruto: Legimus epistolas Corneliæ matris Gracchorum, apparet filios non tam in gremio educatos, quàm in sermone matris. Auditus est nobis Læliæ C. filiæ sæpe sermo, ergo illam patris elegantia tinctam uidimus. Porrò triumuiri accipiendi sunt, Cæsar Octauianus, Antonius, Lepidus. Leonides} Leonidem Alexandri fuisse pædagogum, ex Plinio quoque notum est, cui ille Asia potitus onustam thure nauem miserit fuisse Olympiadis propinquus traditur, seq; non pædagogum, sed ducem Alexandri uoluisse dici. Diogenes autem cuius hoc loco mentio fit, Babylonius, Stoicus fuit philosophus, qui in illa celebri legatione Romam uenit cum Carneade & Critolao. Quæ si quis} Hoc est, modis omnibus præcipienda sunt optima: quibus si quis uti non uoluerit, non possit prætendere ueræ rationis, demonstratæ uidelicet, ignorationem, sed ipsius fuerit negligētia. Vt sit, defuerit, culpa fuerit, seu ut ita dicam, defectus. Quod autem duriuscule dictum uideri queat, quæ si quis grauabitur, sunt tamen ita tunc locuti. Plinius 3. epistolarum libro: Nempe quam in senatu quoq;, ubi perperi necesse erat, grauari tamen uel puncto temporis solebamus. Quidam literis} Videntur hac in re distributionem ætatum Græci respexisse, quæ secundum Hippocratem hæc est: Prima ætas ab anno uno ad usque septimum. Secunda, à septimo usque ad decimumquartum. Tertia, à quarto & decimo ad uigesimum usq; primum. Quarta, à uigesimoprimo ad uigesimumoctauum usque. Quinta, à uigesimooctauo ad trigesimumquintum. Sexta, à trigesimoquinto ad quadragesimum secundum. Septima, à quadragesimosecundo usq; ad nonum & quadragesimum. Prima, infans, secunda, puer, tertia, adolescēs, quarta, iuuenis, quinta, uir, sexta, senex, septima, decrepitus, quod ille dixit πρεσβύτης, author Pollux. Cum igitur non arbitrarentur infantes utiliter literis institui posse, censuerunt hæc studia differenda usq; ad pueritiam. Ὑποθήκας} præcepta, ut apud Herodot. ὑπὸ τὰς κροίσου ὑποθήκας, faciebat quæ Crœsus suaserat seu subiecerat. Aristophanem} id est paulo infra tempora Philadelphi. Audisse enim hunc Aristophanem, qui præceptor fuerit Aristarchi, Callimachum tradunt & Zenodotum, alterum cum esset puer adhuc, alterum iam adolescentem, cæterum magistro postea usum Eratosthene, qui Athenis in Aegyptum uenit accersitus à Ptolemæo tertio rege Aegypti, qui Euergetes dictus fuit. Zenodotus autem apud Ptolemæum Lagi filium, qui Soter dictus fuerat, illiusq; filios literas docuerat. Ita illa ætate doctissimos uiros, qui posteritati conseruarent studiorum & artium cultum, numinis prouidentia collegit. Nam cum perpetuis motibus, extincto Alexandro, uexata Græcia disciplinarum studia negligeret, illeq; orbis artium, quam uocant ἐγκύκλιον παιδείαν, dissipatus iam esset, expulsi Alexandria doctissimi homines omnibus in generibus scientiarum, iniuriis & immanitate Ptolemæi septimi regis Aegyptiorum, quem κακεργέτην dixere, omnes insulas & ciuitates Græcorum compleuerunt, tanquam reducentes quæ olim inde artes excellissent, & se quasi in tutelam Ptolemæorum contulissent. Chrysippus} Qui præcepta scripsit de educatione liberorum, sicut paulo post Fabius citat. Ab Aristotele} Locum Gellii lib. 9 cap. 3 placuit indicare, propter exemplū epistolæ Philippi. Quas græci γλώσσας} In libro de poetica, qui extat inscriptus Aristoteli, legitur: Nomē aut proprium esse, aut γλῶτταν. Proprium, quo utantur aliqui cōmuniter: γλῶτταν, quo alii: ita idem nomen esse posse proprium, & γλῶτταν, ut σίγυνον Atheniensibus γλῶτταν fuisse, Cypriis propriū, unde apparet γλώσσας dixisse uocabula minus uulgo aut nota, aut usitata, cuiusmodi poetarum sunt plurima, aut aliunde sumpta, aut repetita ab antiquitate, aut nouitia uel effictione, uel compositione, ut logi pro nugis, paratragœdiare, mastigia, bolus. Vetera sunt, perduellis, exanclare. Nouorum ratio latius patet, nam & quæ quasi abolita, usu reposita sunt, noua uideri queant, sicut uexare possit nouum uideri, cum sit uetus ac proprium; cuiusmodi nobis discentibus linguam latinam occurrere multa solent. Effictum noue fuerit à Sallustio, si quidem uerum est dixisse eum, quod aiunt, Loquentiam. Intellectus maximè nouitatem facit, ut exterebrare & expiscari, pro exquirere, huc pertinent trāslata: Compositio est simplicior, ut collutulare, triparcos, leuifidæ. Græcè uocantur} Vt pertericrepus, therapontigonus, platagidorus, apud aristophanem σφραγιδονυχαργοκομήτας & πορφυροδόξαμοιβά. Sed hæc quisque sibi excerpere ex poetis poterit, uersus autem integros maxime proderit, qualis est Catullianus hic, Cum Thyaso Satyrorum & Nysigenis Silenis item, Funera Cecropiæ nec funera portarentur, & ille antiquus: Fraxinus fixa ferox infesta infunditur ossis, & sicut nos fecimus docendi caussa, Flammiuomasq; plagas colis alias fulminis arces: Has maximas, ut sic dicam, confragositates, L & M & S & R faciunt. Vnde ueteres S & M abiicere solebant, & uitiose dictum ab Ennio annotatur, Tum milliamilitum octo.

ARGVMENTVM.

Refellit eorum opiniones qui puerum à schola publica arcentes, domi institui uolunt, duplici nitentes argumento, quod in schola facilius corrumpantur, quodque unus magis uacaturus sit uni. Priorum caussam ostendit ad scholas non pertinere, & retorquet in aduersarios, cum pueri licentia parentum corrupti, domo malos mores adferant, qui tamen præceptoris sancti & grauis uigilantia corrigi queant, qui ut talis sit, multis undique stimulis urgetur, cum domesticus ille maiori securitate turpitudinem domi exercere possit. Secundum plane falsum ostendit, cum contra optimus quisque præceptor maiori theatro, & frequentia accendi soleat. Ergo utilius publice quam domi institui, quamuis non sit incommodum futurum, si domesticus aliquis doctus & probus lateri puerorum adiungatur. Infert & obiectiones duas, doctum illum præceptorem publicum non se ad pueri captum accommodaturum, & numerum audientium impedire præceptoris castigationem prælectionemque. Primum ostendit esse falsum, secundum in speciem probabile, multis commodis compensat. His argumentis confirmat, quòd in scholis discat non reformidare homines, quod amicitias contrahat perduraturas in extremam senectutem, quod ibi prudentiam & sensum communem discat, quod ex æmulatione inflammetur ad discendum, quod audiat etiam quæ ad alios pertineant, quod condiscipulorum facilitas accommodatior iucundiorem faciat imitationem: Postremo, quod præceptor uno præsente non concipiat idem spiritus, nec effundat eas uires, quas in celebritate. His morem pueros instituendi laudatissimum, suis olim præceptoribus familiarem, interserit.

Vtrum

Verum utilius domi, an in scholis erudiantur. Cap. II.



Ed nobis iam paulatim accrescere puer, & exire de gremio, ac discere seriò incipiat. Hoc igitur potissimùm loco tractanda quæstio est, utilitérne sit domi atq; intra priuatos parietes studentem continere, an frequentiæ scholarum & uelut publicis præceptoribus tradere. Quod quidem quum iis à quibus clarissimarum ciuitatum mores sunt instituti, tum eminentissimis authoribus uideo placuisse. Non est tamen dissimulandum, esse nonnullos qui ab hoc propè publico more priuata quadam persuasione dissentiant. Hi duas præcipuè rationes sequi uidentur: Vnam, quòd moribus magis consulant fugiendo turbam hominũ eius ætatis, quæ sit ad uitia maximè prona: unde caussas turpium factorum sæpe extitisse utinam falsò iactaretur. Alteram, quòd quisquis futurus est ille præceptor, liberalius tempora sua impensurus uni uidetur, quàm si eadem in plures partiatur. Prior caussa prorsus grauis. Nam si studiis quidem scholas prodesse, moribus autẽ nocere constaret, potior mihi ratio uiuendi honestè, quàm uel optimè dicendi uideretur. Sed mea quidem sententia, iuncta ista atq; indiscreta sunt. Neque enim esse oratorem nisi bonum uirum iudico: & fieri etiam si posset, nolo de hac re igitur prius. Corrumpi mores in scholis putant: nam & corrumpuntur interim: sed domi quoq;: & sunt multa eius rei exempla, tã læsa hercle quàm conseruata sanctissimè utrobiq; opinionis. Natura cuiusq; totum curaq́; distat. Da mentem ad peiora facilem, da negligentiam formandi custodiendiq́; in ætate prima pudoris: non minorem flagitiis occasionem secreta præbuerit. nam & esse potest turpis domesticus ille præceptor: nec tutior inter seruos malos, quàm ingenuos parum modestos, conuersatio est. At si bona ipsius indoles, si non cæca ac sopita parentum socordia est: & præceptorem eligere sanctissimum quemq; (cuius rei præcipua prudentibus cura est.) & disciplinam quæ maximè seuera fuerit, licet: & nihilominus amicum grauem uirum, aut fidelem libertum lateri filii sui adiungere: cuius assiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebuntur. Facilè erat huius metus remedium. Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis soluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam uocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima uerba exprimit, & iam coccum intelligit; iam conchylium poscit. Antè palatum eorum quàm os instituimus. In lecticis crescunt. si terram attigerint, è manibus utrinq; sustinentium pendent. Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu & osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt: nostras amicas, nostros concubinos uident. Omne conuiuium obscœnis canticis strepit: pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri antè quàm sciant uitia esse. inde soluti ac fluentes, non accipiunt è scholis mala ista, sed in scholas afferunt. Verùm in studiis magis uacabit unus uni. Ante omnia nihil prohibet esse istum nescio quem unum, etiam cum eo qui in scholis eruditur. Sed etiam si iungi utrunq; non posset, lumen tamen illud conuentus honestissimi, tenebris ac solitudini prætulissem. Nam optimus quisq; præceptor frequentia gaudet, ac maiore se theatro dignum putat. At uerò minores ex conscientia suæ infirmitatis hærere singulis, & officio fungi quodam modo pædagogorum non indignantur. Sed præstet alicui uel gratia, uel amicitia, uel pecunia, ut doctissimum atque incomparabilem magistrum domi habeat, num tamen ille totum in uno diem consumpturus est? aut potest esse ulla tam perpetua discentis intentio, quæ non ut uisus oculorum, obtutu continuo fatigetur? cum præsertim multo plus secreti temporis studia desiderent. Neque enim ediscenti, scribenti, & cogitanti præceptor assistit: quorum aliquid agentibus, cuiuscunque interuentus impedimento est. Lectio quoque non omnis nec semper præeunte, uel interpretante eget. Quando enim tot authorum notitia contingeret? Ergo modicum tempus est, quo in totum diem uelut opus ordinetur. Ideóque per plures ire possunt etiam quæ singulis tradẽda sunt. Pleraque uerò hanc conditionem habent, ut eadem uoce ad omnes simul perferantur. Taceo de partitionibus & declamationibus Rhetorum: quibus certè quantuscunque numerus adhibeatur, tamen unusquisque totum feret. Non enim uox illa præceptoris, ut cœna, minus pluribus sufficit: sed ut sol, uniuersis idem lucis calorisq́ue largitur. Grammaticus quoque de ratione loquendi si disserat, quæstiones explicet, historias exponat, poemata enarret: tot illa discent, quot audient. At enim emendationi prælectionique numerus obstat. Sit incommodum (nam quid ferè undique placet?) mox illud comparabimus commodis. Nec ego tamen eò mitti puerum uolo, ubi negligatur. Sed neque præceptor bonus maiore se turba, quàm ut sustinere eam possit, onerauerit: & in primis ea habenda cura est, ut is omnino fiat nobis familiariter amicus: nec officium in docendo spectet, sed affectum, ita nunquam erimus in turba. Nec sanè quisquam literis saltem leuiter imbutus, eum in quo studium ingeniumq́ue perspexerit, non in suam quoque gloriam peculiariter fouebit. Sed ut fugiendæ sint magnæ scholæ (cui ne ipse quidem rei assentior) si ad aliquem meritò concurritur, non tamen hoc eò ualet, ut fugiendæ sint omnino scholæ. Aliud est enim uitare eas, aliud eligere. Et si refutauimus quæ contra dicuntur, iam explicemus quid ipsi sequamur. Ante omnia, futurus orator, cui in maxima celebritate, & in media Republica luce uiuendum est, assuescat iam à tenero non reformidare homines, neque illa solitaria & uelut umbratili uita pallescere. Excitanda mens & attollenda semper est, quæ in huiusmodi secretis aut languescit, & quendam uelut in opaco situm ducit: aut contra tumescit inani persuasione. Necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in Sole, & omnia noua offendit: ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. Mitto amicitias, quæ ad senectutem usque firmissimæ durant, religiosa quadam necessitudine imbutæ. Neque enim est sanctius, sacris iisdem quàm studiis initiari. Sensum ipsum qui communis dicitur, ubi discet, cum se à congressu, qui non hominibus solùm, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit? Adde, quòd domi ea sola discere potest, quæ ipsi præcipientur: in scholis, etiam quæ aliis. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi. proderit alicuius obiurgata desidia, proderit laudata industria: excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse maiores. Accendunt omnia hæc animos: & licet ipsa uitium sit ambitio, frequenter tamen caussa uirtutum est. Non inutilem scio seruatum esse à præceptoribus meis morem, qui cum pueros in classes distribuerant, ordinem dicendi secundum uires ingenii dabant: & ita superiore loco quisque declamabat, ut præcedere profectu uidebatur.

Marginal notes:
Profert opinionem contrariam, & rationes eius ordine soluit.
Confutatio primæ rationis.
Parentũ indulgẽtia perniciosa.
Alexandrinæ delitiæ.
Cõfutatio secundæ rationis.
Obiectio.
Solutio.
Partitionibus, id est materiis diuisis discipulis quæ dicuntur παραχειρίσεις.
Vox præceptoris, Solis instar est.
Alia obiectio & solo per anteparalæpsin.
Præceptor familiariter amicus.
Non fugiendæ magnæ scholæ.
Sententiam suam multis rationibus confirmat.
Sensus communis.
Ambitio, uirtutis caussa.
Mos pueros instituendi laudatissimus.

Docere classem, i. primū locū tenere. Semel, idest in perpetuū.

Huius rei iudicia prabebantur. ea nobis ingens palmæ contentio, ducere uerò classem, multo pulcherrimum. Nec de hoc semel decretum erat, tricesimus dies reddebat uicto certaminis potestatem. Ita nec superior successu curam remittebat, & dolor uictum ad depellendam ignominiam concitabat. Id nos acriores ad studia dicendi faces subdidisse, quàm exhortationes docentium, pædagogorum custodiam, uota parentum, quantū animi mei coniectura colligere possum, cõtenderim. Sed sicut firmiores in literis profectus alit æmulatio, ita incipiẽtibus, atq; adhuc teneris condiscipulorum quàm præceptoris iucundior, hoc ipso quòd facilior, imitatio est. Vix enim se prima elemẽta ad spem tollere effingendæ quam summam putant eloquentiæ audebunt: proxima amplectuntur magis: ut uites arboribus applicitæ, inferiores prius apprehendendo ramos, in cacumina euadunt. Quod adeò uerum est, ut ipsius etiã magistri, si tamen ambitiosis utilia præferet, hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discentium, sed temperare uires suas, & ad intellectum audientis descendere. Nam ut uascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus uel etiam instillatis complentur: sic animi puerorum quantum excipere possint, uidendum est. Nam maiora intellectu uelut parum aptos ad percipiendum animos non subibunt. Vtile igitur est habere quos imitari primum, mox uincere uelis. ita paulatim & superiorum spes erit.

Elemēta, pro elementarijs, ut sermitia pro seruis.

Egregia similitudo.

Bonus præceptor multitudine ascenditur.

His adijcio, præceptores ipsos non idem mentis ac spiritus in dicendo posse concipere singulis tãtùm præsentibus, quod illa celebritate audientium instinctos. Maxima enim pars eloquentiæ constat animo. hunc affici, hunc concipere imagines rerum, & transformari quodammodo ad naturam eorum de quibus loquimur, necesse est. Is porrò quo generosior celsiorq; est, hoc maioribus uelut organis commouetur: ideoq; & laude crescit, & impetu augetur, & aliquid magnum agere gaudet. Est quædam tacita dedignatio, uim dicendi tantis comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere. pudet supra modum sermonis attolli. Et sanè concipiat quis mente uel declamantis habitum, uel orantis uocem, incessum, pronuntiationem, illum denique animi & corporis motum, sudorem, ut alia prætercam, & fatigationem, audiente uno, nonne quiddam pati furori simile uideatur? Non esset in rebus humanis eloquentia si tãtùm cum singulis loqueremur.

MOSELLANI.

A Quibus clarissimarum ciuitatum] Vt Lycurgo Lacedæmoniorum principi & legislatori, qui statuit in Republica Lacedæmoniorum, pueros erudiendos in cœtu & frequentia omnium, ut est apud Xenophōtem de Republica Lacedæmoniorum. [Fugiendo turbam] Nam si grex totus in agris unius scabie cadit, quemadmodum inquit Iuuenalis, sic uniuersus adolescentium cœtus, unius uitiosi pueri cõtactu inficitur, ac deprauatur: quia ætas quæcunq; uiderit aut audierit, gestiat imitari. [Quæ in purpuris tepit] Purpura, piscis genus est apud Plinium lib. 9 cap. 36. florem illum tingendis expetitum uestibus, in medijs habens faucibus, liquoris hic est minimi in candida uena, unde preciosus ille bibitur, nigrātis rosæ colore sublucens. reliquum corpus sterile. [Iam coccum intelligit] Codices Aldini coccum habent, ut uidelicet referatur ad lautitiam ciborum. Verùm mihi magis arridet ea ueteribus libris coccum legere, ut ad colorem referatur uestium, propterea q conchylium statim sequitur, & de palato instituendo deinceps fit sermo. Porrò coccũ scribit Plinius rubens granum esse Galatiæ, aut etiam quod prouenit circa Emeritā Lusitaniæ oppidum, ubi in maxima est laude, aniculo grano languidus succus, unde color colligitur, idem à quadrimo euanidus, ita nec recenti neq; senescenti uires lib. 9. cap. 41 [Iam conchylium poscit] Conchylium piscis quoq; est testa inclusus, cuius fermè sanie colligitur color non absimilis purpuræ, præterquam quòd conchylium temperatius est, & mitius elucens. [Palatum] Id est sensum gustus. [Verba ne Alexandrinis permittenda delicijs] Aegyptus atq; huius caput Alexandria semper studiosissima fuit deliciarum, idq; maximè absorbendis gemmis preciosissimis præstitit, adeo ut Alexandria inductionem Romanam redacta, Romæ quoq; promiscuus ac frequens usus margaritarum sorbendarum cœperit. Porrò memorabilissimum exemplum luxuriæ maximè regum Aegypti, extat apud Plinium lib. 9. cap. 35 [Soluti] Fracti, delicijs fluentes, incoerciti. [Stringi utrunq; non posset] Vt scilicet domesticum & publicum præceptorem habeat. [Tenebris] Vmbraculis, domesticis institutionibus. [Maiore theatro se dignum putat] Id est spectaculo, in quo uires ingenij sui explicet. [Præstet alicui gratia] Dignatio. [Tacco de positionibus] Quæ græce themata uocantur, quòd scilicet discipulis olim uelut declamationum argumenta à præceptoribus proponerentur] Declamationibus] Ficti argumẽti orationibus [Sit incommodum] Id est demus enim esse id uitium incommodum. [Affectum] Quo scilicet magister auditori familiariter amico. [Proderit] Anaphora est, quando per plura membra unum sæpius uerbum repetitur. [Excitabitur laude æmulatio] Studium æquandi seu superandi aliquem. [Huius rei] Id est profectus. [Ingens palmæ contentio] Apud Latinos scriptores, uictoriæ præmiũ palma significari metaphoricè solet. cuius rei caussam reddit Plutarchus apud Aulũ Gellium libro. 3. cap. 6. quòd huius arboris lignum, quantumuis pondus superponas, non cedat, sed aduersum nitatur, incuruescatq; unde placuerit in certaminibus ex huius ramis corona. Hinc palmam dare dicimus, pro uictoriam concedere: & palmam auferre pro eo quod est uictorem abire. [Non temere] Fabius in negatiua oratione temere dicere solet pro frequenter, cum aliàs significet inconsultò & inconsideratè, ut Erasmus annotauit.

CAMERARII.

C Larissimarum ciuitatum] Vt Lycurgo, quod ex ijs quæ de Lacedæmoniorum institutis scripta sunt à multis, satis constat. Necnon idem apud Athenienses fieri consueuisse legimus, ubi [illegible], hoc est cœtu quodam in ludum itauisse antiqui moris fuerat, nimirum à Solone traditi. Quam autem idem Platoni placuerit, nusquam aliunde, uel hinc appareat, q censet infantes quoq; à nutricibus in certum locum quasi ludum deferendos per singulos tribus. [Alexandrinis] Notū est de Alexandrina luxuria quid literis mandatum sit, cui postremò se induisit Cleopatra. Annotatum est etiam à Valerio, sic fuisse delicijs eneruatos Alexandrinos, ut cum eos Archelaus aduersus Gabinium urbe eductos, castra uallo ac fossa cingere iussisset, uniuersi succlamarint, ut id opus publica pecunia faciendum locaretur. Porrò conchylium ex eorum piscium genere est, quos Græci [illegible] uocāt, præcipuè aptos gulæ. Plinius, ut purpuram inter conchas ponit. Horatius in Epodo: Non me Lucrina iuuerint conchylia. Græci uidentur conchylia dixisse generali appellatione τὰ [illegible], ut apud Athenæum ex Epicharmo, [illegible]. [Partitionibus] Id est materijs diuisis discipulis, quæ dicuntur [illegible], de qua re lib. 2. Fabius.

ARGVMENTVM.

Duo tradit hoc capite, puerorum ingenia primum perspicienda, eosq; non temere cædendos esse. Nam cum primum & præcipuum omnium in puero quẽ in oratorẽ euadere desideramus, sit natura, qua inuita ne quicquam tentantur omnia, ad summam illam spem quenquam alere conari, natura eius & ingenio non diligenter explorato, esse uehementer absurdũ. Signa quibus id colligi possit, hæc esse. Memoriam primum, quæ duas habet partes, facile percipere, & fideliter continere. Deinde imitationem non illam quidem uitiorum, aut rerum per se paruum momenti habẽtium, ut est habitus & incessus, sed omnium bonorum, nam ut a probitate semotā sit imitatio, nullo pacto ferendum. Subiungit & hæc, si uiso interrogēt: si non ingenium tanquam præcox effundat ante tempus: si laude excitetur & timeat: si uictus fleat: si lusu aliquo liberali corpus interdũ recreari. Postremo, temere non esse cædendos, quia turpe & seruile sit.

Qua ratione puerorum ingenia dignoscantur, & quo modo tractanda sint. Cap. III.



RADITO sibi puero, docendi peritus ingenium eius in primis, naturamque perspiciat. Ingenij signum in paruis præcipuum, memoria est. Eius duplex uirtus: facilè percipere, & fideliter continere. Proximum, imitatio: nam id quoq; est dociles naturæ: sic tamen ut ea quæ discit, effingat, non habitũ fortè & incessum, & si quid in peius

Memoria & imitatio, ingenij signa. Quæ imitanda.

in peius notabile est. Nō dabit mihi spē bonæ indolis, qui hoc imitādi studio petet, ut rideatur. Nam probus quoq; in primis erit ille uere ingeniosus: alioqui non peius duxerim tardi esse ingenij, quàm mali. Probus autē ab illo segni & iacente plurimum aberit. Hic meus, quæ tradētur, non difficulter accipiet: quædam etiam interrogabit: sequetur tamē magis quàm præcurret. Illud ingeniorum uelut præcox genus, non temere unquā peruenit ad frugem. Hi sunt qui parua facilè faciūt: & audacia prouecti, quicquid illud possunt statim ostendunt. Possunt autem id demum quod in proximo est: uerba continuant: hæc uultu interrito nulla tardati uerecundia proferunt. non multum præstant, sed citò. non subest uera uis, nec penitus immissis radicibus nititur: ut quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundūt: & imitatæ spicas herbulæ, inanibus aristis ante messem flauescunt. Placent hæc annis comparata, deinde stat profectus, admiratio decrescit.

Præcocia ingenia nō perueniūt ad frugem.

Hæc cum animaduerterit, perspiciat deinceps quonā modo tractandus sit discentis animus. Sunt quidam, nisi institeris, remissi: quidam imperia indignantur: quosdam continet metus, quosdam debilitat: alios continuatio extundit, in alijs plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui uictus fleat. hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit. in hoc desidiam nunquam uerebor.

Animus discentis uarie pro sua natura tractādus.

Danda est tamē omnibus aliqua remissio: non solùm quia nulla res est quæ perferre possit continuum laborem: atque ea quoq;, quæ sensu & anima carent, ut seruare uim suam possint, uelut alterna quiete retunduntur: sed quòd studium discendi, uoluntate, quæ cogi non potest constat. Itaque & uirium plus afferunt ad discendum renouati ac recente, & acriorem animū, qui ferè necessitatibus repugnat. Nec me offenderit lusus in pueris: est & hoc signum alacritatis: neque illum tristem, semperq; demissum sperare possum erectæ circa studia mentis fore, cum in hoc quoq; maximè naturali ætatibus illis impetu, iaceat. Modus tamē sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciant negatæ, aut otij consuetudinē nimiæ. Sunt etiam nonnulli acuendis puerorū ingenijs non inutiles lusus, quum positis inuicem cuiusq; generis quæstiunculis æmulantur. Mores quoq; se inter ludēdum simplicius detegunt: modò nulla uideatur ætas tam infirma, quæ non protinus quid rectum prauumq; sit, discat tum uel maxime formanda, cū simulandi nescia est, & præcipientibus facillimè cedit. Frangas enim citius quàm corrigas quæ in prauum induruerunt. Protinus ergo nequid cupidè, nequid improbè, nequid impotenter faciat, monendus est puer, habendumq; in animo semper illud Virgilianum,

Remissio.

Retunduntur idest laxātur & recreātur. Lusus liberalior pueris moderate cōcedendus.

Adeò in teneris consuescere multum est.

Cædi uero discentes, quanquam & receptū sit, & Chrysippus non improbet, minimè uelim: primum, quia deforme atque seruile est: & certè, quod conuenit, si ætatem mutes, iniuria. deinde, quòd si cui tam est mens illiberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quæq; mancipia, durabitur. postremò quòd ne opus quidem erit hac castigatione, si assiduus studiorum exactor adstiterit. Nunc ferè negligentia pædagogorum sic emendari uidetur, ut pueri non facere quæ recta sunt cogantur, sed cur non fecerint puniantur. Deniq; cum paruulum uerberibus coegeris, quid iuuenem facias, cui nec adhiberi potest hic metus, & maiora discenda sunt? Adde, quòd multa uapulantibus dictu deformia, & mox uerecundiæ futura, sæpe dolore uel metu accidunt: qui pudor refringit animū, & abijcit, atq; ipsius lucis fugam & tædium dictat. Iam si minor in deligendis custodum & præceptorum moribus fuit cura, pudet dicere in quæ probra nefandi homines isto cædendi iure abutantur, quam det alijs quoq; nonnunquam occasionē hic miserorum metus. Non morabor in parte hac. nimium est quod intelligitur. Quare hoc dixisse satis est, In ætatem infirmam, & iniuriæ obnoxiam, nemini debet nimiū licere.

Georgic. 2.

Non esse cædendos pueros.

Turpitudinē cōcubinum illicitorū notat.

Nunc quibus instituendus sit artibus qui sic formabitur, ut fieri possit orator, & quæ in quaque ætate inchoanda, dicere ingrediar.

MOSELLANI.

PRæcox ingeniorum genus] Accius tragicus poeta apud Aulum Gellium hanc Fabii translationem consimi similitudine exprimit aptissimè his uerbis, Quod in pomis est, itidem esse aiunt in ingeniis, quæ dura & acerba nascuntur, post fiunt mitia atq; iucunda: sed quæ gignuntur statim uieta & mollia, atq; in principio sunt uuida, non matura mox fiunt, sed putria, relinquendum est ergo ingeniis quod dies & ætas mitificet. lib. 3. cap. 3. [Stat profectus] Id est consistit. [Extundit] Id est frangit, consumit, uel potest pro exuscitat accipi [Est signum alacritatis] Id est uiuacitatis ingenii. [Aemulantur] Id est alter alterum conatur superare, uel saltem æquare. [Impotenter] Id est imperiose Nam impotens non eum significat qui nihil possit, sed qui potentia sua in humiliorem abutatur. Sic tyranni sunt impotentes, & pueri nobiles maligna natura præditi impotenter faciunt dum probris uerberibusq; afficiunt pauperum & humilium liberos. [Quantus receptū] Id est in usum acceptū seu assumptū. [Refringit animū] Id est extinguit alacritatē animi.

CHAMERARII.

VT rideatur] Ridiculæ imitationes, inquit, non sunt bonę indolis indices, & quem ego ingeniosum intelligi uolo, ante omnia probum quoq; uolo. Absque enim probitate si esset laus ingenii, sanè fuerat satius tarditate illud infamari, quàm commendari malitia. [Retunduntur] Remittuntur. Nam hanc uim re habet, ut recludo, resigno, similitudine ducta ab arcubus, quibus cum sagittarii non uti cogitent, ne neruos quidem accommodare soleant. Herodotus scribit Amasidem Aegypti regem reprehensum ab amicis, quòd uoluptatibus indulgens, comessationibus se dederat, respondisse, qui arcubus præliarentur, cum uti illis uellent, tum intendere. ubi uero iam essent usi, remittere consueuisse. nam si nunquam retenderentur, fore ut dirupti nulli essent usui. ita quoq; humanam conditionem sese habere. nam si homines rebus seriis se perpetuo occupent, neq; aliquam uitæ partē iocis & lusibus impertiant, improuisum aliquē uel in furorem uel morbum sonticum delapsuros. id uidentem se, utrique rei sua tēpora impendere. [Ingrediar] ἔρχομαι ἰέναι.

ARGVMENTVM.

Puerum huic spei destinatum, legendi scribendique iam peritum, bonis moribus, bono ingenio præditum, Grammaticis tradendum præcipit.

Grammatices facit duas partes, unam recte loquendi scientiam, quam horisticen alij, alij methodicen nominant, quod præcepta, primas rerum definitiones, & methodum emendate loquendi scribendique tradat, sub qua scribendi rationem continet. Alteram poetarum & historicorum enarrationem, quam exegeticen uocant, ad quam emendatam lectionem refert. In hac Grammatices professione musicam propter rythmum & metrum requirit. Astrologiæ etiam cognitionem propter poetas, qui syderum ortu & occasu tempora rerum declarare consueuerunt. Et philosophiam propter locos plurimos in authoribus ex intima philosophia petitos, & propter Empedoclem Varronemque, qui pręcepta sapientiæ uersibus tradiderunt. Addit & eloquentiam, ut omnia proprie & copiose demonstrare queas. Hinc elementorum uim statim tradendam. & non solum quo pacto uocales a consonantibus distinguantur, & hę rursus in semiuocales & mutas partiantur: uerumetiam quas literas a gręcis mutuemur scribendis eorum nominibus, nempe y & z. & in latinis an Aeolicum digamma desideretur. Et qui sonus medius sit inter I & V. An redundent H & K & X. Quo pacto I & V transeant in consonantes pręposite uocalibus, ut Venus, Iuno. Quid in literis proprium, quid commune. Quæ mutationes decidant declinatione aut præpositione, ut seco secui, cadit excidit. Quæ cum quibus cognatio, ut R & S, Valerij Valesij, arbos labos. T & S, pultare, pulsare. & olim T cū D, Alexāter Alexāder. Et pro aspiratione Digāma uel F. fordeum, fœdus, pro hordeū & hœdus. B pro P, F, & H Byrrus, bruges, Belena. O pro V, & contra. Hecoba Chulcydes. E & I, leber, Menerua. Hinc quot sint partes orationis, & quo pacto earum numerus ad octo paulatim deductus sit, reiectis articulis, assenueratione, & attractione, uocabulo appellationeque nomini subiectis. His coniungit ad declinationes nominum & uerborum accedit: quibus neglectis ambitiosi quidam suos discipulos humi adhuc repsantes, circa subliniora ostentare uolentes, præpostere docebant. Et primum declinare nomina & uerba pręcipit, doceri genera, nominū origines scrutari, unde Burri, Agrippæ, Posthumi, Deinde sit ne aliqua uix sexti casus apud latinos, septimi apud gręcos. In uerbis quoque præter accidentia nosse quę sint anomala, ut in nominibus quæ heteroclita. Vt participia transeant in nomina uerbalia, ut sapiens, nutritor. Cuius rationis sunt illa impersonalia passiua, itur in antiquam syluam. Et illud: totis Vsque adeo turbatur agris. Item & illud, Campus curritur. Vt quædam passiua positione, actiuam habeant significationem: ut pransus, potus. Vt quædam nomina transeant in aduerbia, noctu, diu. Et quædam his simile quid patiantur: ut dictu, factu.

De Grammatica. Cap. IIII.

Grāmatices diuisio. Grammatices professio multum habet in recessu.

PRIMVS in eo qui legendi scribendique adeptus erit facultatem, grāmaticis est locus. Nec refert de græco, an de latino loquar: quanquam græcum esse priorem placet. Vtrique eadem uia est. Hæc igitur professio cum breuissimè in duas partes diuidatur, rectè loquendi scientiam, & poetarum enarrationem: plus habet in recessu quàm in fronte promittit. Nam & scribēdi ratio coniuncta cum loquendo est, & enarrationem præcedit emendata lectio: & mistum his omnibus iudicium est: quo quidē ita seuerè sunt usi ueteres grammatici, ut non uersus modò censoria quadam uirgula notare, & libros qui falsò uiderentur inscripti, tanquā subditititios summouere familia permiserint sibi: sed authores alios in ordinē redegerint, alios omnino exemerint numero.

Criticorum ueterum censura.

Quam late pateat grammatici professio.

Nec poetas legisse satis est: excutiendum omne scriptorū genus: non propter historias modò, sed uerba, quæ frequēter ius ab authoribus sumūt. Tum nec citra musicen grammatice potest esse perfecta, cū ei de metris rhythmisq; dicendum sit. Nec si rationem syderū ignoret, poetas intelligat: qui (ut alia mittam) toties ortu occasuq; signorum in declarandis tēporibus utuntur. Nec ignara philosophiæ, cum propter plurimos in omnibus ferè carminibus locos ex intima quæstionum naturalium subtilitate repetitos, tum uel propter Empedoclē in græcis, Varronem ac Lucretium in latinis: qui præcepta sapientiæ uersibus tradiderunt. Eloquentia quoq; non mediocri est opus, ut de unaquaque earum quas demonstrauimus rerum, dicat propriè & copiosè. Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem ut tenuem ac ieiunam cauillātur: quæ nisi oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris, corruet: necessaria pueris, iucunda senibus: dulcis secretorū comes: & quæ uel sola omni studiorū genere plus habet operis quàm ostentationis.

Elementa Grammatices non sunt fastidienda. De literis, & earum potestate.

Ne quis igitur tanquam parua fastidiat grammatices elementa: non quia magnæ sit operæ consonantes à uocalibus discernere, ipsasq; eas in semiuocalium numerum, mutarumq; partiri: sed quia interiora uelut sacri huius adeuntibus, apparebit multa rerum subtilitas, quæ non modò acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit. An cuiuslibet auris est exigere literarum sonos? Non Hercule magis, quàm neruorum. At Grammatici saltem omnes in hāc descendent rerum tenuitatem, desint'ne aliquæ nobis necessariæ literæ, non quum Græca scribimus (tum enim ab iisdem duas mutuamur) sed propriè in Latinis, ut in his, Seruus, & Vulgus, Aeolicum digamma desideratur. Et medius est quidam V & I literæ sonus. Non enim sic optimū dicimus, ut opimum. Et in Here, neque E planè, neque I auditur.

Duas, y & z. Nam in optimo media breui plenū sonum nō habet, ut in opimo longa.

An rursus aliæ redundent, præter illam aspirationis H: quæ si necessaria est, etiam contrariam sibi poscit. Et Q, quæ & ipsa quorundam nominum nota est. Et K, cuius similis effectus speciesque, nisi quod paulum à nostris obliquatur, kappa apud Græcos: nunc tantum in numero manet. Et nostrarum ultima X, qua tamen carere potuimus, si non quæsissemus. Atque etiam in ipsis uocalibus Grammatici est uidere an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia Iam sicut Tam scribitur, & Quos ut Cos. Atque ut uocales iunguntur. aut enim unam longam faciunt, ut ueteres scripsere, qui geminatione earum uelut apice utebantur: aut duas: nisi quis putat etiam ex tribus uocalibus syllabam fieri, quod nequit, si non aliquæ officio consonantium fungantur. Quæret etiam hoc, quomodo duabus demum uocalibus in seipsas coeundi natura sit, cum consonantium coeat nulla, nisi alteram frangat. Atqui litera I sibi insidit. Coniicit enim est ab illo Iacit. Et V, quomodo nunc scribitur Vulgus & Seruus. Sciat etiam Ciceroni placuisse Aiio Maiiamque geminata I scribere. Quod si est, etiā iungetur ut consonans.

In oratore.

Quare discat puer, quid in literis proprium, quid commune, quæ cum quibus cognatio: nec miretur cur ex Scamno fiat Scabellum: aut pinna (quod est acutum) securis utrinque habens aciem, Bipennis: ne illorum sequatur errorem, qui quia à pennis duabus hoc esse nomen existimant, pinnas auium dici uolunt. Neque has modò nouerit mutationes, quas afferunt declinatio, aut præpositio, ut secat secuit, cadit excidit, cædit cecidit, calcat exculcat: & sic à lauando lotus, & inde rursus illotus, & mille alia: sed & quæ rectis quoque casibus ætate transierunt. Nam ut Valesii & Fusii in Valerios Furiosque uenerunt: ita arbos, labos, uapos etiam & clamos ac lases, ætatis fuerunt. Et hæc ipsa S litera ab his nominibus exclusa, in quibusdam ipsa alteri successit: nam mertare atque pultare dicebant. Quin fœdum fœdusque. pro aspiratione, * F, uel simili litera utentes: nam contra Græci aspirare solent φ: ut pro Fundanio Cicero testem qui primam eius literam dicere non posset, irridet.

** Vau, uel.*

Sed B quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde Burrhus, & Bruges, & Balena. Necnon eadem fecit ex duello bellum, unde Duellios quidam dicere Bellios ausi. Quid stlocum, stlitesque? Quid T literæ cum D quædam cognatio? Quare minus mirum si in uetustis operibus urbis nostræ, & celebribus templis legantur Alexanter & Cassantra. Quid O atque V permutata inuicem? ut Hecoba & notrix, Culchides, Pulyxena scriberentur: ac ne in Græcis id tantum notetur, dederunt, ac probauerunt. Sic Ὀδυσσέα, quem Ὀλυσσέα fecerunt Aeoles, ad Vlyxem deductum est. Quid? non E quoque I loco fuit? ut Menerua, & leber, & magister, & Diioue & Veioue, pro Diioui & Veioui? * Sed mihi locum signare satis est. Non enim doceo, sed admoneo docturos.

Pyrrhus. Phryges. Phalæna. Cicero in Oratore, pro lucum, litesque Sex. Pomp. fragm. 19.

Gell. libro 5. cap. xij.

** al. Deiue uictore, non Deioui uictori.*

De partibus orationis.

Inde in syllabas cura transibit, de quibus in orthographia pauca annotabo. Tum uidebit ad quem hoc pertinet, quot & quæ sint partes orationis: quanquam de numero parum conuenit. Veteres enim, quorum fuerunt Aristoteles quoque atque Theodectes, uerba modò & nomina & conuinctiones tradiderunt: uidelicet quòd in uerbis uim sermonis, in nominibus materiam, (quia alterum est quod loquimur, alterum de quo loquimur) in conuinctionibus autem complexum eorum esse iudicauerunt, quas coniunctiones à plerisque dici scio, sed hæc uidetur ex συνδέσμων magis propria translatio. Paulatim à philosophis, ac maximè Stoicis, auctus est numerus: ac primum conuinctionibus articuli adiecti: post præpositiones, nominibus appellatio, deinde pronomen, deinde mistum uerbo participium, ipsis uerbis aduerbia. Noster sermo articulos non desiderat, ideoque in alias partes orationis sparguntur. Sed accedit superioribus interiectio.

Latinus sermo non desiderat articulos.

Nomen.

Alii tamen ex idoneis duntaxat authoribus octo partes secuti sunt, ut Aristarchus, & ætate nostra Palæmo, qui uocabulum siue appellationem nomini subiecerunt tanquam speciem eius: At ii qui aliud nomen, aliud uocabulum faciunt, nouem. Nihilominus fuerunt qui ipsum adhuc uocabulum ad appellatione diducerent, ut esset uocabulum, corpus uisu tactuque manifestum, domus, lectus: appellatio, cui uel alterum deest, uel utrunque, uentus, cœlum, deus, uirtus. Adiiciebant & asseueratione, ut heu: & attractionem, ut fasceatim. quæ mihi non approbantur. Vocabulum, an appellatio dicenda sit προσηγορίᾳ & subiicienda nomini, nec'ne, quia parui refert, liberum opinantis relinquo. Nomina declinare & uerba in primis

Vocabulū. Appellatio.

Declinare nomina & uerba, & eorum accidentia nosse, puero in primis necessarium.

ba in primis pueri sciant: neque enim aliter peruenire ad intellectum sequentium possunt. quod etiam monere superuacuum fuerat, nisi ambitiosa festinatione plerique à posterioribus inciperent: & dum ostentare discipulos circa speciosa malunt, compendio morarentur. At si quis & didicerit satis, & (quod non minus deesse interim solet) uoluerit docere quæ didicit, non erit contentus tradere in nominibus tria genera, & quæ sint duobus omnibusue cōmunia.

Genus epicœnum.

Nec statim diligentem putabo, qui promiscua, quæ & epicœna dicuntur, ostenderit, in quibus sexus uterq; per alterum apparet: aut quæ fœminina positione mares aut neutrali fœminas significant, qualia sunt Murana, & Glycerium.

Origines nominum.

* Allobros, Ciceros ruf.

* Vbi erit aliquid secreæ.

*Scrutabitur mille præceptor acer atque subtilis origines nominum ut quæ ex habitu corporis * Cicerones, Rufos Longosque fecerunt: (* nisi erit aliud secretius, Syllæ, Burrhi, Galbæ, Planci, Pansæ, Scauri, taliaque) & ex casu nascentium: hinc Agrippa & Opiter & Cordus & Posthumus erunt, & ex iis quæ post natos eueniunt, unde Vopiscus. Iam Cottæ, Scipiones, Lanates, Serani sunt: & ex uariis causis. Gentes quoque ac loca, & alia multa reperias inter nominum causas. In seruis iam intercidit illud genus quod ducebatur à domino, unde Marcipores, Publiporesque.*

Vis sexti casus apud græcos & septimi apud latinos.

Quærat etiam sit'ne apud Græcos uis quædam sexti casus, & apud nos quoque septimi. Nam cum dico, hasta percussi, non utor ablatiui natura: nec si idem graeè dicam, datiui. Sed in uerbis quoque quis est adeò imperitus, ut ignoret genera & qualitates & personas & numeros? Literarii penè ista sunt ludi, & triuialis scientiæ. Iam quosdam illa turbabūt, quæ declinationibus non tenentur. Nam & quædam, participia, an uerbi appellationes sint, dubitari potest, quia aliud alio loco ualent, ut lectus, & sapiens.

Aenei. 6.

Quędam appellationibus similia, ut fraudator, nutritor. Iam, Itur in antiquam syluam, non'ne propriæ cuiusdam rationis est? nam quod initium eius inuenias? cui simile Fletur accipimus: aliter ut,

In Andria

Aeneid. 10.

Aegloga. 1.

Panditur interea domus omnipotentis olympi.

Aliter ut,

Totis Vsque adeo turbatur agris.

Est etiam quidam tertius modus, ut urbs habitatur: unde & campus curritur, mare nauigatur. Pransus quoque atque potus diuersum ualent quàm indicant. Quid quòd multa uerba non totum declinationis ordinem ferunt? Quædā etiam mutantur, ut fero in præterito. Quędam tertiæ demum personæ figura dicuntur, ut licet, piget. Quædam simile quiddam patiuntur uocabulis in aduerbium transeuntibus. Nam ut noctu & diu, ita dictu & factu. Sunt enim hæc quoque uerba participalia quidem, non tamen qualia dicto factoque.

MOSELLANI.

Rectè loquendi scientiam] Quam partē Diomedes lib. 2. ὁριστικὴν græco uocabulo appellat, quasi tu dicas finitiuam, nimirum quòd definitiones & præcepta loquendi præbeat. Poetarum enarrationem } Quam idem Diomedes ἐξηγητικὴν appellat, idest expositiuam, siue enarratiuam. Recessu } Id est in penetralibus. Fronte } Id est in uestibulo. Emendata } Id est uitiis carens & mendis. Mistum his iudicium est } Id est ratio perspiciendi quid in quolibet scripti genere probandum uel refutandum sit, quid eruditum, quid uulgare calleat, & reliqua id genus. Idcirco Marcus Varro Grammatici officiū his quatuor constare dicit, lectione & oratione, emendatione & iudicio. Hæc citat Diomedes ex Varrone. Censoria uirgula } Idest castigatoria quadā nota. Notare } Id est damnare. In ordinē redegerint] Id est gregarios & uulgares fecerint. Exemerint } Id est eximios fecerint, & extra ingenii aleā posuerint. Sic apud græcos Aristarchus Grammaticus Homeri uersus censoria uirgula iudicauit, ut alios maximè germanos Homero significauerit appositis asteriscis, hoc est stellulis. alios autem tanquam supposititios, & Homero indignos, submouerit familia, idque adscriptis obelis, id est uerubus, quæ hodie adhuc in quibusdam codicibus uidere licet. Hoc studium Origenes in re theologica non neglexit nec eius æmulator Hieronymus, uelut indicant multæ eius præfationes in sacros libros. Excutiendum } Id est diligentissimè euoluendum. Ius } Authoritatē. Nec citra Musicen } Musica constat ex consensu & dissensu sonorum & uocum. Metris } Dimensionibus syllabarum. Sic uertit Fabius lib. 9. Rhythmis } Numeris, modulis. Ortu occasuq; signorū } astrologiam ignorare non debebit. Empedoclea in Græcis } Diogenes Laertius quinque uersuum millibus philosophiam ab Empedocle tractatam esse scribit. Vnde & Aristoteles in lib. de arte poetica hunc non tam philosophis connumerat, dicens uersus quidem esse poetæ, materiā autem naturalis philosophiæ. Ac Lucretium in Latinis } Extant huius Titi Cari Lucretii sex libri de rerum natura carmine heroico perscripti. Attamen quoniam Epicuri decreta exprimit, sæpe impurus deprehenditur. & qui animam mortalem dicit, & hoc in 5. lib. Præcepta sapientiæ } id est rationes Philosophiæ Propriæ } id est accommodatissime, rectis uocabulis. Copiosè } Vberum. Dulcis secretorum comes } Quòd uidelicet secreta & arcana nostra literis mandare queamus per Grammaticam. Plus operis] Negocii. Aeolicum digamma } id est duplex gamma Aeolum, qui populi sunt in Græcia. Medius] Id est utrinque commixtus & confusus. Hoc illud est quod Priscianus lib. 1. scriptum reliquit, dicens, Et I & V literæ mediæ, alternos inter se sonos uidentur confundere. Præter illam aspirationem } Qua adscripta uocalibus, significemus eas spiritu aspero pronunciandas, quemadmodum inter apices numerauerit suā ψιλὼσιν, id est leuigationem, & ex aduerso δασεῖαν, aspirationem.

Nota } id est signum. Effectus } scilicet species ipsius. Species } id est forma Obliquatur } id est liquidius pronunciatur, uel obliquius redditur scripta, cui respondet apud Latinos C. itaque perspicuum est k & q in nostro numero redundare. Tantum } Solum pro tribus nostris figuris, k, C, & Q. nam duas accepit pro consonantibus ut I & V, cum apud Græcos nullla uocalis consonantis uim habeat Hinc est quod ipsi pronunciāt Iacobus, Iohannes, per quatuor syllabas, cum Latini eadem nomina trisyllaba iuxta rationem Hebræorum pronunciare debeant: sunt enim origine Hebræa; quanquam poetæ nostri uersus gratia aliquoties græcorum rationē imitentur: ut, Ne laceres uersus dux Iacobe meos. Sic Claudianus. Et Diomedes de hoc studiosissimus Fabii lector inquit, Q consonans muta ex C & V literis constans, superuacua, qua utimur quando V & altera uocalis in una syllaba iungitur. ut, Quirinus. Nota prænominis, Quintum significat. Item honoris, quæstorem indicans: nec minus populi, cum cantamus Quirites. Nostrarum ultima X } Priscianus apud uetustissimos græcos tradit x non fuisse in usu seu in numero literarum, sed postea inuentam à quibusdam, quæ ualeat quantum C & S, uel G & S. Hinc putat quòd nec apud ueteres Latinos in numero fuerit literarum, sed postea à grammaticis inuenta, sit adhibita cæteris literis. Si non quæsissemus } id est curiosè à Græcis assumpsissemus. Apice utebantur] idest nota longæ lineæ quam græci uocant μακρὸν, quæ suprascripta uocalibus indicat eas longas esse, quòd nulla scilicet in seipsam coeat. Litera sibi insidit } id est coit in sese, prior consonans fit, alioqui coire nō possent. qua de re extat caput apud Gellium lib 4. cap. 17. Placuisse Ciceroni } Antiquitatis scilicet gratia, quæ, ut author est Priscianus, geminare solebat scriptura I positam inter duas uocales, sic, Maiius, quod ita accipiendum est, ut prius I cum præcedente uocali pronuncietur quoquo modo, & sequens cum sequente, ita ut utraque I consonantis sit loco. Quæ cum quibus cognatio } Cognatio literarum, est affinitas quædam, qua alia in aliam transit, & mutatur, uel deriuatione, uel etiam compositione quarum exempla exhibet Fabius Est quoque authore Prisciano, inter M & B magna cognatio, adeo ut apud græcos in præterito perfecto passiuo primæ coniugationis μ pro β usurpetur. Nam ut Valesii } Per mutationē S in R, cuius antiquitatis meminit etiam T. Liuius in tertio primæ decadis, contra hanc rationē Aeolum populorum, qui ut tradit Corinthus de linguarum uarietate, atque Priscianus noster, loco aspirationis digamma Aeolicū ponebant, quos ueteres Latini in multis authores habent. Quomodo uerò unaquæque litera cum alia cognationem habeat, Cicero in Oratore perfecto declarat, qui Burrhum, & Bruges scribit ueteres dixisse pro Pyrrhus & Phryges, nimirum quod græcam literam admittere nollent. ex quibus uerbis manifestum est, hoc loco Burrhus legēdum esse, & Bruges. Et Belena } indicante Prisciano pro Helena aspirata, quanquam & Aeoles, quos in multis authores habemus, Felena per digamma Aeolicum dicebant. Vnde Duellio } Ciceronis hæc sunt in Oratore perfe-

cto, ubi

cto, ubi sic ait. Quid uerò licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quò essent aptioras? nam ut duellum bellum, & duis bis, sic Duellium eum qui Pœnos classe deuicit, Bellium nominarunt. Sclatum } Festus Pompeius Fragment. 17. sic ait, Sclatum nauis est lata, parum altitudinis habens, sic dicta, quòd ueteres locum stlotum, & lites stlites dicebant. Si uetustis operibus } Sic in aurei numismatis ueteri inscriptione Angelus Politianus testatur sese spectasse feelix pro felix, cuiusmodi sculpturam & nos in ære uidimus. Tum addit Politianus, in æreo Galbæ principis monimento ueitus pro uitius, nimirum ut per E ultima significetur longa. Quid O atque V permutatæ } V quoque multis Italiæ populis in usu non erat, sed e contrario O. unde Romanorum quoq; uetustissimi in multis dictionibus loco eius O posuisse inueniuntur, ut poblicum pro publicum, polchrū pro pulchrū, colpā pro culpā dicentes, & Hercoles, pro Hercules & maxime digamma antecedēte, ut seruos pro seruus, clauos pro clauus. Sicut ἐδλωσιὺς } Cornelius author de linguarum uarietate dicit quod Aeoles in dictionibus multis, quæ iuxta communem linguam per o paruum scribuntur, soleant & scribere & pronunciare u diphthongo. Et magester } Nimirum quòd cognatio sit inter I & E uocales, adeo ut aliquoties sonos inter se confundant, quod supra admonuit Fabius. Pro Diioui & Veioui } Inscriptiones dedicationum templorum proculdubio spectauit Fabius de Ioue Victore. Porrò Veteres Diiouem appellarunt, quem Ennius Lucerium uocat, apud Gell. lib. 5. cap 12. nimirum qui præsit luci, dieique, & sit ad iuuandum propensior. Nam & Iouem nocendi studiosum colebant, appellatū Veiouem. Theodectes } Hic Platonis & Isocratis auditor primum fuit, ex oppido Pamphiliæ Phaselo à Stephano nominato, qui extitit unus ex illis qui ad Mausoleum dicendis epitaphijs & tragœdiis certarunt, atque authore Gellio uictor abiuit. Scripsit cum alias multas comœdias, tum præcepta artis Rhetoricæ per uersus. Complexum esse } Id est connexionem, complicationem. A plerisque } A Palæmone scilicet, qui Fabii ætate uixit. Hæc uidentur ex syndesmo } Nam græci hanc orationis partem à coniunciendo συνδεσμὸν appellarunt. siquidem δέω uerbum græcis ligo significat & uincio, futurum eius est δήσω, unde δεσμὸς uinculum dicitur, σὺν antè præpositio con significat. A Philosophis } maximè Stoicis, ut à Diogene & Chrysippo, qui apud Laertiū quinque orationis partes numerant. Nomen, Appellationem, Verbum, Coniunctionem, & Articulum. Vocabulum ab appellatione } Ad hanc sententiam Diogenes Babylonius ita finit nomen. Nomen est pars, inquit, orationis, significans propriam qualitatem, utputa Diogenes, Socrates. Appellatio uero pars orationis significans communem qualitatem, ut homo, æquus. Scaurus grammaticus apud Diomedem uocabulum ita finit. Est, inquit, quo res nominales enunciamus, ut arbor, lapis, herba. Non desiderat } Sed in contextu orationis. Alleueratio nem } Astructione. προσηγορία } Certè quod ad uocis originem attinet, προσηγορία appellatio est dicenda. Nam προσηγορέω appello significat, unde deriuatur προσηγορία. sed & nomen quod Donatus noster appellatiuum uocat, græcia dicitur προσηγορικὸν. Vnde Syllæ } Ludi Apollinares bello punico primo ex libris Sibyllinis primum sunt instituti, suadente Cornelio Rufo decemuiro, qui propterea Sibylla cognominatus est, & postea corrupto nomine primus Sylla cœpit uocari. lib. 1. cap 20. Macrob. Burrhi } Burrhum dicebant antiqui, quod modò dicimus rufum, unde rustici Burrham appellant buculam quæ rostrum habet rufum, quomodo rubens cibo ac potione ex prandio Burrhus appellatur, à græco πύῤῥος, quod igneum colorem sonat. Festus Pomp. Galbæ } Dicti sunt à colore auicularum, quæ iam Galbæ, iam Galbulæ appellantur. Placi } Qui à pedum planitie & latitudine dicti sunt, nimirum origine græca, qua amplus & latus πλατὺς appellatur. indicat idem alibi Festus. Pansæ } Qui diuaricatis atque dispessis sunt pedibus, propriè sunt dicti pansæ, quod ueteres Latini pansum dicerēt pro eo quod est expassum & dilatatum. Scauri } Traduntur dicti qui eminētioribus fuerint talis. Agrippæ } Sunt authore Plinio, qui præpostero partu in pedes nascuntur, ab ægro partu sic appellati, id est difficili. Opiter } Qui patre mortuo, & auo uiuo nascitur. Cordus } Qui sero & intempestiuo partu nascitur. Sic Plin. lib. 18. fœnum illud autumnale & serotinum cordum à rusticis dici admonet. Posthumi } Qui post humationem patris in lucem nascuntur, de quo lege apud Aulum Gellium libro 2. cap. 16. Vopiscus } Si Plinio credimus lib 7. cap. 10. Vopiscus dicebatur, qui receutus utero nasceretur è geminis altero interempto abortu. Cottæ } Quanquam expressum certi nihil de origine Cottarum legere memini, tamen ex Suidæ uerbis rem ipsam conicere propemodum licēt. Is ait Cotam tam uehementes ictus facere solitum tragula, ut non solùm hostis pectus & latera trasiceret, uerum etiam terræ adigeret. Græca nimirum origine appellatum significans, qui ictus uehementiores, eodem Suida authore, κόττας nuncuparunt, nisi fortassis alicui uerisimilius uideatur, uocis rationem à malis Cotoneis trahere, quorum studiosus fuerit, qui primus cognomentum hoc meruerit. Scipiones } Cognominati sunt primum à quopiam qui frequenter in gradiendo scipione id est baculo inniti consueuerit. Lenates } Auelle opinor, ampla & lata dicti sunt. Serani } A serendo dicti sunt.

Marcipor } Id est puer, hoc est seruus Marci. Septimi casus }

Nam in græcorum genitiuo, authore Prisciano ac Diomede, ut plurimum sexti sunt casus, id est ablatiui. Quæ enim Latini efferunt per ablatiuum, græci ut plurimum per genitiuum. Tum autem est uis septimi casus apud nos, cum non additur præpositio a uel ab, e uel ex, ac etiam de. Solent græci instrumentalem constructionem facere per datiuum, quemadmodum nos per septimum casum, uelut indicat Theodorus Gaza libro. 4. Est etiam } Quando uidelicet uerba alioqui propemodum neutra, in tertia persona passiuè usurpantur, tum in prima non sunt in usu. neque enim temere dicitur curror, & nauigor, & habitor.

CAMERARII.

AEolicum digamma } Quo usi Aeolenses fuerunt pro aspiratione, atque etiam in medio dictionum, ut uocales separarentur. Eius, ut nomine etiam indicatur, figura gemini T traditur, cum potestas literæ F fuisse uideatur. Itaq; illi pro ἑλένη Ϝελένην dixere, & ῥόδον Ϝρόδον, & δῆος δάϜος. Medius est } Hoc est, sonus quidam etiam alicubi auditur neque literæ I neque V proprius, sed quasi alterius literæ inter utranque mediæ. Aspirationis nota } Veteres Latini ita ut Græci supra uocales aspirationis tantum notam posuere, quod & ipsi in antiquis codicibus animaduertimus, ἁ uium legentes, & ἑ die quod etiam ex hoc Quintiliani loco manifestum est. Nam si aspirationis, inquit, signatio necessaria est, erit etiam attenuationis, id est quam ψιλὴν uocant. etsi Athenæus diuersum sensit. Nam & ueteres ait non supra sed ante uocales aspirationem posuisse, arbitrari etiam se, iis uocalibus quibus aspirari uellent, h literam præscripsisse, quod Romani adhuc obseruent. Locum subscripsi ex libro nono, τεκμαιρόμενοι ἐν ἀθηναῖοι, καὶ διὰ τῆς τάξεως τῶν ἐνόντων τῇ προσῳδίᾳ φασὶν, ὅτι ἐπὶ τῶν φωνηέντων τιθέασι, ὥσπερ τὰς ἄλλας, πρὸ δὲ τούτων τάσσουσι. οἶμαι δὲ καὶ διὰ τῶν στοιχείων τοῦ ποιεῖσθαι τοὺς παλαιοὺς τὴν δασεῖαν, διόπερ καὶ ῥωμαῖοι πρὸ πάντων τῶν δασυνομένων ὀνομάτων τὸ η προγράφουσι, τὸ ἡγεμονικὸν αὐτῆς διασημαίνοντες. Atque ut uocales } Videre etiam Grammaticum oportet, quo modo uocales suam uidelicet retinentes uim, seu, potestatem coniungantur: Aut enim eædem pro longa geminantur, qua geminatione ueteres longam uoluere intelligi, ita ut Græci cum apicem supra ducunt, hoc est, ut ipsi loquuntur, τὴν μακρὰν, ut Dii, Feelix. Viirtus. aut coeunt in diphthongum, quæ est uocis commistio, ut præmius, cœlum. Tribus accidere neutrum potest. Coitus autem uocalium complexio est accipienda, quæ à Græcis nominatur σύλληψις, ut in ὀφθαλμὸς, φ θ sunt in complexione, & conspuo, sp. Nunquam autem easdem consonantes complectimur pronunciatione, ut efficio, addico: id quod duabus, istis uocalibus I & V cum proconsonantibus sunt, usuuenit, à natura scilicet consonantium alienum. Porrò I litera ut consonans tamen etiam iungitur. Sicut enim in efficio & addico ff, & dd, iunctas, non complectimur, id est diuidimus pronunciatione: ita in aio & Pompeius, ii, ut sit ai una, & io altera syllaba. pei, & ius. Scammo fiat scabellum } Habet enim M cum B cognationem, quod in Græcis est manifestum, ut cum in præterito passiuo primi ordinis acuti sonorum uerborum, primæ syzygiæ mutę in M transeunt. Est autē magna cura hæc res animaduertenda, & tradenda pueris, qua expedita multum difficultatis exclusum fuerit. Lases } Quod laser dixere, succus silphii, id est laserpitii cyrenaici germinis. Quomodo fœdum fœdusque } Hunc locum ita descriptum ex antiquis duobus consentientibus codicibus confido me explanaturum, ut appareat, audacter à quibusdam mutatum fuisse, qui supposuere fordeum fœdusque, quomodo & apud Priscianum libro primo mendosè legitur. Nam hoc loco nulla fit de mutatione aspirationis mentio, & contextus orationis istam inculcationem nullo modo patitur. Legendum igitur fœdum, fœdusque, quorum utrunque quid significet, nemo ignorat. Docet autem Quintilianus diligenter obseruandum, quæ literæ suos locos naturaliter obtineant, quæve in aliorum quasi subierint. Nam & R in locum S, & in huius T alicubi successit. Et F litera utimur pro aspirata P. quæ enim Græci

per

per φ enunciarunt, Latini per F maluerunt. ut fama, fagus, fur, Afer. Quæ igitur Græci, inquit, aspirata pronunciant, nos quidem non aspirate dicimus, sed tamen consimiliter. Docuit enim & Priscianus inter F & φ proferendum differentiam esse. Posset autem quis cupiens Fundanium alterne quàm φυνδάνιον scribere hoc manifestum, ut confido, expositione nostra, sequentibus etiam declaratur, ubi aliarum quoque literarum permutationem ostendit, ut Burrhus pro Pyrrho, Brugea pro Phrygibus, Balæna pro Phalæna. Quòd non animaduertentes isti correctores, etiam hunc locum deprauarunt, supponentes Belenam. Cæterum quod sequitur sîlatum sîliceemque, etiamsi in præsentia hoc scriptionis genus tueri non queam, tamen secutus cum uerum iudicassem, aliquorum codicum expressam scripturam, aliquorum euidentia uestigia, sic relinquendum putaui. Polyxena } Ita nos quoque epistulam semper in ueteri Plautino codice scriptam notauimus. Sic ὀδυσσεύς } Consueuere Aeolenses pro ο, υ ponere, ipsumque υ ut plenius sonaret, ο μικρὸν quasi explere, ut θυγατηρ, non quidem longa prima, sicut si diphthongus esset ου, oporteret esse, quod uersu Callimachi probauit Priscianus libro primo, sed adscriptione τοῦ ο, sono Aeolico expresso. Ita ὀδυσσεὺς Aeolenses dicere, scriptum à Quintiliano accipio, quos latini imitati, ut in alijs plerisque, Vlyssem fecerunt.., Allobrox } Quia ita scriptum erat in ueteri codice, non putaui esse cur expungere uellem. Dictus autem Fabius est Allobrox. qui eam gentem deuicit iuxta flumen Isaram. Ciceronum cognomen à leguminis huius siue cultura, siue nota in ore, est factum. Syllas, quos & Sullas uocarunt, quasi Sibyllas dictos, primumque Cornelium Rufum decemuirum, qui bello secundo Punico suaserit ludos Apollini fieri ex libris Sibyllinis, ait Macrobius. Burrum dicebant antiqui, quod nunc dicimus Rufum, ut rubens ex cibo & potu burrus dicitur. Festus Pompeius. facta est uox è Græco πυῤῥὸς. Galbas aut à colore aut ab exilitate dictos ualunt, esseque hoc nomen proprium uermium qui in esculis nascantur. Plauti, Pansæ, Scauri, à pedum uitiis, sicut à crurum Varij, Variæ, Vatinij. Plinius libro undecimo capite decimoquinto. Horatius, illum Balbutit Scaurum prauis fultum male talis. Agrippa ab ægro partu, aiunt Grammatici. Opiter, qui patre mortuo, adhuc auo uiuente natus Cordi à sero partu, Posthumi post humatum patrem geniti. Vopiscus ex geminis uiuus partu editus, altero excluso abortu. Cottæ cognomine uolunt toruos significari. Rationem uocabuli non uideo, nisi à Græco putet ductum aliquis, quibus κόττειν percutere est, & Suidas Cottam nescio quem solitum scribit armatum hominem tragula traiectum terræ affigere. Scipionem dictum aiunt Cornelium aliquem, qui patri seni pro baculo fuerit. Lænas à læna, quod sunt qui è Græco ducant. χλαῖναν enim illi certam uestem uocant. Serani à serendo cognomen Quintij. Marcipor, Publipor, Cneipor, Quintipor, composita à puer ut Prisciano etiam uidetur, in obliquis penultimam habent breuem. Si idem Græcè dicam } Priscianus multis uerbis refutauit propter constructionis diuersitatem non oportere, nomina casuum mutari. sed incogitanter. nunquam enim nimis diserte & proprie in artibus præcipi quicquam potest. Nam quod initium } Eoe & fleor non dicitur illud autem, Panditur domus: non admodum dissimile est tertii modi exemplis, nisi fortasse hoc generalis dictum accipiatur. Turbatur uerò per se dictum impersonaliter uides, ut ibidem, Bellatur comminus armis. Pransus } Significat enim alterum eum qui prandit, alterum, qui potauit.

ARGVMENTVM.

Orationis uirtutes & uitia aggreditur, uirtutes tres esse numero, ut oratio sit emendata, dilucida & ornata, nam apte dicere ornatui subijci. Hanc exigi uerbis, primum singulis, deinde coniunctis. In singulis an latina sint, peregrina, simplicia, composita, propria, translata, usitata, aut ficta, considerari. In coniunctis laudari uerba bene rebus accommodata, in quibus merito placeat bona uocalitas, quam græci euphoniam uocent. Duo esse orationis non emendatæ uitia, barbarismum & solœcismum. Et barbarismum quidem esse in singulis uerbis, fierique scripto uel dicto tribus modis. Primo siquis nomen peregrinum latinæ orationi inserat. Secundo, animi natura, ut si quis quid dicat insolenter, minaciter, aut crudeliter. Tertio, partim scripto, partim dicto, additione, detractione, mutatione, transmutatione, diuisione, complexione, aspiratione, ecta si, systole, genere, numero, sonis, quales sunt iotacismi, lambdacismi, ischnotetes, plateiasmi, chilostomia. Accentu, cuius Græcis longe sit ratio difficilior quam Latinis, ut cum acuta & grauis alia pro alia ponitur, ubi breuiter quæ ratio accentuum sit, præscribit: antepenultimam longam natura circumflecti, Roma: Longam positione acui, feruor: breuem in polysyllabis reijcere acutum in antepenultimam, ut tartarus: Monosyllaba, natura circumflecti, Ros: breuia, aut longa positione, acui, ob lux. Verum his notandum esse, tertium barbarismi genus in poetis aut uenia dignum, aut etiam laudi duci. In prosa quoque immutationem recipi: ut Canobitarum apud Cicero- nem, p pro b. literarum adiectionem, ut in assentior. Quædam etiam iuncta sine reprehensione dici, quę singula uitiosa sint, ut dua pondo, trepondo. Solœcismum complexu orationis fieri, etiam cum in uerbo est uitium, Adiectione, detractione, transmutatione, immutatione, atque etiam in partibus orationis per uaria earum accidentia, per genera, tempora, personas, modos, numeros: per comparationes, superlationes, atque ubi patrium pro possessiuo ponitur, ubi quies pro motu, & ut in summa dicam, ubi quæuis particula alterius officio seu potestate fungitur. Quædam etiam faciem solœcismi habere, quæ schemata sint, ut Thyestes tragœdia, ludi Floralia. His omnibus ad finem adiungit sibi placere, ut in peregrinis quibus latini pro suis utuntur, accentuum & casuum rationem latinam sequamur, quousque patitur decor, quia in quibusdam consuetudo superet authoritatem, & quædam sint quæ utroque modo non indecenter efferri possunt. Postremo, quæ ratio sit uocum compositarum, & Græcos componendis nominibus fingendisque, Latinis esse feliciores, ostendit, & quæ propria & translata uerba sint, definitione explicat.

De uirtutibus & uitijs orationis. Cap. V.



IAM cum omnis oratio tres habeat uirtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit (quia dicere apte, quod est præcipuum plerique ornatui subijciunt) totidem uitia, quę sunt supradictis contraria, emendatè loquendi regula, quę grammatices prior pars est, examinet. Hæc exigitur uerbis aut singulis, aut pluribus. Verba nunc generaliter accipi uolo: nam duplex eorum intellectus est: alter, qui omnia per quæ sermo nectitur, significat; ut apud Horatium: Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.

Orationis uirtutes tres, & uitia totidem.

Duplex uerborum intellectus.

Alter, in quo est una pars orationis, lego, scribo. Quã uitantes ambiguitatem quidam dicere maluerunt, uoces, dictiones, locutiones Singula sunt aut nostra, aut peregrina: aut simplicia, aut cõposita: aut propria, aut translata: aut usitata, aut ficta. Vni uerbo uitiũ sæpius quàm uirtus inest. Licet enim dicamus aliquid proprium speciosum, sublime, nihil tamen horum nisi in complexu loquendi serieque contingit. Laudamus enim uerba bene rebus accommodata: sola est quę notari possit uelut uocalitas, quę εὐφωνία dicitur: cuius in eo delectus est, ut inter duo quæ idem significant, ac tantundem ualẽt, quod melius sonat, malis. Prima barbarismi ac solœcismi fœditas absit. Sed quia interim excusantur hæc uitia aut consuetudine, aut authoritate, aut uetustate, aut denique uicinitate uirtutum (nam sæpe à figuris ea separare difficile est) ne quem tam lubrica obseruatio fallat, acriter se in illud tenue discrimen grammaticus intendat, de quo nos latius ibi loquemur, ubi de figuris orationis tractandum erit. Interim uitium quod fit in singulis uerbis, sit barbarismus. Occurrat mihi forsan aliquis, quid hic promisso tanti operis dignum? aut quis hoc nescit, alios barbarismos scribẽdo fieri, alios loquendo? quia quod male scribitur, male etiam dici necesse est: quæ uitiose dixeris, non utique & scripto peccant. Illud prius adiectione, detractione, immutatione, transmutatione: hoc secundum, diuisione, complexione, aspiratione, sono contineri? Sed ut parua sint hæc, pueri docentur adhuc: & grammaticos officij sui commonemus. Ex quibus si quis erit planè impolitus, & uestibulum modò artis huius ingressus, intra hæc quæ profitentium commentariolis uulgata sunt, consistet: doctiores multa adijcient: uel hoc primum, quòd barbarismum pluribus modis accipimus. Vnum gente, quale sit siquis Afrum uel Hispanum Latinæ orationi nomen inserat: ut ferrum quo rotæ uinciuntur, dici solet canthus, quanquam eo tanquam recepto utitur Persius: sicut Catullus ploxenum circa Padum inuenit: & in oratione Labieni, siue illa Cornelij Galli est, in Pollionem, casnar assectator è Gallia ductum est. nam mastrucam, quod Sardum est, illudens Cicero ex industria dixit. Alterum genus barbarismi accipimus, quod fit animi natura, ut is à quo insolenter quid aut minaciter aut crudeliter dictum sit, barbarè locutus existimetur. Tertium est illud uitium barbarismi

De uocibus quibus singulis uitium sæpius quam uirtus inest.

Euphonia.

Lib. 9. cap. 3.

Barbarismus.

Allusio ad illud in arte, Quid dignũ tanto feret hic promissor hiatu.

Barbarismi tres species.

Satyra. 5.

Ad Acmilitũ.

Pro Scauro, & de prouincijs consularibus.

barbarismi, cuius exempla uulgò sunt plurima sibi etiam quisque fingere potest, ut uerbo cui libebit adyciat literam syllabamue, uel detrahat, aut aliam pro alia, aut eandem alio quàm rectum est loco ponat. Sed quidam ferè in iactationem eruditionis sumere illa ex Poetis solent: & authores quos prælegunt, criminantur. Scire autem debet puer, hæc apud scriptores carminum aut uenia digna, aut etiam laude duci: potiusque illa docendi erunt minus uulgata. nam duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinca Placentinus (si reprehendenti Hortensio credimus) preculam pro pergulam dicens: & immutatione, cum c pro g uteretur: & transmutatione, cum r præponeret e antecedenti. At in eadem uitij geminatione Meteio Suffetieo dicens Ennius poetico iure defenditur.

Barbarismi apud poetas aut uenia digni, aut etiã laude ducen- di.

Ex Cicerone in Bruto.

*Sed in prosa quoque iam est quædam recepta immutatio. Nam Cicero Canopitarum exercitum dicit, ipsi Canobon uocant: & Tharsomenum pro Thrasumeno multi authores etiam si est in eo transmutatio, uendicauerunt: similiter alia. nam siue est falsum * assentior, Sisenna dixit assentio; multique & hunc & analogiam secuti. siue illud uerum est, hæc quoque pars consensu defenditur. At ille pexus pinguisque doctor aut illic detractionem, aut hic adiectionem putabit. Quid quòd quædam quę singula proculdubio uitiosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur? Nam & dua & tre & pondo, diuersorum generum sunt barbarismi: at duapondo & trepondo, usque ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, & rectè dici Messala confirmat. Absurdum forsan uideatur dicere, barbarismum, quod est unius uerbi uitium, fieri per numeros, aut genera, sicut solæcismum: scala tamen & scopa, contraque hordea & mulsa, * licet literarum mutationem, detractionem, adiectionem non habeant, non alio uitiosa sunt, quàm quòd pluralia singulariter, & singularia pluraliter efferuntur: & gladia qui dixerunt, generę exciderunt. Sed hoc quoque notare contentus sum, ne arti culpa quorundam pernicacium perplexę, uidear & ipse quęstionem addidisse. Plus exigunt subtilitatis quæ accidunt in dicendo uitia, quia exempla eorum tradi scripto non possunt, nisi cum in uersus inciderunt, ut * διαίρεσις Europai, & ei contrarium uitium, quod συναίρεσις & συναλοιφὴν Græci uocant, nos complexionem dicimus, qualis est apud P. Varronem:*

* sentior, Vide Gel lib. 2. cap. 25.

* mulsa.

* diuisio

Cum te flagranti deiectum fulmine Phaethon.

Nam si esset prosa oratio, easdem literas enunciare ueris syllabis licebat. Præterea quæ fiunt spacio, siue cum syllaba correpta producitur, ut

Italiam fato profugus –

Seu longa corripitur, ut,

Vnius ob noxam & furias –

Aeneid. 1. Ibidem.

*Extra carmen non deprehendas: sed nec in carmine uitia ducenda sunt. Illa uerò non nisi aure exiguntur, quæ fiunt per sonos: quanquam per aspirationem, siue adijcitur uitiose, siue detrahitur, apud nos potest quæri an in scripto sit uitium, si H litera est, non nota: cuius quidem ratio mutata cum temporibus est sæpius. Parcissimè ea ueteres usi etiam in uocalibus, cum ædos ircosque dicebant. Diu deinde * seruatum ne consonantibus aspiraretur, ut in Graccis, & triumpis. Erupit breui tempore nimius usus, ut chorone, chenturiones, præchones adhuc quibusdam inscriptionibus maneant. qua de re Catulli nobile epigramma est. Inde durat ad nos usque uehementer, & comprehendere, & mihi: nam mehe quoque pro me * apud antiquos Tragœdiarum præcipuè scriptores in ueteribus libris inuenimus. Adhuc difficilior obseruatio*

H aspiratio.

* reseruatũ obseruatum Cic. in Ora.

De Arrio. Vide Polit. c. 19. miscell.

* mee.

De accentũ ratione.

est per tenores quos quidem ab antiquis dictos tenores comperti, ut uidelicet declinato à Græcis uerbo. qui τόνους dicunt: uel accentus, quas Græci προσῳδίας uocant: cum acuta & grauis alia pro alia ponitur, ut in hoc Camillus, si acuitur prima. Aut grauis pro flexa, ut Cethegus. & hic prima acuta: nam sic media mutatur. Aut flexa pro graui, ut apice circunducta sequente, quam ex duabus syllabis in unam cogentes, & deinde flectentes, dupliciter peccant, sed id sæpius in Græcis nominibus accidit: ut Ἀτρεῦ: quem nobis iuuenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessariò secunda grauis esset. Item Tereĩ, Nereĩque. Hæc de accentibus tradita. Cæterùm iam scio quosdam eruditos, nonnullos etiam grammaticos sic docere ac loqui, ut propter quædam uocum discrimina, uerbum interim acuto sono finiant, ut in illis:

Atreus. Terei. Nerei.

– Quę circum littora, circum Piscosos scopulos –

Aenei. 4.

ne si grauem posuerint secundam, circus dici uideatur, non circuitus. Item quantum, quale, interrogantes, graui: comparantes: acuto tenore concludunt: quod tamen in aduerbijs ferè solis ac pronominibus uindicant, in cæteris ueterem legem sequuntur. Mihi uidetur conditionem mutare, quòd his locis uerba coniungimus. Nam cum dico, circum littora, tanquam unum enuncio, dissimulata distinctione: itaque tanquam in una uoce, una est acuta: quod idem accidit in illo.

– Troiæ qui primus ab oris.

Aeneid. 1.

Euenit ut metri quoque conditio mutet accentum ut,

Pecudes, pictæque uolúcres.

Nam uolúcres media acuta legam:

Ibidem.

Quia etsi natura breuis, tamen positione longa est, ne faciat iambum, quem non recipit uersus heroicus. Separata uerò hæc, à præcepto nostro non recedent: aut si consuetudo uicerit: uetus lex sermonis abolebitur: cuius difficilior apud Græcos obseruatio est; (quia plura illis loquẽdi genera, quas διαλέκτους uocant: & quod alias uitiosum, interim alias rectum est) apud nos uerò rectissima ratio, ac etiam breuissima. Namque in omni uoce, acuta intra numerum trium syllabarum continetur, siue hæ sint in uerbo sola, siue ultimæ: & in his aut proxima extremæ, aut ab ea tertia. Trium porrò de quibus loquor, media longa, aut acuta aut flexa erit: eodem loco breuis, utique grauem habebit sonum: ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam, acuet. Est autem in omni uoce utique acuta, sed nunquam plus una: nec ultima unquam: ideoque in dyssyllabis prior. Præterea nunquam in eadem, flexa & acuta, quoniam eadem flexa ex acuta. itaque neutra claudet uocem latinam. Ea uerò quæ sunt syllabæ unius, erunt acuta aut flexa, ne sit aliqua uox sine acuta. Et illa per sonos accidunt, quæ demonstrari scripto non possunt, uitia oris & linguæ: ἰωτακισμοὺς & λαμβδακισμοὺς, ἰσχνότητας & πλατειασμοὺς, feliciores fingendis nominibus Græci uocant: sicut κοιλοστομίαν, cum uox quasi in recessu oris auditur. Sunt etiam propriu quidam & ineuitabiles soni, quibus nonnunquam nationes reprehendimus. Remotis igitur omnibus quę suprà diximus uitijs, erit illa quę uocatur ὀρθοέπεια, id est emendata cum suauitate uocum explanatio. nam sic accipi potest recta. Cætera uitia omnia ex pluribus uocibus sunt, quorum est solæcismus: quanquam circa hoc quoque disputatum est. nam etiam qui contextu uel complexu orationis accidere eum confitentur, quia tamen unius emendatione uerbi corrigi possit, in uerbo esse uitium, non in sermone contendunt: cum siue amaræ corticis, seu*

Accentuum apud græcos difficilior ratio quam apud latinos. & de ijsdem apud hos regulæ.

Græci singẽdis nominibus feliciores.

* diuiditur. De solœcismo.

medio

Regio. 6. & Georg.

medio cortice, per genus facit solœcismum. quorum neutrum quidem reprehendendo, cum sit utriusque Virgilius author. Sed fingamus utrumlibet non recte dictum: mutatio uocis alterius in qua uitium erat, rectam loquendi rationem sic reddit, ut *amari corticis* fiat, uel *media cortice*. quod manifestæ calumniæ est: neutrum enim uitiosum separatum est, sed compositione peccatur, quæ iam sermonis est. Illud eruditius quæritur, an in singulis quoque uerbis possit fieri solœcismus: ut si unum quis ad se uocans, dicat, *Venite*. aut si plures à se demittens, ita loquatur, *Abi*. aut, *Discede*. Necnon cum responsum ab interrogatione dissentit, ut si dicenti, *Quem uideo?* ita occurras, *Ego*.

An in gestu fiat solœcismus.

In gestu etiam nonnulli putant idem uitium inesse, quum aliud uoce, aliud nutu uel manu demonstratur. Huic opinioni neque omnino accedo, neque planè dissentio. nam id fateor posse accidere uoce una, non tamen aliter, quàm si sit aliquid quod uim alterius uocis obtineat, ad quod uox illa referatur: ut solœcismus ex complexu fiat eorum quibus res significantur, & uoluntas ostenditur. Atque ut omnem effugiam cauillationem, fit aliquando in uno uerbo, nunquam in solo uerbo.

Solœcismus in uno uerbo.
Solœcismi species.
Adiectio.
Detractio.
Transmutatio.

Per quot autem & quas accidat species, non satis conuenit. Qui plenissimè, quadripertitam uolunt esse rationem, nec aliam quàm barbarismi: ut fiat adiectione: ut, *Veni de Susis in Alexandriam*. Detractione, *Ambulo uiam, Aegypto uenio, Ne hoc fecit*. Transmutatione, qua ordo turbatur, *Quoque ego. Enim hoc uoluit, Autem non habuit*. Ex quo genere an sit *Igitur*, in initio sermonis positum, dubitari potest, quia maximos authores in diuersa fuisse opinione uideo, cum apud alios sit etiam frequens, apud alios nunquam reperiatur. Hæc tria genera quidam diducunt à solœcismo, & adiectionis uitium, πλεονασμὸν detractionis, ἔλλειψιν, inuersionis ἀναστροφὴν uocant: quæ si in speciem solœcismi cadant, ὑπερβατὸν quoque appellari eodem modo posse.

Immutatio.

Immutatio sine controuersia est, cum aliud pro alio ponitur. Id per omnes orationis partes deprehendimus, frequentissimè in uerbo, quia plurima huic accidunt, ideóque in eo fiunt solœcismi per genera, tempora, personas, modos, siue cui status eos dici, seu qualitates placet, uel sex, uel (ut alij uolunt) octo: nam totidem uitiorum erunt formæ, in quot species eorum quidque de quibus supra dictum est, diuiseris. Præterea numeros, in quibus nos singularem ac pluralem habemus, Græci & δυϊκόν. Quanquam fuerũt qui nobis quoq; adijcerent dualem, *scripsere, legere*: quod euitandæ asperitatis gratia mollitum est, ut apud ueteres pro *malè mereris, malè merere*. ideóque quod uocant duale, in illo solo genere consistit, cum apud Græcos & in uerbi tota ferè ratione, & in nominibus deprehendatur, & sic quoque rarissimus eius sit usus, apud nostrorum uerò neminem hæc obseruatio reperiatur, quum è contrario. *Deuenere locos*, & *Conticuere omnes*, & *Consedere duces*, apertè nos doceant, nihil horum ad duos pertinere: *Dixere* quoque, quanquam id Antonius Rufus ex diuerso ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronunciet. Quid? non Liuius circa initia statim primi libri, *Tenuere*, inquit, *arcem Sabini?* & mox, *In aduersum Romani subiere?* Sed quem potius ego quam M. Tullium sequar? qui in Oratore, *Non reprehendo*, inquit, *scripsere: scripserunt esse uerius sentio*.

Latini dualem numerũ nõ agnoscũt. Aene. 1. & 5. Aeneid. 2. Metam. xij.

Solœcismi in nomine, uerbo, pronomine, & participio, per uaria eorum accidentia.

Similiter in uocabulis & nominibus fit solœcismus genere, numero, propriè autem casibus. Quicquid eorum alteri succedet, huic parti subiungatur licet, per comparationes & superlationes: item q. e. in quibus * patrium pro possessiuo dicitur, uel contra.

* pronominal.

Nam uitium quod fit per quantitatem, ut *magnum peculiolum*, erunt qui solœcismum putent, quia pro nomine integro positum sit diminutum. Ego dubito an id improprium potius appellem: significatione enim deerrat. Solœcismi porrò uitium non est in sensu, sed in complexu. In participio, per genus, & casum, ut in uocabulo: per tempora, ut in uerbo: per numerum, ut in utroque, peccatur. Pronomen quoque genus, numerum, casus habet: quæ omnia recipiunt huiusmodi errorem. Fiunt solœcismi, & quidem plurimi, per partes orationis: sed id tradere satis non est: ne ita demum uitium esse credat puer, si pro alia ponatur alia: ut uerbum, ubi nomen esse debuerit: uel aduerbium, ubi pronomen, & similia. Nam sunt quædam cognata, ut dicunt, id est eiusdem generis, in quibus qui alia specie quàm oportet utetur, non minus quàm ipso genere permutato, deliquerit. Nam & *an* & *aut*, coniunctiones sunt: malè tamẽ interroges, *hic aut ille sit*. Et *ne* ac *non*, aduerbia: qui tamen dicat pro illo, *Ne feceris, Non feceris*, in idem incidat uitium: quia alterum negandi est, alterum uetandi. Hoc amplius, *intro* & *intus*, loci aduerbia: *Eo* tamen *intus*, & *Intro sum*, solœcismi sunt. Eadem in diuersitate pronominum, interiectionum, præpositionum, accidunt. Est enim solœcismus in oratione comprehensionis unius sequentium ac priorum inter se inconueniens positio. Quædam tamen & faciem solœcismi habent, & dici uitiosa non possunt, ut *tragœdia Thyestes*, & *ludi Floralia ac Megalesia*: quanquam hæc sequenti tempore intercederunt, nunquam aliter à ueteribus dicta. Schemata igitur nominabuntur, frequentiora quidem apud poetas, sed oratoribus quoque permissa. Verùm schema ferè habebit aliquam rationem, ut docebimus eo quem paulò antè promisimus loco. Sed hoc quoque quod schema uocatur, si ab aliquo per imprudentiam factum erit, solœcismi uitio non carebit. In eadem specie sunt, sed schemate carent, ut suprà dicitur dixi, nomina fœminina quibus mares utuntur, & neutralia quibus fœminæ. Hactenus de solœcismo. Neque enim artem grammaticam componere aggressi sumus: sed cum in ordinem incurreret, inhonoratam transire noluimus. Hoc amplius, ut institutum ordinem sequar, uerba aut latina aut peregrina sunt. Peregrina porrò ex omnibus propè dixerim gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa, uenerunt. Taceo de Tuscis & Sabinis, & Prænestinis quoque: nam ut eorum sermone utentem Vectium Lucillius insectatur: quemadmodum Pollio deprehendit in Liuio Patauinitatem: licet omnia Italica pro Romanis habeam. Plurima Gallica ualuerunt, ut *rheda* ac *petoritum*: quorum altero Cicero tamen, altera Horatius utitur. Et *mappam* quoque, usitatum Circo nomen, Pœni sibi uendicant: & *Gurdos*, quos pro stolidis accipit uulgus, ex Hispania duxisse originem audiui. Sed hæc diuisio mea ad Græcum sermonem præcipuè pertinet: nam & maxima ex parte Romanus inde conuersus est, & confessis quoque græcis utimur uerbis, ubi nostra desunt, sicut illi à nobis nonnunquam mutuantur.

An, aut. Ne non.
Intro, Intus.
Solœcismi definitio.
Schemata.
Lib. 9. cap. 3.
Ca. de declĩ. nominum.
Peregrina uerba.
Patauinitas Liuij.
Pro Milone.
Serm. 2. Sa. 6.
Martial. lib. 12.
Rom. sermo ex græco cõuersus.
Declinatio externorum.

Inde illa quæstio exoritur, an eadem ratione per casus duci externa, qua nostra, conueniat. Ac si reperias grammaticum ueterum amatorem, neget quicquam ex latina ratione mutandum: quia cum sit apud nos casus ablatiuus quem illi non habent, parum conueniat, uno casu nostro, quinque græcis uti. Quinetiam laudet uirtutem eorum, qui potentiorem facere linguam latinam studebant, nec alienis egere institutis fatebantur. inde Castorem media syllaba producta pronunciarunt, quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat, quorum prima positio in easdẽ quas

Castor

Propria nomina in o.

Castor literas exit: & ut Palamo, ac Thelamo, & Plato (nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur, retinuerunt: quia latinum quod o & n literis finiretur, non reperiebant. Ne in a quidem atque s literas exire temerè masculina Græca nomina recto casu patiebamur: ideoque & apud Cælium legimus, Pelia Cincinnatus: & apud Messalam, Bene fecit Euthia: & apud Ciceronem, Hermagora: ne miremur quòd ab antiquorum plerisque Aenea & Anchisa sit dictus. Nam si ut Mecænas, Suffenas, Asprenas dicerentur, genitiuo casu non e litera, sed tis syllaba terminarentur. Inde olympo & tyranno acutam mediam syllabam dederunt, quia duabus longis sequentibus primam breuem acui noster sermo non patitur. Sic genitiuus Achilli & Vlyssi fecit, sic alia plurima. Nunc recentiores instituerunt græcis nominibus græcas declinationes potius dare: quod tamen ipsum non semper fieri potest. Mihi autem placet latinam rationem sequi quousque patitur decor. Neque enim iam Calypsonem dixerim, ut Iunonem: quanquam secutus antiquos C. Cæsar utitur hac ratione declinandi. Sed authoritatem consuetudo superauit. In cæteris quæ poterunt utroque modo non indecenter efferri, qui græcam figuram sequi malit, non latine quidem, sed citra reprehensionem loquetur.*

In 22.

Rhet. 1, & in Bruto.

* per syncopen ab Achilleus & Vlysseus.

Authoris sententia de peregrinorum declinatione.

Simplices uoces, prima positione, id est natura sua constant: composita, aut præpositionibus subiunguntur, ut innocens: interdum repugnantibus inter se duabus, quale est imperterritus: alioqui possunt aliquando continuari duæ, ut incompositus, reconditus & quo Cicero utitur, subabsurdum aut è Duobus quasi corporibus coalescunt, ut maleficus. Nam ex tribus nostra utiq; lingua nō concesserim: quāuis capsis Cicero dicat cōpositum esse ex cape si uis: & inueniantur qui Lupercalia æquè tres partes orationis esse contendant, quasi luere per caprum. nam Solitaurilia iam persuasum est esse ex sue, oue, & tauro. & sanè ita se habet sacrum quale apud Homerum quoque est. Sed hæc non tam ex tribus, quàm ex particulis trium coeunt. Cæterùm etiam ex præpositione & duobus uocabulis durè uidetur struxisse Pacuuius.

Compositio nes nominū.

2. de Orat. In Orat. & Quintilia. infra lib. 6. ca. de risu.

Od. lib. 11. fal.

* Suouetaurilia. Liu. de ca. prim æ libro.

Odyssea. 2.

- Nerei.

Repandirostrum incuruiceruicum pecus.

Vide Crinit. lib. 19. cap. 5.

*Iunguntur autem aut ex duobus latinis integris, ut superfui, subterfugi: (quanquam ex integris an composita sint quæritur) aut ex integro & corrupto, ut maleuolus aut ex corrupto & integro, ut noctiuagus: aut ex duobus corruptis, ut pedisequus; aut ex nostro & peregrino, ut biclinium: aut contra, ut epitogium, & Anticato: aut ex duobus peregrinis, ut epirhedium. Nam cum sit præpositio ἐπὶ Græca, rheda Gallicum: nec Græcus tamen nec Gallus utitur composito: Romani suum ex alieno utroque fecerunt. Frequenter autem præpositiones quoque copulatio ista corrumpit: inde abstulit, aufugit, amisit: cum præpositio sit ab, sola: & coit, cum sit præpositio con: sic ignaui, & * erepti, & similia. Sed res tota magis Græcos decet, nobis minus succedit: nec id fieri natura puto, sed alienis fauemus: ideoque cum κυρταυχένα mirati sumus, incuruiceruicum uix à risu defendimus. Propria sunt uerba, cum id significant, in quod primùm denominata sunt. Translata, cum alium naturæ intellectum, alium loco præbent. Vsitatis tutius utimur: noua non sine quodam periculo fingimus. Nam si recepta sunt, modicam laudem afferunt orationi: repudiata, etiam in iocos exeunt. Audendum tamen: nanque, ut Cicero ait, etiam quæ primo dura uisa sunt, usu molliuntur. Sed minimè nobis cōcessa est ὀνοματοποιΐα quis enim ferat si quid simile illis meritò laudatis, λίγξε βιὸς, & σίζε ὀφθαλμὸς, fingere audeamus? Iam ne balare quidem aut hinnire fortiter diceremus, nisi iudicio uetustis niterentur.*

Cic. in Orat.

* e rep.

Græci in cōponendo latinis feliciores.

Propria uerba quæ.

Translata.

Cic. 1. de natu. Deorum. Hom 4. Ilia. & Odyss. 9.

* ασμος.

MOSELLANI.

TRes habeat uirtutes } Virtus orationis ea est, qua oratio honestatur, attolliturque supra uulgi sermonem. Emendata } id est mendis carens, & recta Grammatices regula castigata: Ornata } Pictura luminibus & figuris tam uerborum quàm sententiarum. Regula } Ratio, & amussis. εὐφωνία } Vocalior sonus, felix sonitus. Ab εὖ aduerbio, quod in compositione semper bonitatem significat, & φωνὴ, quod sonum significat. Priscianus bonam sonoritatem interpretatur: Gellius autem iam simpliciter sonum, iam uocalitatem sonum uertit, de quo apud eundem. Quod melius sonet } Valerius Probus in hunc modum præcipit. Si, inquit, aut uersum pangis, aut orationem solutam struis, & uerba dicenda sunt: non finitiones illas prærancidas, & fœtulinas grammaticorum spectaueris, sed aurem tuam interroga, quid quo loco conueniat dicere. quod suaserit, id profectò erit rectissimum. lib. 3. cap. 20.

Prima barbarismi } Vitium in singulis dictionibus contingens barbarismus uocatur. Solœcismus, inquit Asinius apud Gellium lib. 5. cap. 20 est impar & inconueniens compositura partium orationis, quam uetustiores Latini Stribliginem appellarunt, Asinius imparilitatem uocat. Gellius ceterè neque barbarismi, neque solœcismi nomen apud idoneos authores reperiri dicit & antiquos. Nam, inquit, ut βάρβαρον antiqui, sic & σόλοικον dixerunt. Promissor } Allusit, nisi fallor, ad hoc Horatij. Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu. Vestibulum } Cæcilius Gallus apud A. Gellium lib. 16. cap. 5. uestibulum esse locum uacuum ante ianuam ædium ingressum dicit, sic dictum authore Sulpitio, quòd olim qui dominos ædium salutandos opperirentur, eo loco consistere magna multitudine solerent.

Sicut Catullus } Gingiuas uero Ploxeni habet ueteris. Exponit partim inctionem capsarum, partim etiam capsam ipsam. Mastruga } Quem purpura regalis non commutauit, eum Sardorum mastruga mutauit. Cicero pro Scauro. Illud prius } scilicet uitium barbarismi. quod scribendo fit. Hoc secundum } Scilicet uitium quod loquendo fit. Diuisione } rerum quæ debent coniunctim efferri. Sed ut parua } Putemus esse parua, sed quæ non sunt uulgata, illudens scilicet M. Antonio. Adijciat literam } Quoniam poetæ aliquoties uelint nolint necessitate cogente id genus uitia in uersibus ea industria committunt, quod alias uerba forsan in arctam metri legem non coirent. Sic Virgilius relligione dixit, apposita L litera necessitate ductus. alioqui cum re præpositio breuem faciat syllabam, in uersum non quadrasset hæc dictio. Sic alibi Virgilius, Relligione patrum, &c. Rectum } id est uerum, sic loquitur Cicero. Sed quidam } scilicet Grammatici, ut sunt Donatus, & Diomedes. Eruditionis } id est uariæ lectionis. Tinca Placentinus } Meminit huius Tincæ Placentini Cicero in catalogo clarorum Oratorum. ubi facetissimum hominem dicit fuisse, ut qui cum præcone Granio dicacitate solitus fuerit certare. Pergula } Locus est columnis sustentatus ante ædes, uel omnibus uel pluribus lateribus liberæ auræ expositus, in quo deambulare ueteres solebant. hoc est pergere, unde & nomen factum. utitur eo Plinius 38. lib. Metieo Suffetio } Consectus assequi possum, apud ueteres Metius in prima syllaba scribi solitum per æ diphtongon, & Suffetius itidem per æ in secunda. Itaque hac ratione in datiuo dicendum fuisset Ennio, Mætio, Suffætio: Sed quoniam in uersum heroicum syllaba inter duas longas posita non ingreditur, coactus est Ennius & mutationem literarum & transmutationem facere. Nam æ mutauit, posuitque e. & e quod ex diphthongo reliquum erat, transtulit in penultimum locum. Canopitarum } Canobos authore Strabone lib. 17. solebat scribi, at Stephanus una cum Plinio, canopum uocat. Est autem ciuitas centum uiginti stadijs ab Alexandria distans, sortita nomen à Canopo quodam, qui illic sit mortuus. Ciues Canopitæ dicti sunt. Tharsimenum } Sic legendum opinor, ut sit & literæ V mutatio in I, quomodo sæpe scriptum deprehendimus, & adsit quoque transmutatio id est literarum, transpositio. alioqui non esset, quod Fabius dicit, exemplum huic loco accommodatum. Porrò loci est hoc nomen in umbria Apuliæ regione, ubi Romani quondam infeliciter pugnarunt. Nam siue est falsum } Contra artis & analogiæ rationem usurpatum. Siue illud } Scilicet assentio.

Sisenna } Lucius Sisenna doctus uir, & studijs optimis deditus,

tus, bene latine loquens, gnarus Reipub. non sine facetiis, neque laboris multi, nec satis uersatus in caussis, interiectusque inter duas ætates Hortensij & Sulpitij, nec maiorem consequi poterat, & minori necessum erat cedere, huius omnis facultas ex historia eius perspici potest. Hæc Cic. in Bruto. Porrò hanc historiam cum alij, tum maximè citant Gellius & Priscianus.

Assentio § Marcus Varro libro de lingua latina 8. ita ait: Sentior nemo dicit, & id per se nihil est: assentior tamen ferè omnes dicunt: Sisenna unus assentio in senatu dicebat, & cum postea multi secuti, neque tamen uincere consuetudinem potuerunt. Hæc Varro. Analogiam § Analogia est similis similium declinatio, quam quidam latinè proportionem uocant, qua probatur ut quemadmodum dicimus sentio, dissentio, ita quoque simile compositum assentio dicamus. Gellius lib. secundo cap 25.

Verum est § cum ratione grammatica quadrat. Nam Marcus Cicero in Oratore perfecto, illud uerum appellare solet, quod regula & ratio artis præscribit: falsum autem, quod huic est contrarium. Diuersorum generum § scilicet & immutatione, & detractione. Per numeros § Quæcunque cadunt sub mensuram & pondus, non habent multitudinis numerum: Varronis regula. Messala § Marcus messala minor natu quàm nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere uerborum, prudens acutus patronus, in caussis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multæ operæ, multarum caussarum: Cicero in Bruto. Hæc quoque pars § scilicet quæ assentio dicit. Europai § pro Europæ, quomodo Virgilius dixit, Aulai in medio libabant pocula Bacchi. Musta § Malo mulsa legere. Diuisio § scilicet eorum quæ debent esse coniuncta.

Συναίρεσιν καὶ συναλοιφὴν § Coagmentationem & collisionem. Præterea § Hoc secundum uitium à Grammaticis ueteribus συστολὴ, id est correptio syllabæ natura longæ, à συστέλλω quod contraho significat. Italiam § Nam in hoc uersu Virgilius primam syllabam Italiæ, extendit, cum alias sit breuis. Hoc uitium, siue hunc metaplasmatum Diomed. lib 2. ἔκτασιν, id est extensionem uocat. Triumpi § Politianus Miscellaneorum cap. 19. narrat à se spectatum aureolum numisma, cui insculptum fuerit ad hunc modum, Triumpi, citra aspirationem. Inserebant aspirationem ueteres nostri plerisque uocibus uerborum firmandis roborandisque, ut sonus earum esset uiuidior uegetiorque: qua de re nonnihil & Marcus Cicero in Oratore perstringit, ex quo loco Fabius fermè hæc transcripsit. Qua de re § De quo immodico usu aspirationis. Inde § hac quoque ratione. Tenores § Quasi tensiones, à græco uerbo τείνω, quod tendo significat. Si acuitur § scilicet tunc grauis pro acuta ponitur. Declinato § Deriuato. Accentus § Lex accentuum apud Latinos res est perfacilis, modò quantitates syllabarum sint perceptæ. Nam dictio monosyllaba si breuis est, uel positione longa, acutum habet tenorem. sed si fuerit longa natura, circunflexum habebit, ut res, spes, mas, os. Porrò dissyllaba dictio sic moderabitur. Vtraque longa existente, uel ultima, solum est acutus accentus in penultima: at si penultima longa natura fuerit, & ultima breuis natura, circumflectenda est penultima. Quod si ambæ fuerint breues, aut altera positione longa, penultima acutum habebit Postremò in polysyllabis penultima semper erit spectanda. ea si est longa, & ultima breuis, omni modo accentus est in ipsa penultima acutus. At si eadem hæc penultima natura existens longa, sequentem breuem habuerit, circunflectetur. penultima uerò breui existente, acuetur tertia à fine, id est antepenultima. Sonos § scilicet corruptos uocum. Apice § id est nota. Cogentes § Coagmentantes, ut si quispiam in genitiuo Atrei dicat. is enim penultimam, quæ debuit esse grauis, coagmentat ex duabus syllabis in unam, & iniuria flectit, cum contractio non conciliet circumflexum accentum nisi altera syllabarum simplicium antè habuerit acutum tonum, quo modo flexus tonus ex acuto & graui conflatur. Atreus § Nomina apud Græcos in ευς desinentia, tonum habent acutum in ultima, quemadmodum testatur Theod. in 3. & Stephanus alicubi. Iam uerò author est Diomedes in 2. artis Gramma. lib. Græca nomina Græcis quoque accentibus pronuncianda, si eædem maneant literæ. Porrò quæ Græci in ευς, in eus finimus. Dicere solebant § cum ueritas Græcæ rationis iubeat circunflecti. Acuto sono finiant § Cum tamen dissyllabam uerbum nullum finiri possit acuto tono, concedentibus regulis, quandò illud constat, in dissyllabis semper tonum esse in priori syllaba. Quantum & quale § sensus est, quantum & quale si interrogamus per ea, erit ultima acuta. at si comparamus, ultima graui tono est claudenda. Quod § discrimen. in aduerbiis, ut in penè, fermè, ferè: ne si ultime graui enuncientur tono, putentur esse genitiui à fera feræ, & pœna pœnæ. Conditionem § legitimum locum accentum. Quod idem § Vt scilicet non accentu efferatur præpositio cum suo casuali. Positione § Syllaba est longa positione, quando post uocalem breuē sequuntur immediatè duæ consonantes. quod si hæ fuerint muta cum liquida, reddunt uocalem præpositam communem, ut uel corripi, uel extendi possit. Cuius difficilior § scilicet legis accentum. Διαλέκτους § διάλεκτος authore Corintho de linguarum uarietate, est proprietas quædam peculiarem alicuius linguæ particularis characterem seruans. Harum præcipuas quatuor recenset Plutarchus in Homerum scribens, Atticam, Aeolicam, Doricam, Ionicam. Cæterum si quispiam omnes exactius quærere uelit, deprehendet in una Græcæ linguæ differentias fermè uigintiquatuor. In omni uoce acuta § quoniam etiam si flexa fuerit, acuta esse merito dicitur, quando flexus sonus componitur ex acuto & graui. Neutra § id est neque flexa, neque acuta syllaba. Nec ultima unquam § scilicet in polysyllabis uel dissyllabis. Prior § scilicet syllaba est acuta, ut dens. Neutra § Id est neque flexa, neque acuta. Claudet § Dissyllabam scilicet uel polysyllabam. Per sonos § scilicet corruptos pronunciationis. Vocem § scilicet dissyllabam uel polysyllabam. ἰωτακισμὸς § authore Diomede est cum I pleniore sono profertur addit martianus Capella Metacismum, cum uerborum continuatio M literæ assiduitate colliditur, ut si dicas, mammam ipsam amo. tum Martianus paulo diuersus à Diomede sinit. Λαμβδακισμὸς § Cum scilicet L plurimum dissonat, cuius sic exemplum, Sol, luna, lucent, alba leui lactea. Iotacismum, ut si enunties, Iuno Ioui iure irascitur. Postremò Polysigma uocat, ubi S litera crebrius geminatur, ut, Sosia in solario soleas sarciebat suas. Quæ si uera sunt, non uideo quid non poterit uitij loco numerari, quod tamen Fabius negat. ἰσχνότητος § Graciliores literarum enunciationes, quibus usu uenit ut hæsitemus, nec queamus celeriter uerba continuare, quemadmodum tradit ex Aristotele Ludouicus Cælius antiquarum lectionum libro 7. Porrò ἰσχνὸς gracilis & tenuis dicitur, & ἴσω promo, effero. πλατειασμὸς § Pinguiores & ampliores literarum pronunciationes. quod usu uenit illis qui præter naturam uirilem uocem affectant. Nam πλατὺς, latus est & amplus. Κοιλοστομίαν § à κοῖλος, quod cauum sonat, & uelut recessum, & στόμα, τος, quod os oris. Recessu § id est in faucibus ipsis. Nationes deprehendimus § ut Erethrienses apud græcos scriptores malè audiunt, quòd asperius crebriusque R literam enunciant. Sic hodie ab Italis ridentur Germani in pronunciatione V consonantis. ὀρθοέπειαν § id est rectam enunciationem, ab ὀρθὸς quod rectum significat, & ἔπος, dictio, uerbum. Amaræ corticis § Virg. in Sileno, Tum Phaethontiades musco circundat amaræ Corticis. ubi Virgilius corticem amaram in fœminino genere dixit.

Et in secundo Georgicorum,

Nam quà se medio trudunt de cortice gemmæ. Vnde recentiores Grammatici dubii generis statuunt hoc uocabulum. In gestu § Palæmon rhetor, cuius meminit Suidas, cum in spectaculo esset, & uideret tragœdiam à quodam insulso agi. qui inclamans cœlum, oculos & manus in terram declinauit, rursus aduocaturus terram, oculos & manus porrexit, hoc, inquam, Palæmon intolerabiliter spectauit. Succlamauit ergo, hic etiam manu solœcismum facit. dissentiebat enim sermo à gestu corporis. Cauillationem § id est argutiam obiicientium. Nunquam in solo uerbo § scilicet quod non referatur ad aliquid aliud. In Alexandriam § Nam adiectæ sunt hic propositiones de & in, præter rationem, quando author est Diomedes, nominibus propriis locorum minorum, ut urbium & uicorum, ex superfluo apponi præpositiones. Rursum propria locorū maiorum, ut regionū, præpositionē ipsam desiderant. hæc Diomedes lib. 1. de Aduerbiis. Detractione § ut, ambulo uiam. Aegypto uenio § intelligitur de, uel ex Ne hoc fecit § ut intelligatur deesse particula quidem, ut sit, ne hoc quidem fecit. Autem non habui § pro, non autem habui. Igitur § scilicet hæc particula.

Apud alios sit § quòd igitur ponatur in principio orationis.

πλεονασμὸν § id est abundantiam. ἔλλειψιν § Defectum. ἀναστροφὴν § à στρέφω, uerto. & ἀνά, per: ut, Transtra per & remos. ὑπερβατὸν § id est ordinis transgressionem, cuius exemplum est apud Virgilium in primo Aeneid.

Treis Notus abreptas in saxa latentia torquet,

Saxa uocant Itali. Sic enim Donatus ordinat, tres abreptas naues Notus torquet in saxa, quæ uocant Itali aras. Hæc species & à Diomede tropis connumeratur, qui longissimè absunt à solœcismi suspicione. Plurima huic § Plura habet accidentia. In eo § scilicet uerbo. Per genera § Vt scilicet actiuum pro passiuo ponitur. Modos § Quos Diomedes inclinationes animi appellat. Eorum § scilicet dictorum.

Sex ꝫ scilicet indicatiuus, Imperatiuus, Hortatiuus, Optatiuus, Coniunctiuus, & Infinitiuus. Adiciunt enim illi, uelut indicat Diomedes, promissiuum, & subiunctiuum, diducunt enim à coniunctiuo subiunctiuum, qua de re uide Diomedem lib. primo.

Præterea ꝫ Scilicet fit Solœcismus. Quod ꝫ scilicet legera scripsere. Asperitatis ꝫ Quæ fest in scripserunt. Mollitum ꝫ Molliua factum. Apud Græcos ꝫ scilicet obseruatio dualis numeri in præterito perfecto actiuo. In uarbi tota ratione ꝫ id est coniugatione, Ferè dicit rationem totam dualis numeri in uarbo seruari apud Græcos non omnino uerum. Nam prima persona dualis numeri in omnibus penè actiuis desideratur.

Rarissimus eius usus ꝫ Nam ut author est Diomedes libro. 1. apud uetustissimos Græcos omnino non in usu fuit dualis numeri ratio, sed postea à curiosis quibusdam inuenta est, ita tamen, ut frequentius ferè usurparint antiquissimi & probatissimi scriptores pluralem numerum pro duobus, quàm dualem id quod testantur uersus Homerici à Diomede citati. Econtrario ꝫ scilicet de pluribus dicitur. Dixere ꝫ scilicet caussas suas, id est, dixerunt patronis oratoribus. Scripsere ꝫ Paulo diuctius hodie apud Ciceronem legitur, ad hunc modum, Nec uerò reprehenderim scripsara, scripserunt esse uerius sentio. Ex quibus constat, Fabium non tam uerba quàm sententias Ciceronis citasse, legendumque in Fabio pro etiam, esse. Verius ꝫ id est magis rationi consonum. Patrium ꝫ scilicet nomen, ut Romanus, Thebanus. Peculiolum ꝫ est autem peculium, authore iurisconsulto, propriè quod serui aut filiifamilias habent in solo aut supellectile, aut etiam quod per militiam lucrifecerunt, cuius usumfructum uel patres ual domini habeant. An id improprium ꝫ scilicet genus loquendi. Significatione ꝫ scilicet apta ad propositum. Deerat ꝫ scilicet ad perfectionem sermonis. Quanquam mihi haud displicet legere hoc loco aberrat, ut uidelicet magnum peculiolum qui dicat, non compositione peccet, sed à propria uerborum significationa aberret. In sensu ꝫ id est significatione impropria. Vt in uocabulo ꝫ id est, quemadmodum in nomine. Tradere ꝫ Ad perfectam doctrinam.

Externa ꝫ Peregrina uel Græca. Eiusdem generis ꝫ id est eiusdem orationis partes. Hic aut ꝫ pro an. Quia aliud ꝫ id est non. Alterum ꝫ id est ne. Hoc amplius ꝫ scilicet quod maius est. Loci ꝫ scilicet sunt ambo. Eo tamen intus ꝫ scilicet si dicatur. Comprehensionis ꝫ Compositionis

Tragœdia Thyestea ꝫ Per disconuenientiam generis. Ludi Floralia ꝫ id est, ludi instituti in honorem deæ Floræ, quam ueterum superstitio segetum floru lentiæ præfecerat. In his ludis iuuenes ac puellæ nudi choreas ducebant, uelut indicat alicubi Macrobius in Saturnalibus. Ac Megalesia ꝫ Ludi uerò Megalesia erant, quos postea Megalenses uocabant, celebratos in honorem magnorum deorum, Iouis, Iunonis, & magnæ matris Cybeles, deriuato uocabulo à μέγας μεγάγα, quod magnum Græcis significat. Schemata ꝫ id est figuræ. Aliquam ꝫ propter quam scilicet sic dicatur. Per imprudentiam ꝫ Ex insperato, improuiso. Quibus Mares ꝫ Vt Muræna, Cotta.

Et neutralia ꝫ Vt Glyceriam. In ordinem ꝫ scilicet in præceptiones incideret. Inhonoratam ꝫ Non illustratam nostris præceptionibus &c. Peregrina ꝫ Alterius linguæ. Thuscis ꝫ Populus Italiæ, ubi modò Florentia est. Vectium oratorem ꝫ Cuius etiam meminit Marcus Cicero in Bruto. Pollio Asinius patauinitatem ꝫ id est uitium quoddam patri sermonis. Patauium uocatur hodie Padua, sub Venetorum ditione. Fuit hic Pollio æmulus Liuii & Sallustii in historiis scribendis, cuius æmulationis uitia multa sunt in Noctibus Gellii, cui plerique ascribunt immodicas illas uerborum periodos & circumlocutiones.

Petoritum ꝫ genus est uehiculi apud Gellium, libro decimoquinto, capite decimo, ubi plura de hoc uocabolo perstringuntur. Circo ꝫ Maximo Romæ, ubi Circenses ludi agebantur, dimittebatur enim cretata mappa ei qui uiceras curru. indicat hoc Martialis inquiens.

Cretatam prætor cum uellet mittere mappam.

Prætori mappam surripit Hermogenes. Alia ꝫ Peregrina.

Et confessis ꝫ Manifestis, ubi nostra desunt, maxime in exprimendis magistratibus & dignitatibus Romanorum. Mutuantur ꝫ id est, mutuo assumunt. Externa ꝫ id ast peregrina, uel Græca. Ex Latina ratione ꝫ Ex forma dispositionis Latinæ. Parum conueniat ꝫ id est deceat maiestatem linguæ Romanæ. Alienis egere ꝫ id est aliena forma declinandi. Pronunciarum ꝫ uetustissimi Latini. Quia hoc ꝫ scilicet media syllaba producta pronunciari. Prima positio ꝫ id est nominatiuus.

Palæmo ꝫ Pro Palemon. Nec in a quidam, atqua in s ꝫ id est in as, in qua terminatione apud Græcos declinationis sunt primæ. Temerè ꝫ facile. Cælium ꝫ M. Oratorem. Pelia ꝫ Pro Pelias. Enthia ꝫ pro Enthias. Ciceronem ꝫ in libro de inuentione. Olympo ꝫ Non hoc mirum est, quandò nec Græcus quidem sermo patitur antepenultimam acui ultima saltem longa. Propterea, nisi fallit codex deprauatus, Fabius noster hoc loco memoria Græcæ rationis lapsus est, qua Olympo & tyranno planè eodem accentu efferuntur. nisi forta quispiam malit à Fabio spectari Atticam accentus rationem, qua tertia à fine acui potest etiam ultima longa. Quod si uerum est, aspexit Fabius ad nomina hæc Attice scripta, hoc est per ω in fioa nominatiui, quemadmodum dicitur eadem proprietate μενέλεως, & in datiuo μενέλεῳ. Sic genitiuus Achillis & Vlyssis, pro Achilleos & Vlysseos. Græci enim ἀχιλλεύς, έος declinant, & ὀδυσσεύς, έος & inde ueteres Latini, ut uidetur innuere Fabius, nominatiuum Achilles Vlysses formarunt latina terminationa, unde fiunt latini genitiui Vlyssi & Achilli, usurpati à Virgilio Quanquam Grammatici Latini apud Virgilium in his genitiuis annotent Apocopen, id est abcisionem ultimæ literæ, ut pro Achillis, Achilli dicamus Græcas declinationes ꝫ Sic Diomedes post latinas ponit quatuor Græcas. Latinam rationem ꝫ scilicet inter declinationes. Calypsonem ꝫ Latina scilicet ratione, in accusatiuo. Cæsar utitur ꝫ scilicet in lib. de Analogia. Sed authoritatem ꝫ scilicet Cæsaris. In cæteris ꝫ scilicet nominibus Græcis, Vtroque modo ꝫ id est, utraque ratione declinandi. Græcam figuram ꝫ scilicet declinandi. Repugnantibus ꝫ scilicet præpositionibus. Alioqui ꝫ Cum scilicet non repugnant. Vt incompositus ꝫ Ex in & con. Subabsurdum ꝫ id est aliquantulum absurdum, uel absurdum. Ex tribus ꝫ scilicet partibus orationis diuersis. Non concesserim ꝫ Facere compositum. Cicero ꝫ scilicet in Oratore perfecto. Quasi luere ꝫ id est, placare deum per caprum mactatum. Luere litare, sacrificare, ex suæ scilicet, oue & tauro, quod Homer. cum alibi, tum Odyss. τ τ. ἑκατόμβην appellat, quanquam enim ἑκατόμβη sacrum primum dictum sit à centum bubus immolandis, usus raman accepit temporibus progressu pro Solitaurilibus. Incompositus ꝫ nam in, diminuit significatum eius uocis cui præponitur. Per autem, contraria ratione auget. quæ componendi forma Fabio, ut uidetur, non placet, quanquam apud authores una aut altera uox hoc modo composita deprehenditur. Repandirostrum ꝫ Recuruum rostrum. Incuruiceruicum pecus ꝫ scilicet quod habeat ceruicem incuruam. Biclinium ꝫ Locus est habens duos lectos, ex bis latino quod duo sonat, & κλίνη græco, quod lectum significat. Cõtrà ꝫ id est, ex peregrino & nostro. Epitogium ꝫ Amictus quo supra togam utimur. Anticato ꝫ ex ἀντὶ præpositione græca, & Cato latina. Porrò Iulius Cæsar libros duos aduersus Catonem Vticensem conscriptos, Anticatones prætitulauit, quemadmodum author est Suetonius. Epirhedium ꝫ Vehiculi genus est in modum rhedæ, aut superior pars ipsius rhedæ, ab ἐπὶ quod supra significat, & à rheda Gallico uocabulo. Aufugit ꝫ pro abfugit. E republica ꝫ pro, ex repub. Succedit ꝫ Minus feliciter cadit, id quod minus succidit. Mirati ꝫ Ad stuporem usque laudamus. Κυρταυχένα incuruiceruicum ꝫ à κυρτὸς quod curuũ significat, & αὐχὴν quod ceruicem significat unde κυρταυχένα, id ast, incuruiceruicum. Narrata ꝫ impositione. Audendum tamen aliquid ꝫ In nouandis uocibus, & maximè illis permittit tũ Cicero, tum Fabius, qui Græcos authores transferendos suscipiunt, cum uocabula iuxta Horatium Græco fonte cadant.

ὀνοματοποιΐα ꝫ Nominum nouorum effictio ad imitationem soni, quem significare debent, ut est clangor tubarum. λίγξε βιός ꝫ id est, insonuit neruus, à λίγγω quod sono significat: Iliad. lib. 4. uterque est locus.

CAMERARII.

ILlud prius ꝫ Hoc est uitium scriptionis, ut si quis scribat leggo, beibo, ædepol, mihi, cum sit lego, bibo, edepol. mihi. Item muse, coma, pro musæ ciconia. Item corrapio, cecurri, adsum, cum sit corripio, cucurri, assum. Item Burtus pro Bruto. Lectionis uitia sunt, ut præhestat, cere comminuit brum, cum sit uerum præstat, comminuit cerebrum. Phæton, intræo, duabus & tribus syllabis, cum tribus & quatuor rectum sit. Chommoda, chorous, pro tenuibus. Est, circunflexare, aut adoico grauiter penultimam quæ quidem Græci diligenter persequuntur. Mastrucam ꝫ Ex oratione pro Scauro, quæ nunc non extat, hunc locum citant, & de prouinciis consularibus mastrucatos latrunculos dicit: Eadem uitii ꝫ id est bis eodem modo uitiosa dicens. Sisenna ꝫ Gellius ex Varrone locum hac de re citat. Musta ꝫ Quidam mutarunt in mulsa, offensi credo quod Ouidius dixerit Noua musta, & Martialis: In Vaticania condita musta cadis, & Fabius libro, musta austera. Qua de re Catulli ꝫ Vsque adeo refugit aspirationem consonantium lingua Latina, ut Græcis etiam

dictionibus

dictionibus ueteres detraxerint. Arcitectum enim maluerunt, quàm per ch. Cicero in Oratore: Quin ego ipse cum scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam nisi in uocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut pulcros & cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem. aliquando, idque sero, conuitio aurium, cum mihi extorta ueritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reseruaui. Obscenos tamen & Matones, Otones, Cæpiones, sepulchra, coronas, lacrymasque dicimus, quia per aurium iudiciũ semper licet. Et sanè nullum est nomen Latinum, in cuius natura aspirationem inesse possit ostendi. Gellius cur aspirationem inseruerint aliquibus dictionibus Latini, docens, uideri id uult linguæ Græcæ similitudine factum. In Probi Catholicis legimus, nullum Latinum nomẽ aspirationem habere post C, præter tria, pulcher, Orchus, lurcho. Sed & hæc tamen, si quis debere putat aspirationem habere sciat usu habere, non ratione. Catullĩ epigramma in Arrium, qui uolet requirat, in quo non consonantium modo aspirationis nouitatem, sed uocalium etiam notauit. Sic enim clausit epigramma,

Cum subito affertur nuncius horribilis
Ionios fluctus postquam illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

Adhuc difficilior} Horum exempla sunt, acuta & grauis pro se inuicem, Camillus, docebat enim prima grauari, secunda acui. Grauis pro flexa, Cétegus cum sit uerum Cethegus, media circunflexa. aut flexa pro graui, ut si in hoc quod proxime dictum est nomine, sequens, scilicet mediam, hoc est ultima, circunflectatur, Cethegus. Quam si coactam unam ex duabus syllabis, atque ita mox flexam fecerimus, bis peccatum sit, ueluti si quis dicat Cethẽ. Nam & deprauatum fuerit nomen, & uitium in tono, cum neque Græca neque Latina ratio hunc ferat. Nam Græca acui debeat ultima sicut ὀφρύς, ἀτμός: Latina cum tribus syllabis proferatur, ut átreus, Téreus. Tanquam unum} Sicut, Semperlenitas, Semper deus, premus ab. nam per se positũ ab, acueretur. Quas διαλέκτους} Nemo ferè est nunc quidem studiosorum Græcæ linguæ, qui ignoret omnibus communem nationis illius hominibus usum quatuor differentiis fuisse uariatum, quas διαλέκτους dixerint. Attica, Ionica, Dorica & Aeolica. Sed sub his ipsis quasi generibus multæ diuersitates inueniuntur, quatenus non modo per gentes, sed ciuitates etiam & oppida & uicos non eodem modo locuti fuere. Exempla uerò mutationi huiusmodi esse poterunt μυλλῶς Attice rectum est, aliis non feratur. νικασεῖν & λαψῦ Dorice non enim ferant alii circunflecti ultimam talibus in futuris. Ἀχίλλευς & βασίλευς Aeolensibus conceditur, cum alij dicant ἀχιλλεύς & βασιλεύς. Iones μιᾶς fecerunt, cũ sit ἀναλόγως μίας, ut ὁ τρέφει μία λόχμη δύο ἐριθακούς. Et illa per.} Cum quid plus æquo aut minus sonat, collisiones & hiatus ἰσχνότητας & πλατειασμοὺς dixit. Nationes} Vt nos illam sibilationem Gallicam cum Scharolum dicunt, & Scampaniam, quæ scripto tamen exprimi non potest. In nobis reprehenditur idem, cum his uerbis quorum initium est litera s, cũ alia consonante insibilamus, & u pro consonante per F enunciamus. Quod manifestæ calumniæ est} Videlicet in uerbo esse solœcismum, non in sermone. Nam neq; per se amaræ, nec amaro, neque corticis neque cortice reprehendi potest, sed constructio fuerit uitiosa, cum sit peccatum in genere. Nam ita facit esse Quintilianus, ut unum ex his rectum sit, alterum non sit, etsi ipse sentit neutrum esse uitiosum uerùm, ut dixi, facit ita esse alterum, utrumlibet uerbi gratia. Cum aliud uoce} Vt si illud Terentianum: O cœlum, ô terra, ita pronunciatum sit, ut manus in priore deijceretur, in altero sustolleretur, aut illud: Sosia adés dũ cum abnutatione. Philostratus Polemonem scribit præsidentem Olympijs, cũ Tragœdiæ actor, O Iupiter, in terram demissa manu: &, O tellus, in cœlum sublata, exclamasset, statim illum à præmiis reiecisse, quod diceret manu eum solœcismum fecisse: quod Græcè magis belle sonat, εἶπεν, τῇ χειρὶ ἐσολοίκισε. de quare epigramma Græcum adscriptum Lucillio, sic uertimus.

Flacce solecismos tacitus quoque nuper, & ipso
Fecisti os pandens flamine barbariem.
Deinde solœcismos dextra dum specto mouentem,
Nescio quid cupiens dicere mutus eram.

Modos, siue} Diomedes, modos, inquit, quinque esse omnes ferè Grammatici consentiunt. Nam qui sex uoluerũt, alij promissiuum, quidam impersonalem coniungunt, qui septem, utrunque prioribus adiciunt, qui amplius, percontatiuum assumunt, qui nouem, coniunctiuum à subiunctiuo separant qui decem esse, adhortatiuum adscribunt. Succedit} id est, quicquid eorum unũ pro altero ponitur. Patrium} Venit in mentem primitiuũ rectius legi posse, & in procliui fuisse hanc mutationem, sed contra omnium codicum consensum nolui meam opinationem sequi. Patrium autem nomen Grammatici uocant, in quo patriæ significatio inest sicut gentile, in quo gentis, ut Romanus, Atheniensis.

Ludi Floralia} Floralia ludi uotiui persoluti à Posthumio & Lænate consulibus. Ouidius Fastorum lib. 5. Valde errauerit qui Larentalia pro his accepere, quæ celebrantur in Decemb i, cum Floralia fierent pridie Calẽdarum Maij. Megalensia ludi magnæ matris, quibus P. Africanus iterum consul ille maior primum locum ante consessum populi senatui dedit, ait Cicero. De quibus uerbose libro Fastorum quarto. Vectium} Vectius Vectianus è Marsis fuerit ex aeternos Oratorea à Cicerone nominatur in Bruto. Rheda} Cicero pro Milone, Cum uxore ueheretur in rheda penulatus. ibidemque rhedarium dixit. Horatius satyra sexta libro primo, Calones atque caballi Pascendi, ducenda petorrita.

Mappam} Mappas lintea dicebant quæ cœnantibus in mensam dabantur, aut quæ afferebant ipsi. Martialis 12. Attulerat mappam nemo, dum furta timentur. Ὀθόνη Græci uocant. Iaci autem à prætore mappam consueuisse ludis Circensibus, uel ex Suetonio manifestum est. Et Martialis in eo quod citauimus epigrammate.

Cretam prætor cum uellet mittere mappam.

Id autem fuisse signum magis quàm præmium crediderim.

Quia hæc} Hoc est, omnia Latina declinabantur per o longum, quæ quidem desinerent in nominatiuo or. Asprenas} Nonius Asprenas caussam dixit ueneficij, cum accusaretur à Cassio Seuero quòd unius patinæ ueneno necasset CXXX. conuiuas. Plinius libro trigesimoquinto capite 12. Scripsit & Pollio in hũc accusationem, teste, Fabio libro decimo. Suffenates populi Italiæ, usitata ac patria formatione Latinis. Inde Olympo} Hunc locum qui in codicibus diuerse legebatur, etsi confidebam me ueritati restituisse, tamen uolui lectori notam esse nostram castigationem. Itaque signum curaui apponi. Sententia autem hæc est, cum Græci dicant ὄλυμπος & τύραννος, maluisse illos Latinos ueteres Græca nomina suo quàm Græcorum more enunciare. itaq; mediam acuisse, quæ cum longa sit positione, Latina ratione non potuerit grauari. Quod autem dixit, dederunt Olympo, non accipiendum est, quasi datiuum solum notant. nam id fecit suo more, ut paulo ante Aenea & Anchisa sit dictus. Solet enim exempla ferè Fabius ad constructionem orationis accommodare. De duabus enim syllabis longis sequentibus nihil ad Græcos qui & ipsi ὄλυμπος & τύραννος proferunt. Achillei} A nominatiuo Achilleus & Vlysseus. Virgilius. Genus armipotentis Achillei: per synæresin. Repugnantibus} Quæ integrè iungi nequeant. Capsis Cicero} Oratore. Lupercalia} Decimoquinto Calendas Martij currebant Luperci. Ouidius libro undecimo Fastorum. Solitaurilia} Quod sue, oue & tauro sacrificaretur. Apud Homerum sacrum tale facit Alcinous rex Phæacum Odysseæ θ. Eum locum si uertimus:

His bonus Alcinous bis senos immola agnos,
Octo sues, taurosque duos, quos turba repente,
Tergore nudatos, parat aptæ ad fercula cœnæ.

Ab} Cum tamen dicatur à & abs Sed uideri uult Quintilianus hæc composita à præpositione ab. Sola} igitur hoc est extra compositionem. Nam ab præpositio, quasi primitiua, & à & abs fit. Sed minime nobis} Ὀνοματοποιία fictio nominum est, ut murmur, sibilus. Quæ Græcis ualde frequens est, δούπησεν δὲ πεσών, ἀράβησε δὲ τεύχε᾽ ἐπ᾽ αὐτῷ: & sonitus quem collapsus, & quem arma strepitum fecere, repræsentatur. λίγξε βιός. Iliados δ. sonuit arcus, & σίζ᾽ ὀφθαλμός, Odysseæ I, ὣς τοῦ σίζ᾽ ὀφθαλμὸς ἐλαϊνέῳ περὶ μοχλῷ. Vtrunque similiter ficto uocabulo in nostræ gentis uernacula lingua dicimus. Habere} Mutauimus ita, debere, sed apposito signo, ut ad mutata nobis contra exempla ubique, cum legissemus in illis Varronianis fragmentis, in his quæ non declinarentur, analogiam quæri non debere, ut mox, nix.

Sed Augustus quoque} Caium & Lucium nepotes ex Iulia & Agrippa Augustus habuit, quorum Caius in Lycia, Lucius Massiliæ defunctus est. Vnius epistolæ Augusti exemplum ad Caium extat apud Gellium libro decimoquinto capite septimo. Salutauit} Apparet ex hoc loco duabus breuibus syllabis Fabii seculo dictum fuisse Aue sicut calfacere & conseruasse. Gnipho} Grammaticus Ciceronis seculo, quem & audiuisse ille in Prætura quoque traditur à Tranquillo. Nulla hæc} idem autem de illis iudicium est, quæ prorsum fieri nequeunt, sicut à uolo non queat dici uolis, neque à Iuppiter Iupitris, & de his quæ sunt dura dictu. Nam quid prohibeat progeniei sicut rei dicere, & sperum ut rerum? Item Quitum & Rutum, quorum alterum ueteres dicere, alterum adhuc in compositis manet, ut, Diruta sunt alijs, uni mihi Pergama restant. Terentius. Forma in tenebris nosci non quita est, & ita tamen durum utrumque est, ut dici latures nemo uideatur. Hoc posterius cur mutarint in tre, non

uideo. A Cicerone} in Topicis, frugalitatem à fruge Tusculanarum tertio. Barbara ab} Hoc est, etymologia ostendere uult quæ dictionum naturalis facies sit, siquando illam usus quasi fucauit. Docet enim esse uerum medidiem, cum sit medius dies, etsi meridiem omnes dicimus. Triquetram autem Siciliam pro triquedra, quæ figura triangularis est, siue quòd ad huiusmodi figuram trium linearum quadret, siue, ut quibusdã uisum est, ἀπὸ τῆς ἕδρας. Aeolica} Vt mutatio a io breue u, & interpositio u pro consonante, ut ouum, ouis, Dauus. Vnde Bruti} Bruti cognominis caussa apud Liuium libro primo, Punici belli secundo.

Pythici} De Pythicis nihil habeo dicere, nisi forte huc pertinere posse alicui uideatur quod de Pythijs scribit Herodotus Ecerrès, Pythij, inquit, apud Lacedæmonios sunt, qui Delphos ad responsa petenda mitti solent, quibus cum regibus publicè cibus præbetur. Latium} Latiumque uocari Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris. Virgilius octauo.

> Oenotrij coluere uiri, nunc fama minores
> Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Virgilius 8. A bobus tamen alij. Gellius lib. 11. cap. primo.

Beneuentum} Ominis gratia, cum eò Colonia deducta, anteque dictum esset Maleuentum. Capitolium} Mons Tarpeius, quòd ibi caput hominis inuentum. Liuius primo. Quirinalem} Quirinalis collis, quòd Cures ibi habitarint. Argiletum} Siue ab Argi morte, siue ab argilla.

ARGVMENTVM.

Profert quatuor quibus sermo constat: rationem, authoritatem, uetustatem, & consuetudinem. Rationem duobus constare: analogia præcipue, & etymologia. Analogiam duplici ratione exigi, comparatione similium, & diminutione. Comparationem aut genere deprehendi, aut declinatione. Genere: ut cum panis masculinum sit, sic etiam funis. Declinatione: ut cum ornatus, quartæ sit: ita senatus. Diminutione: ut cuius generis sit diminutiuum, eiusdem intelligatur esse & primitiuum: ut cum funiculus masculini sit generis, eiusdem intelligatur funis. Primam etiam positionem ex obliquis inueniri: ut cum cecidi a cado sit, sic & pepigi a pago. Verum cum analogia sibi plurimis in locis repugnet, rationem eius per omnia duci non posse. Quare eruditorum quorundam nimiam curiositatem circa hanc partem irridendam, qua per eam omnia defendere uelint, cum in plurimis usui & consuetudini cedat. Addit, etymologiam, quam alij originationem, Cicero notationem uocauerit, habere in se multã eruditionem: uel cum ex græcis orta tractet, uel cum ex historijs ueterum, nomina hominum, locorum, gentium, urbium, requirat: ut unde Bruti, Publicolæ. Et hanc necessarium habere usum quoties res de qua quæritur, interpretatione eget: ut si dicas Cicero assiduum ab assibus dandis locupletem. Verum & hanc aliquando consuetudini seruire, ut in triquetra & meridie. Quare hic non aliter quam in analogia eruditos nimis curiosos ridet, qui adhanc omnia exigentes, ad fœdissima usque ludibria dilabantur. Vetera orationi maiestatem afferre cum delectatione, modo non sint nimis crebra, & ab ultimis & iam obliteratis temporibus repetita: qualia sint Topper & Antigerio. Similem esse circa authoritatem rationem: quare uidendum esse non solum quid dixerint quantumuis magni, sed quid persuaserint. Nam hoc tempore laturum neminem tuberchinabundum & lurchabim̃dum, quibus Cato usus sit. In consuetudine constituendum in primis quid consuetudinem uocari uelimus: nempe loquendo consensum eruditorum, sicut uiuendo consensum bonorum.

De quatuor quibus sermo constat. Cap. VI.

Quibus quatuor sermo constet.



ST *etiam sua loquentibus obseruatio, sua scribentibus. Sermo constat ratione, uetustate, authoritate, consuetudine. Rationem præstat præcipuè analogia, nonnunquam & etymologia. Vetera, maiestas quadam, & ut sic dixerim, religio commendat. Authoritas ab oratoribus uel historicis peti solet. nam poetas metri necessitas excusat, nisi siquãdo nihil impediente in utroque modulatione pedum, alterũ malunt: qualia sunt,* Aeneid. 11. *-Imo de stirpe recisum. &* Aecl. 3. Sc. 1. *-Aeriæ quò congessere palumbes. &, -Silice in nuda. & similia: cum summorum in eloquentia uirorum iudicium pro ratione, & uel error honestus est magnos duces sequentibus.* Consuetudo. *Consuetudo uerò, certissima loquendi magistra: utendumq; planè sermone, ut nummo, cui publica forma est.* Analogia. *Omnia tamen hæc exigunt acre iudicium, analogia præcipuè, quã proximè ex græco transferentes in latinum, proportionem uocauerunt. Eius hæc uis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile de quo non quæritur, referat: ut incerta certis probet.* Duplex analogiæ uia, cõparatio & diminutio. *Quod efficitur duplici uia: comparatione similium in extremis maximè syllabis, (propter quod ea quæ sunt è singulis, negantur debere rationem) & diminutione. Comparatio in nominibus, aut genus deprehendit, aut declinationem: Genus, ut si quæratur, funis masculinum sit an fœmininum, simile illi sit panis: Declinationem, ut si ueniat in dubium, hac domu dicendum sit, an hac domo, & domuum an domorum: similia sint domus, anus, manus. Diminutio genus modò detegit: & ne ab eodem exemplo recedam, funem masculinum esse funiculus ostendit. Eadem in uerbis quoq; ratio comparationis: ut si quis antiquos sequutus feruente breui media syllaba dicat, deprehendatur uitiose loqui, quòd omnia quæ e & o literis fatendi modo terminantur, eadem si in infinitis e literam media syllaba acceperunt utique productam habent,* Fatendi i. indicandi. *prandeo pendeo spõdeo, prandēre pendēre spondēre. At quæ o solam habent, dummodo per eandem literam in infinito exeant, breuia fiunt, lego dico curro, legere dicere currere, etiamsi est apud Lucillium, Feruit aqua, & feruet: feruit nunc, feruet ad annum. Sed pace dicere hominis eruditissimi liceat, si feruit putat illi simile currit & legit, ferno dicetur, ut curro & lego: quod nobis inauditum est. Sed non est hæc uera comparatio: nam feruit illi est simile seruit quam proportionẽ sequenti dicere necesse est feruire, ut seruire. Prima quoq; aliquando positio ex obliquis inuenitur, ut memoria repeto conuictos à me qui reprehẽderant quòd hoc uerbo usus essem, pepigi.* Pepigi. *Nam id quidẽ dixisse summos authores confitebantur, rationem tamen negabant permittere: quia prima positio paciscor, cum haberet naturam patiendi faceret tempore præterito pactus sum. Nos præter authoritatem oratorum atq; historicorum; analogia quoq; dictum tuebamur. Nam cum in XII. tabulis legeremus, Ni ita pagunt: inueniebamus simile huic, Adunt. inde prima positio, etiamsi uetustate exoluerat, apparebat, pago, ut cado: unde non erat dubium sic pepigi nos dicere, ut cecidi. Sed meminerimus non per omnia duci analogiæ posse rationem, cũ sibi ipsa plurimis in locis repugnet.* Quantũ ineptiant qui analogiã ubique tueri uolunt. *Quædam sine dubio conantur eruditi defendere, ut cum deprehensum est, lepus & lupus simili positione, quãtum casibus numerisq; dissentiant: ita respondent, non esse paria, quia lepus epicœnum sit, lupus masculinum: quanquam Varro in eo libro quo initia urbis Romæ enarrat, lupum fœminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus. Illi autem ijdem cum interrogantur cur aper apri, & pater patris faciat: illud nomen positum, hoc ad aliquid esse contendunt. Præterea quoniam utrunque à græco ductum sit, ad eam rationem recurrunt, ut πατρὸς patris, κάπρου capri faciat. Illa tamen quo modo effugient, ut nomina quamuis fœminina singulari nominatiuo us literis finita, nunquam genitiuo casu in ris syllabam terminantur, faciat tamen Venus Veneris? Item cum e s literis finita, per uarios exeant genitiuos, nunquam tamen eadem ris syllaba terminatos, Ceres cogat dici Cereris? Quid uerò quæ tota positionis eiusdem, in diuersos flexus exeunt? cum Alba faciat Albanos & Albenses, Volo uolui & uolaui. Nam præterito quidem tempore uariè formari uerba prima persona o litera terminata, ipsa analogia confitetur. Siquidem facit cado cecidi, spondeo spopondi, pinguo pinxi, lego legi, pono posui, frango fregi, laudo laudaui. Non enim cum primùm fingerentur homines, analogia demissa cælo formam loquendi dedit: sed inuenta est postquam loquebantur, & notatum in sermone, quid quo modo caderet. itaque non ratione nititur, sed exemplo: nec lex est loquendi, sed obseruatio: ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit,* Analogia non est lex loquendi, sed obseruatio. *quàm consuetudo. Inhærent tamen quidam molestissima diligentiæ peruersitate, ut audaciter potius dicant quàm audacter, licet omnes oratores aliud sequantur: & emi-*

cauit, non emicuit: & conire, non coire. His permittamus & audiuisse, & sciuisse, & tribunale, & faciliter dicere. frugalis quoque sit apud illos, non frugi: nam quo alio modo fiat frugalitas? Iidem centum millia nummûm & fidem deum, ostendant duplices solœcismos esse, quandò & casum mutant, & numerum. Nesciebamus enim, ac non consuetudini & decori seruiebamus: sicut in plurimis quæ Tullius in Oratore diuinè, ut omnia, exequitur. Sed Augustus quoque in epistolis ad C. Cæsarem scriptis emendat quod is calidum dicere quàm caldum malit: non quia illud non sit latinum, sed quia sit odiosum, & ut ipse græco uerbo significauit, περίεργον. Atqui hanc quidam ὀρθοέπειαν solam putant, quam ego minimè excludo. Quid enim tam necessarium, quam recta locutio? Immò inhærendum ei iudico quoad licet: diu etiam mutantibus repugnandum: sed abolita atque abrogata retinere, insolentiæ cuiusdam est, & friuolæ in paruis iactantiæ. Multum enim literatus, qui sine aspiratione & producta secunda syllaba salutauit, auete (est enim & calefacere dixerit potius quàm quod dicimus, & conseruauisse: his adijciat face, & dice, & similia. Recta est hæc uia: quis negat? sed adiacet & mollior, & magis trita. Ego tamen non alio magis angor, quàm quòd obliquis casibus ducti, etiam primas sibi positiones non inueniunt, sed mutare permittunt: ut cum ebur & robur, ita dicta ac scripta summis authoribus, in o literam secundæ syllabæ transferunt, quia sit roboris & eboris: sulfur autem & guttur, u literam in genitiuo seruent: ideòque etiam iecur & femur controuersiam fecerunt. quod non minus est licentiosum, quàm si sulfuri & gutturi subijcerent in genitiuo literam o mediã quia esset eboris & roboris: sicut Antonius Gnipho, qui robur quidem & ebur atque etiam marmur fatetur esse, uerùm fieri uult ex his robura, ebura, marmura. Quòd si animaduerterent literarum affinitatem, scirent sic ab eo quod est robur, roboris fieri: quomodo ab eo quod est miles limes, militis limitis: iudex uindex, iudicis uindicis: & quæ suprà iam attigi. Quid? non similes quoque (ut dicebam) positiones, in longè diuersas figuras per obliquos casus exeunt? ut uirgo? uino? fusas lusus: cuspis, puppis, & mille alia? cum illud etiam accidat, ut quædam pluraliter non dicantur, quædam contrà singulari numero, quædam casibus careant: quædam à primis statim positionibus tota mutentur, ut Iupiter. Quod uerbis etiam accidit, ut fero tuli: cuius præteritum perfectum, & ulterius non inuenitur. Nec plurimum refert, nulla hæc, an prædura sint. Nam quid progenies genitiuo singulari, quid pluralis spes faciet? Quomodo autem quire & ruere, uel in præterita patiendi modo, uel in participia transibunt? Quid de alijs dicam, cum senatus senatus sed natui, an senatus senati senato faciat, incertum sit? Quare mihi non inuenustè dici uidetur, aliud esse latinè, aliud grammaticè loqui. Ac de analogia uel nimium. Etymologia, quæ uerborum originem inquirit, à Cicerone dicta est notatio, quia nomen eius apud Aristotelem inuenitur σύμβολον. quod est nota: nam uerbum è uerbo ductum, id est ueriloquium, ipse Cicero qui finxit reformidat. Sunt qui eam potius intuiti, originationem uocent. Hæc habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res de qua quæritur, eget: ut cum M. Cælius se esse hominem frugi uult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat) sed quia utilis multis, id est fructuosus, unde sit dicta frugalitas. Ideoque in definitionibus assignatur etymologiæ locus. Nonnunquam etiam barbara ab emendatis conatur discernere, ut cum Triquetram dici Sicilia, an Triquedram: meridiem, an medidiem oporteat, quæritur, aliaque quæ consuetudini seruiunt. Continet autem in se multam eruditionem, siue illa ex græcis orta tractemus, quæ sunt plurima, præcipueque Aeolica ratione (cui est sermo noster simillimus) declinata: siue ex historiarum ueterum notitia, nomina hominum, locorum, gentium, urbium requiramus, unde Bruti, Publicolæ, * Pici: cur Latium. Italia, Beneuentum: quæ Capitolium, Collem Quirinalem, & Argiletum appellandi ratio. Iam illa minora, in quibus maximè studiosi eius rei fatigantur, qui uerba paulum declinata, uariè & multipliciter ad ueritatem reducunt, aut correptis aut porrectis, aut adiectis aut detractis, aut permutatis literis syllabisue. Inde prauis ingenijs ad fœdissima usque ludibria dilabuntur: sitne Consul à consulendo, an à iudicando: nam & hoc consulere ueteres appellauerunt: unde adhuc remanet illud, Rogat, boni consulas: id est, bonum iudices. Senatui nomen dederit ætas: nam ijdem Patres sunt: & Rex rector: & alia plurima indubitata. Nec abnuerim tegulæ, regulæque, & similium his, rationem. Iam sit & classis à calando, & lepus leuipes, & uulpes uolipes: etiámne à contrarijs aliqua sinemus trahi? ut lucus, quia umbra opacus, parum luceat? & ludus, quia sit longissimè ab lusu? & Dis, quia minimè diues? Etiámne hominem appellari quia sit humo natus? (quasi uerò non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales antè nomen imposuerint terræ, quàm sibi) & uerba ab aere uerberato? Pergamus: sic peruenimus eousque, ut stella, luminis stilla credatur: cuius etymologiæ authorem, clarum sanè in literis, nominari ea parte qua à me reprehenditur, inhumanum est. Qui uerò talia libris complexi sunt nomina sua ipsi inscripserunt: Ingenioséque sibi usus est Caius Granius cælibes dicere ueluti cælites, quòd onere grauissimo uacent, idque græco argumento. ἠϊθέους enim eadem de caussa dici affirmat. Nec ei cedit Modestus inuentione. nam quia Cælo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos qui uxore careant. At * L. Aelius pituitam, quia petat uitam. Sed cui non post Varronem sit uenia, qui agrum, quod in eo agatur aliquid: & Graculos, quia gregatim uolent, dictos, Ciceroni persuadere uoluit, cum alterum ex græco sit manifestum duci, alterum ex uocibus auium? Sed huic tanti fuit uertere, ut Merula, quia sola uolat, quasi mera uolans nominaretur. Quidam non dubitauerunt etymologiæ subijcere, omnem nominis caussam: ut ex habitu, quemadmodum dixi, longos, & rufos: ex sono, strepere, murmurare: etiam deriuata, ut à uelocitate dicitur uelox: & composita pleraque his similia, quæ sine dubio aliunde originem ducunt, sed arte non egent, cuius in hoc opere non est usus nisi in dubijs. Verba à uetustate repetita, non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi maiestatem aliquam, non sine delectatione: nam & authoritatem antiquitatis habent: & quia intermissa sunt, gratia nouitati similem parant. Sed opus est modo: ut neque crebra sint hæc, neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione: nec utique ab ultimis & obliteratis repetita temporibus, qualia sunt topper, & antigerio, & exanclare, & prosapia, & Saliorum carmina uix sacerdotibus suis satis intellecta. Sed illa mutari uetat religio, & consecratis utendum est. Oratio uerò, cuius summa uirtus est perspicuitas, quàm sit uitiosa si egeat interprete? Ergo ut nouorum optima erunt maximè uetera, ita ueterum maximè noua. Similis circa authoritatem ratio. Nam etiam si potest uideri nihil peccare, qui utitur ijs uerbis quæ summi authores tradiderunt multum tamen refert non solùm quid dixerint, sed

Ironia.

C. Cæsarem, Agrippæ & Iuliæ filium quem adoptauit Augustus. Succo.

Ironia.

Gnipho grammaticus, quẽ & Cicero, teste Tranquillo, audiuit.

Latine & grammatice loqui differunt.

In Topic. Arist. lib. peri hermeneias

Frugalitas.

Cic. in Orat.

Etymologia multæ eruditionis.

Sermo latinus Aeolicæ rationi simillimus.

* Pulucij.

Consulere.

Interpretationem rectã sequendam, improbandã contrariam.

Caninius legit Valla in Dialecticis: alij Gabinius.

* Lælius

Lib. 4. de lingua latina.

Supra fo. 8. 4

De uerbis uetustis: & quatenus ijs utẽdum.

Affectatio odiosa.

Perspicuitas summa uirtus orationis.

De authoritate.

etiam quid persuaserint. Neque enim tuburchinabundum & lurchabundum iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit author: nec hos lodices, quanquam id Pollioni placeat: nec gladiola, atqui Messala dixit: nec parricidatum, quod in Cælio uix tolerabile uidetur: nec collos mihi Caluus persuaserit, quæ nec ipsi iam dicerent. Superest igitur consuetudo: nam fuerit penè ridiculum, malle sermonem quo locuti sunt homines, quàm quo loquantur. Et sanè quid est aliud uetus sermo, quàm uetus loquendi consuetudo? Sed huic ipsi necessarium est iudicium, constituendumque in primis, id ipsum quid sit, quod consuetudinem uocemus. Quæ si ex eo quod plures faciunt, nomen accipiat, periculosissimum dabit præceptum, non orationi modò, sed (quod maius est) uitæ. Vnde enim tantum boni, ut pluribus quæ recta sunt placeant? Igitur ut uelli, & comam in gradus frangere, & in balneis perpotare, quamlibet hæc inuaserint ciuitatem, non erit consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione: at lauamus & tondemus & conuiuimus ex consuetudine: sic in loquendo, non si quid uitiose multis insederit, pro regula sermonis accipiendum erit. Nam ut transeam quemadmodum uulgo imperiti loquuntur, tota sæpe theatra, & omnem Circi turbam exclamasse barbare scimus. Ergo consuetudinem sermonis, uocabo consensum eruditorum: sicut uiuendi, consensum bonorum.

De consuetudine uide Gellium lib. 2, cap. 10.

Consuetudo consensus bonorum, aut eruditorum.

MOSELLANI.

Est etiam sua } Propria. Scribentibus } scribere est ad ingenii gloriam stylum exercere. Ratione } Regula: Analogia } Id est proportio, similis similium nominum declinatio. Etymologia } Ratio uocis. Religio } id est, timor quidam qui antiquis debetur, siue reuerentia. Quorum alterum } Rationem habet, alterum non. Imo de stirpe } pro, de ima stirpe. Aeriæ quo congess } Pro Aerii palumbes. Virg. in Buc. Forma } scilicet insculpta. Analogia præcipuè } scilicet exigit acre iudicium: Rationem } Regulam. Modo faciendi } id est indicandi. Naturam } Originationem, etymologiam. Simili positione } Terminatione. Ennium Pictoremque Fabium } Vtrunque antiquissimum annalium scriptorem. Illud } Caput. Positum } id est, absolutum, & per se impositum. Hoc } id est, patet. Cogat Ceres dici Ceteris } id est, tam uarii sunt genitiui nominum desinentium in es. Ceres quod Ceteris facit, reliqua nomina in es finita coget terminari in ris syllabam in genitiuo. Positionis } id est, thematis eiusdem. Flexus } in diuersas declinationes. Quid quo modo } id est quo unumquodque nomen caderet, & inflecteretur. Audiuisse } id est, Pro audisse & sciste. Frugi } id est, commodus.

Nesciebamus } scilicet, est enim ironia. Odiosum } durum, molestū, inconsuetum. περίεργον } Curiosum dicitur, quicquid non pertinet ad rem & opus. ὀρθοέπειαν } Rectam rationem loquendi. Multum literatus } Ironia est, his uocabulis iam ab togatis. Adiiciat } Vix etiæ, scilicet duc, dic, fac. Vt cum ebur } sensus est, inanite mihi uidentur, qui in nominatiuo ebor & robor dicere, uolunt propterea quòd hæc nomina in obliquorum penultima o literam habent. Et guttur } Propterea scilicet, quòd nominatiuus in ur an per o, an per u declinandus esset, consuetudo certè obtinuit ut iecur iecoris, fæmur femoris dicatur. Antonius Gnifo } Nobilis grammaticus ætate Ciceronis, cuius ludum literarium, ut testatur Macrobius, etiam Marcus Tullius post forenses labores frequentare consueuerat, mirerum quò puerilium studiorum memoriam uelut refricaret.

Marmur } per u scilicet, etsi consuetudo marmor obtinuit.

Positionis } Nominatiui. Vlterius } Reliqua tempora à præterito formata. Nec præteritum refert } Sensus est, posset quispiam nobis obiicere, quod hæc uel nomina uel uerba inclinari queant in ea quibus dicuntur carere, etsi forte inusitata sint. Huic obiectioni Fabius tacite respondet, nihil interesse, habeatne uerbum nulla omnino inclinata, aut prædura, id est admodum inusitata. Neque uerò tantillum ad rem pertinet, quod Raphael hoc loco argutatur de mutanda lectione. Genitiuo } singulari. Senatus senati } sic & Terentius, nihil ornati, nihil tumulti, pro ornatus. Latine } Quemadmodum latinissimi scripsere, & locuti sunt. Grammatice loqui } Iuxta regulas præscriptas ab ipsis Grammaticis. Nimium } id est, plus satis. Etymologia } ἔτυμος enim græcis uerus dicitur, & λόγος sermo uel locutio, inde ἐτυμολογία dicta est.

Necessarium } id est admodum ad rem pertinentem. Marcus Cælius orator } Cuius meminit Cicero in Bruto. Interpretatione } id est, alteratione mentis, quoniam creditum ei non fuisset. Sedes } Est unde ad propositam quæstionem argumenta trahuntur, quibus propositum nostrum probemus, & alterius refutemus. Videtur autem locus à definitione generalior esse, & sub se continere locum etymologiæ uelut speciem & partem quandam. Triquetram } id est triangularem. huiusmodi enim figura Siciliam circunscribi Cosmographi sunt authores, & in primis Plinius libro tertio. Triquetram, quod consuetudo obtinuit, Triquedram, quod ratio & originatio sua det, ut sit à græco ἕδρασμα, quod sedem & locum significat, nonnunquam & finem. Bruti } scilicet appellentur. Titus Liuius Iunium primum consulem Romanum Brutum appellatum scribit, quòd metu Tarquinii superbi ex stultitiæ simulatione insidias & suspiciones cauerit, nimirum à brutis & ratione carentibus animalibus sumpto uocabulo. Publicolæ Dicti sunt à Valerio consule, qui ut author est idem Liuius, primus populo Romano fasces submilit, unde dictus est Publicola, quòd populum ueluti coleret, & eius uoluntati inseruiret.

Pithici } unde dicti sint, equidem non memini legere me apud idoneos scriptores, opinor tamen à persuadenti facultate nomen ductum, siquidem persuasionis dea, quam Latini ueteres Suadam uocarunt, à Græcis πειθώ nuncupatur. Alii legunt Pici. Latium } Dicta est pars quædam Italiæ, quod Saturnus cum tyrannidem filii Iouis fugisset, illic latuerit: cuius meminit & Lactantius. Italia } Si credimus Marco Varroni, ab armentorum & boum copia, quæ in ea est, nominata fuit. Nam ueteres boues ἰταλούς uocabant. At Virgil. Maro uersibus indicat dictam ab Italo duce quopiam eius regionis, prior etymologia est apud Gellium. Beneuentum } Oppidum est Samnitium, quod authore Plin. libro tertio autem Maleuentum dicebatur, sed postquam à Romanis captum esset, auspicatiore uocabulo Beneuentum dictum fuit. Capitolium } Dictum est, quòd illic à fundamenti fossoribus caput humanum sit effossum, author est Liuius libro primo ab urbe. Argiletum } Appellatum scribit Festus Pompeius post Varronem, quòd illic à Mercurio occisus sit Argus. Alii ab argilla terræ genere originationem sumunt. Est autem locus sub Palatino monte: Ad ueritatem } id est, ad fontem. Prauis ingeniis } si sint ingenio prauo præditi. Nam & hoc } id est, iudicare.

In dubitata } scilicet sunt, quam habeant etymologiam.

Iam sit } id est, uera etymologia. Lepus } Marcus Varro apud Gellium libro I. Noctium Attic. refutat hanc leporis rationem à præceptore suo Lælio traditam. asserit enim uocabulum esse priscum Græcum, quòd recentiori Græcorum lingua λαγώς, id est lepus dicatur. Ludus } id est schola. Etiamne hominem } Quasi dicas humanem. quam etymologiam Lactantius in libro de Opificio comprobat, & quanquam rideatur à Fabio, habuit tamen suum fundamentum etiam in Hebræorum lingua siquidem Hebræi duplici uocabulo hominem appellant, Aenos dicunt hominem, ea ratione, quia ex pulcherrima huius mundi structura non cessat deum conditorem admirari, laudare, & amare: id quod ueri hominis propriū est. Alterū est ADAM, quòd authore diuo Hyeronimo, hominem sonat è terra surgentem. ἠιθέους } Cœlibes iuuenes dici, nimirum à deorum una sumpto uocabulo, nam θεὸς Græcis deum significat, & ἀεὶ semper, quòd horum castimonia perpetua sit. Quanquam gentilium superstitio etiam cœlum adulteriis oppleuit, ut tradit Plinius lib. 2. In inuentione } subtilium etymologiarum. Agrum } Græce enim dicitur ἀγρός. Tanti fuit in tantum placuit. Habitu } id est proceritate. Etiam derinata } scilicet subiecerunt etymologiæ. Arte } Etymologica. Assertores } authores, uendicatores. Intermissa } scilicet aliquot temporibus. Manifesta } apparentia nimium, & immodicum studium antiquitatis præ se ferentia. Affectatione } immodico studio alicuius rei. Toper } cito. Antigerio } Valde. Exantlare } Exhaurire, perferre, à græco ἐξαντλεῖν, quod exhaurio significat. Prosapia } Generis series. Saliorum } sacerdotum XII quos Numa Pompilius secundus rex Romanorum Marti Gradiuo legit, qui sacra quædam carmina, picta tunica indui, per urbem salientes canerent: unde nomen habent. Liuius libro primo. Consecratis } iam dicatis in usum sacrum. Perspicuitatis } id est facilitatis intelligendi. Quàm facetiosa } id est ualde, per admirationē. Vt nouorum } Ex nouis

uocabulis

uocabulis. Maximè uetera } iam usurpatiora doctissimis. Noua } Viu nostri seculi approbatiora. Quid persuaserint } Quæ uocabula reliquerint nobis imitanda. Lurchabundū } Eum qui raptim & impetu uorat. Lurchonem enim uocamus gulosum.

Hos lodices } Cum sit fœminini generis. Pollioni } Oratori, cuius meminit Cicero in Bruto, qui Sallustium insectatus est, authore Gellio. Atqui } id est licet. Cæsio } Oratore, cuius meminit Cicero in Bruto. Colos } Pro color. Alij habent collos, ut sit accusatiuus pluralis à collum. Caluus persuaserit } Caluos poeta Elegiographus, uel potius Orator.

Consuetudo } scilicet sequendorum usus uocabulorum. Iudicium } Virtus quædam ingenij, qua discernimus quid sequendum, quid refellendum. Vells } Scilicet pilos sub alias, & pudendis. In gradus } Gradatim scindere. Perpotare } Quod totum est molliriei. Reprehensione } Scilicet luxus & mollitiei. Insederit } Persuasum sit. Theatra } Omnes spectatores, continens pro contento. Circi } id est, ludorum Circensium spectatores.

CAMERARII.

T Opper } cito. Antigerio } Valde. Exanciare } Cicero quoque dixit. Pontanus exannieulare, huius uerbi originem tradit, ludens opinor, cum sit manifestum ueteres dixisse anculare & anchor. Tuburcinabundum } Tuburcinari de hro: Lurcinari, helluari. Lauamus } Miror quid offenderit in his duobus uerbis illos mutatores, Quis enim nescit illud, Ventulum huic sic facito, dum lauamus. Vbi lauerimus, si noles lauato: & Tondenti barba cadebat.

ARGVMENTVM.

Post rationem loquendi, ad scribendi regulam accedit: hanc græcis orthographiam dictam: locum habere in dubijs, quo apice signandæ; neque eum in alijs desiderari, quia his quæ natura uel sola satis pateant, apponere apicem esse ineptissimum. At in malus pro arbore, & palus secundæ declinationis, longa nota monendos esse. Conducere & ad hoc orthographiam, ut quo pacto præpositiones cum uerbis iungendæ sint, sciamus: ut ex, cum specto, remanente s, ex specto; cum pecto, remota s, expecto. Nam in ijs solum fieri, in quibus id dubij propter affinitatem suboriri possit. Præpositiones per d scribendas, ut ad: aduerbia & coniunctiones per t: at, set. Quædam quæ per b scribantur, magis efferri per p, obtinuit. Per n scripta, commutari in m, immunis. In compositione manentibus omnibus, mediam literarum consonantem sequenti iungi aruspex, quia sit a spectando. Contra in abstemius, priori, quia sit ex abstinentia temeti, abs temius. Orthographiam quoque consuetudini seruire. Olim semiuocales non fuisse geminatas. Ciceronis temporibus s literam mediam uocalium longarum, uel subiectam longis, geminatam ut diuisio, caussa. Vsum fuisse ei diphthongi ubi esset i in pluralibus & in datiuo singularibus, quod superuacuum erat. Et ai pro æ in genitiuis & datiuis primæ, ut aulai, aquai. Quædam esse quę scribantur aliter quam enuncientur, Gneus, Caius. Alioqui sic scribendum esse quodque, quomodo sonat, nisi contra consuetudo obtinuerit.

De orthographia. Cap. VII.

NVNC quoniam diximus quæ sit loquendi regula, dicendum quæ scribentibus custodienda: quod græci ὀρθογραφίαν uocant, nos rectè scribendi scientiam nominemus. Cuius ars non in hoc posita est, ut nouerimus quibus quæque syllaba literis constet (nam id quidem infra grammatici officium est) sed totam, ut mea fert opinio, subtilitatem in dubijs habet: ut longis syllabis omnibus apponere apicem, ineptissimum est, quia plurima natura ipsa uerbi quod scribitur, patent: sed interim necessarium, cum eadem litera alium atque alium intellectum, prout correpta uel producta est, facit: ut malus, utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur. Palus aliud priore syllaba longa, aliud sequenti significat: & cum eadem litera nominatiuo casu breuis, ablatiuo longa est, utrum sequamur, plerunque hac nota monendi sumus. Similiter putauerunt illa quoque seruanda discrimina, ut ex præpositionem, si uerbum sequeretur specto, adiecta secundæ syllabæ s litera, ex specto: sed si pecto, remota s scriberemus. Illa quoque seruata est à multis differentia, ut ad, cum esset præpositio, d literam: cum autem coniunctio, t acciperet. Item cum, si tempus significaret, * per q: si comitem, per c: si uerò caussam, per q ac duas sequentes u u scriberetur. Frigidiora his alia, ut quicquid, c quartam haberet, ne interrogare bis uideremur. Et quotidie, non cotidie, ut sit, quot diebus. * Verùm hæc iam inter ipsas ineptias euanuerunt. Quæri solet in scribendo, præpositiones, sonum quem iunctæ efficiunt, an quem separatæ, obseruare conueniat: ut cum dico obtinuit. secundam enim b literam ratio poscit, aures magis audiunt p. Et immunis, illud n quod ueritas exigit, sequentis syllabæ sono uictum, m gemina commutatur. Est etiam in diuidendis uerbis obseruatio, mediam literam consonantem priori an sequenti syllabæ adiungas. Aruspex enim, quia pars eius posterior a spectando est, s literam tertiæ dabit: abstemius, quia ex abstinentia temeti composita uox est, primæ relinquetur. Nam K quidem in nullis uerbis utendum puto, nisi quæ significat, etiam ut sola ponatur. Hoc eò non omisi, quòd quidam eam quoties a sequatur, necessariam credunt: cum sit c litera, quæ ad omnes uocales uim suam perferat. Verùm orthographia quoque consuetudini seruit, ideóque sæpe mutata est. Nam illa uetustissima transeo tempora, quibus & pauciores literæ, nec similes his nostris earum formæ fuerunt, & uis quoque diuersa: sicut apud græcos o literæ quæ interim longa ac breuis, ut apud nos: interim pro syllaba quam nomine suo exprimit, posita est: ut latinis ueteribus d plurimis in uerbis ultimam adiectam: quod manifestum est etiam ex columna rostrata quæ est C. Duellio in foro posita. Interim g quoque, ut in puluinari Solis qui colitur iuxta ædem Quirini, uesperug: quod uesperuginem accipimus. De mutatione etiam literarum, de qua suprà dixi, nihil repetere hic necesse. Fortasse enim sicut scribebant, etiam ita loquebantur. Semiuocales non geminare, diu fuit usitatissimi moris: atque econtrario usque ad Accium & ultra, porrectas syllabas geminis, ut dixi, uocalibus scripserunt. Diutius durauit ut e i iungendis, eadem ratione qua græci ει uterentur. ea casibus numerisque discretæ sunt, ut Lucillius præcipit, Iam puerei uenere, e postremum facito, atque i,

Vt pueri plures fiant. ac deinceps idem,
Mendacei furei que addes e, cum dare furi. Iusseris.

Quod quidem cum superuacuum est, quia i, tam longæ quàm breuis naturam habet: tum incommodum aliquando. Nam in ijs quæ proximam ab ultima literam e habebunt, & i longa terminabuntur, illam rationem sequentes, utemur e gemina, qualia sunt hæc, aure ei, & singula, argentei, & similia. idque ijs præcipuè qui ad lectionem instituentur, etiam impedimento erit: sicut in græcis accidit adiectione i literæ: quam non solùm datiuis casibus in parte ultima ascribunt, sed quibusdam etiam interponunt, ut in ΛΗΙΣΤΗΙ quia etymologia ex diuisione in duas syllabas facta, desideret eam literam ai syllabam, cuius secundam nunc e literam ponimus, uariè per a & i efferebant, quidam semper ut Græci: quidam singulariter tantum, cum in datiuum uel genitiuum casum incidissent, unde pictai uestis, & aquai, Virgilius amantissimus uetustatis, carminibus inseruit. In ijsdem plurali numero e utebantur, hi Syllæ, Galbæ. Est in hac quoque parte Lucilij præceptum: quod quia pluribus explicatur uersibus, si quis parum credat, apud ipsum in nono requirat. Quid quòd Ciceronis temporibus, paulumque infrà, ferè quoties s litera media uocalium longarum, uel subiecta longis esset, geminabatur? ut caussæ, cassus, diuissiones: quo modo & ipsum, & Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent. Atqui paulum superiores, etiam illud quod nos gemina s dicimus iussi,

Quando apex est appositio necessaria.

* per q n o

m, si comitē per c u m

Obseruatio ueterū in orthographia nimis curiosa:

* uide Vallā lib. 6. ca. 60.

In uerbis diuidendis obseruatio.

Orthographia nonnunquam cōsuetudini cedit.

Plin. lib. 34. cap 5.

Cap. 4.

Superuacua obseruatio diphthongi apud ueteres

Aene. 9 & 3. Vide Cæliū lib. 14. ca. 19. & politianū miscella: ca. 43.

Caussa. Cassus. Diuissiones.

una dixerunt, iusi. Etiam optimus, maximus, ut mediam i literam, quæ ueteribus u fuerat, acciperent, C. primùm Cæsaris inscriptione traditur factum. Here nunc e litera terminamus: at ueterum Comicorum adhuc libris inuenio, Heri ad me uenit, quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit, aut emendauit, deprehenditur. Quid? non Cato Censorius, dicam & faciam, dicem & faciem scripsit: eundemq; in cæteris quæ similiter cadunt, modum tenuit? quod & ex ueteribus eius libris manifestum est, & à Messala in libro de S litera positum. Sibe & quase, scriptum in multorum libris est: sed an hoc uoluerint authores, nescio: T. Liuium ita his usum, ex Pediano comperi, qui & ipse eum sequebatur. hæc nos i litera finimus. Quid dicam uortices, & uorsus, cæteraque ad eundem modum, quæ primò Scipio Africanus in e literam secundam uertisse dicitur? Nostri præceptores ceruum seruomque, u & o literis scripserunt, quia subiecta sibi uocalis, in unum sonum coalescere, & confundi nequiret: nunc u gemina scribuntur, ea ratione quam reddidi; neutro sanè modo uox quam sentimus, efficitur.

Sibe, Quase,

Supra cap. 4. Claudius digamma æolicum adijcere latinis tentauit. * vide Polit. c. 89. miscel. Gneus sexto Pōpeio scribitur à generando.

*Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam ad hos usus F literam adiecerat. Illud nunc melius, quod, cui, tribus quas proposui literis enotamus: in quo pueris nobis, ad pinguem sanè sonum, * qu & oi utebantur, tantum ut ab illo qui, distingueretur. Quid, quæ scribuntur aliter quàm enunciantur? Nam & Gaius C litera notatur, quæ inuersa Ɔ mulierem declarat: quia tam Caias esse uocitatas, quàm Caios, etiam ex nuptialibus sacris apparet. Nec Cneus eam literam in prænominis nota accipit, qua sonat: * & columa, exempta n litera: & Consules, geminata s litera Coss. legimus: & Suburra quum tribus literis notatur, * c tertiam ostendit. Multa sunt generis huius: sed hæc quoque uereor ne modum tam paruæ quæstionis excesserint. Iudicium autem suum grammaticus interponat his omnibus. Nam hoc ualere plurimum debet. Ego (nisi quod consuetudo obtinuerit) sic scribendum quicq; iudico, quomodo sonat. Hic enim usus est literarum, ut custodiant uoces, & uelut depositum reddant legentibus. itaque id exprimere debent, quod dicturi sumus. Hæ ferè sunt emendatè loquendi scribendiq; partes: duas reliquas, significanter ornatéque dicendi, non equidem grammaticis aufero: sed cum mihi officia Rhetoris supersint, maiori operi reseruo. Redit autem illa cogitatio, quosdam fore, qui hæc quæ diximus, parua nimium, & impedimenta quoque maius aliquid agendi, putent. Nec ipse ad extremam usque anxietatem, & ineptas cauillationes descendendum, atque his ingenia concidi & comminui credo. Sed nihil ex grammatica nocuerit, nisi quod superuacuum est. An ideo minor est M. Tullius orator, quòd idem artis huius diligentissimus fuit, & in filio (ut in epistolis apparet) rectè loquendi usquequaque asper quoque exactor? Aut uim C. Cæsaris fregerunt editi de analogia libri? Aut ideo minus Messala nitidus, quia quosdam totos libellos non de uerbis modò singulis, sed etiam literis dedit? Non obstant hæ disciplinæ per illas euntibus, sed circa illas hærentibus.*

* & columa & Coss. exēpta n litera legimus. * Suc. a pago Succusano.

Sic scribendum quicq; quomodo sonat.

Lib. 8.

Cicero.

Cæsar. Messala.

MOSELLANI.

INfra Grammatici] id est, minus est quàm quod Grammaticus tradere debeat. Malus] Nam cum prior syllaba longam lineam suprascriptam habet, arborem significat: cum autem breuem apicem & curuum ut sursum spectet, continet, significat non bonum. Palus priore syllaba producitur] dū perticam & uallum significat: palus paludis, locum palustrem, corripitur. Nota] id est apice longo uel breui. Pluris nequis] scilicet putet genitiuum singularem esse. Adiectione literæ] Datiui omnium declinationum Græcarum ultimam uocalem iota habent, uel simpliciter expressam sua syllaba, uelut in quinta inflexione, ut βῆμα, βήματι: uel adscriptam ultimæ syllabæ, minori tamen nota, quemadmodum contingit in quatuor declinationibus prioribus, quanquam hodie non ascribitur ultimæ iota, sed subscribitur punctuli in modum, ita, λῃστῇ. Nam deriuatur à λῄζομαι, quod prædor significat latine. λῃστῇ] id est, latroni. Coniunctio] Scilicet aduersatiua. Comitem] id est, comitatum, societatem. Si uero quum per q] Si esset coniunctio continuatiua uel conditionalis. Et quotidie] Scilicet censuerunt scribendum. Verum hæc] Scilicet discrimina. Obtinuit] Inter b & p postpositas literas uocalibus & cōsonantibus, maximè mutis præpositas, nihil fermè discriminis seruari potest: propterea quòd etsi diuersæ scilicet sunt mutæ, genere tamen eiusdem ferè potestatis: unde fit ut altera in alteram transeat. Immunis] Compositum enim est immunis, ab in, quod priuat, & munus, significatque eum qui ab aliquo uacationem habet. Temetu] Prisca Latina lingua temetum uinum dictum est. Nam K quidem] Vt Karthago, & Kalendæ. Hæc enim atque alia quædam per solam K in ueteribus Romanorum monumentis tradit scribi Valerius Probus de literarum significatione. Nam illa uetustissima] Haud dubium est, quin hic locus miseris modis sit deprauatus. Attamen cum sensum Fabij adhuc uelut è ruinis colligere liceat, non est animus quicquam immutare. Porro sensus hic habet, quod apud Græcos quoque priscis temporibus pauciores literæ fuerint, quando apud nos una & eadem litera O iam longa, iam breuis est, ita quoque apud ueteres Græcos fuerit unum tantum O, quod iam extenderetur, & contraheretur, quòd id quoque in Eusuuenisse apud Græcos restatur Theodorus Gaza libro. 3. adiectam scilicet significans. Pauciores literæ] Nam tantum sexdecim fuerunt literæ, qua de re uide Plinium lib. septimo & Priscianum libro primo Quoque] Scilicet adiecta, significat ultimas syllabas. Vesperus] Stella quæ uesperi primùm apparet. Sic Marcus Varro exponit. Ad Accium] Poetam tragicum, cuius meminit Gellius libro decimoseptimo cap. ultimo. Græciæ] Vsurpant hoc contractione facta si breuibus syllabis in longam ει, id quod usu uenit in datiuis nominum contractorum primæ declinationis. Lucilius] Scilicet in uersibus grammaticarum rerum. Quod quidem] Scilicet discrimen seruare in scripto. Pictai] Diues pictai uestis, & auri. Virg. 9. In iisdem] Nominibus. Inscriptione] Cuiusmodi sunt figuræ numismatum. Quia subiecta sibi uocalis] Ratio plane nihil ualet, quando prius illud u non est uocalis, sed consonantis loco ponitur quoties seipsam præcedit, unde coniectura est in seruus & ceruus, eam uocem à Fabio sentiri, quam haberent scripta per f, quod ad sonum u cōsonantis nonnihil flatus adijcit. Nam &] Pronunciamus Caius per g, quia g sonat, & per c scribitur: cuius rei rationem reddit Diomed. libro secundo quòd apud uetustissimos latinos non fuerit usus g literæ, sed c tantum, quæ tertium locum in serie literarum ita occupet, quemadmodum apud Græcos quoque γ. Enotamus] id est scribimus ad discrimen aliorum. Generis] id est rationis, quæ mutata sunt consuetudine. Quod] Quantum. Depositum] Sibi commissum. Hæc enim] scilicet analogia, etymologia, orthographia. Nec ipse] scilicet puto.

CAMERARII.

NE interrogare] Vt Terentianum hoc: Quid? quid aliud uolui dicere: & quid? quid uenire in mentem nunc possit mihi? Græcos s] Apud Græcos cum ε & η tempore solummodo differant, sicut ο & ω: neque η, neque ω literæ figuræ priscis cognita fuit. Plinius annotauit Simonidem inuenisse. Porrò syllabam quam suo nomine exprimat, accipio ει. Nam ita hanc breuem, & alteram ει dixerunt. Columna rostrata] C. Duillio, seu Duellio, ut apud Ciceronem legimus, qui primus naualem triumphum egit de Pœnis, columna posita est. Plinius libro trigesimoquarto capite quinto. Quid autem Fabius indicare uoluerit, locus corruptior est, quàm ut possit animaduerti. De mutatione] Vno exemplo satis planum fieri posse arbitror, pronunciasse ueteres compositas cum alia dictione præpositiones non integrè, sed eo quasque sono, quem sequens litera desideraret. Sic enim apud Plautum uocanti seruus respondet: Asinum. Tum ille: At ego elixus sis uolo, inquit. Has mutationes Grammatici docent. Vt in λῃστῇ] In datiuo λῃστῇ. Sed ueteres, idque sero, adscripserunt, quod subscribimus.

subscribimus nunc in diphthongis improprijs λεία autem prædam significat, unde est ληΐζομαι & λῃστής. Quòd si trisyllabum fiat, efferenda erit litera ι quam η occulit. Iliados I. ληϊστοὶ μὲν γάρ τε βόες. Caussæ] Pontanus caussam à cauis, id est antris, in quibus ueteres uitarent tempestates, & quicquid aduersi timerent, caueo factum, & inde caussam scribit, ludens amœnissimi ingenij fertilitate. Ea ratione] I enim & u insidere sibi supra docuit in conijcit, & uulgus. Claudius] Suetonius tradit trium literarum figuras excogitasse Claudium, ex quibus Aeolici digamma una, & ↓ duplicis altera fuit, τὴν τρίτην ζητοῦμεν. Gaias] Ingrediens mariti domum noua nupta iubebabatur ita dicere. Vbi tu Gaius, ego Gaia. Annotauit Plutarchus ratione addita, quòd tum mulier communem administrationem rei domesticæ tanquam materfamiliàs uendicaret sibi.

Suburra, Suc.] Vnde à succurrendo Grammatici deduxerût.

C. Cæsaris] Dictatorem Cæsarem dicit, hos libros accipio fuisse, quorum mentio fit in Bruto à Cicerone ad ipsum scriptorum de lingua Latina.

ARGVMENTVM.

Hactenus de his quæ ad methodicen grammaticam pertinebant, nunc quę ad historicen siue exegeticen, proponit. In legendi ratione docendum puerum esse, ubi suspendere spiritum debeat, quo loco uersum distinguere, ubi claudatur sensus, unde incipiat, quando attollenda uel submittenda uox, quid lentius, celerius, concitatius, lenius, dicendum. Lectionem uirilem esse debere, & cum suauitate grauem. Et quia teneræ mentes altius trahant quicquid rudibus annis insederit, placere, ut lectio ab Homero & Virgilio incipiat, ut pęter alia commoda sublimitate carminis heroici animus assurgat, & magnitudine rerum spiritum ducat. Vtiles esse etiam & tragœdos. Alere lyricos, si partes operum presertim quæ uacant obscœnitate, eligantur. Elegiam quæ amat, repudiandam. Comœdiam quę plurimum ad eloquentiam conferat, cum mores erunt in tuto, inter præcipua legendam. In quibus grammatici officium sit, curare partes orationis sibi soluto uersu reddi, & pedum proprietates, ut quæ barbara, quæ impropria, deprehendat, ostendatque, uel uenia digna propter necessitatem, uel etiam laudi ducenda, ut etiam demonstret, quot quęque uerba modis intelligenda sint. Circa glossemata quoque, id est uoces minus usitatas, pueros diligenter exerceat. Præterea tropos maiore cura, & figuras tum sententiarum tum uerborum excutiat. His etiam ut accedat enarratio historiarum non nimis operosa. Nam fabulas etiam contemptissimas persequi, 'esse uslant. In omnibus doceat quæ in œconomia uirtus, quid in decoro rerum, quid personæ cuique conueniat, quid in sensibus, ubi copia probabilis, ubi modus.

De lectione pueri. Cap. VIII.



*V perest lectio: in qua puer ut sciat ubi suspendere spiritum debeat, quo loco uersum distinguere, ubi claudatur sensus, unde incipiat, quando attollenda uel submittenda sit uox, quid quoque flexu, quid lentius, celerius, concitatius, lenius dicendum, demonstrari nisi in opere ipso non potest. Vnum est igitur quod in hac parte præcipiam: ut omnia ista facere possit, intelligat. Sit autem * in primis lectio uirilis, & cum suauitate quadam grauis: & non quidem prosæ similis. quia carmen est, & se poeta canere testantur, non tamen in canticum dissoluta, nec plasmate (ut nunc à plerisque fit) effœminata de quo genere optimè C. Cęsarem prætextatum adhuc accepimus dixisse: Si cantas, malè cantas: si legis, cantas. Nec prosopopœias, ut quibusdam places, ad comicum morem pronunciari uelim: esse tamen flexum quendam, quo distinguatur ab ijs in quibus poeta persona sua utetur. Cætera admonitione magna egent: in primis, ut teneræ mentes, tracturæque altius quicquid rudibus & omnium ignaris insederit, non modò quæ diserta, sed uel magis quę honesta sunt, discant: ideóque optimè institutum est ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet: quanquam ad intelligendas eorum uirtutes, firmiore iudicio opus esset. sed huic rei superest tempus: neque enim semel legentur. Interim & sublimitate heroici carminis animus assurgat, & ex magnitudine rerum spiritum ducat, & optimis imbuatur. Vtiles Tragœdia. Alunt & Lyrici: si tamen in his non authores modò, sed etiam partes operis elegeris. Nam & Græci licenter multa, & Horatium in quibusdam nolim interpretari. Elegia uerò, utique quæ amat, & Hendecasyllaba, quibus sunt commata Sotadeorum (nam de Sotadeis ne præcipiendum quidem est) amoueantur, si fieri potest: si minus, certè ad firmius ætatis robur reseruentur. Comœdiæ, quæ plurimum conferre ad eloquentiam potest, cum per omnes & personas & affectus eat, quem usum in pueris putem, paulo post suo loco dicam. Nam cum mores in tuto fuerint, inter præcipua legenda erit. de Menandro loquor: nec tamen excluserim alios. Nam Latini quoque authores afferent utilitatis aliquid. Sed pueris, quæ maximè ingenium alant, ‹‹ atque animum augeant, prælegenda: cæteris quæ ad eruditionem modò pertinent, longa ætas spacium dabit. ‹‹

*poetarû in primis lec.

Vide Cæliû Rhodi. lib. 5. cap. 24.

Honesta discenda.

Ab Homero & Virgilio incipienda lectio.

Tragœdia Lyrici.

Horatius.

Turpia, aut quæ docent amare, à pueris amouéda.

Comœdia.

Multum autem ueteres etiam Latini conferunt: quanquam plerique plus ingenio quàm arte ualuerunt. in primis copiam uerborum: quorum in Tragœdijs grauitas, in Comœdijs elegantia, & quidam uelut ἀττικισμὸς inueniri potest. Oeconomia quoque in his diligentior, quàm plerisque nouorum erit, qui omnium operum solam uirtutem sententias putauerunt. Sanctitas certè, ut sic dicam, uirilitas ab his petenda, quando nos in omnia deliciarum genera uitiaque, dicendi quoque ratione defluximus. Denique credamus summis oratoribus, qui ueterum poemata uel ad fidem caussarum, uel ad ornamentum eloquentiæ assumunt. Nam pręcipuè quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium etiam, & cæteros, qui sunt proximi, uidimus Ennij, Accij, Pacuuij, Lucilij, Terentij, Cæcilij, & aliorum inseri uersus, summa non eruditionis modò gratia, sed etiam iucunditatis: cum poeticis uoluptatibus aures à forensi asperitate respirent. quibus accedit non mediocris utilitas, cum sententijs eorum uelut quibusdam testimonijs, quæ proposuere confirment. Verùm priora illa ad pueros magis, hæc sequentia ad robustiores pertinebunt: cum Grammatices amor, & usus lectionis, non scholarum temporibus, sed uitæ spacio terminentur. In prælegendo grammaticus & illa quidem minora præstare debebit, ut partes orationis reddi sibi soluto uersu desideret, & pedum proprietates: quæ adeò debent esse notæ in carminibus, ut etiam in oratoria compositione desiderentur: deprehendatq; quæ barbara, quæ impropria, quæ contra legem loquendi sunt posita: non ut ex his utique improbentur Poetæ (quibus quia plerunque metro seruire coguntur, adeò ignoscitur, ut uitia ipsa alijs in carmine appellationibus nominentur. metaplasmos enim, & schematismos, & schemata, ut dixi, uocamus, & laudem uirtutis necessitati damus) sed ut commoneat artificialium, & memoriam agitet. Id quoque inter prima rudimenta non inutile, demonstrare quot quæque uerba modis intelligenda sint. Circa glossemata etiam, id est uoces minus usitatas, non ultima eius professionis diligentia est. Enimuero iam maiore cura doceat tropos omnes, quibus pręcipuè non poema modò, sed etiam oratio ornatur: schemata utraque, id est figuras quæque λέξεως quæque διανοίας uocantur: quorum ego, sicut troporum, tractatum in eum locum differo, quo mihi de ornatu orationis dicendum erit. Præcipuè uerò illa infigat animis, quæ in œconomia uirtus, quę in decoro rerum: quid personæ cuique conuenerit: quid in sensibus laudandum, quid in uerbis: ubi copia probabilis, ubi modus. His accedat enarratio historiarum, diligens quidem illa, non tamen usque ad superuacuum laborem occupata. Nam receptas, aut certè claris authoribus memoratas exposuisse satis est. Persequi quidem quod quisque unquam

Veterû poetarum authoritas.

Pro Cælio, pro Cor. Balbo, in Antonium, in Pisonem.

In prælegêdo Grammatici officium.

Supra cap. 5. de uirtutibus & uitiis orationis.

Glossemata.

Lib. 8.

quam uel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiæ miseriæ, aut inanis iactantiæ est: & detinet atque obruit ingenia melius alijs uacatura. Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Atqui pleni sunt eiusmodi impedimentis Grammaticorum commentarij, uix ipsis qui composuerunt, satis noti. Didymus. *Nam Didymo quoque, quo nemo plura scripsit, accidisse compertum est, ut cum historiæ cuidam tanquam uanæ repugnaret, ipsius proferretur liber, qui eam continebat. Quod euenit præcipuè in fabulosis usque ad deridicula, quædam etiam pudenda: unde improbissimo cuique pleraque fingendi licentia est, adeò ut de libris totis, & authoribus, ut succurrit, mentiatur tutò, quia inueniri, qui nunquam fuere, non possunt. Nam in notioribus frequentissimè deprehenduntur à curiosis.* Nescienda aliqua. *Ex quo mihi inter uirtutes Grammatici habebitur, aliqua nescire.*

MOSELLANI.

LEctio] Cognitio rectè loquendi. Suspendere spiritum] interquiescere. Flexu] id est temperata uoce. Lentius] id est tardius. Intelligat] id est intelligere oportet. Poetæ canere se testantur] Diuus Seuer. Boethius libro de Musica. cap. 12. sic ait, Omnis uox aut συνεχὴς, id est continua, aut διαστηματικὴ, quæ dicitur cum interuallo suspensa. Continua ea dicitur, qua loquentes, uel prosam orationem legentes, uerba percurrimus, festinat enim tunc uox, cum non hærere in acutis & grauibus sonibus potest, sed quàm uelocissime uerba percurrere expediendis sensibus, exprimendisque sermonibus, διαστηματικὴ autem est ea, quam canendo suspendimus, in qua non sermonibus, sed modulis inseruimus. estque uox ipsa tardior, & per modulandas uarietates quoddam faciens interuallum, non taciturnitatis, sed suspensæ ac tardæ potius cantilenæ. His, ut quidam autumnant, additur tertia differentia, quæ medias uoces possit includere, quam Vitruuius lib. de Archi. 5. cap. 4. medianam nuncupat, cum scilicet Heroum poemata legimus, atque continuo cursu ut prosam: neque suspensam, segniorisque modo uocis, ut canticum. Psalmata (ψάλλω authore Suida, propriè summis digitis chordas musicorum instrumentorum attingo, quò gracilior & tenuior & magis tinnula reddatur uox. Iam uero fœminarum uox natura est acuta, & gracilius tinnit digitorum grauitate. Itaque factitium illud graciliores lectionis genus, hoc loco à Fabio damnari uidetur. Quanquam non displicet quod Raphael plasmate legẽdum manuli, quod sit medicamentum efficax ad uocem emolliendam. Id quod Persius indicare uidetur ubi dicit, Liquido cum plasmate guttur Mobile colluerit. Prætextatum] Cum nondum uirilem togam sumpsisset. Prosopopœias] Affictiones, aut fictas personarum inductiones. Flexum] Mutationem quãdam uocis. Interim] id est dum nondum uirtutem eorum potest intelligere. Spiritum] Id est audaciam, magnam fiduciam.

Rerum] Scilicet quæ narrantur ibi apud Horatium & Virgilium. Tragœdi] ut Sophocles, Euripides. Lyrici] Vt Pindarus, & apud nos Horatius in Odis. Elegia] Quæ à deploratione mortuorum nomen habet. Commata Cæsuræ, sectiones, incisiones. Commata Sotadeorum] A prælectione, sunt autem Trochaica crebris cæsuris distincta, eo ingenio, ut eodem metro seruato, retro legi queant, quorum author Sotades fuit. Id quod Martialis indicat his uerbis, Nec legis retro Sotadem cinædum. In primis] Scilicet conferunt Latini prisci scriptores. Plus ingenio quàm arte] Horatius quoque in Latinis ueteribus artem desiderat, & castigandi laborem, his uersibus, Aut ignoratæ premit artis crimine turpi, Et data Romanis uenia est indigna poetis. Atticismus] Id est gratissima Attici sermonis puritas, quæ quemadmodum & Gellius testatur, cæteris Græcorum linguis & puritate & breuitate succulenta præstitit. Oeconomia] Id est dispensatio & distributio argumenti proprij. Poeticis uoluptatibus] Id est amœnis poetarum uersibus. Reddi] Exhiberi, expromi. Metaplasmos] Transformationes, ut dixi de barbarismo & solœcismo.

Necessitati] Qua scilicet coguntur sic loqui poetæ. Artificialium] Artificii poetici. Circa glossemata] Aristoteles in Poetices lib. sic inquit, Omnis uox aut propria est, qua uidelicet singuli utuntur: aut est glossa, qua cæteri, hoc est, ut pollea ipse exponit, Heroicorum uersuum scriptores. Ex quibus Aristotelis uerbis, atque etiam ex his quæ ex Eustathio citat Etymologicus, colligere licet, glossemata & glossas apud Fabium priscas & poeticas uoces rectè intelligi. quas idem Fabius iam ante linguam secretiorem interpretatus est, & hic uoces minus usitatas appellat. Sic apud Diomedem intelligendum est glossematicum dicendi genus, Qui itaque apud ueteres has uoces interpretabatur, in Græcorum commentariis glossographi dicuntur. Tropos] Mutationes sermonis uulgaris per alium uenustiorem. Schemata] id est habitus. Instigat] Instillat.

Certe] id est saltem, sæpius sic accipitur apud authores.

Didymo] Græco scriptore Grammatico, cuius meminit Suidas, & qui πολύγραφος dictus est. Vnde] Ex qua rei caussa.

Deprehenduntur] id est opprimuntur. Nescire] scilicet quæ non est opus scire.

CAMERARII.

SIt autem poetarum] Etsi uidebam cuiuis facile apparere incuria librariorum dictionem hanc, Poetarum, omissam, tamen nolui locum à nobis correctum non suffragantibus exemplaribus ullis, signare. Cæterum plasma significat uocis quasi colluuationem. apud Persium ipsum collyrium accipiũt, Liquido cum plasmate guttur Mobile colluerit. Commata Sotadeorum] Sotades ex eorum numero, qui quòd obscœna scriberent, κιναιδόλογοι dicebantur, hoc in genere carminum facilè uicit superiores. Hunc quòd obscœnè exprobrasset sororis coniugium Ptolemæo Philadelpho, consecutus iuxta Caunum Patroclus, unus ex Ptolemæi ducibus, inclusum arcæ plumbeæ in mare immersit. fuit patria Maronites. Vsus est Ionica dialecto. Commata autem uocat cæsuras. Sotadeas cæsuras in Trochaicis & Ionicis carminibus annotarunt Grammatici. Et Heroicum quod in Trochaicum trimetrum acatalecticum retro uersum legatur, Sotadicum dixere. Retro enim lecta fuisse Sotadica Martialis significat: Nec retro lego Sotadem Cinædum, & Ausonius σωταδικόν τε καὶ ἀστεῖον ἰωνικὸν ἀμφοτέρωθεν, ut iste apud Diomedem Ionicus ἀπὸ μείζονος: Pansa optime diuos cole, si uix bonus esse, retro lectus uersus Heroicus efficitur, quæ quidem inuersiones carminum usurpatæ & in elegiis à Græcis inueniuntur, ut illud [Greek verse, partly illegible] ἐν ἄλλῳ. Verte & retro leges omnia manentibus numeris & sensu, [Greek, partly illegible]. Exemplum Heroici, qui retrò lectus Sotadeus fit, & Fabius adducit libro nono. Astra tenet cœlum, mare classes, area messem, & Sotadeum, qui retro trimeter Iambicus, Caput exerit nobile pinus repetita.

Oeconomia] Id est ordo & dispositio quædam argumenti. Ita etiam Cicero libro sexto scribens Attico, Nec οἰκονομίαν meam instituam, sed ordinem conseruabo tuum. Pedum] Sub rhythmo metrum est tanquam genere. Rhythmum autem etiam dicimus qui est in congruo pedum motu, id est, ἄρσει καὶ θέσει, unde metricæ syllabæ & ipse exactæ ad hanc congruentiam, dictæ sunt pedes.

ARGVMENTVM.

Perfectis duabus grammatices partibus, nempe methodice & historice, adijcit ueluti corrollarium grammaticorum cura quædam dicendi primordia: Fabellas primum Aesopicas, & earum tractandarum rationem, chrias etiam & ethologias, atque sententias: & chriarum plura genera, aliud in uoce simplici, aliud in respondendo, aliud in facto, aliud huic penè par quod chriodes appellant.

De officio Grammatici, & quæ primordia sint dicendi. Cap. IX.



ET finita quidem sunt partes duæ quas hæc professio pollicetur, id est ratio loquendi, & enarratio authorum: quarum illam methodicen, hanc historicen uocant. Adijciamus tamen eorum curæ quædam dicendi primordia, quibus ætates nondum Rhetorem capientis instituãt. Primordia quædam rhetorices Grãmaticis permissa. *Igitur Aesopi fabellas, quæ fabulis nutricularum proximæ succedunt, narrare sermone puro, & nihil se supra modum extollente, deinde eandem gracilitatem stylo exigere condiscant: Versus primò soluere, mox mutatis uerbis interpretari: tum paraphrasi audacius uertere, qua & breuiare quædam, & exornare, saluo modò poetæ sensu, permittitur. Quod opus, etiam consummatis professoribus*

*professoribus difficile, qui commodè tractauerit, cuicunque discendo sufficiet. Sententiæ quoque & chriæ & ethologiæ * subiectis dictorum rationibus apud Grammaticos scribantur, quia initium ex lectione * ducunt. Quorum omnium similis est ratio, forma diuersa: quia sententia uniuersalis est uox, ethologia * personis continetur. Chriarum plura genera traduntur. Vnum, simile sententiæ, quod est positum in uoce simplici, Dixit ille, aut, Dicere solebat. Alterum, quod est in respondendo: Interrogatus ille, uel, Cum hoc ei dictum esset, respondit. Tertium huic non dissimile, cum quis non dixisset, sed aliquid fecisset. Etiam in ipsis factis esse chriam putant: ut, Crates cum indoctum puerum uidisset, pædagogum eius percussit. Et aliud penè par ei, quod tamen eodem nomine appellare non audent, sed dicunt χρειῶδες: ut, Milo quem uitulum assueuerat ferre, taurum ferebat. In his omnibus & declinatio per eosdem ducitur casus, & tam factorum quàm dictorum ratio est. Narratiunculas à poetis celebratas, notitiæ caussa non eloquentiæ tractandas puto. Cætera maioris operis ac spiritus, Latini Rhetores relinquendo, necessaria Grammaticis fecerunt: Græci magis operum suorum & onera & modum norunt.*

ethiologia. ratione. ethiologia. chriarū genera.

MOSELLANI.

Methodicen] Id est compendiosam præceptionem, siquidem ὁδὸς Græcis uiam significat, & μέθοδος uiam breuiusculam, & magis compendiosam, quæ à publica, qua incedere uetuit Pythagoras, per agrum declinat, unde abbreuiationes, & artium præceptiones hoc uocabulo ab Aristotele intelliguntur. Succedunt] Affines & cognatæ sunt. Modum] Scilicet argumenti. Stylo] id est scriptione. Sententiæ quoque] Sententia est oratio generalem pronunciationem habens, hortans ad aliquam rem, uel deterrens: ut in illo Homerico, Non oportet per totam noctem dormire principem uirum. Hortans uerò, ut in illo Theognidis Græci antiquissimi poetæ, Oportet eum qui pauperiem fugere statuerit, uel latissimum pontum penetrare, & scopulos non horrere præcipites. Sic Priscianus transtulit, scribens de exercitatione Rhetoricorum. Et Chriæ] Vsus, quem Græci χρείαν uocant, est commemoratio alicuius orationis, uel facti, uel utriusque simul, celerem habens demonstrationem, quæ utilitatis alicuius caussa plerunque profertur, unde & nomen habet. ἠθολογία] Quam Hermogenes authore Prisciano ἠθολογίαν uocat, dicitur imitatio sermonis ad mores & suppositas personas accommodata. Priscianus allocutionem interpretatur, non admodum significanter, nam ἦθος mos & consuetudo dicitur, & λόγος oratio. Paraphrasi] Vberiore expositione circa eandem sententiam uerbis uenustioribus. Cuicunque dicendo] Cuiuscunque exercitationis genere. Voce] id est pronunciatione, ut Demosthenes quo pacto Orator factus esset maximus, interrogatus, respondit se plus olei quàm uini consumpsisse. Crates] Philosophus Thebanus, qui auri grande pondus mari immerit, ne ipse ab eo submergeretur. χρειῶδες] id est usuale. Ratio] Caussa subiunctiua aliquoties. Narratiunculas] id est poetarum fabulas, quæ fictæ uerissimum dispositione imaginem ueritatis exhibeant. Maioris operis] Curæ, ut operationem, laudem, refutationem, locum communem, comparationem, descriptionem, positionem, & legislationem, quæ omnia apud Græcos ante Rhetorices ingressum tractantur. Spiritus] Audaciæ & fiduciæ. Grammaticis] id est Grammaticorū præceptionibus.

CAMERARII.

Sententiæ] Quis nescit quid sententiam dixerint Latini, γνώμην Græci? ut, Obsequium amicos, ueritas odium parit, φθέγμα ... χρέατ' ἐμμελίας κακά. Chriam satis explicant Fabius, qui in sermonem Latinum uerterunt, uocant usum, ἠθολογία personis continetur, ut cum deplorantem in fabulis calamitatem suam Hecubam aut Andromachem uidemus. Apud Græcos etiam seorsim exempla inuenias. Ex fabulis autem esse potest tale: Cum Admetus, uxoris, quæ pro ipso sese morti obtulerat, funus exequitur, sic inquit apud Euripidem:

Quod maius queat esse malum homini,
Quàm fida coniuge priuari?

Et in Hippolyto totus ille contra muliebre genus locus, & apud Catullum Ariadne:

Tum iam nulla uiro iuranti fœmina credat.

Crates] Diogenes, transtulit ex Aphthonio Priscianus Porrò χρειῶδες accipiendum est Chriæ simile

ARGVMENTVM.

Puerum hactenus à grammaticis doctum, priusquam Rhetori tradatur, ut efficiatur orbis ille doctrinæ, quem græci encyclopædiam uocant, mathematicis instituendum contendit: quæ etiam si in dicendo se nō ostēdunt & proferunt, uim tamen occulte suggerere, & tacite sentiri confirmat. nec aliter ex iis oratorem consummatum effici, quàm antidota & pharmaca ex multis diuersas uires habentibus perfectissima, aut mel uario florum ac succorum genere suauissimum euadere. Primùm mathematicarum musicam tractat, cuius laudes primum ab efficientibus, adiunctis, exemplis, & testimoniis maiorum celebrat. Deinde ad usum eius accedit, eamque apud ueteres coniunctam cum Grammatica fuisse probat. Oratorem ab ea petere numeros qui in corpore sint, & in uoce, quorum alii ad gestum, alii ad collocationem uerborum, ad flexus uocis alii pertineant. Denique de qua musica præcipiat ostendit, nempe non de effœminata, & impudicis modis fracta, sed de graui & sancta, rationisque cognitionem habente: quæ ad mouendos leniendosque affectus plurimum ualeat. Geometriam probat oratori esse necessariam, eamque late accipiendo ad Arithmeticam & Astrologiam extendit, summas & computationes incidere frequenter in caussas, quæ Arithmeticæ beneficio sint explicandæ. Esse etiam & sæpe de terminis, mensuris, finibus & magnitudinibus controuersias: quare lineas res illas formas tenendas esse. Porro maiorem geometriæ cum arte oratoria esse cognationem, propter ordinem utrobique necessarium, nam quod in demonstrando faciant Geometræ, ut ex prioribus probent insequentia, ex certis incerta: idem facere & oratores dicendo, hinc secundum plerosque cum Dialectica maiorem habere affinitatem. Geometriæ usum aliquem formis subiectis commonstrat: & formam quidem orbicularem esse omnium capacissimam & perfectissimam, quadratam triangulis esse perfectiorem, triangula æquis lateribus, inæqualibus: & hanc se tollere usque ad rationem mundi: unde numeris cognoscimus certos esse syderum constitutosque cursus: quod & ad oratorem pertinere subiectis exemplis probat.

An Oratori futuro necessaria sit plurium artium scientia. Cap. X.

*Hæc de Grammatica, quàm breuissimè potui: non ut omnia dicerem, sectatus, quod infinitum erat: sed ut maximè necessaria: nunc de cæteris artibus, quibus instituendos prius quàm tradantur Rhetori, pueros existimo, strictim subiungam, ut efficiatur orbis ille doctrinæ, quàm Græci ἐγκυκλοπαιδείαν uocant. Nam iisdem ferè annis aliarum quoque disciplinarum studia ingredienda sunt: quæ quia & ipsæ artes sunt, & * esse perfecta sine his orandi scientia non potest, nec rursus ad efficiendum Oratorem satis ualent sola: an sint huic operi necessariæ, quæritur. Nam quid, inquiunt, ad agendam caussam, dicendamue sententiam pertinet, scire quemadmodum in data linea constitui triangula æquis lateribus possint? Aut quo melius uel defendet reum, uel reget consilia, qui cithara sonos nominibus & spaciis distinxerit? Enumerent etiam fortasse multos quamlibet utiles foro, qui nec Geometren audiuerint, nec Musicos nisi hac communi uoluptate aurium intelligant. Quibus ego primum hoc respondeo, quod & M. Cicero scripto ad Brutum libro frequentius testatur, non eum à nobis institui Oratorem, qui sit, aut fuerit: sed imaginem quandam concepisse nos animo perfecti illius, ex nulla parte cessantis. Nam & sapientem formantes eum, qui sit futurus consummatus undique, & (ut dicunt) mortalis quidam deus, non modò cognitione cœlestium uel mortalium putant instituendum, sed per quædam parua sanè si ipsa demum æstimes, ducunt, sicut exquisitas interim ambiguitates: non quia Ceratinæ aut Crocodilinæ possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli. Similiter Oratorem (qui debet esse sapiens) non Geometres faciet, aut Musicus, quæque his alia subiungam,*

*alias, & esse perfectæ sine or. sc. possunt, nec rursus &c.

Obiectiones eorū qui oratori mathematicarū artium scientiā inutilem esse censent.

Solutio.

Stoici.

Politianus Miscel. c. 54. & 55.

iungam, sed hæ quoque artes ut sit consummatus iuuabunt. Nisi forte antidotum quidem, atque alia quæ morbis aut uulneribus medentur, ex multis atque interim contrarijs quoque inter se effectibus componi uidemus, quorum ex diuersis fit illa mistura una, quæ nulli earum similis est quibus constat, sed proprias uires ex omnibus sumit: & muta animalia mellis illum inimitabilem humanæ rationi saporem, uario florum ac succorum genere perficiunt: nos mirabimur, si oratio, qua nihil præstantius homini dedit Prouidentia, pluribus artibus eget: quæ etiam cum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt, uim tamen occultam suggerunt, & tacitè quoque sentiuntur. Fuit aliquis sine his disertus: at ego Oratorem uolo. Non multum adijciunt: sed æquè non erit totum, cui uel parua deerunt: & optimum quidem hoc esse conueniet: cuius etiam si in arduo spes est, nos tamen præcipiamus omnia, ut saltem plura fiant. Sed sicur deficit animus? Natura enim perfectum Oratorem esse non prohibet: turpiterque desperatur, quicquid fieri potest. Atque ego uel iudicio ueterum poteram esse contentus. Nam quis ignorat Musicen (ut de hac primùm loquar) tantum iam illis antiquis temporibus non studij modò, uerum etiam uenerationis habuisse, ut ijdem Musici, & uates & sapientes iudicarentur? mittam alios, Orpheus & Linus: quorum utrunque dijs genitum, alterum uerò, quòd rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modò, sed saxa etiam syluasque duxisse, posteritatis memoriæ traditum est. Et Timagenes author est, omnium in literis studiorum antiquissimam Musicen extitisse: & testimonio sunt clarissimi poetæ, apud quos inter regalia conuiuia laudes Heroum ac Deorum ad citharam canebantur. Iopas uerò ille Virgilij, nonne

-canit errantem Lunam, Solisque labores? & cætera.

*Quibus certè palam confirmat author eminentissimus, Musicen cum diuinarum etiam rerum cognitione esse coniunctam. Quod si datur, erit etiam Oratori necessaria. Siquidem (ut diximus) hæc quoque pars quæ ab Oratoribus relicta, à philosophis est occupata, nostri operis fuit: ac sine omnium talium scientia non potest esse perfecta eloquentia. Atque claros nomine sapientia uiros, nemo dubitauerit studiosos Musices fuisse, quum Pythagoras, atque eum secuti, acceptam sine dubio antiquitus opinionem, uulgauerint, mundum ipsum eius ratione esse compositum. quam postea sit lyra imitata. Nec illa modò contenti dissimilium concordia, quam uocant ἁρμονίαν, sonum quoque his motibus dederunt. Nam Plato cum in alijs quibusdam, tum præcipuè in Timæo, ne intelligi quidem nisi ab ijs qui hanc quoque partem disciplinæ diligenter perceperint, potest. Quid de philosophis loquor, quorum fons ipse Socrates iam senex institui lyra non erubescebat? Duces maximos et fidibus & tibijs cecinisse traditum, & exercitus Lacedæmoniorum Musicis accensos modis. Quid autem aliud in nostris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum concentus quanto est uehementior, tanto Romana in bellis gloria cæteris præstat. Non igitur frustra Plato ciuili uiro, quem πολιτικὸν uocant, necessariam Musicen credidit. Et eius secta, quæ alijs seuerissima, alijs asperrima uidetur, principes in hac fuere sententia, ut existimarent sapientum aliquos nonnullam operam his studijs accommodaturos. Lycurgus durissimarum Lacedæmonijs legum author, Musices disciplinam probauit. Atque eam natura ipsa uidetur ad tolerandos facilius labores uelut muneri nobis dedisse. Siquidem & remiges cantus hortatur: nec solùm in ijs operibus, in quibus plurium conatus præeunte aliqua iucunda uoce conspirat, sed etiam singulorum fatigatio quamlibet se rudi modulatione solatur. Laudem adhuc dicere artis pulcherrimæ uideor, nondum tamen eam oratori coniungere. Transeamus igitur id quoque, quòd Grammatice quondam ac Musice iunctæ fuerunt. Siquidem Archytas atque Aristoxenus etiam subiectam Grammaticen Musicæ putauerunt: & eosdem utriusque rei præceptores fuisse, cum Sophron ostendit Mimorum quidem scriptor, sed quem Plato adeò probauit, ut suppositos capiti libros eius, cum moreretur, habuisse credatur: tum Eupolis, apud quem Prodamus & Musicen & literas docet. Et Maricas, qui est Hyperbolus, nihil se ex Musicis scire nisi literas confitetur. Aristophanes quoque non uno libro sic institui pueros antiquitus solitos esse demonstrat. Et apud Menandrum in Hypobolimæo, senex reposcenti filium patri, uelut rationem impendiorum quæ in educationem contulerat, opponens, psaltis se & geometris multa dicit dedisse. Vnde etiam ille mos, ut in conuiuijs post cœnam circumferretur lyra: cuius cum se imperitum Themistocles confessus esset, ut uerbis Ciceronis utar, habitus est indoctior. Sed ueterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Versus quoque Saliorum habent carmen. Quæ cum omnia sint à Numa Rege instituta, faciunt manifestum, ne illis quidem qui rudes ac bellicosi uidentur, curam Musices, quantam illa recipiebat ætas, defuisse. Denique in prouerbium usque Græcorum celebratum est, Indoctos à Musis atque Gratijs abesse. Verùm quid ex ea propriè petat futurus Orator, disseramus. Numeros Musice duplices habet, in uocibus, & in corpore. utriusque enim rei aptus quidam modus desideratur. Vocis rationem Aristoxenus Musicus diuidit in ῥυθμοὺς & * μέλος ἔμμετρον: quorum alterum modulatione, alterum canore ac sonis constat. Num igitur non hæc omnia Oratori necessaria? quorum unum ad gestum, alterum ad collocationem uerborum, tertium ad flexus uocis, qui sunt in agendo quoque plurimi, pertinet. Nisi forte in carminibus tantùm & in canticis exigitur structura quædam & inoffensa copulatio uocum, in agendo superuacua est: aut non compositio & sonus in oratione quoque uariè pro rerum modo adhibetur, sicut in Musice. Namque & uoce & modulatione grandia elatè, iucunda dulciter, moderata leniter canit: totaque arte consentit cum eorum quæ dicuntur, affectibus. Atqui in orando quoque intentio uocis, remissio, flexus, pertinet ad mouendos audientium affectus: aliaque & collocationis & uocis (ut eodem utar uerbo) modulatione concitationem Iudicum, alia misericordiam petimus: cum etiam organis, quibus sermo exprimi non potest, affici animos in diuersum habitum sentiamus. Corporis quoque decens & aptus motus, qui dicitur εὐρυθμία, est necessarius: nec aliunde peti potest: in quo pars actionis non minima consistit: qua de re sepositus nobis est locus. Age, si habebit in primis curam uocis Orator, quid tam Musices proprium? Sed ne hæc quidem præsumenda pars est: ut uno interim contenti simus exemplo C. Gracchi præcipui suorum temporum oratoris, cui concionanti consistens post eum musicus, fistula quam τονάριον uocant, modos quibus deberet intendi, ministrabat. Hæc ei cura inter turbidissimas actiones, uel terrenti optimates uel iam timenti fuit. Libet propter quosdam imperitiores, etiam crassiore, ut uocant, musa, dubitationem huius utilitatis eximere. Nam poetas certè legendos oratori futuro concesserint. num igitur hi sine musice? At si quis tam*

cæcus

Left margin notes: Oratione nil præstantius. — Cic. 3. de Oratore. — Musica. Cic. 3. de Orat. & Strab. 1 de geograp. lib. & 10. Virg. eglo. 4 Hora. in arte. — Timagenes. — Apud Homero Achilles, & Phemius, Od. 1. Aeneid. 1 & Aeglo. 4. — In proœmio. — Vide Macr. lib. 2. somnij Scipionis. — Cic. in Cato. Valer. lib. 2. tit. de instit. antiq. & Gell. lib. 1. cap. 11 — Lib. 2. de legibus. Stoicos intel lige. — Celeusma nauticum.

Right margin notes: Musices pud [illegible] usus. Sophron. — Aristoph. Nebu. — Lyra in conuiuiis. Tuscula. 1. — Numeri duplices. * Alij legit & μέλος ἔμμετρον. Vide Gell. lib. 16 cap. 18 & Boetium de musica lib. 1. — Similitudo musices & eloquentiæ. — Lib. 11. — Cicero 3. de Ora. & Gel. lib. 1. cap. 11.

*uacue animi est, ut de alijs dubitet: illos certè, qui carmina ad lyram composuerunt. Hæc diutius forent dicenda, si hoc studium uelut nouum præciperem. Cum uerò antiquitus usque à Chirone atque Achille ad nostra tempora apud omnes, qui modò legitimam disciplinam non sint perosi, durauerit, non est committendum ut illa dubia faciam defensionis solicitudine. Quamuis autem satis iam ex ipsis quibus sum modò usus exemplis, credam esse manifestum, quæ mihi, & quatenus musice placeat: apertius tamen profitendum puto, non hanc à me præcipi, quæ nunc in scenis effœminata, & impudicis modis fracta, non ex parte minima, siquid in nobis uirilis roboris manebat, excidit: sed qua laudes fortium canebantur, quaque & ipsi fortes canebant: nec psalteria & spadicas, etiam uirginibus probis recusanda: sed cognitionem rationis, quæ ad mouendos leniendosque affectus plurimum ualet. Nam & Pythagoram accepimus, concitatos ad uim pudicæ domui afferendam iuuenes, iussa mutare in Spondeum modos tibicina, composuisse: & Chrysippus etiam nutricum quæ adhibentur infantibus, allectationi, suum quoddam carmen assignat. Est etiam non inerudite ad declamandum ficta materia, in qua ponitur tibicen qui sacrificanti Phrygium cecinerat, acto illo in insaniam, & per præcipitia delato, accusari, quod caussa mortis extiterit, quæ si dici debet ab oratore, nec dici citra scientiam musices potest, quomodo non hanc quoque artem necessariam esse operi nostro uel iniqui consentiant? In Geometria partem fatentur esse utilem teneris ætatibus, agitari nanque animos, atque acui ingenia, & celeritatem percipiendi uenire inde, concedunt: sed prodesse eam, non ut cæteras arteis, cum percepta sint, sed cum discatur, existimant. Id uulgaris opinio est. Nec sine caussa summi uiri etiam impensam huic scientiæ operam dederunt. Nam quum sit Geometria diuisa in numeros atque formas: numerorum quidem notitia non oratori modò, sed cuicunque primis saltem literis erudito, necessaria est. In caussis uerò uel frequentissimè uersari solet: in quibus actor non dico si circa summas trepidat, sed si digitorum saltem incerto, aut indecoro gestu à computatione dissentit, indicatur indoctus. Illa uerò linearis ratio, & ipsa quidem cadit frequenter in caussas: nam de terminis mensurisque sunt lites: sed habet maiorem quandam aliam cum arte oratoria cognationem. Iam primùm ordo est geometriæ necessarius: nonne & eloquentiæ? Ex prioribus geometria probat insequentia, & certis incerta: nonne id in dicendo facimus? Quid? illa propositarum quæstionum conclusio, non tota ferè constat syllogismis? Propter quod plures inuenias qui dialecticæ similem, quàm qui rhetoricæ fateantur hanc artem. Verùm & orator, etiam si rarò, non tamen nunquam probabit dialecticè. Nam & syllogismis, si res poscet, utetur: & certè enthymemate, qui rhetoricus est syllogismus. Denique probationum quæ sunt potentissimæ, γραμμικαὶ ἀποδείξεις uulgò dicuntur. Quid autem magis oratio quàm probationum petit? Falsa quoque uerisimilia, geometria ratione deprehendit. Fit hoc & in numeris per quasdam quas ψευδογραφίας uocant, quibus pueri ludere solebamus. Sed alia maiora sunt. Nam quis non ita proponenti credat, Quorum locorum extremæ lineæ eandem mensuram colligunt, eorum spatium quoque quod his lineis continetur, par sit necesse est? At id falsum est. Nam plurimum refert cuius sit formæ ille circuitus: reprehensique à Geometris sunt Historici qui magnitudines insularum satis significari nauigationis ambitu crediderunt. Nam ut quæque forma perfectissima, ita capacissima est. Ideoque illa circuncurrens linea si efficiet orbem, quæ forma est in planis maximè perfecta, amplius spatium complectetur, quàm si quadratum paribus oris efficiat. Rursus quadrata triangulis, triangula ipsa plus æquis lateribus quàm inæqualibus. Sed alia forsitan obscuriora: nos facillimum etiam imperitis sequamur experimentum. Iugeri mensuram, ducentos & quadraginta longitudinis pedes esse, dimidioque in latitudinem patere, non ferè quisquam est qui ignoret: & qui sit circuitus, & quantum campi claudat, colligere expeditum. At centeni & octogeni in quanque partem pedes, idem spatium extremitatis, sed multo amplius * diuisę quatuor lineis areæ faciunt. Id si computare quem piget, breuioribus numeris idem discat. nam deni in quadram pedes, quadraginta per oram, intra centum erunt. At si quindeni per latera, quini in fronte sint: ex illo quod amplectuntur, quartam deducent eodem circunductu. Si uerò porrecti utrinque undeuiceni singulis distent, non plures intus quadratos habebunt, quàm per quot longitudo ducetur: quæ circumibit autem linea, eiusdem spatij erit cuius ea quæ centum continet. Ita quicquid formæ quadrati detraxeris, amplitudini quoque peribit. Ergo etiam id fieri potest, ut maiore circuitu minor loci amplitudo claudatur. Hoc in planis. Nam in collibus uallibusque etiam imperito patet plus soli esse quàm cœli. Quid quòd se eadem Geometria tollit ad rationem usque mundi? in qua cum siderum certos constitutosque cursus numeris docet, discimus nihil esse inordinatum, atque fortuitum: quod ipsum nonnunquam pertinere ad Oratorem potest. An uerò cum Pericles Athenienses Solis obscuratione territos, redditis eius rei caussis, metu liberauit: aut cum Sulpitius ille Gallus in exercitu L. Pauli de Lunæ defectione disseruit, ne uelut prodigio diuinitus facto militum animi terrerentur, non uidetur esse usus Oratoris officio? Quod si Nicias in Sicilia scisset, non eodem confusus metu pulcherrimum Atheniensium exercitum perdidisset: sicut Dion, cum ad destruendam Dionysij tyrannidem uenit, non est tali casu deterritus. Sint exempla licet usus bellici, transeamusque quòd Archimedes unus obsidionem Syracusarum in longius traxit: illud utique iam proprium est ad efficiendum quod intendimus, plurimas quæstiones, quarum difficilior alia ratione explicatio est, ut de ratione diuidendi, de sectione in infinitum, de celeritate augendi, linearibus illis probationibus solui solere: ut si est Oratori (quod proximus demonstrabit liber) de omnibus rebus dicendum, nullo modo sine Geometria esse posse Orator.*

Chiron atque Achilles musici.

Gellius lib. 5. cap. 23. Boethius in prœmio de musica.

De Harmonijs multa Athenæus libro 14.

Cōmoditas Geometriæ.

Arithmetice sub geometria comprehenditur, ut paulo post astrologiam.

Geometriæ cognatio cū arte oratoria.

Orator raro utitur syllogismo. Aristotel. in poste. analyticis.

Exemplis docet Geometriā esse perutilē oratori.

Orbicularia forma omniū perfectissima.

Iugerum.

* clausæ.

Exempla Astrologię.

Plutar. in uitam Periclis. Plin. lib 2. cap. 12. Valer. lib. 8. ca. 11.

Thucy. lib. 7 Plutar. in uitam Dionis, & Marcelli.

Cap. de materia Rhetorices.

MOSELLANI.

Ἐγκυκλοπαιδείαν] Id est eruditionem circularem, id est omnibus numeris perfectissimam: siquidem constat ex Geometrarum disputatione, omnium figurarum circulum esse perfectissimum, utpote omnibus alijs magis capacem, & neque initium neque finem aliquem ostendentem: unde & apud Aegyptios, ueluti testatur Horus in libro de sacris Aegyptiorum notis, æternitatis est symbolum: tum etiam Geometræ omnium figurarum rationem in circuli natura inclusam docent. Propterea nexus ille capacissimus omnium disciplinarum, cuius uel exitum uel ingressum uix deprehendendas, ueteres Græci ἐγκυκλοπαιδείαν, id est circularem eruditionem uocarunt: κύκλος enim circulus, & ἔγκυκλος, circularis, παιδεία, eruditio. Iisdem annis] Vbi Grammaticam curamus. Inducta linea] id est, per lineam inductam, scilicet rectam. Alij tamen legunt, data. Inducta] scilicet duobus circulis. Triangula] Carolus Bouillus

uillus lib. commentariorum Geometricorum 5. hoc Euclidis θεώρημα latius his uerbis exponens, sic inquit, Datæ lineæ longitudinem super puncta ipsius extrema duobus circulis descriptis, eorum utraque sectionis puncta datæ lineæ terminis per rectas complentur, fient super datam lineam trigoni ἰσόπλευροι, id est trianguli æquilateri. Spatijs] Intelligit proportiones illas sonorum, διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, δὶς διὰ πασῶν, atque alias, de quibus est apud Boethium Seuerinum, & Vitruuium libro quarto. Consilia] Scilicet sententia suadicenda.

Spatijs] Interuallis. Ceratinæ] Intelligit argutias illas dialecticas, quas uulgò syllogismos cornutos uocant, nimirum à captione, quam epistolarum libro quinto Senec. ad Lucilium iocans scribit: Quod non perdidisti, habes, cornua non perdidisti, cornua ergo habes. Meminit & Gellius in Noctibus κέρας autem Græcis cornu significat, unde κερατίνος cornutus. Porrò Crocodilinas non dissimiles captiones accipiemus, quæ ex fabula huiusmodi nomen habent. Mulier quædam Aegyptia, in Nili ripis ludibundum puerum à Crocodilo ablatum lenis, rogat ea Crocodilum, ut reddere filium dignetur: Crocodilus respondit se redditurum si uerum diceret. Illa autem dixit, non mihi reddes: quæ conditio sanè inexplicabilis erat: propterea quòd huius orationis ueritas, ex uoluntate Crocodili penderet. Indicat hoc Lucianus, cum alibi, tum in Vmbrarum uenditione, tribuitque argutias has nugas Chrysippo Stoico uelut parenti. Sed & Politianus in Miscel. cap 54. copiosè & doctè hunc locum exposuit. Antidorum] Quasi contradatum. Antidotus enim Græcis sonat medicamentum ex uarijs miscellis confectum, quod potissimum contra uenena datur. Siquidem ἀντι Græca præpositio contra significat. & δίδωμι, do. Morbis] Scilicet qui sunt sine uulnere. Vulneribus] Quæ scilicet sunt cum carnis læsione. Effectibus] Potentijs herbarum, aut gemmarum. Quorum] meditamentorum, & effectuum.

Earum] Herbarum scilicet, aut gemmarum. Inimitabilem] Quem nemo arte possit imitari. Addunt] scilicet illæ artes. Disertus] Nam disertus & eloquens apud Ciceronem & Fabium nostrum differunt. ut disertus sit mediocriter eloquēs, eloquens autem absolutus orator. Sic Antonius apud Ciceronem de Oratore primo, inquit sese disertos uidisse multos, at eloquentem neminem. Conueniet] Quadrabit, aut consensus erit doctissimorum. Arduo] id est sublimi, & in magna difficultate posito. Animus] Fiducia perficiendi. Oportet iniquum petere, ut æquum feratur. Vide Erasmum in Chiliad. Atque] Translationem facit per atque, quemadmodum M. Tullius Cicer. per ac utrunque elegantissime. Vel indicio ueterum] Qui uidelicet sic statuerunt nexum esse disciplinarum, neque aliam sine alia rite haberi posse, id quod ex Platone testatur M. Tullius libro tertio de Oratore. Sic Orpheos, sic Linus] Qui carmina sua ad lyram canebant, ab Aristotele non modo inter illos laudatos σοφοὺς referuntur, uerum etiam theologi appellantur. Et Terentius artem poeticā alioqui musicam uocat in prologo Hecyræ. Nam Orpheus, ut Suidas scribit, Oeagri & Calliopes Musæ filius fuit, Lini huius discipulus, qui creationem mundi uersibus amœne prosequutus, dicit primum Aethera à deo prodijsse, deinde Chaos, tertio loco Noctem, in quibus trinitatis mysterium inesse non solum Suidas tradidit, uerumetiam nostro seculo latissimè comprobauit Reuchlinus, de uerbo mirifico libro tertio tum & in Cabalistica disputatione: id quod etiam Picus indicat. Linus iuxta alios Mercurij & Vraniæ filius fuit, iuxta alios Amphimari & Vraniæ proles traditur: postremò quidam Apollinis filium scribunt: quadrate uersus poetæ est, Lino formosus Apollo. Timagenes] Cuius meminit & uitam perscribit Suidas.

Errantem] id est cursum suum peragentem. Labores] itinera. His motibus dederunt] Illi octo cursus, in quibus eadem uis est modorum, septem efficiunt distinctos interuallis sonos, qui numerus rerum omnium ferè nodus est, quod docti homines neruis imitati atque cantibus, aperuerunt sibi reditum in hunc locum: sicut alij, qui præstantibus ingenijs in uita humana, diuina studia coluerunt. Hoc sonitu oppletæ antes hominum obsurduerunt, nec est ullus sensus hebetior in uobis: sicut ubi Nilus ad illa quæ κατάδουπα, nominantur, præcipitat ex altissimis montibus, ea gens quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret. Hic uerò tantus est totius mundi incitatissima conuersione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint, sicut intueri solem aduersum nequitis, eiusque radijs acies uestra sensusque uincitur. Hæc Aphricanus ad Scipionem iuniorem loquitur in somnio Scipionis. Nostri operis] id est rhetorici officij. Mundum] Octo sphæras, orbes cœlestes. Ratione eius] id est musices proportionibus. Quam] Scilicet rationem musices expressam orbibus cœlestibus. Lyra] Septem suis chordis. Concordia] id est consensu. Dissimilium] Sonorum cœlestium orbium. ἁρμονίαν] id est concentum quadrantem. In Timæo] Quem scripsit de anima. Quid de philosophi] Hinc Plato ipse in Academiæ suæ uestibulo præscripsit. Nemo huc introeat μαθημάτων imperitus, ut testatur Gellius libro primo capite nono. Duces maximos] Sic Achilles à Chirone institutus fidibus. Frustra] id est sine caussa. πολιτικόν] Ciuitate dignum. Sectę] Stoicæ disciplinæ. Principes] Vt sunt Zeno, Chrysippus, Cleanthes. Conspirant] Consentiunt, conniuntur. Aristoxenus] Musicus nobilissimus, quem Boethius Seuerinus sæpius in suis scriptis de Musica citat. Sophron] Fabularum mimicarum scriptor, ut traditur à Laertio.

Eupolis] Comicus Græcus, in supposititio puero. Impendiorum] Sumptuum. Maricas] Persona comica. Psaltis] Præceptoribus Musices. In prouerbium] Nam qui inciuiles & indocti sunt, prouerbialiter apud Græcos iam ἄμουσοι, iam ἀχάριτες dicuntur, id est procul à Musarum sacris, & Gratiarum. Indicauit hoc in prouerbijs Erasmus. Numeros] Nonnulli corpus hoc loco, atque eius numeros intelligunt modulatos & uelut comprehensos motus & gestus futuri oratoris. Hoc ut non negamus quadrare, ita uidetur commodius ad instrumenta musica referendum: maximè cum Fabius postea peculiarem disputationem de motu corporis introducat, & Musici non sic soleant suam disciplinam diuidere. Vtriusque enim rei] Et corporis, & uocis. Rationem] Essentiam. Diuidit] Gellius libro decimosexto capite decimooctauo canonicæ disciplinæ rationem ex Varrone diuidit in tres partes, Rhythmon scilicet, quæ sit longior mensura uocis: & μέλος, quod altitudinem & tenorem uocis examinet: & μέτρον, per quod syllabarum longarum, breuium, & mediocrium iunctura & modus concinens cum geometriæ principijs, aurium mensura examinatur. Calore] Altitudine uocis. Ac sonis] distinctis. Collocatione uerborum] Suaue sonantium, & sublimium suo loco. Flexus] Voculationis mutationem. Canticis] id est lyricis carminibus, ut sunt Pindari. Inoffensa] Decens, non collisa.

Aut non] Scilicet necessario. Sonus] Voculatio. Sicut in Musice] Adhibetur narie. Flexus] Mediocris mutatio uocis. εὐρυθμία] id est, felix gesticulatio & modulatio corporis.

Nec aliunde] quàm à musices cognitione. Sepositus] Peculiariter seiunctus. Quid tam proprium musices?] scilicet quàm habere curam uocis. Præsumenda] Scilicet Oratori.

Hæc pars] Cura uocis. Musicus] Seruus, sic enim à Cicerone appellatur. Tonorion] A tenore uel tono, quem uoces Gracchi adhiberet, abundè hoc est scriptum in Cicerone de Oratore, & Gellio. Intendi] Vel etiam remitti crassiore uoce. Illos eerte} Non putabit sine musica esse. Ad lyram} Vt est Pindarus. Hæc} Argumenta de laude musices. A Chirone} Qui Achillis nutricius fuit. Committendum} Errandum, delignandum, semper in malam partem. Effœminata} Emollita, fracta, disiecta, eneruata. Impudicis modis} lasciuis modulis. Minima} Immo maxima. Excidit} Exculpsit, extirpauit, extinxit. Psalteria} Psalterium, quemadmodum testatur diuus Hieronymus multis locis, instrumentum fuit fidibus decem instructum, unde & regius Propheta Psalterium decachordum celebrat. Solebat autem qui pulsabat hoc instrumentum, una quoque incinere, id quod græcis ψάλλειν dicitur, à quo psaltes, & psaltria fœmina quæ hoc instrumenti genere exercitata est. Hebręi Nablon uocant. Sambucas} Spadicas rectè legi hoc loco cum uetusti codices, tum uero maximè Iulius Pollux persuadet. Is enim libro decimo capite quarto. Spadicas inter instrumenta κρουόμενα, id est quę manu pulsantur, connumerat. Nam Pythagoram} Qui primus omnium Musicam apud Græcos reperit. In Spondeum} Qui uocis longitudine grauitatem quandam præ se fert, siquidem Spondeus modulus ex mora longis sonis conficitur, quemadmodum & apud poetas pes habens longas duas syllabas, Spondeus dicitur. Et Chrysippus} in libro de Educatione. Ficta materia} Argumentum. Ponitur} Loco thematis. Phrygium melos} Genus enim est melodiæ, quod ut author est Lucianus, uehementiam quandam & furorem in animis audientium concitat, uocatur enim ab ipso ἔντονον & βίαιον, hoc est intensum & uiolentum. Inde} Ex geometria. Cum sit diuisa} Hinc est quòd huius professionis princeps Euclides æquali cura etiam numerorum rationem libro Geometriæ. 6. tractat. quando antiquitas, ut Fabius hoc cap. manifestissimè indicat. Geometriæ appellatione & Arithmeticen & Astronomiam sic complexa. Notitia} Quam hodie uocant Arithmeticen.

Circa

Circa summas] Circa supputationes. Sed si digitorum] Rationem digitorum inuenies in commentarijs Hieronymi ex Beda theologo transcriptam. Saltem] Solum. Trepidat] Hæsitat, dubitat. A computatione] Numero. Linearis ratio] id est cognitio linearis magnitudinum, quam pollicetur Geometria. Terminis] Scilicet agrorum. Ordo] Scilicet probationum, definitionum. Propositarum] Scilicet Oratori,

Conclusio] Comprobatio. Syllogismis] Ratiocinationibus, collectionibus. Ratione] Scilicet certa. Fit hoc] Scilicet ut falsa sint uerisimilia. Pseudographias] Descriptiones falsas. Maiora] Quàm scilicet quæ in numero concurrunt.

Extremæ lineæ] Circumferentiæ. Planis] Scilicet figuris. Paribus oris] id est æqualibus lateribus. Quadrata] Plus spatii continebunt. Rursus quadrata triangulis] Nam in quadratis æquilateris dimetiendis, latus in sese ducendum erit, siue latus per latus multiplicandum. In hoc autem quadrato decem pedes latus constituunt, eos si multiplicaueris per decem, deprehendens aream inclusam centum esse pedum, nam decies decem, centum reddunt. Circuitus] Circunferentia. Campi] Spatij. Colligere] Supputatione assequi. In quanque partem] id est unumquodque latus supputatum. Extremitatis] Circunferentiæ. Areæ] Spatia inclusa. Lineis] Scilicet æqualibus. Amplius] Spatium comprehendunt.

Per oram] Circunferentiam. Intra] In ipsa area. Fronte] Id est lateribus duobus longitudinis. Ex illo] Scilicet spacio. Amplectuntur] Lineæ circunductæ. Deducent] Detrahent partem spatij. Eodem circunductu, &c.] Aequali circunferentia. Vtrinque] Ex utraque parte longitudinis.

Singulis] Pedibus, id est uno tantum pede. Quadratos] Scilicet pedes. Ducetur] Per supputationem. Centum] In quadrato æqualiter. Quadrati] Aequilateri. Amplitudini] Inclusæ loci. Amplitudo] Mensura. Loci] Spatij.

Planis] Scilicet locis usu uenit. Soli] Id est loci. Nicias] Princeps Atheniensium, cuius meminit Thucydides in septimo. Linearibus illis] Id est linearibus supputationibus.

De pronunciatione, id est actione, & gestus, id est decentis motus, institutione.

CAMERARII.

NOn quia] Ceratinas & Crocodilinas captiones dixerūt ab exemplis, ut illud de cornibus apud Gellium libro decimosexto capite secundo, & de Crocodilo quod memorat Chrysippus apud Lucianum ἐν βίων πράσει. Si filium, inquit, tuum iuxta flumen errantem rapuerit Crocodilus, polliceaturque redditurum incolumen, si uerum responderis interroganti quid sibi statutum sit de redditione filii tui: quid dices illi esse? Est autem ἄπορον πρόβλημα hoc. Nam siue illa pater dicat, reddes, non uerisimile uideatur: quippe quem deuorandum ceperit, sin dicat, non reddes, idque sit uerum, recipere non poterit filium, quem non sit illi redditurus Crocodilus. In his subtilitatibus Stoici multi fuere. Orpheus] Notus est Virgilij uersus, Huic mater quamuis, atque huic pater assit, Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo. Cicero de natura Deorum libro primo scribit docere Aristotelem Orphea Poetam nunquam fuisse, & carmen Orphicum Pythagoreos ferre cuiusdam fuisse cerdonis. Clarissimi] Canit apud Homerum Achilles κλέα ἀνδρῶν ἡρώων. Et apud eundem Phemius callet ἔργ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε τά τε κλείουσιν ἀοιδοί. Odysseæ α. Socrates] Plato Euthydemo ὥσπερ κόννου τοῦ μητροβίου, τοῦ κιθαριστοῦ, ὃς ἐμὲ διδάσκει ἔτι καὶ νῦν κιθαρίζειν· ὁρῶντες οὖν οἱ παῖδες οἱ συμφοιτηταί μου, ἐμοῦ τε καταγελῶσι καὶ τὸν κόννον καλοῦσι γεροντοδιδάσκαλον. De Musica Plato inde Rep. 3. & νόμων ζ. Maricas] Hoc nomine exagitauit Hyperbolum Eupolis, ut ex Nebulis Aristophanis apparet. Significat autem mollem & effœminatum, uel ὑποκόρισμα βαρβαρικὸν ἐστι, φασίν. Indoctos] ἄμουσοι enim dicuntur καὶ χαριέντως ἀπαιδευτοι, ὅτι. Quorum unum] Nempe in corpore numeri. Alterum] Ῥυθμός.

Tertium] Μέλος. Gracchi] Historia nota est ex Cicerone & Gellio. Nec psalteria & spadicas] Σπάδιξ, itemque φοῖνιξ, apud Pollucem est inter organa Musica. Phrygium] Τῆς φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς λυδίου τὸ βακχικόν, τῆς δωρίου τὸ σεμνόν, τῆς ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν Lucianus Harmonide. De Harmonijs multa Athenæus libro decimoquarto. Digitorum] Nam digitorum gestibus numeros repræsentasse ueteres constat, & ostenditur in undecimo Fabii, de qua re ex Beda aliquid uulgauit Erasmus Roterodamus. Ψευδογραφίας] Accipio ψευδογραφίας à Fabio dici fallacias in subductionibus rationum, exempli loco uidetur esse posse: Duodecim debentur diebus singulis uini amphoræ quatuor, quot amphoræ debentur tribus? colliges de regula unam deberi. At si ita propones, diebus quatuor conficiunt messem duodecim messores, quot conficiēt diebus sex? Cum sit ueritas, deberi sex dimidium temporis amplius quàm duodecim, regula calculationis usitata dimidio minus dabit. Cœli] Offusum aerem uideo quosdam hoc loco cœlum accepisse, sed ut mihi hoc non arridet, ita quid melius afferam non habeo. An uero] De Pericle Galloque Sulpitio exempla sunt apud Valerium libro octauo capite undecimo. De Nicia Thucydides libro septimo. Quem locum sic uertimus: Iamque paratis omnibus soluturis illinc, Luna, ut tum forte plena erat, subito deficit, cum Atheniensium multitudo rei nouitate perculsa, inhibere cursum duces iubet: ipseq; Nicias, quòd admodum superstitiosus esset, negare se uel sententiam dicturum de discessione, prius quàm nouem dies, quos uates memorarent, præterissent. Hic casus cunctabundis Atheniensibus iter præclusit. De Dione Plutarchus, qui militibus territis Lunæ defectu, producto in medium uate, qui doceret hunc portendere malum Dionysio, illorum animos confirmauit, cum ipse naturaliter accidisse sciret.

ARGVMENTVM.

Comœdo & palæstritæ operam aliquam propter pronunciationem, gestum & motum, dandam censet. Non quia puerum fœmineæ uocis exilitate frangi, aut seniliter tremere, aut ebrietatis effingere uitia, & corporis cura mentem obruere oporteat, sed ut eorum imitatione oris uitia emendet: gestum & motum quantum oratoris grauitas postulat, cōponat, quomodo narrandum, qua sit authoritate suadendum, quidque singulis partibus agendum, discat. Ad quæ omnia plurimum profuturum sit, si electa ex grauibus orationibus ediscere, & stans ea dicere, & quemadmodum agere oporteat, cogatur.

De prima pronunciationis & gestus institutione. Cap. XI.

DAndum aliquid Comœdo quoque, dum catenus, quam pronunciandi scientiam futurus orator desiderat. Non enim puerum quem in hoc instituimus, aut fœmineę uocis exilitate frangi uolo, aut seniliter tremere. Nec uitia ebrietatis effingat, nec seruili uernilitate imbuatur: nec amoris, auaritiæ, metus discat affectum: quæ neque oratori sunt necessaria, & mentem præcipuè in ætate prima teneram adhuc & rudem inficiunt. Nam frequens imitatio transit in mores. Ne gestus quidem omnis ac motus à Comœdijs petendus est. Quanquam enim utrunque eorum ad quendam modum præstare debet orator: plurimum tamen aberit à scenico, nec uultu, nec manu, nec excursionibus nimius. Nam siqua in his ars est dicentium, ea prima est, ne ars esse uideatur. Quod est igitur in his doctoris officium? In primis uitia siqua sunt oris, emendet: ut expressa sint uerba, ut suis quæque literæ sonis enuncientur. Quarundam enim uel exilitate uel pinguitudine nimia laboramus: quasdam uelut acriores parum efficimus, & alijs non dissimilibus, sed quasi hebetioribus permutamus. Quippe ρ literæ, qua Demosthenes quoque laborauit, λ succedit: quarum uis est apud nos quoque. Et cum C ac similiter T non ualuerunt, in G ac D molliuntur. Ne illas quidem circa S literam delicias hic magister feret: nec uerba in faucibus patietur audiri, nec oris inanitate resonare: nec, quod minimè sermoni puro conueniat, simplicem uocis naturam pleniore quodam sono circunlinire, quod Græci κατάπεπλασμένον dicunt, sic appellatur cantus tibiarum, quæ præclusis quibus clarescunt foraminibus, recto modo exitu grauiorem spiritum reddunt. Curabit etiam, ne extremæ syllabæ intercidant, ut par sibi sermo sit: ut quoties exclamandum erit, laterum conatus sit ille, non capitis: ut gestus ad uocem, uultus ad gestum accommodetur. Obseruandum erit etiam, ut recta sit facies dicentis: ne labra distorqueantur: ne immodicus

[Margin notes: Quatenus à comœdis sit pronunciatio petenda. — Gellius lib. 7. cap. 23. Cic. 3. de Oratore. Vide Halicar. in arte.]

modicus hiatus rictum distendat: ne supinus uultus, ne deiecti in terram oculi, ne inclinata utrolibet ceruix. Nam frons pluribus generibus peccat. Vidi multos quorum supercilia ad singulos uocis conatus alleuarentur, aliorum constricta, aliorum etiam dissidentia, cum altero in uerticem tenderent, altero penè oculus ipse premeretur. Infinitum autem, ut mox dicemus, in his quoque rebus momentum est. Et nihil potest placere, quod non decet.

Lib. 11. cap. de pronunciatione.

Debet etiam docere Comœdus, quomodo narrandum, qua sit authoritate suadendum: qua concitatione consurgat ira, qui flexus deceat miserationem. Quod ita optimè faciet, si certos ex Comœdijs elegerit locos, & ad hoc maximè idoneos, id est actionibus similes. Iidem autem non ad pronunciandum modo utilissimi, uerùm ad augendam quoque eloquentiam maximè accommodati erunt. Et hæc, dum infirma ætas maiora non capiet. Cæterùm cum legere orationes oportebit, cum uirtutes earum iam sentiet, tum mihi diligens aliquis ac peritus assistat: neque solùm lectione formet, uerumetiam ediscere electa ex his cogat, & ea dicere stantem clarè, & quemadmodum agere oportebit: ut protinus pronunciatione uocem & memoriam exerceat. Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam palæstricis uacauerint. Non de his loquor, quibus pars uitæ in oleo, pars in uino consumitur, qui corporis cura mentem obruerunt (hos enim abesse ab eo quem instituimus, quàm longissimè uelim) sed nomen est idem ijs à quibus gestus motusque formantur: ut recta sint brachia, ne indoctæ rusticæue manus, ne status indecorus, nequa in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant.*

* pronunciationem. Palæstricis uacandum.

Nam nec hoc esse in parte pronunciationis negauerit quisquam, nec ipsam pronunciationem ab oratore secernet. Et certè quod facere oporteat, non indignandum est discere, cum præsertim hæc chironomia, quæ est (ut nomine ipso declaratur) lex gestus, & ab illis temporibus heroicis orta sit, & à summis Græciæ uiris, & ab ipso etiam Socrate probata, à Platone quoque in parte ciuilium positæ uirtutum, & à Chrysippo in præceptis de liberorum educatione compositis non omissa. Nam Lacedæmonios quidem etiam saltationem quandam, tanquam ad bella quoque utilem, habuisse inter exercitationes accepimus. Neque id ueteribus Romanis dedecori fuit: argumentum est, sacerdotum nomine ac religione durans ad hoc tempus saltatio: & illa in tertio Ciceronis de oratore libro uerba Crassi, quibus præcipit ut orator utatur laterum inclinatione forti ac uirili, non à scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam à palæstra: cuius etiam disciplinæ usus in nostram usque ætatem sine reprehensione descendit. A me tamen nec ultra pueriles annos retinebitur, nec in his ipsis diu. Neque enim gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis uolo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.

Chironomia Odys. 3. & 8. Ilia. 17.

Libro. 3. de Rep. & de legib. 7. Pyrrhichen.

Saliorum. Inflexione, habes Cice.

MOSELLANI.

ALiquid] Scilicet operæ. Comœdo] Histrioni. Eatenus] Scilicet fiat. In hoc] id est spe futuri Oratoris. Frangi] Emolliri. Vocis] repræsentandæ. Vernilitate] Licentia, scurrilitate, lascitia. Affectum] Dispositionem animi. Vtrunque] Scilicet gestum & motum. Modum] Id est mensuram, præscriptionem. Excursionibus] Statione, immutatione. Nimius] id est immodicus. In his] Scilicet rebus præstandis, ne non sit nimia uultus uel manus immutatio. Prima] id est optima. Oris] Enunciationis. Ne ars] Scilicet affectata. Frequens mutatio] Nam monet id Suetonius, se adolescentulo principem quendã Grammaticum alternis diebus declamare solitum, alternis disputare, tum & sese audisse memoria patrum suorum, quosdam è Grammaticis statim è ludo transijsse in forum, atque in numerum præstantissimorum patronorum receptos. Qua] Id est cuius pronunciatione. Demosthenes laborauit] Adeo etiam, ut altera pro altera aliquoties scribatur, ut κλίβανος uel κρίβανος, utrunque clibanum uel furnum significat. Laboramus] In eo quod, ægrè præstamus. In faucibus] Recessu oris. Puro] Simplici, id est inaffectato. κατατεπλασμένον] Id est fictitium.

Intercidant] id est pronunciatione pereant. Vt par sibi sermo sit] id est ubique sui similis. Gestus] Modulatio corporis.

Expressa sint uerba] Quod fiet, si accuratius primam puerorum balbutiem emendauerimus, quam molitam uidemus pertinacissimè durare in omnem uitam. Oris inanitate] hiatu.

Recta facies] Erecta statura. Distendat] Diducat. Rictus] Rima oris, scilicet subducendis superciliis. Pluribus generibus] id est multis modis uocis intendendæ. In his rebus] Scilicet diducendis, aut subducendis superciliis. Momentum] Ingens pondus. Flexus] immutatio uocis & concentus.

Debet etiam docere comœdus] Cuius rei exempla sunt copiosa apud Terentium in Andria. Narrationis, in scena omnium prima. Suasionis, scena tertia actus tertii, & secunda quinti actus. Commiserationis, scena ultima primi actus. Palæstricis uacauerint] Luctandi exercitationibus. In oleo] Quo scilicet se ungebant decertaturi. Ad hoc] Scilicet propositum. Pars in uino] Nam non nisi ebrii luctabantur. Mentem] id est subtilitatem mentis. Non indignandum] id est non dedignentur discere. Chironomia] id est lex manuum, nam νόμος Græcis legem significat, & χεῖρας, manum. Heroicis] Priscis, accepimus à Xenophonte in libro de legibus Lacedæmoniorum. Porrò saltationem hanc opinor esse, quam Iulius Pollux lib. 4. cap. 13. δίποδίαν uocat, additq; Laconicam esse, nimirum sic appellatam à decenti & apta glomerandorum pedum duplicatione.

Crassi] Scilicet argumento sunt. Retinebitur] Scilicet usus palæstricus. Exercitatione puerili] Scilicet saltandi, luctandi, digladiandi.

CAMERARII.

AB ipso etiam Socr.] Socratem enim studiose ὀρχήσασθαι traditur. Xenophon ἀπομνημονευμάτων I. τῷ τε σώματος αὐτὸς ἐπεμέλετο, τούς τε ἀμελοῦντας οὐκ ἐπῄνει. De gymnastica Plato de Repub 3. de legibus, 7. Lacedæmoniorum saltationem πυῤῥίχην accipio.

ARGVMENTVM.

Refellit eorum sententiam, qui artes de quibus egit hoc primo libro, eodem tempore tradi uetabant. Quod oportere probat similibus, ab agricolis, citharœdis, & oratoribus. Efficientibus, à natura puerorum, priusquam obduruerint, aut laboris iudicium collegerint, maximè docili, & laborum patientissima. Id probat effectis, quod breuissimo tempore sine cuiusquam opera rectissime omnia loqui consuescant, quod nouitiis seruis uix tota uita contingit: quodque nullo labore discursationibus & reptationibus unquam defatigentur. Postremò Platonis exemplo, cuius bono ingenio prædito ea omnia inesse posse contendit.

An plura eodem tempore doceri prima ętas posśit. Cap. XII.



Vari solet, an etiam si discenda sint hæc, eodem tempore tamen tradi omnia et percipi possint. Negant enim quidam, quia confundatur animus ac fatigetur tot disciplinis in diuersum tendentibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec dies ipse sufficiat: & si maximè patiatur hæc ætas robustior, tamen pueriles annos onerari non oporteat. Sed non satis perspiciunt quantum natura humani ingenij ualeat: quæ ita est agilis & uelox, sic in omnem partem, ut ita dixerim, spectat, ut ne possit quidem aliquid agere tantùm unum: in plura uerò, non eodem die modò, sed eodem temporis momento uim suam impendat. An uerò citharœdi non simul & memoriæ, & sono uocis, & pluribus flexibus seruiunt, cum interim alios neruos dextra percutiunt, alios læua trahunt,*

Quanta sit uis humani ingenij.

Citharœdi optimè uaria simul agunt. * percurrunt

bent, continent, probant, ne pes quidem ociosus, certam legem temporum seruat, & hæc pariter omnia? Quid? nos agendi subita necessitate deprehensi, nonne alia dicimus, alia prouidemus, cum pariter inuentio rerum, electio uerborum, compositio gestus, pronunciatio, uultus, motusque desiderentur? Quæ si uelut sub uno conatu tam diuersa parent simul, cur non pluribus horis diuersa partiamur, cum præsertim reficiat animos ac reparet uarietas ipsa, contraque sit aliquanto difficilius in labore uno perseuerare? Ideoque & stylus lectione requiescit, & ipsius lectionis tædium uicibus leuatur. Quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. Quis non obtundi possit, si per totum diem cuiuscunque artis unum magistrum ferat? Mutatione recreabitur: sicut in cibis, quorum diuersitate reficitur stomachus, & pluribus minore fastidio alitur. Aut dicant isti mihi, quæ sit alia ratio discendi? Si Grammatico soli deseruiamus, deinde Geometræ tantùm? omittamus interim quod didicimus, mox transeamus ad Musicum, excidant priora? & quum Latinis studebimus literis, non respiciamus ad Græcas? &, ut semel finiam, nihil faciamus nisi nouissimum? Cur non idem suademus agricolis, ne arua simul & uineta, & oleas & arbustum colant? ne pratis & pecoribus, & hortis & aluearibus accommodent curam? Cur ipsi aliquid forensibus negocijs, aliquid desiderijs amicorum, aliquid rationibus domesticis, aliquid curæ corporis, nonnihil uoluptatibus quotidie damus? quarum nos una res qualibet nihil intermittentes fatiget.

Varietas suauissima.

Adeò facilius est multa facere, quàm diu. Illud quidem minimè uerendum est, ne laborem studiorum pueri difficilius tolerent, neque enim ulla ætas minus fatigatur. Mirum sit forsitan, sed experimentis deprehendas. Nam & dociliora sunt ingenia priusquam obduruerunt. Id uel hoc argumento patet, quòd intra biennium quàm uerba rectè formare potuerunt, quamuis nullo instante, omnia ferè loquuntur: at nouitijs nostris, per quot annos sermo Latinus repugnat? Magis scias, si quem iam robustum instituere literis cœperis, non sine caussa dici παιδομαθεῖς eos, qui in sua quidque arte optimè faciant. Et patientior est laboris natura pueris quàm iuuenibus. Videlicet ut corpora infantium nec casus quo in terram toties deferuntur, tam grauiter affligit, nec illa per manus & genua reptatio, nec post breue tempus continui lusus, & totius diei discursus, quia pondus illis abest, nec se ipsi grauant: sic animi quoque, credo, quia minore conatu mouentur, nec suo nisu studijs insistunt, sed formandos se tantummodo præstant, non similiter fatigantur. Præterea secundum aliam ætatis illius facilitatem, uelut simplicius docenteis sequuntur, nec quæ iam egerint, metiuntur.

Pueri laboris tolerantissimi, & maxime dociles.

Abest illis etiam adhuc laboris iudicium. Porrò, ut frequenter experti sumus, minus afficit sensus fatigatio, quàm cogitatio. Sed ne temporis quidem unquam plus erit, quia his ætatibus omnis in audiendo profectus est. Cum ad stylum secedet, cum generabit ipse aliquid atque componet, tum inchoare hæc studia uel non uacabit, uel non libebit. Ergo cum Grammaticus totum diem occupare non possit, nec debeat, ne discentis animum tædio auertat: quibus potius studijs hæc temporum uelut subsidia donabimus? Nam nec ego consumi studentem in his artibus uolo; nec ut moduletur, aut musicis modis cantica excipiat, nec utique ad minutissima Geometriæ opera descendat. Non comœdum in pronunciando, nec saltatorem in gestu facio: quæ si omnia exigerem, suppeditabat tamen tempus. Longa est enim quæ discit ætas, & ego non de tardis ingenijs loquor. Denique cur in his omnibus, quæ discenda oratori futuro puto, eminuit Plato? qui non contentus disciplinis quas præstare poterant Athenæ, non Pythagoreorum, ad quos in Italiam nauigauerat: Aegypti quoque sacerdotes adijt, atque eorum arcana perdidicit.

Plato. Cic. 4. Tusc. & 5. Finium.

Difficultatis patrocinia præteximus segnitiæ. Neque enim nobis operis amor est: nec quia sit honesta, atque pulcherrima rerum eloquentia, petitur ipsa, sed ad uilem usum & sordidum lucrum accingimur. Dicant sine his in foro multi, & acquirant, dum sit locupletior aliquis sordidæ mercis negociator, & plus uoci suæ debeat præco: ne uelim quidem lectorem dari mihi, quid studia referant computaturum.

Eloquentia cur petenda, contra studia sordide æstimantes.

Qui uerò imaginem ipsam eloquentiæ diuina quadam mente conceperit, quique illam (ut ait non ignobilis tragicus) reginam rerum orationem ponet ante oculos, fructumque non ex stipe aduocationum, sed ex animo suo, & contemplatione ac scientia petet, perpetuum illum, nec fortunæ subiectum facilè persuadebit sibi, ut tempora quæ spectaculis, campo tesseris, ociosis denique sermonibus, ne dicam somno, & conuiuiorum moru conterunt, Geometræ potius ac Musico impendat, quanto plus delectationis habiturus, quàm ex illis ineruditis uoluptatibus? Dedit enim hoc prouidentia hominibus munus, ut honesta magis iuuarent. Sed nos hæc ipsa dulcedo longius duxit. Hactenus ergo de studijs, quibus antequam maiora capiat, puer instituendus est: proximus liber uelut nouum sumet exordium, & ad Rhetoris officia transibit.*

Regina rerum oratio.
* Euripides in Hecuba, unde & Pacuuius apud No. Marcel. transtulit, uide Cice. 2. de orat. circa medium.

MOSELLANI.

NEgant} Scilicet omnia posse tradi & percipi. Dies} Quo scilicet hæc omnia possent tradi, & distribui, qui dies inquam sit partitus in horas. Agilis} Sequax. Citharœdi} Qui canunt ad citharam. Flexibus} Permutationibus. Temporum} Scilicet gradiendo. Deprehensi} Oppressi rerum dicendarum numero. Electio uerborum} Enunciationem notat. Stylus} Exercitatio scribendi. Obtundi} Enecari, hebetari frequenti iteratione. Et ut semel finiam} Scilicet ea absurda quæ sequantur. Rationibus domesticis} Curis familiaribus. Nouitijs seruis} Barbaris recens emptis. Obduruerunt} Callum obduxerunt. παιδομαθεῖς} A pueris eruditos, à παῖς, δος, quod puerum significat, & μανθάνω disco, erudior. Tempus} Infantiæ. Continui} Assidui. Grauant} Scilicet proprio pondere. Metiuntur} id est æstimant pueri per meditationem. Fatigatio} Quæ ab alio scilicet inducitur. Sensus} Scilicet addiscentis. Cogitatio} Qua nos ipsi urgemur ad disciplinas suscipiendas, cum scilicet adultiores sumus facti. Succisiua} id est extraordinaria. His artibus} Mathematicis disciplinis. Moduletur} Modulos musicos componat. Notis} Signis musicorum. Nec saltatorem} Qua de re uide Gellium libro primo capite quinto.


Suppeditabit} id est suppetet. Eminuit} Excelluit. Athenæ} Excultrices omnium disciplinarum. Prætexímus} Obtendimus. Pythagoreorum} disciplinarum quæ domesticis constabant. Operis} Rhetorici opificij. Usum} Aduocandi & patrocinandi. Sordidum} Sordidis hominibus dignum.

His disciplinis} Liberalibus. Quid studia referant} Id est quantum opum. Aduocationum} Patrociniorum. Spectaculis} uanibus rebus spectandis. Ineruditis} Inciuilibus.

Voluptatibus} id est eas potissimum quas ex gustu & tactu concipit, de quibus uide Gel. libro decimonono cap. secundo.

FINIS LIBRI PRIMI.

M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA, LIBER SECVNDVS.



ARGVMENTVM.

Agitat hoc capite tria, Quando Rhetori tradendus sit puer, Quousque Grammatici professio extendatur, unde Rhetoris inchoet. Prima, quę pręcipua est, ex alijs pendet. Rhetori tradendum esse puerum monet quando per iustam eruditionem poterit, neque enim ætatis habendam rationem. Id autem uere æstimari non posse, nisi rhetoris & grammatici professiones suis terminis circunscribantur, & quasi certis cancellis includantur. Et grammaticum quidem suę artis appellatione, quę intra literas consistit, assumptis poetarum & historicorum uiribus, contentum esse debere. Rhetorem etiam primæ suæ artis opuscula, ut sunt narrationes, laudes, uituperationes, loci communes, non oportere detrectare, quamuis consuetudo, huius uel ignauia aut fastu, uel illius temeritate licentiaque diuersum obtinuerit, quæ si locum habeat, rhetori tardius: sin minus, eodem cuius opus fere, etiam cum grammaticis puer operam dabit: neque enim incommodum esse ut eodem tempore grammatico & rhetori diuersis horis det operam puer, quòd horum quisque rectius suas partes obiturus sit.

Quando sit Rhetori tradendus puer. Cap. I.



ENVIT consuetudo, quæ quotidie magis inualescit, ut præceptoribus eloquentiæ, Latinis quidem semper, sed etiã Græcis interim, discipuli serius quàm ratio postulat, tradantur. Eius rei duplex est caussa: quòd & Rhetores utique nostri suas partes omiserunt, & Grammatici alienas occupauerunt. Nam & illi declamare modò, & scientiam declamandi ac facultatem tradere, officij sui ducunt, idq; intra deliberatiuas iudicialesq; materias: nam cætera ut professione sua minora despiciunt: & hi non satis credunt excepisse quæ relicta erant (quo nomine gratia quoque his est habenda) sed ad prosopopœias usq;, & ad suasorias, in quibus onus dicendi uel maximum est, irrumpunt. Hinc ergo accidit, ut quæ alterius artis prima erant opera, facta sint alterius nouissima: & ætas altioribus iam disciplinis debita, in schola minore subsideat, ac Rhetoricen apud Grammaticos exerceat. Ita, quod est maximè ridiculum, non ante ad declamandi magistrum mittendus uidetur puer, quàm declamare iam sciat. Nos suum cuiq; professioni modum demus. Et Grammatice (quam in latinum transferentes, literaturam uocauerunt) fines suos norit, præsertim tantum ab hac appellationis suæ paupertate, intra quam primi illi constitere, prouecta. Nam tenuis à fonte, assumptis poetarum historicorumque uiribus, pleno iam satis alueo fluit: cum præter rationem rectè loquendi, non parùm alioqui copiosam, propè omnium maximarum artium scientiam amplexa sit. Et Rhetorice, cui nomen uis eloquendi dedit, officia sua non detrectet, nec occupari gaudeat pertinentem ad se laborem: quæ dum operæ cedit, iam penè possessione depulsa est. Nec inficiabor, ex ijs aliquem qui Grammaticen profitentur, eousque scientiæ progredi posse, ut ad hæc quoque tradenda sufficiat: sed cum id aget, Rhetoris officio fungetur, non suo. Nos porrò quærimus, quando ijs quæ Rhetorice præcipit, percipiendis puer maturus esse uideatur. In quo quidem non id est æstimandum, cuius quisque sit ætatis, sed quantum in studijs iam effecerit. Et ne diutius differam quando sit Rhetori tradendus, sic optimè finiri credo, Cum poterit. Sed hoc ipsum ex superiore pendet quæstione. Nam si Grammatices munus usque ad suasorias (quæ sunt apud Rhetorem materiæ inter rudimenta dicendi) prorogatur, tardius Rhetore opus est. Si Rhetor prima operis sui officia non recusat, à narrationibus statim, & laudandi uituperandique opusculis cura eius desideratur. An ignoramus antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut theses dicerent, & communes locos, & cætera circa complexum rerum personarumque, quibus ueræ fictæque controuersiæ continentur? Ex quo palam est quàm turpiter deserat eam partem Rhetorices institutio, quàm & primam habuit, & diu solam. Quid autem est ex ijs de quibus supra dixi, quod non tum in alia quæ sunt Rhetorum propria, tum certè in illud iudiciale caussæ genus incidat? An non in foro narrandum est? qua in parte nescio, an sit uel plurimum. Non laus ac uituperatio certaminibus illis frequenter inseritur? Non communes loci? siue qui sunt in uitia directi, quales legimus à Cicerone compositos: seu quibus quæstiones generaliter tractantur, quales sunt editi à Quinto quoque Hortensio: ut, sit ne paruis argumentis credendum, & pro testibus, & in testes, in medijs litium medullis uersantur. Arma sunt hæc quodammodo præparanda semper, ut his, cum res poscet, utaris. Quæ qui pertinere ad oratorem non putabit, is ne statuam quidem inchoari credet, cum eius membra fundentur. Neque hanc (ut aliqui putabunt) festinationem meam sic quisquam calumnietur, tanquam eum qui sit Rhetori tradendus, abducendum protinus à Grammaticis putem. Dabuntur illis tum quoque tempora sua: neque erit uerendum, ne binis præceptoribus oneretur puer. Non enim crescet, sed diuidetur qui sub uno miscebatur labor: & erit sui quisque operis magister utilior: quod adhuc obtinent Græci, à Latinis omissum est: & fieri uidetur excusatè, quia sunt qui labori isti successerunt.*

Ex Rhetorũ fastu, & licentia Grammaticorum factum ut pueri Rhetoribus tardius tradantur.

Quid grammatice & rhetoricæ proprium, ab utrisq; etymologia.

Cice. in Oratore.

Caput præcipuum quæstionis.

* Hæc parenthesis nõ est in uetustis codicibus scriptis. Rhetoris officium.

Bene narrandi opus difficilimum. Loci communes duplices. Vt in paradoxis.

MOSELLANI.



RATIO] Rectus modus instituendi. Alienas] Rhetorum partes. Declamare] Fictas caussas exercendi gratia agere. Idque] Scilicet facere, dicunt sui officii esse. Materias] Caussas. Iudiciales] in quibus iudicis sententia expetitur. Cætera] id est materias laudatiuas & uituperatiuas. Nomine] Caussa. Gratia quoque his] Quòd scilicet rem desertam non dedignati sunt excipere. Prosopopœias] personarum fictiones. Irrumpunt] id est insiliunt. Opera] Officia suadendi & dissuadendi.

Debita] Destinata. Subsidat] Subhæreat. Rhetoricen] Narrando, suadendo, dissuadendo, pronunciando, &c. Prouecta] Progressa. Literaturam uocauerunt] Vnde etiam Grammaticos ueteres literatos uulgo appellauerunt, ut ex Cornelio nepote citat Sueto. Tranquillus in libro de claris Grammaticis, quo loco & hæc addit. Veteres, inquit, Grammatici & Rhetoricam docebant: ac multorum de utraque re commentarij feruntur. secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo, quanquam iam discretis professionibus, nihilominus uel retinuisse uel instituisse & ipsos quædam genera institutionum ad eloquentiam præparandam, ut problemata, periphrases, elocutiones, ethologias, atque alia hoc genus, ne scilicet, sicci omnino atque aridi pueri Rhetoribus traderentur, quæ quidem omitti iam uideo desidia quorundam, & infantia: non enim fastidio putem, hæc Sueto. Paupertate] Quæ scilicet literis debet contineri. Constitere] Permansere.

Permansere. Primi illi] Vt sunt Crates, Mallotes, &c. Vis eloquendi] Nam græcis φράζειν, eloquor dicitur. Detrectet] Non abneget. Opere] Officio. Effecerit] Profecerit, promouerit. Rudimenta] Præexercitamenta. Vt theses dicerent] Thesis est deliberatio aliqua, rationis usu probata, de negotio aliquo quod in consilium uenerit, ut, Num ducenda sit uxor? An bellum suscipiendum? An muri renouandi? atque id genus alia, de quibus solebant contendere. Cætera præexercitamenta] Quod scilicet idem testatur Suetonius in lib. De claris rhetoribus. Alia genera] Caussarum. Qua in parte] Narratiuæ. Plurimum] Artificij rhetorici. Certaminibus] Forensibus contentionibus. Non communes loci] Communis locus est oratio qua bona uel mala quæ alicui insunt amplificantur: ut contra tyrannum locus communis est, Quisquis reip. leges uiolauerit, capite plectendus esto. hac enim oratione in omnes qui legibus non obtemperant, commode uti licet: unde & nomen habet loci communis, quod ex æquo multis quadret. Hæc Aphtonius. Directi] Comparati. Compositos] Fuisse. Quæstiones] Scilicet propositæ. Generaliter] Generalibus argumentis. Medijs] In intimis penetralibus.

Hæc armata] id est loci communes. Quæ] Præexercitamen. Fundentur] Artificiose. Aliqui] Malo iudicio præditi. Labor] Scilicet puero. Quod] Quam rationem docendi. Labor] Præexercitando discipulos.

ARGVMENTVM.

Eligendum esse Rhetorices præceptorem maxima cura, sanctissimis præditum moribus, & omnibus quæ illam professionem deceant officijs insignem: quia pueri tum adulti ferocientes, & iam ad libidinem procliuiores facti, grauitate & sanctitate docentis in officio contineri debeant. Officia connumerat. Inuehitur in puerorum petulantiam, & assurgendi exultandique alijs declamantibus licentiam, quos ex præceptoris uultu & iudicio pendere oportebat. Postremo pueros ab adolescentibus separandos censet, ne ab illis ad uitia illectari, & ante tempus corrumpi queant.

De moribus & officijs præceporis. Cap. II.

ERGO cum ad eas in studijs uires peruenerit puer, ut quæ prima esse præcepta Rhetorum diximus, mente consequi possit, tradendus eius artis magistris erit. Quorum in primis inspici mores oportebit. Quod ego non idcirco potissimùm in hac parte tractare sum aggressus, quia non in cæteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quam diligentissimè putem, sicut testatus

Cap. 2. & 3.

sum libro priore: sed quòd magis necessariam eius rei mentionem facit ætas ipsa discentium. Nam & adulti ferè pueri ad hos præceptores transferuntur, & apud eos iuuenes etiam facti perseuerant: ideoque maior adhibenda tũ cura est: ut & teneriores annos ab iniuria sanctitas docentis custodiat, & ferociores licentia grauitas deterreat. Neque uero satis est summam præstare abstinentiam, nisi disciplinæ seueritate conuenientium quoque ad se mores adstrinxerit. Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, à quibus sibi libri traduntur, existimet. Ipse nec habeat uitia, nec ferat. Non austeritas eius tristis, non dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sit sermo. Nam quo sæpius monuerit, hoc rarius castigabit. Minimè iracundus: nec tamen eorum quæ emendanda erunt, dissimulator. simplex in docendo, patiens laboris, assiduus potius quàm immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus: quia res altera tædium laboris, altera securitatem parit. In emendando quæ corrigenda erunt, non acerbus, minimeq; contumeliosus. nam id quidem multos à proposito studendi fugat, quòd quidam sic obiurgant, quasi oderint. Ipse aliquid, immo multa quotidie dicat, quæ secum audita referant.

Præceptoris officia & mores.

Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen uiua illa, ut dicitur, uox alit plenius,

uiua uox plenius alit.

præcipueque præceptoris, quem discipuli, si modò rectè sunt instituti, & amant, & uerentur. Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos quibus fauemus. Minimè uerò permittenda pueris, ut fit apud plerosque, assurgendi exultandique in laudando licentia: quin etiam iuuenum modicum esse, cum audient, testimonium debet. Ita fiet, ut ex iudicio præceptoris discipulus pendeat, atque id se dixisse rectè, quod ab eo probabitur, credat. Illa uerò uitiosissima, quæ iam humanitas uocatur, inuicem qualiscunque laudandi, cum est indecora & theatralis, & seuerè institutis scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Superuacua enim uidetur cura, ac labor, parata, quicquid effuderint, laude. Vultum igitur præceptoris intueri tam qui audiunt, debent, quàm ipse qui dicit. Ita enim probanda atque improbanda discernent: sic stylo facultas continget, auditioni iudicium. At nunc proni atque succincti ad omnem clausulam non exurgunt modò, uerumetiam excurrunt, & cum indecora exultatione conclamant. Id mutuum est, & ibi declamationis fortuna. Hinc tumor, & uana de se persuasio, usque adeo, ut illo condiscipulorum tumultu inflati, si parum à præceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant. Sed se quoque præceptores intente ac modeste audiri uelint. Non enim iudicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. Quin, si fieri potest intendendus animus in hoc quoque, ut perspiciat quæ quisque, & quomodo laudet: & placere quæ bene dicet, non suo magis quàm eorum nomine delectetur, qui rectè iudicabunt. Pueros adolescentibus sedere permistos, non placet mihi. Nam etiam si uir talis, qualem esse oportet studijs moribusque præpositum, modestam habere potest etiam iuuentutem, tamen uel infirmitas à robustioribus separanda est: & carendum non solum crimine turpitudinis, uerumetiam suspicione. Hæc notanda breuiter existimaui. Nam ut absit ab ultimis uitijs ipse præceptor, ac schola, ne præcipiendum quidem credo. Ac siquis est qui flagitia manifesta in deligendo filij præceptore non uitet, iam hinc sciat cætera quoq; quæ ad utilitatem iuuentutis componere conamur, esse sibi ac parte omissa superuacua.

Quæ sint inter declamandum pueris uitanda.

Humanitas.

Vultus præceptoris.

Pueri ab adolescentibus separandi.

Cæsaris apophthegma.

MOSELLANI.

VIres] Profectus. Consequi] Assequi intelligentia. Conspici] Dignosci. Mores] Rationem uiuendi. Quod] Officium præceptoris. Eius rei] Officij. Adulti] Matura ætate prouecti. Ferociores] Intractabiliores. Grauitas] Seueritas morum. Licentia] Immodica libertate. Præstare abstinentiam] Vitiorum scilicet. Comitas] Affabilitas. Soluta] Licentiosa. Inde] Ex austeritate tristi.

Hinc] ex comitate dissoluta. Castigabit] Verbis seueris.

Nec dissimulanter] Non tacebit ea scilicet quæ sunt emendanda. Simplex] Facilis, apertus, minimè inuidus. Assiduus] Continuus. Immodicus] Non decet tam festinare prælegendo, quàm commeare. In laudandis dictionibus] Declamationibus. Malignus] Inuidus. Res altera] Malignitas laudandi. Altera] id est immodica laudatio, negligentia. Minime contumeliosus] Fastidiosus. Referant] imitatione exprimant. Suppeditet] Subministret. Tamen uiua illa uox] Sic Plinius lib. 2 in quadam epistola ad Nepotem suum scribit: Dices, habeo hic quos legam, non minus disertos. Etiam legendi semper erit occasio, audiendi non semper. multo magis, ut uulgo dicitur, uiua uox afficit: Nam licet acriora sint quæ legas, altius tamen in animo sedent, quæ pronunciatio, uultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit. Et diuus Hieronymus in epistola ad Paulinum: Habet, inquit, nescio quid latentis energiæ uiua uox: & in aures discipuli de authoris ore transfusa, fortius sonant. Imitemur] Effingamus eos. In laudando] Discipulos, & præceptorem. Humanitas uocatur] Sed immerito. Theatralis] Theatro digna. Seuere] Grauiter. Hostis] Pestis. Effuderint] Quicquid quoquo modo

ediderint. Discernent] Discipuli iudicio præceptoris. Facultas] Facilitas. Succincti] Parati. Clausulam] Periodum. Excurrunt] De sedibus suis. Exultatione] Gesticulatione. Id mutuum est] Muli mutuo scabunt. Hinc] Ex hac consuetudine. Tumor] Fastus. Illo tumultu] Applausu. Dicet] Præceptor uel discipulus. Moribus] Formandis. Vltimis] Extremis, maximis. Schola] Cœtus scholasticus. In hac parte] Qua optimi quique præceptores eligendi sunt.

CAMERARII.

SVppeditet] Sicut illud, ut amori tuo suppeditare possit. & de Oratore tertio: Facilè suppeditat omnis apparatus ornatusq; dicendi. Tamen uiua illa] ζώσης φωνῆς μᾶλλον ἐνέργεια, aiunt Græci; estq; apud Ciceronem secunda epistola ad Atticum.

ARGVMENTVM

Refellit eorum opinionem qui puerum eminentissimo statim tradendum negabant, sed mediocri committendum, his argumentis persuasi, quod & minores illi sufficerent docendis rudioribus, quodque eminentes ad minora sese dimittere nolint. Sufficere minores non posse probat, cum illi non minus, sed peius, & dedocenda doceant. Id Timothei musici exemplo confirmat. Optimum uero quemque non fastidire hanc curam, quia per inuia ad summam tendendum esse intelligat, rationemque & uiam maximè compendiariam noscat, per quam ad eloquentiam perueneris. Inde aliquas obiectiones soluit, & quo pacto prudens & probus præceptor se ad mensuram discentis submittat, & magna perspicuitate, quæ prima sit eloquentiæ uirtus, utatur, commemorat.

An protinus præceptore optimo sit utendum. Cap. III.

A moribus ad eruditionem transit.

NE illorum quidē persuasio silentio transeunda est, qui etiam eum idoneos Rhetori pueros putauerunt, non tamen continuò tradendos eminentissimo credunt, sed apud minores aliquandiu detinent: tanquam instituendis artibus magis sit apta mediocritas præceptoris, cum ad intellectum atque imitationem facilior, tum ad suscipiendas elementorum molestias minus superba. Qua in re mihi non arbitror diu laborandum, ut ostendam quanto sit melius optimis imbui, quantáque in eluendis quæ semel insederint uitijs, difficultas consequatur: cum geminatum onus succedentes premat, & quidem dedocendi grauius ac prius quàm docendi. Propter quod Timotheum clarum in arte tibiarum, ferunt duplices ab ijs quos alius instituisset, solitum exigere mercedes, quàm si rudes traderentur. Error tamen est in re duplex. Vnus, quòd interim sufficere illos minores existimant: & bono sanè stomacho contenti sunt. Quæ quanquam & ipsa reprehensione digna securitas, tamen esset utcunque tolerabilis, si eiusmodi præceptores minus docerent, non peius. Alter, ille etiam frequentior, quòd eos qui ampliorem dicendi facultatem sunt consecuti, non putant ad minora descendere: idque interim fieri, quia fastidiant præstare hanc inferioribus curam; interim, quia omnino non possint. Ego porro eum qui nolit, in numero præcipientium non habeo: posse autem maximè, si uelit, optimum quenque contendo. Primùm, quòd eum qui eloquentia cæteris præstet, illa quoque per quæ ad eloquentiam peruenitur, diligentissime percepisse credibile est: Deinde, quia plurimum in præcipiendo ualet ratio, quæ doctissimo cuique planissima est; Postremò, quia nemo sic in maioribus eminet, ut eum minora deficiant. Nisi forte Iouem quidem Phidias optimè fecit, illa autem quæ in ornamentum operis eius accedunt, alius melius elaborasset: aut orator loqui nesciet: aut leuiores morbos curare non poterit medicus præstantissimus. Quid ergo? non est quædam eloquentia maior quam ut eam intellectu consequi puerilis infirmitas possit? Ego uerò confiteor: sed hunc disertum præceptorem, prudentem quoque, & non ignarum docendi esse oportebit, summittentem se ad mensuram discentis: ut uelocissimus quisque si forte iter cum paruulo faciat, det manum, & gradum suum minuat, nec procedat ultrà quàm comes possit. Quid si plerunque accidit ut faciliora sint ad intelligendum, & lucidiora multo, quæ à doctissimo quoque dicuntur? Nam & prima est eloquentiæ uirtus, perspicuitas: & quo quisque ingenio minus ualet, hoc se magis attollere & dilatare conatur: ut statura breues, in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur. Nam tumidos, & corruptos, & tinnulos, & quocunque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non uirium sed infirmitatis uitio laborare: ut corpora non robore sed ualetudine inflantur: & recto itinere lapsi, plerũque diuertunt. Erit ergo obscurior etiam quo quisque deterior. Non excidit mihi, scripsisse me in libro priore, cum potiorem in scholis eruditionem esse, quàm domi dicerem, libentius se prima studia tenerosque profectus ad imitationem condiscipulorum, quæ facilior esset, erigere quod à quibusdam sic accipi potest, tanquam hæc quam nunc tueor sententia, priori diuersa sit. Id à me procul aberit. namque ea caussa uel maxima est cur optimo cuique præceptori sit tradendus puer, quòd apud eum discipuli quoque melius instituti, aut dicent quod inutile non sit imitari: aut siquid errauerint, statim corrigentur: at indoctus ille etiam probabit fortasse uitiosa; & placere audientibus iudicio suo coget. Sit ergo tam eloquentia quàm moribus præstantissimus, qui ad Phœnicis Homerici exemplum dicere ac facere doceat.

Optimis statim imbui utilissimum. Thimotheus Duplices, pro duplo maiores.

Vide Pausaniam Heliacon primo.

Prima eloquentiæ uirtus perspicuitas.

Cap. 2.

Ilia. 9 Cic. & 3. de Orato.

MOSELLANI.

PErsuasio] Fides, opinio: Idoneos] Maturos. Tanquam] Quasi. Mediocritas] Simplicitas. Ad suscipiendas] Sustinendas. Superba] Fastidiens. Qua in re] id est quæstione. Imbui] Statim infici, impleri. Eluendis] Exuendis, eximendis. Onus] Scilicet docendi. Prius] Scilicet tempore. Error] Falsa opinio. Existimant] Scilicet parentes. Stomacho] id est utcunque ualente mediocri iudicio eruditionis. quod in corpore stomachus, hòc in animo ingenium est. Securitas] Ignauia. Præceptores] Mediocres. Prius] Citra iudicium. Frequentior] Quàm scilicet prior. Descendere] Sese dimittere. Idque] Quod scilicet non descēdit ad minora. Interim] Partim. Inferioribus] Rudimentis.

Neque possunt] Non possunt sese demittere ad inferiora. Nolint] sese demittere. Non habeo] Censeo, refero. Posse autem] Scilicet inferiora præstare. Contendo] Rationibus certis comprobare conor. Ratio] Certus modus instituendi, &c. Planissima] Manifestissima. Eminet] Prælucet, nisi absurda quæ sequantur. Phidias] Statuarius nobilissimus, cuius meminit Plinius libro tregesimoquinto, cap. quinto. Iouem] Statuam Iouis Olympi. Loqui] Quod est Grammatici. Prudentem] Accuratum, rerum usu doctum.

Mensuram] Mediocritatem. Minuat] Contrahat. Faciliora] Magis exposita. Perspicuitas] Facilitas intelligendi.

Eriguntur] Surrigunt sese. Tumidos] Præceptores inflatos. Corruptos] Infelici iudicio præditos, uel malum dicendi genus habentes. Genere peccantes] Vtentes. Tinnulos] Plus satis tenues & acutos in dicendo. Cacozeliæ] Infelicia imitationis genere dicendi. Diuertunt] Diuerticula quærunt.

Quod] scilicet dictum à me. Id] Scilicet ut uerba meæ sententiæ sint contraria. Vitiosa] scilicet dicta, uel scripta. Ad Phœnicis Homerici] nā hic Phœnix apud Homerum sic ad Achillem uerba facit, Propterea, inquit, tuus pater me tibi adhibuit præceptorem, ut te docerem hæc omnia, uidelicet ut & sermone eloquens, & rebus agendis ciuilis euaderes. Facere] Rectos mores præstare.

CAMERARII.

IOuem quidem Phidias] Magna fuit ad admiratione hoc Phidiæ opus, quod & ipsi authori ualde placuisse apparet. Interrogatus enim quo fuisset exemplo usus in exprimenda diuina illa maiestate, pronunciasse Homericos uersus dicitur ex Iliados ά, quos ita uertimus:

Sic

Sic ait, atque ſupercilijs pater annuit atris,
Ambroſiæque altè diuino à uertice regis
Defluxere comæ, magnusque tremiſcit Olympus.

Sed quod ad hunc locum Fabij attinet, ex Pauſaniæ Eliacῶn primo excerptum ſubiciam, ubi uerboſe ſimulacrum Iouis Olympij deſcribitur. Ipſum, inquit, Dei ſimulacrum Phidian feciſſe, etiam inſcriptio teſtatur, quæ ſub Iouis pedibus talis legitur: φειδίας χαρμίδου υἱὸς ἀθηναῖος μ᾽ ἐποίησε, hoc eſt, Phidias Charmidæ filius Athenienſis me fecit. Et aliquanto poſt; Ipſe Deus in ſolio reſidet, factus ex auro & ebore. capiti corona eſt impoſita, formam habens ramorum Oleæ, dextera fert Victoriam. & ipſam eburneam, & aurea corona redimitam & faſcia. & læua ſceptrum tenet admodum fabrefactum, uarium metallorum omnis generis quaſi floribus In ipſo ſceptro alea reſidet, ea eſt aquila aurea autem ſunt Dei & calceamenta, & pallium, in quo quaſi intexta uiſuntur & animalcula, & lilia. Cæterum ſolium diſtinctum eſt auro & gemmis, & ebeno & ebore, ubi animalia inſculpta ſunt, multa, picturis interſperſa. Iuxta ſingulos autem pedes ſolij, ſigna ſunt quaterna Victoriæ, ſic effecta, quaſi choream ducant. Duo item ſubter imum pedem. Præterea ſolij latera intra pedes quatuor uarijs ſunt ſignis & hiſtorijs inſignita. Fecit autem & Phidias ſupra Iouis caput Gratias Horasq;, trea utraſque, quòd & hæ & illæ Iouis filiæ perhibeantur. Verum ſcabellum ſuppoſitum pedibus Iouis, Athenienſes θρᾶνον uocant, aureos leones continet, & Theſei cum Amazonibus prælium. At in baſi cui ſolium inſiſtit, multorum Deum ſigna ſunt aurea, Solis, Iouis, ac Iunonis, & iuxtà Gratiæ, quibus adhæret Mercurij, Veſtę, Amoris, qui emergentem mari Venerem excipit. Venerem autem coronat Suadela. Apollinis ac Dianæ, Herculis, Neptuni ac Amphitritæ, & Lunæ. Iouis ſimulacrum cum abſoluiſſet Phidias, ſupplex illum rogauit, ut ſibi indicaret num ex ipſius ſententia eſſet perfectum. Tum ferunt pauimentum ſubito fulmine ictum.

Cacozeliæ] Prauæ imitationis, ut ſi quis in oratione horrorem uetuſtatis Salluſtianæ, in carmine ſimiliter aſperitatem Catullianam, aut Propertij incompoſitos uerſus dicat ſe imitari. Hoc enim ex uitium exiſtere imbecillitate ſolet, ſicut contraria huic facilitas quoque, ut quibus noua iſta orationis leuitas placet, qualis eorum eſt qui in Latini ſermonis compoſitione Grecorum quorundam maximeq; recentium ſunt ſimillimi. Quod in uerſum etiam mollitudine reprehendi poſſit: & datum uitio Ouidio fuit. Phœnicis Homerici] Hoc ita Cicero de Oratore tertio: Vt ille apud Homerum Phœnix, qui ſe à Peleo patre Achilli iuueni comitem eſſe datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem uerborum, actoremq; rerum, Homeri uerſuum ea Iliad. 9. ſententia:

Meque ſenex tibi cuſtodem Peleus dedit, illo
Tempore, quo patria iuſſit decedere Phthia
Atridæ auxilio uenturum. tunc neque fandi
Gnarus eras, neque bellorum certamina doctus,
Laus quibus humana exiſtit celeberrima rebus.
Ille igitur tibi præficit me utriuſque magiſtrum,
Qui te dicendi faciendique inſtruerem arte.

ARGVMENTVM.

Primas apud Rhetorem exercitationes aggreditur, narrationes, præter eam quæ propria cauſſarum eſt, quàm in librum quartum differt, tres ſpecies facit, fabulam, argumentum, & hiſtoriam. hanc apud Rhetorem ſtatim tractandam puero proponit: nam poeticas quæ fabuloſæ ſunt, grammaticis addixit: eam quæ uult eſſe non ieiunam & aridam, ſed ſplendentem; nec rurſus ſinuoſam, aut poetica licentia laſciuientem. Quorum utrunq; cum uitioſum ſit, minus tamen eſſe copiæ quam inopiæ uitium. In paruis etiam copiam illam redundantem maxime probandam; quia cum ſterilia nullo labore uincantur, facile remedium ſit ubertatis. Eam ob rem magiſtrum aridum, & ex ſeſe nil niſi maciem & infirmitatem gignentem, in primis euitandum. Atque obiter quæ ratio ſit emendandi quæ à pueris conſcripta ſunt, praeſcripta, nempe nimia ſeueritate non eſſe ad deſperationem & diffidentiam redigendus, ſed mediocri laude, & dictatis interdum totis fere materijs, quae illi mirentur, & tanquam ſuas ament, excitandus, nec ferendam in illis extemporalem ſine cogitatione garrulitatē, quam plurima in. commoda conſequantur. Narrationibus confirmationes & confutationes ſubiungit, rerum non ſolum a poetis, uerumetiam ex ipſis annalium monumentis petitarum. Laudes clarorum hominum ac uituperationes, ſimplices primum, deinde comparatas annectit: ex quibus incredibilem manare utilitatem oſtendit. Hinc theſes ex rerum comparatione, ut utrū militaris ſit ne maior gloria quam iuriſperiti. Deinde locos communes in uitia citra complexum perſonarum: alios item de teſtibus & argumentis non minus ad forenſes actiones pertinentes; quibus qui uelut emblematis nulla cognitione rerum inſtructi ad omnem occaſionem utuntur, uehementer improbat. Admiſcet exercitationes quæ præparant ad coniecturales cauſſas; ut cum quęritur cur armata apud Lacedæmonios Venus. Atque ultimo loco legum tractandarum rationem ad laudem aut uituperationem, ad ſuaſionem aut accuſationem.

pro conſuetudine, & iure ciuitatum; & quicquid circa has refelli aut aſtrui poſſit (quod genus propter difficultatem exercitationes omnes ſuperat) diligente exequitur.

De primis apud Rhetorem exercitationibus. Cap. IIII.



HINC iam quas primas in docendo partes, Rhetorum putem, tradere incipiam: dilata parumper illa quę ſola uulgò uocatur arte Rhetorica. Ac mihi opportunus maximè uidetur ingreſſus ab eo cuius aliquid ſimile apud Grammaticos puer didicerit. Et quia narrationum, excepta qua in cauſſis utimur, tres accipimus ſpecies: Fabulam, quæ uerſatur in tragœdijs atque carminibus, non à ueritate modò, ſed etiam à forma ueritatis remotam: Argumentum, quod falſum, ſed uero ſimile Comœdiæ fingunt: Hiſtoriam, in qua eſt geſta rei expoſitio: Grammaticis autem poeticas dedimus: apud Rhetorem initium ſit hiſtoria, tanto robuſtior, quanto uerior. Sed narrandi quidem quæ nobis optima ratio uideatur, tum demonſtrabimus, cum de iudiciali parte dicemus. Interim admonere illud ſatis eſt, ut ſit ea neque arida prorſus atque ieiuna: (nam quid opus erat tantum ſtudijs laborem impendere, ſi res nudas atque inornatas indicare ſatis uideretur?) neque rurſus ſinuoſa: & accerſitis deſcriptionibus, in quas pleri que imitatione poetica licentia ducuntur, laſciua. Vitium utrunque: peius tamen illud quod eſt inopia, quàm quod ex copia uenit. Nam in pueris oratio perfecta nec exigi nec ſperari poteſt: melior autem eſt indoles læta, generoſiq; conatus, & uel plura iuſto concipiens interim ſpiritus. Nec unquam me in his diſcentis annis offendat ſiquid ſuperfuerit. Quin ipſis doctoribus hoc eſſe curæ uelim, teneras adhuc mentes more nutricum mollius alant, & ſatiari uelut quodam iucundioris diſciplinæ lacte patiantur. Erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta ætas adſtringat. Hinc ſpes roboris. Maciem namque & infirmitatem in poſterum minari ſolet protinus omnibus membris expreſſus infans. Audeat hęc ætas plura, & inueniat, & inuentis gaudeat, ſint licet illa non ſatis interim ſicca & ſeuera. Facile remedium eſt ubertatis, ſterilia nullo labore uincuntur. Illa mihi in pueris natura minimum ſpei dabit, in qua ingenium iudicio præſumitur. Materiam eſſe primum uolo uel abundantiorem, atque ultrà quàm oporteat fuſam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid uelut uſu ipſo deteretur, ſit modò unde excidi poſſit, & quod exculpi. erit autem, ſi non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, & quam cælatura altior rumpat. Quod me de his ætatibus ſentire minus mirabitur qui apud Ciceronem legerit, Volo enim ſe efferat in adoleſcente fœcunditas. Quapropter in primis euitandus, & in pueris præcipuè, magiſter aridus, non minus quàm teneris adhuc plantis ſiccum & ſine humore ullo ſolum. Inde fiunt humiles ſtatim, & uelut terram ſpectantes, qui nihil ſupra quotidianum ſermonem attollere audeant. Macies illis pro ſanitate, & iudicij loco infirmitas eſt, & dum ſatis putant uitio carere, in id ipſum incidunt uitium, quòd uirtutibus caret. Quare mihi ne maturitas quidem ipſa feſtinet, nec muſta in lacu ſtatim auſtera ſint: ſic & annos ferent, & uetuſtate proficient. Ne illud quidem quod admoneamus indignum eſt, ingenia puerorum nimia interim emendationis ſeueritate deficere. nā & deſperant, & dolent, & nouiſſimè oderunt: &, quod maximè nocet, dū omnia timent, nihil conātur. Quod etiā ruſticis notum

Fabula. Cic Rhet. 1:
Argumentū. Hiſtoria.
Lib. 1. cap. 4.
Libro. 4.
Sinuoſa narratio.
2. de Orat.
Quis modus ſit emendandi quæ a pueris conſcripta ſunt.

est, qui frondibus teneris non putant adhibendam esse falcem, quia reformidare ferrum uidentur, & cicatricem nondum pati posse. Iocundus ergo tum maximè debesset esse præceptor, ut remedia, quæ alioqui natura sunt aspera, molli manu leniantur: laudare aliqua, ferre quædam mutare etiã, reddita cur id fiat ratione: illuminare, interponẽdo aliquid sui. Nonnunquã hoc quoq; erit utile, totas ipsum dictare materias, quas & imitetur puer, & interim tanquam suas amet. At si tam negligẽs et stylus fuerit, ut emendationem non recipiat: expertus sum prodesse, quoties eandem materiam rursus à me tractatam, scribere de integro iuberem: posse enim eum adhuc melius, quatenus nullo magis studia quàm spe gaudent. Aliter autem alia ætas emendanda est, & pro modo uirium exigendum & corrigendum opus, Solebam ego dicere pueris aliquid ausis licentius aut lætius, laudare illud me adhuc, uenturum tempus quo idem non permitterem. ita & ingenio gaudebant, & iudicio non fallebantur. Sed ut eò reuertar, unde sum egressus: Narrationes stylo componi quanta maxima possit adhibita diligentia uolo. Nam ut primò eum sermo instituitur, dicere quæ audierint, utile est pueris ad loquendi facultatem, ideoq; & retroagere expositionem, & à media in utranq; partem discurrere sanè meritò cogantur, sed ad præceptoris gremium, & dum aliud non possunt, & dum res ac uerba connectere incipiunt, ut protinus memoriam firment: ita cum iam formam rectæ atq; emendatæ orationis accipient, extemporalis garrulitas, nec expectata cogitatio, & uix surgendi mora, circulatoriæ uerè iactationis est. Hinc parentum imperitorum inane gaudium, ipsis uerò contemptus operis, & inuerecunda frons, & consuetudo pessimè dicendi, & malorum exercitatio, &, quæ magnos quoque profectus frequenter perdidit, arrogans de se persuasio innascitur. Erit suum parandæ facilitati tempus, nec à nobis negligenter locus iste transibitur. Interim satis est si puer omni cura, & summo quantum ætas illa capit, labore, aliquid probabile scripserit: in hoc assuescat, huius rei naturam sibi faciat. Ille demũ in id quod quærimus, aut ei proximum poterit euadere, qui ante discet rectè dicere, quàm cito. Narrationibus non inutiliter subiungitur opus destruendi confirmandiq; eas, quod ἀνασκευὴ καὶ κατασκευὴ uocatur. Id porro non tantum in fabulosis & carmine traditis fieri potest, uerumetiam id ipsis annalium monumentis: ut si quæratur an sit credibile super caput Valerij pugnantis sedisse coruum, qui os oculosq; hostis Galli rostro atque alis euerberare: sit in utranque partem ingens ad dicendum materia, ut de serpente quo Scipio traditur genitus, & lupa Romuli, & Aegeria Numæ. Nam Græcis historijs plerunq; poeticæ similis est licentia. Sæpe etiã quæri solet de tempore, de loco, quo gesta res dicitur. Nonnunquam de persona quoque, sicut Liuius frequentissime dubitat, & alij ab alijs Historici dissentiunt. Inde paulatim ad maiora tendere incipiet, laudare claros uiros, & uituperare improbos: quod non simplicis utilitatis opus est. Nanque & ingenium exercetur multiplici uariaq; materia, & animus contemplatione recti prauiq; formatur, & multa inde cognitio rerum uenit: exemplisq;, quæ sunt in omni genere caussarum potentissima, iam tum instruitur, cum res poscet usurus. Hinc illa quoque exercitatio subit comparationis, uter melior, uter ue deterior: quæ quanquã uersatur in ratione simili, tamen & duplicat materiam, & uirtutum uitiorumq; non tantùm naturam, sed etiam modum tractat. Verùm de ordine laudis, contraq;, quoniam tertia hæc Rhetorices pars est, præcipiemus suo tempore. Communes loci (de ijs loquor quibus citra personas in ipsa uitia moris est perorare, ut in adulterum, aleatorem, petulantem) ex medijs sunt iudicij, & si reum adijcias, accusationes: quanquam hi quoq; ab illo generali tractatu ad quasdam deduci species solent, ut si ponatur adulter cæcus, aleator pauper, petulans senex. Habent autem nonnunquam etiam defensionem. Nam & pro luxuria & pro amore dicimus, & leno interim parasitusq; defenditur: sic ut non homini patrocinemur, sed crimini. Theses autem quæ sumuntur ex rerum comparatione, ut rusticane uita an urbana potior, Iurisperiti an militaris uiri laus maior, miræ sunt ad exercitationem dicendi speciosæ atq; uberes: quæ uel ad suadendi officium, uel etiam ad iudicium disceptationemq; iuuant plurimum. Nam posterior ex prædictis locus, in caussa Murænæ copiosissime à Cicerone tractatur. Sunt & illæ penè totæ ad deliberatiuum pertinentes genus, ducenda ne uxor, petendine sint magistratus. Nanque personis modo adiectis suasoriæ erunt. Solebant præceptores mei, neque inutili, & nobis etiam iucundo genere exercitationis, præparare nos coniecturalibus caussis, cum quærere atque exequi iuberent, cur armata apud Lacedæmonios Venus: & quid ita crederetur Cupido puer, ac uolucer, & sagittis ac face armatus, et similia: in quibus scrutabamur uoluntatem, cuius in controuersiis frequens quæstio est: quod genus chriæ uideri potest. Nam locos quidem, quales sunt de testibus, semper ne his credendum: & de argumentis, an habenda etiam paruis fides: adeò manifestum est ad forenses actiones pertinere, ut quidam nec ignobiles in officijs ciuilibus, scriptos eos, memoriæq; diligẽtissime mandatos, in promptu habuerint, ut quoties esset occasio, extemporales eorum dictiones his uelut emblematis exornarentur. Quo quidem (nec enim eius rei iudicium differre sustineo) summam uidebantur mihi infirmitatem de se confiteri. Nam quid hi possint in caussis, quarum uaria ac noua semper est facies, proprium inuenire, quomodo propositis ex parte diuersa respondere, altercationibus uelociter occurrere, testem rogare, qui etiam in ijs quæ sunt communia, & in plurimis caussis tractantur, uulgatissimos sensus uerbis nisi tanto antè præparatis, prosequi nequeant? Necesse est his, cum eadem iudicijs pluribus dicunt, aut fastidium moueant, uelut frigidi & repositi cibi: aut pudorem deprehensa toties audiendum memoria infelix supellex: quæ, sicut apud pauperes ambitiosos, pluribus & diuersis officijs conteratur: cum eo quidem, quòd uix ullus est tam communis locus, qui possit cohærere cum caussa, nisi aliquo propriæ quæstionis uinculo copulatus: appareatque eum non tam insertum, quàm applicitum uel quòd dissimilis est cæteris, uel quòd plerunq; assumi etiam parum aptè solet, non quia desideratur, sed quia paratus est: ut quidam sententiarum gratia uerbosissimos locos arcessunt, cum locos arcessunt, cum ex locis debeat nasci sentẽtia: Ita sunt autem speciosa hęc & utilia, si oriuntur ex caussa. Cæterũ quamlibet pulchra locutio, nisi ad uictoriam tendit, utique superuacua, sed interim etiam contra est. Verùm hactenus euagari satis fuerit. Legum laus & uituperatio iam maiores ac propè summis operibus suffecturas uires desiderãt: quę quidem Suasorijs magis an Controuersiis accommodata sit exercitatio, consuetudine & iure ciuitatum differt. Apud Græcos enim lator earum ad iudicem uocabatur: Romanis pro concione suadere ac dissuadere moris fuit. Vtroque aũt modo pauca de his, eo ferè certa dicũtur. Nã & genera sunt tria, Sacri, Publici, Priuati iuris. Quę diuisi ad laudẽ magis spectat, si quis eã per gradus augeat, quòd Lex, quòd Publica, quòd ad religionem deûm comparata sit. Ea quidem de quibus quæri solet, communia omnibus.

Aut

Marginal notes: Virg. Geor. 2. — Dictare materias. — Arrogantia magnos conatus perdit. Lib. 10. ca. 7. — De confirmatione & destructiõe narrationum. Liu. dec. 1 li. 7 Gal. lib. 9. ca. 11. Gal. li 7 c. 1 Liu. de. 3. l 6 & dec. 1. li. 1 — Laus & uituperatio, & earum utilitas. — Exempla potentissima. — Libro. 3. — Loci communes uirtutum & uitiorum. — Theses. — Auso sect. 2. Lactãtius de falsa religio. lib. 1. cap. 11. Propert. li. 2. — Loci cõmunes testiũ & argumẽtorũ. — Improbat eos qui locis cõmunibus instructi sine alia rerũ cognitione ijs ad omnẽ occasionẽ utentur. — Legum laus & uituperatio. — Vide Demosthe. in orat. πρὸς Λεπτίνην καὶ κατὰ Τιμοκράτους.

Sueto. in Cęsa. & Cic. in ora. pro domo sua.
* Vide Macrobiũ. lib. 1. Saturn. c. 19.

*Aut enim de iure dubitari potest eius qui rogat, ut de P. Clodij, qui non rite creatus Tribunus arguebatur: Aut de ipsius rogationis quod est uarium, siue non * trino forte nũdino promulgata, siue non idoneo die, siue contra intercessiones, uel auspicia, aliud ue quid quod legitimè obstet, dicitur lata esse uel ferri, siue alicui manentiũ legum repugnare. Sed hæc ad illas primas exercitationes non pertinènt. Nam sunt hæ citra cõplexum personarum, temporũ, caussarum. Reliqua eadem ferè uero fictoq; certamine huiusmodi tractantur. Nam uitium aut in uerbis est, aut in rebus. In uerbis quæritur: an satis significent, an sit in his aliquid ambiguum. In rebus, an lex sibi ipsa consentiat, an in populum ferri debeat, an in singulos homines. Maximè uerò commune est quærere, an sit honesta, an utilis. Nec ignoro plures fieri à plerisq; partes: sed nos iustum, pium, religiosum, cæteraq; his similia, honesto complectimur. Iusti tamen species non simpliciter excuti solet. Aut enim de re ipsa quæritur, ut digna' ne pœna uel præmio sit: Aut de modo præmij, pœnæ ue, qui tam maior quàm minor culpari potest. Vtilitas quoq; interim natura discernitur, interim tempore. Quædam an obtineri possint, ambigi solet.*

Cic. in ora. pro lege agraria.
Demosthenis & Aeschinis.

Ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando totas aliquando ex parte reprehendi solere, cum exemplum rei utriusque nobis claris orationibus præbeatur. Nec me fallit eas quoque leges esse, quæ non in perpetuum rogentur, sed de honoribus aut imperijs, qualis Manilia fuit, de qua Ciceronis oratio est. Sed de his nihil hoc loco præcipi potest. Constant enim propria rerum de quibus agitur, non communi qualitate. His ferè ueteres facultatem dicendi exercuerunt, assumpta tamen à dialecticis argumentandi ratione. Nam fictas ad imitationem fori consiliorumq; materias apud Græcos dicere, circa Demetrium Phalerea institutum ferè constat. An ab ipso id genus exercitationis sit inuentum (ut alio quoque libro sum confessus) parum comperi: sed ne ij quidem qui hoc fortissime affirmant, ullo satis idoneo authore nitũtur. Latinos uero dicendi præceptores extremis L. Crassi temporibus cœpisse, Cicero author est: quorum insignis maximè Plotius fuit.

Quando declamandi ratio cœperit. De caussis corrupt. elo.
Lib. 3. de Oratore.

MOSELLANI.

Hinc] Posthac. Excepta] Scilicet ea narratione. Fabulam] Argumentum. Robustior] Firmior, efficacior. Inornatas] Non uestitas uerborum copia. Lasciuia] Immodicè uagetur. Descriptionibus] Locorum, & temporum, & personæ, quæ fecerit, & cui personæ sit facta. Accersitis] Nimium affectatis. Vtrunque] Indicare scilicet, atque lasciuire. Indoles] Indicium & specimen futuræ rei. Iucundiori] Molliori, lasciuiori. Corpus] Scilicet pueri. Astringat] Gracilius reddat. Maciem] Macilentum habitum. Expressus] Delineatus. Sicca] Breuis. Ingenium] Ingenij ubertas. Iudicio] id est per iudicium. Præsumitur] Antesumitur & paratur, ut sese ultra homines non audeat exundare. Materiam] Scilicet orationis. Alludit ad materiam lignorum, qua fabri domos ædificant. Fusam] Amplam. Decoquent] Absument, translatio à rusticis defruta & sapam coquentibus sumpta. Ratio] Quæ in dies magis ac magis excrescit in puero. Limabit] Translatio à fabris ferrarijs sumpta. Deteretur] Consumetur. Sit] Scilicet materia. Cęlatura] Insculptura. Rumpat] Frangat. Apud Ciceronem] libro secundo de Oratore. Terram spectantes] Nihil egregium conantes, propter pusillanimitatem. Macies] Immodica tenuitas, & macor ille iudici carentis. Vitio] Immodicæ ubertatis. Virtutibus] Rerum & uerborum copia. Lacu] Torculari. Austera] Acrioris saporis. Proficient] meliora fient. Cicatricem] Vulneris obductum. Iucundus] Comis affabilis. Leuantur] Mitigantur. Sunt aspera] Translatio à Chirurgis sumpta. Quædam] Scilicet uitia. Interponendo aliquid] Vbi deficiunt. Dictare] Prælegere. Materias] Argumenta. Imitetur] Scilicet uerbis suis. Expertus sum] Scilicet in meis discipulis. Deintegro] Denuo. Enim] Scilicet expertus sum. Quatenus] id est quandò gaudent discipuli. Alia ætas] Adulta scilicet. Lætus] pinguis. Ingenio] Ingenij intentione.

Retroagere] retrogrado ordine narrare. Expositionem] Narrationem. Discurrere] Narrationem. Cogantur] Scilicet pueri. Adgremium] id est in conspectum & ad iudicium non possunt aliquid perfectum efficere. Memoriam] Ratiocinando. Extemporalis] id est ex improuiso & ex tempore. Expectata] Matura aliquantulum. Iactationis] quæ pertinet ad arrogantiam & iactantiam circulatorum & circunforaneorum. Locus] De paranda scilicet facilitate sermonis. Transibitur] Præteribitur. Naturam] quasi sibi iam à natura esset. Quærimus] perfectum scilicet Oratorem. Cito] Prompte, expedite, facile. ἀνασκευή] id est destructio propositæ alicuius rei in narratione. hac autem ratione euertenda sunt quæ neque admodum manifesta, neque omnino, ut nunc loquuntur, impossibilia uideantur, scilicet quæ mediam quandam conditionem habeant. Conuenit autem hoc exercitationis genere primùm authorem rei narratæ criminari, ac per hoc et fidem abrogare: deinde rei ipsius expositionem adiungere, quam particulatim infirmare decet, primùm quòd sit obscura, unde conficta uideri queat: quòd non uerisimilis, unde sic fieri non potuerit neque decuerit; si ut aduersarius uoluit, contigisset, multa inde sequi contendimus. Quod exercitationis genus omnem rhetoricę artis uim in sese continere tradit Aphthonius, unde hæc transtulimus. Iam uero narratæ rei confirmatio, κατασκευή dicitur, quę contrarijs rationibus est tractanda. Aegeria] Nympha. Græcis historicis] unde & nugator homo dictus est Herodotus, & fabulator Diodorus. unde Plinium. Inde] Post hæc genera exercitationis.

Laudare claros uiros] Tertia pars rhetorices continetur genere demonstratiuo. Formatur] Instituitur. Inde] ex hoc opere. Modum] Mensuram quandam. Hi] Loci communes. Generali tractatu] In quo non nominantur personæ. Adulter cæcus, &c.] In quos declamamus. Pro luxuria] Id est in defensionem insanæ prodigalitatis. Defenditur] Scilicet in scholis. Theses] Positiones. Comparatione] Collations. Militaris uiri] Equitis. Posterior] Scilicet locus, iuris periti, an militaris uiri laus maior. In caussa] Quam Cicero dixit pro Muræna contra Seruium Sulpitium Iurisconsultum. Illæ] Theses. Deliberatiuum genus] Quod potissimum locum habet in senatu, &c. Genus] Scilicet caussarum. Coniecturalibus caussis] Coniecturam Iuris periti hodie præsumptionem appellant. Quærere] Scilicet omnino. Exequi] Præstare ratione. Armata Venus] Lactantius libro Institutionum. 1. cap. 20 de Venere calua, ac armata, sic loquitur: Vrbe a Gallis occupata, obsessi in capitolo Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri caluæ consecrarunt. A Lacedæmonijs fortasse didicerant deos sibi ex euentis fingere, qui cum Messenios obsiderent, & illi furtim deceptis obsessoribus egressi, ad diripiendam Lacedæmonem cucurrissent, a Spartanis mulieribus fugati sunt. Cognitis autem hostium insidijs Lacedæmonij insequabantur. his armatæ mulieres obuiam longius exiuerunt: quæ cum uiros suos cernerent parere se ad pugnam, quia putarunt Messenios esse, corpora sua nudarunt. At illi uxoribus cognitis, & aspectu in libidinem concitati, sicut erant armati, permisti sunt, utique promiscue: nec enim uacabat discernere. Propter huius facti memoriam ædem Veneri armatæ, ac simulacrum posueruot. In hanc Venerem Politianus epigramma Græcum reliquit longe uenustissimũ, quod extat in epistol. uolumine, ni fallor, quarto. Cupido puer] Reddit Propertius horũ omniũ rõnem, his uersibus.

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit amorem,
Quorum hoc ultimum est,
Nec quisquam ex illo uulnere sanus abit.

Voluntatem] Scilicet eorum qui sibi hæc finxerunt. Genus] Scilicet exercitationis. Promptum] Ad manum semper. Extemporales] Non præmeditatæ, non ante præuisæ.

Emblematis] Emblemata propriè ea dicuntur, quæ uarij coloris in sternendis pauimentis interseruntur ueluti tessellæ: etiam colores diuersi uestibus intertexti, emblemata dicuntur. Græca origine, quasi tu dicas iniectamenta, a præpositione ἐν quæ in significat, & βάλλω, quod iacio. Quo] facto. Facies] Natura. Quomodo] scilicet possint. Altercationibus] Partis aduersæ. Rogare] Examinare. Tractantur] Vsu ueniunt. Tanto ante.] Multo. Prosequi] Exprimere. His] oratoribus pauperioribus. Fastidium] Tædium. Repositi] Bis cocti. Pudoré.] Scilicet moueant. Deprehensa] Oppressa. Audiendũ] Iudicium. Supellex] Parata rerũ copia. Ambitiosos] Honoris cupidos. Propriæ] Versantis in ipsa caussa.

[Eum] locum communem. [Insertum] Ipsi caussæ. [Applicitum] Quoquo modo, uel ui adductum [Vel] Scilicet mouet pudorem. [Desideratur] Id est uehementer quæritur ad caussam. [Quidam] Oratores. [Arcessunt] Attrahunt. [Nasci] Sua sponte oriri. [Quamlibet] quantumlibet. [Euagari] à proposito, quod erat de exercitamentis primis apud rhetorem. [Legum laus] Lex autem est, inquit Aphthonius, inuentum quoddam & donum deorum, aut decretum ciuitatis. Hanc commendabis tot ferè rationibus, quod sit legitimè lata, quòd sit iusta, utilis, quòd possit obtinere rectè. Totidem modis contrarijs uituperanda est lex eadem. [Operibus] Officijs rhetoricea. [Suffecturas uires] id est pares. [Suasorijs] Actionibus. [Controuersijs] Iudicialibus litibus. [Exercitatio] Legis uituperandæ & laudandæ. [Consuetudine] scilicet longa. [Iure] Scilicet municipali. [Iure ciuitatum] Ius est, inquit Vlpianus ex Celso iurisconf. ars boni & æqui, Huius studij duæ sunt positiones, publicum, & priuatum. Publicum est, quod ad statum rei Romanæ pertinet, Priuatum est, quod ad singulorum utilitatem. Sunt enim quædam publicæ utilia, quædam priuatim. Et publicum ius in sacris & sacerdotibus consistit, quod hic sacrum uocat Fabius ius, non habebat legum rogandarum morem. [Apud Græcos] Maximè Athenienses. [Iudicem] A quo examinaretur de legitima latione legis. [Vtroq;] Et Græco, & Romano. [Certa] Certis finibus circunscripta. [Genera] Species triginta sex. [Laudem] Scilicet iuris. [Eam] Legem [Quæri] Dubitari in legumlatione. [Omnibus] Scilicet iuribus. [Clodij] scilicet iure dubitabatur, aut dubitari potest. [Rogationis] Scilicet iure. [Quod] Scilicet ius rogationis. [Varium] Varijs modis tractatur. [Trino nundino] Triduo quo nundinæ celebrantur. Erat mos Romanis nundinis leges ferre, ut rusticæ tribus per occasionem nundinarum & ipsæ ad rogationem adessent. [Non idoneo] Quo legem ferre non licebat. [Intercessiones] Contra impedimenta & contradictionem aliorum tribunorum & magistratuum. [Legitimis] id est requisitis ad legem, uel legum ceremonijs. [Manentium] Consuetudine approbatarum. [Sed hæc] Reprehendere leges. [Vitium] Scilicet legis. [In rebus] Scilicet quæritur [Partes] Scilicet reprehendendi. [Vtilitas] Legis. [Natura] Naturali ratione. [Tempore] Ratione temporis. [Obtineri] Recipi à consuetudine. [Reprehendi] in hoc scilicet exercitationis genere. [Vtriusq;] Totam aliquando, nunc partem legis solere reprehendi. [Fallit] Me latet. [Perpetuum] Vt perpetuo durent. [Honoribus] Alicui. s. deferendis, qualis Manilia fuit Hæc a Manilio rogata, qua decernitur imperium ipsi Cn. Pompeio Magno. [Imperijs] Decernendis. [Ciceronis oratio] Pro lege Manilia. [Cōstant] Leges honorariæ. [Qualitate] Aestimatione. [His] Exercendi rationibus. [Facultatem] Copiam. [Assumpta] Scilicet mutuo. [Argumentandi ratione] Comprobationibus argumentorum. [Materias] Conficta caussarum argumenta. [Dicere] Tractare in scholis. [Phalereum] Tempore Demetrij Phalerei, ex cuius oratione Cicero dixit Athenas reduluisse. [Alio libro] Forte in eo libro qui est de caussis corruptæ eloquentiæ, qui non extat. [Hoc] Quod uidelicet declamādi ratio sit instituta à Demetrio. [Nituntur] Firmantur. [Cicero] In epistola quadam ad Titinium. [Plotius fuit] de hoc Plotio Gallo Cicero apud Sueto. de claris rhetoribus sic dicit. Equidem memoria teneo, pueris nobis primùm latine docere cœpisse P. Plotinum quendam, ad quē cum fieret concursus, quòd studiosissimus quisq; apud eū exerceretur, dolebam mihi idem non licere. continebat autem doctissimorum hominum authoritate, qui existimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia posse.

CHAMERARII.

QVæ sola] Accipio de præceptionibus Rhetoricis. Nam illas artem uocare solemus. [Sed etiam à forma] Vt fabula Atrei & Thyestis, Medeæ, Alcestidis, Iphigeniæ, & totæ narrationes μεταμορφώσεων. [Iudicio præsumitur] Hoc est, ubi ingenium iudicio cōstat seu concipitur. Ingenij enim naturalia est uis, iudicium studio paratur [Volo enim] Cicero de Oratore secundo. Volo enim se efferat in adolescente fœcunditas. Nam facilius, sicut in uitibus reuocantur ea quæ se nimium profuderunt, quàm si nihil ualet materies, noua sarmenta cultura excitantur, ita uolo esse in adolescente unde aliquid amputem. Non enim in eo potest esse succus diuturnus, quod nimia celeriter est maturitatem adsecutum. [Opus destruendi] Satis ipse explicat Fabius cuiusmodi sit opus & ἀνασκευὴ quæ est refutatio, & κατασκευή, quæ est assertio. Cæterum de Curtino Liuius lib. 7. apud Gellium etiam copiose recitatur historia lib. 9. capite undecimo. Idem & de Scipionis angue memorat libro septimo cap. primo. De Lupa Romuli Liuius 1 Itē q; de Aegeria. [Emblematis] Immissuras dicamus. Lucilij uersus apud Ciceronē legūtur.

Quàm lapide lexis compositæ ut tessellæ omnes.
Arte pauimento ac emblemate uermiculato.

[Armata apud Lacedemonios Venus?] Extat Ausonij carmen de Venere armata, ex Græco.

Παλλὰς τὰν Κυθέρειαν ἔνοπλον εἶπεν ἰδοῦσα·
Κύπρι, θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα;
Ἡ δ' ἁπαλὸν γελάσασα, τί μοι σάκος ἀντίον αἴρεις,
Εἰ γυμνὴ νικῶ, πῶς ὅταν ὅπλα λάβω.

Cupidinis autem picturæ caussas Propertius lib. II reddit. [Apud Græcos] Exempla possunt esse Demosthenis orationes πρὸς Λεπτίνην, καὶ κατὰ Τιμοκράτους. [P. Clodij] Suetonius in Cæsare scribit, traduxisse Cæsarem ad populum Clodium, cum Ciceronis in senatu querela fuisset offensus. Hic autem locus explicatus Ciceronis inuectione in Clodium pro domo sua. [Siue non trino] Nundinis Macrobius ait solitas rusticas tribus in urbem uenire mercium caussā. Itaq; leges & consulta tertijs nundinis promulgabantur, quas dixere trinundinum Video accepisse quosdam pro loco, quòd tribus in locis promulgationes fieri solerent, pro quibus Fabius facere uideri possit. [An in populum] Cum scriptum animaduertissemus, Præteritū, reposuimus populum, errarū enim ita in illa abbreuiatione putabamus [L. Crassi] Ciceronem ait hoc scribere Suetonius in epist. ad Titiniū. Seneca Decla. 2. Primus omniū Latinus Romæ Plotius fuit, puero Cic.

ARGVMENTVM.

Profuturum discipulis plurimum ait, si rhetor eos historiæ atq; etiam magis Orationum lectione instruxerit. Atq; hoc loco quod sit Rhetoris officium docet, nempe silentio facto unum aliquem per uices constituere lectorem, in quo uirtutes demōstrare, uel, si ita incidat, uitia possit, ut reliqui proximus pronunciationi quoq; assuescant: tum diligenter partes omnes orationis, earum uim & proprietatem excutere: ne quid maneat intactū: quid elocutionis inuentionisue proprium, quæ prudentia diuidendi, quæ subtilitas argumentandi: frequenter etiam suos interrogare, & eorum iudicium experiri. Fore etiam utile, si corruptæ & uitiosæ orationes pueris non quidem ad imitationem, sed ut uitari uitia facilius queant, proponantur. Neque interim prohibet ut uel ipse præceptor declamet, uel suos declamationibus exerceat: uerum multo plus collaturum discipulis, si hanc operam in grauium hominum orationibus posuerit. Et quia periculosum est sine delectū quemuis in manum sumere, optimos quosq; & candidissimos, suaui copia & perspicuitate amabiles, quales Cicero & Liuius, eligendos censet. Atq; authorum genera duo esse cauenda: horridū unum, & iam obliteratæ illius antiquitatis. alterum nouæ licentiæ lenocinijs sine grauitate lasciuiens. Solidis tamen & iam firmis ingenijs in utrisq; uersari permittit, ut ex illis uirile quiddam, ex his flosculos & nitorem detergendo rudis seculi squalore aptum colligere possint.

De lectione oratorum & historicorum apud rhetorem. Cap. V.

SED de ratione declamandi pòst paulò: interim, quia prima rhetorices rudimenta tractamus, non omittēdum uidetur id quoque ut moneam; quantum sit collaturus ad profectum discentium rhetor, si quemadmodum à grammaticis exigitur poëtarum enarratio, ita ipse quoque historiæ, atque etiam magis orationum lectione susceptos à se discipulos instruxerit: quod nos in paucis, quorum id ætas exigebat, & parentes utile esse crediderant, seruauimus. Cæterùm sentientibus iam tum optima, duæ res impedimento fuerunt, quòd & longa consuetudo aliter docendi fecerat legem, & robusti ferè iuuenes, nec hunc laborem desiderantes, exemplum nostrū sequebantur. Nec tamen etiam si quid noui uel serò inuenissem, præcipere in posterum puderet. Nunc uerò scio id fieri apud Græcos, sed magis per adiutores: quia non uidentur tempora suffectura, si legentibus singulis præire semper ipsi uelint. Et hercle prælectio, quæ in hoc adhibetur, ut facilè atq; distinctè pueri scripta oculis sequantur, etiam illa quæ uim cuiusq; uerbi, siquod minus usitatū incidat, docet, multum infra Rhetoris officium existimanda est. At demonstrare uirtutes, uel, si quando ita incidat, uitia: id professionis eius atq; promissi, qui se magistrum eloquentiæ pollicetur, maximè proprium est: eo quidem ualidius, quòd non utiq; hunc laborem docentium postulo, ut ad gremium reuocatis, cuius quisq; eorum uelit libri lectioni deseruiant. Nam mihi cum facilius, tum etiam multo magis

Cap. 11 infra.

De prælectione.

Quod rhetoris officiū in prælectione authorum.

magis uidetur utile, facto silentio unum aliquem (quod ipsum imperari per uices optimum est) constituere lectorem, ut protinus pronunciationi quoq; assuescant: tum exposita caussa in quam scripta legetur oratio (nã sic clarius quæ dicentur, intelligi poterunt) nihil ociosum pati, quodque in inuentione, quodq; in elocutione annotandum erit: quæ in proœmium conciliandi Iudicis ratio: quæ narrandi lux, breuitas, fides: quod aliquando consilium, & quàm occulta calliditas. Namq; ea sola in hec ars est, quæ intelligi nisi ab artifice non possit. Quanta deinceps in diuidendo prudentia, quàm subtilis & crebra argumentatio: quibus uiribus inspiret, quæ iocunditate permulceat. quanta in maledictis asperitas, in iocis urbanitas. ut deniq; dominetur in affectibus, atq; in pectora irrumpat, animumq; Iudicum similem ijs quæ dicit, efficiat. Tũ in ratione eloquendi, quod uerbum proprium, ornatum, sublime: ubi amplificatio laudanda, quæ uirtus ei contraria. quid speciose translatum, quæ figura uerborum, quæ lenis & quadrata, sed uirilis tamen compositio.

Quæ singularũ orationis partium propria.

Ne id quidem inutile, etiam corruptas aliquando & uitiosas orationes; quas tamen plerique iudiciorum prauitate mirantur, legi palam pueris, ostendique in his quàm multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciua, effœminata sint: quæ non laudantur modò à plerisque, sed (quod peius est) propter hoc ipsum quòd sunt praua, laudantur. Nam sermo rectus, & secundum naturam enunciatus, nihil habere ex ingenio uidetur: illa uero quæ utcunq; deflexa sunt, tanquàm exquisitiora miramur: non aliter quàm distortis, & quocunq; modo prodigiosis corporibus apud quosdam maius est precium, quàm ijs quę nihil ex communis habitus bonis perdiderunt: atque etiam qui specie capiuntur, uulsis, leuatisq;, & inustas comas acu comentibus, & non suo colore nitidis, plus esse formæ putant, quàm possit tribuere incorrupta natura: ut pulchritudo corporis uenire uideatur ex malis moribus.

Legẽdę etiã uitiosæ orationes.

Nec solum hæc ipse debebit docere præceptor, sed frequenter interrogare, & iudicium discipulorum experiri. Sic audientibus securitas aberit, nec quę dicentur, perfluent aures: simulq; ad id perducentur, quod ex hoc quæritur, ut inueniant ipsi, & intelligant. Nam quid aliud agimus docendo eos, quàm ne semper docendi sint?

Interrogandi frequẽter discipuli, & iudicium eorũ experiendum.

„ Hoc diligentiæ ge-
„ nus ausim dicere plus collaturum discentibus, quàm omnes
„ omnium artes, quæ iuuant sine dubio multum: sed latiore quadam comprehensione, per omnes quidem species rerum quotidie penè nascentium ire qui possunt? Sicut de re militari quanquam sunt tradita quędam pręcepta communia, magis tamen proderit scire, qua ducum quisque ratione, in quali loco, tempore, sit usus sapienter, aut contra. Nam in omnibus fere minus ualent præcepta, quàm experimenta.

Experimẽta præceptis potiora.

An uero declamabit quidem præceptor, ut sit exemplo suis auditoribus, non plus contulerint lecti Cicero ac Demosthenes? Corrigetur palàm siquid in declamando discipulus errauerit: non potentius erit emendare orationem? Quinimmo etiam iucundius. Aliena enim uitia quisque reprehendi mauult, quàm sua. Nec deerant plura quę dicerem: sed neminem hæc utilitas fugit: atq; utinam tam non pigeat facere istud, quàm non displicebit. Quod si potuerit obtineri, non ita difficilis supererit quæstio, qui legendi sint incipientibus. Nam quidem illos minores, quia facilior eorum intellectus uidebatur, probauerunt: alij floridius genus, ut ad alenda primarum ætatum ingenia magis accommodatum. Ego optimos quidem & statim, & semper, sed tamen eorum candidissimum quenque, & maximè expositum uelim: ut Liuium à pueris magis quàm Sallustium: & hic historiæ maioris est author: ad quem tamen intelligendum iam profectu opus sit.

Qui primũ legendi.

Liuius.

Cicero, ut mihi quidem uidetur, & iucundus incipientibus quoq;, & apertus est satis: nec prodesse tantum, sed etiam amari potest, tum (quemadmodũ Liuius præcipit) ut quisque erit Ciceroni simillimus.

Cicero.

In epist. ad filiũ: cuius meminit lib. 10. cap. 1.

Duo autem genera maximè cauenda pueris puto: Vnum, nequis eos antiquitatis nimius admirator, in Gracchorum, Catonisq;, & aliorum similium lectione durescere uelit. Fient enim horridi atque ieiuni. Nam neque uim eorum adhuc intellectu consequentur: & elocutione, quę tũ sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, contenti, quod est pessimum, similes sibi magnis uiris uidebuntur. Alterum, quod huic diuersum est, ne recentis huius lasciuæ flosculis capti, uoluptate quadam praua deleniantur, ut prędulce illud genus, & puerilibus ingenijs hoc gratius, quo propius est, adament. Firmis autem iudicis, iamque extra periculum positis, suaserim & antiquos legere, ex quibus si assumatur solida ac uirilis ingenij uis, deterso rudis seculi squalore, tum noster hic cultus clarius enitescet: & nouos,
quibus & ipsis multa uirtus adest. Nec enim nos tardita „
tis natura dannauit: sed dicendi mutauimus genus, & ul- „
trà nobis, quàm oportebat, indulsimus. ita non tam ingenio illi nos superarunt, quàm proposito. Multa ergo *oportebit eligere: sed curandum erit, ne ijs quibus permista sunt, inquinentur. Quosdam uero etiam quos totos imitari oporteat, & fuisse *nuper, & nunc esse quidem, libenter non concesserim modò, uerumetiam contenderim. Sed hi qui sint, non cuiusque est pronunciare. Tutius circa priores uel erratur: ideoque hanc nouorum distuli lectionem, ne imitatio iudicium antecederet.

* licebit.

* semper.

MOSELLANI.

INterim] Deum eo peruenimus. [Quantum] Scilicet commodi. [Susceptos] In disciplinam, ad scholas. [Quod Genus rudimenti. [Sentientibus] Iudicantibus nobis. [Longa] Inueterata. [Robusti] Eruditiores. [Laborem] Tædium prælegendi. [Nostrum] Maiorum suorum, qui non fueramus usi prælectione. [In posterum[Posteris meis. [Legentibus] Orationes Demosthenis uel Ciceronis. [Præire[Iter ostendere. [Prælectio] A præceptore. [Pueri] Auscultantes. [Vim] Natura. [Officium] Dignitatem. [Virtutes] Elegantias rerum & uerborum. [Eius] Rhetoris. [Valdius] Magis. alij ualidius. [Laborem] Tædium. [Gremiũ] Instar nutricum. [Cuius quisq;, &c.] Græcismus est. [Libri] Eius. [Deseruiant] Indulgeant. [Lectorem] Orationis. [Pronunciationi] Actioni. [Tum] Scilicet sic lectore constituto. [Caussa] Vel iudiciali, deliberatiua, uel demonstratiua. [Ociosum] Quod non peculiarem rationem & usum habeat. [Pati] Ferre scilicet iuratione quæ sic prælegitur. [Inuentione] Argumentorum. [Elocutione] in uerbis lectis uel non lectis. [Fides] Verisimilitas in hoc narrando. [Deinceps] Scilicet admonere debet præceptor. [Crebra] Densa. [Argumentatio] Explicatio argumentorum. [Inspiret] Intonet, penetret in animos audientium. [Maledictis] Tortis in aduersarium. [Asperitas] Acerbitas. [Iocis] Interspersis. [Affectibus] Mouendis. [Loquendi] Acervo uerborum. [Vbi] In qua orationis parte. [Virtus] Imminuito, quæ Græcis dicitur μείωσις. [Speciose] Cum decoro [Figura] Forma loquendi. [Lenis] Mediocris. [Quadrata] In quadrum redacta. Quadratum Latini scriptores illud dicere solent, quod habilissimum est, atque proximè ad perfectionem tendit, quemadmodum corpus quadratum apud Geometras secundam perfectionem habet ab orbiculari. Sic apud Græcos Simonides Lyricus poeta, ut citat Plato, uirum bonum τετράγωνον, id est quadrangulum uocat. Et Cornelius lib. Medicinæ. 2. corpus quadratum in homine dicit esse habilissimum, quod uidelicet neque nimis obesum turgeat, neque ualde gracile uiribus & robore deficiat, sed quod medio sese modo habeat, sitq; pectorosum, & neruosum, & hoc quoq; modo canes quadrati apud Columellam dicuntur. [Prauitate iudicandi] Infirmitate. [Humilia] Inefficacia. [Rectus] Purus [Deflexa] Detorta. [Præcium] Honor [Capiuntur] Delectantur. [Leuatisque] Crispi. [Acu] Calamistro. [Securitas] Negligẽtia. [Perfluent] Peruenient usque ad aures. [Displicebit] Scilicet omnibus quæ dixerim. [Obtineri] Scilicet à præcipientibus

& discentibus

& discentibus. Incipientibus] Scilicet artem rhetoricam tractare. Minores] Infirmiores. Videbatur] Scilicet pueris. Floridius] Picturatius. Genus] authorum, ut est Plinius Iunior. Primarum ętatum] Quæ per naturam florent, & succo quodam naturali turgent. Optimos] Scriptores, Ciceronem, Demosthenem, Herodotum. Candidissimum] Vt Herodotum, id est nitidissimum, expolitum, uenustum. Expositum] Intellectui peruium. Historiæ maioris est author] Dubium non est quin hoc ad Sallustium referendum sit, cuius authoritas, & in historia grauitas, longe plus Liuio celebratur & ab Augustino, & à diuo Hieronymo: tū & distichon quoddam circūfertur, quod Romæ etiam ante Martialis secula in laudem eius decantatum est,

Hic erat, ut perhibent doctorum corda uirorum.

Romona Crispus primus in historia.

Profecti] Aliquanta eruditione. Apertus] Expositis. Tum] Deinde. Quemadmodum Liuius præcipit] Plinius legendum erit dubio procul, quando constat ex Iuniore Plinio libro Epist. 3. maiorem Plinium sex uolumina conscripsisse, in quibus, inquit Plinius iunior, Oratorem ab incunabulis & instituit, & perficit. Vide Fabium lib. x. cap. 1 qui Liuium legit. Horridi] Ob antiquitatem. Vim] Vehementiam. Elocutione] Verborum delectu. Tum] Eorum seculo. Huic] Priori uitio. Lasciuiæ] Nimię uerbatis, & quasi licētię. Lasciuiæ flosculis] Nota dicendi genus nimio translationum & allegoriarum tum & incisionum usu fractum, & planè uariegatione quadam pictura tum, atque effœminatum. Delinantur] Demulceantur. Firmis iudicijs] Robustis ingeniis. Periculum] Aleam corruptionis. Detersо] Amoto. Cultus] Immodicus uerborum ornatus. Et nouos] Suaserim legendos. Virtus] Eloquendi. Genus] Rationem. Eligere] Scilicet ex recentioribus & uetustioribus. Tutius] Sine periculo. Erratur tutius cum priscis.

C A M E R A R I I.

REuocatis] Id est, non iubeo ut magister prælegat singulis eos libros quos attulerint, ut astruas reuocatis, ad deseruiat.

A R G V M E N T V M.

Qua ratione pueri ad ueram compositionem & plenam styli facultatē a præceptoribus perducendi sint, docet. Et primum duplicem ostendit uiā á diuersis usu receptam: unam, qua materias quas discipulis dabant in summa cāpita partitas, latius dicendo prosequebantur, & argumentis affectibusq; implebant: Alteram, qua easdem simplices proponere contenti, post declamationem in quo quisq; errasset, ostendebant, quatum, si separandæ sint, priorem subiectis rationibus longe commodiorem esse probat. Vtramq; rationem miscendam suadet, & primùm materias uelut pręformatas tradere secundum cuiusq; uires, deinde cum profecit breuia quędam signare uestigia. Postremo suis eos permittere uiribus, auium exemplo, suos pullos ad uolatum ita paulatim instituentium.

De diuisione. Cap. VI.

De materijs dandis.

FVIT etiam in hoc diuersum præcipientium propositum, quòd eorum quidam materias, quas discipulis ad dicendum dabant, non contenti diuisione dirigere, latius dicendo prosequebantur: nec solùm probationibus implebant, sed etiam affectibus. Alij cum primas modò lineas duxissent, post declamationes, quid omisisset quisq;, tractabant: quosdam uerò locos non minore cura, quàm cū ad dicendum ipsi surgerent, excolebant. Vtile utrumq;: & ideo neutrum ab altero separo: sed si facere tantùm alterum necesse sit, plus proderit demonstrasse rectam protinus uiam, quàm reuocare ab errore iam lapsos. Primum, quia emandationem auribus modò accipiunt, diuisionem uero ad cogitationem etiam & stylum perferunt: deinde, quòd libentius præcipientem audiunt, quàm reprehendentem. Siqui uero paulo sunt uiuaciores, in his præsertim moribus, etiam irascuntur admonitioni, & taciti repugnāt. Nec ideo tamen minus uitia apertè coarguenda sunt. Habenda enim ratio cæterorum, qui recta esse quæ præceptor non emendauerit, credent. Vtraque autem ratio miscenda est, & ita tractanda, ut ipsæ res postulabunt. Nanque incipientibus danda erit uelut præformata materia secundum cuiusq; uires. At cum satis composuisse se ad exemplum uidebuntur, breuia quædam demonstranda uestigia: quæ persecuti, iam suis uiribus sine adminiculo progredi possint. Nonnunquam credi sibi eos oportebit: ne mala consuetudine semper alienum laborem sequendi, nihil per se conari & quærere sciant. Quòd si satis prudenter dicenda uiderint, iam propè consummata fuerint præcipientis opera. Siquid errauerint adhuc, erunt ad ducem reducendi. Cui rei simile quiddam facientes aues cernimus, quæ teneris infirmisq; fœtibus cibos ore suo collatos partiuntur: at cum uisi sunt adulti, paulum egredi nidis, & circumuolare sedem illam præcedentes ipsæ docent: tum expertas uires, libero cœlo, suæq; ipsorum fiduciæ permittunt.

Qua ratione pueri ad plenā styli facultatē sint perducendi.

M O S E L L A N I.

MAterias] Argumenta. Dicendum] Declamandum. Diuisione] In capita declamationis conscribenda a discipulo. Dirigere] Ordinare. Implebant] Materias propositas. Lineas] Primam quādam effigiem declamationis diuisionibus ostendissent: translatione à pictoribus sumpta, qui docturi discipulos, solent ducere rudes lineas, quibus discipuli tandem se exerceant. Declamationes] Discipulorum. Tractabant] Examinabant. Locos] Declamationis, qui difficiliores esse uidebantur. Excolebant] Exornabant. Vtroq;] Instituendum. Tantum] Id est solum. Lapsos] Digressos à recto instituoq; itinere. Emendationem] Quæ sequetur declamationes. Auribus] Non etiam stylo, scriptura. Diuisionem] Ordinationem materiæ in sua capita quam magister pręscribit. Stylum] Scripturam. Perferunt] Traijciunt. Reprehendentē] Scilicet ea quæ sunt omissa. Viuaciores] Generosiores. Moribus] Corruptis. Repugnant] Obiurgationi. Recta] Scilicet in declamatione discipuli. Vtraque ratione] Vtrūque propositum. Præformata] Prius expolita. Vires] Facultatem ingenii, exercitationis. Exemplum] Præeuntis præceptoris. Vestigia] Rationes. Viribus] Propria ingenii facultate. Adminiculo] Porrigentis manum. Credi] permitti. Sibi] id est suis ipsorum uiribus. Ne mala cons.] Scilicet inducti. Alienum laborem] Præceptoris. Præcedentes] Præsilientes. Expertas] Comprobatas.

A R G V M E N T V M.

Consuetudinem sui temporis improbat, qua pueri quæ scribebant omnia ediscebant & declamabant. Id quemadmodum aliquando permittendum non inutile, maxime cum aliquid potius & limatius scripserint, ita lōge utilius electos ex claris authoribus locos ediscere, & hanc operam in illis ponere censet, quod argumentis subiectis probat.

De ediscendo. Cap. VII.

ILLVD ex consuetudine mutandum prorsus existimo in his de quibus nunc differimus ætatibus, ne omnia quæ scripserint, ediscāt, & certa, ut moris est, die dicant: quod quidem maximè patres exigunt: atq; ita demū studere liberos suos, si quamfrequentissime declamauerint, credunt: cum profectus præcipuè diligentia constet. Nam ut scribere pueros, plurimumq; esse in hoc opere planè uelim: sic ediscere electos ex orationibus uel historijs, aliòue quo genere dignorum ea cura uoluminum locos, multo magis suadeam. Nam & exercebitur acrius memoria, aliena complectendo, quàm sua: & qui erunt in difficiliore huius generis labore uersati, sine molestia, quæ ipsi composuerūt, iam familiarius animo suo affigent, & assuescent optimis, semperq; habebunt intra se, quod imitentur: etiam non sentientes, formam orationis illam quam mente penitus acceperint, exprimen. Abundabunt autem copia uerborū optimorum, & compositione, ac figuris iam non quæsitis, sed sponte & ex reposito uelut thesauro se offerentibus. Accedit his & iucunda in sermone bene à quoq; dictorum relatio, & in caussis utilis. Nam & plus authoritatis afferunt ea quæ non præsentis gratia litis sunt cōparata, & laudem sæpe maiorem, quàm si nostra sint conciliant. Aliquando tamen permittendum, quæ ipsi scripserint, dicere, ut laboris sui fructum etiam ex illa quæ maximè petitur laude plurimum capiant. Verùm id quoque tum fieri oportebat

Profectus diligentia constat.

Ediscendo e[lectos] ex authoribus insignes res, quasi parias cōmoda.

cum

cum aliquid commodius elimauerint: ut eo uelut præmio studij sui donentur, ac se meruisse ut dicerent, gaudeant.

MOSELLANI.

MVtandum] Delendum. Aetatibus] Primis, quas omnes septem Hippocrates in septem singulos distribuit annos. Studere] Perficere. Profectus] Scilicet studiorum. In hoc opere] Scribendi. Ea cura] Ediscendi. Complectendo] Cum complectuntur. Huius generis] Ediscendi scilicet. Intra se] In animo. Sentientes] Aliud agentes. Compositione] Structura. Figuris] Scilicet sententiarum & uerborum. Quæsitis] Affectatis. Sermone] Confabulatione. Caussis] Agendis. Conciliant] Parant Fructum] Dulcedinem. Elimauerint] Emendauerint, & ad formam quandam perduxerint.

ARGVMENTVM.

Discrimina ingeniorum nosse, & quo quemque natura ferat: & hinc quenque maxime qui imbecillo est ingenio, secundum uim naturamque ingenij sui docere, primam boni præceptoris uirtutem esse dicit: liberaliore autem ingenio præditum, quem oratorem fieri posse speramus, per omnia quæ oratorem perficiunt, exercendum & uersandum, Pancratiastæ exemplo, & Phonasci, qui non uno aliquo istarum artium aut certaminum genere, reliquis omissis contenti, in omnibus excellere student.

An secundum sui quisque ingenij docendus sit naturam. Cap. VIII.

*VIRTVS præceptoris haberi solet, nec immeritò, diligenter in ijs quos erudiendos susceperit, notare discrimina ingeniorũ, & quò quenq; natura maximè ferat, scire. Nam est in hoc incredibilis quædam uarietas: nec pauciores animorum penè quàm corporum formæ. Quod intelligi etiam ex ipsis oratoribus potest, qui tantum inter se distant genere dicendi, ut nemo sit alteri similis: quamuis plurimi se ad eorum quos probabant, imitationẽ composuerint. Vtile deinde plerisque uisum est ita quenque instituere, ut propria naturæ bona, doctrina fouerent, & in id potissimùm ingenia quò tenderent, adiuuarentur: ut siquis palæstræ peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnasium uenerit, expertus eorum omni modo corpus animumque, discernat cui quisque certamini sit præparandus: ita præceptorem eloquentiæ, cum sagaciter fuerit intuitus cuius ingenium presso limatoq; genere dicendi, cuius acri, graui, dulci, aspero, nitido, urbano maximè gaudeat, ita se commodaturum singulis, ut in eo quo quisque eminet, prouehatur: quòd & adiuta cura natura magis eualescat: & qui in diuersa ducatur, nec in ijs quibus minus aptus est, satis possit efficere: & ea in quæ natus uidetur, deserendo faciat infirmiora. Quod nihil (libera enim uel contra receptas persuasiones rationem sequenti sententia est) in parte uerum uidetur. Nam proprietates ingeniorum dispicere prorsus necessarium est. In his quoque certũ studiorum facere delectum nemo dissuaserit. Nanque erit alius historiæ magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius utilis studio iuris, ut nonnulli rus fortasse mittendi. Sic discernet hæc dicendi magister, quo modo palæstricus ille cursorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliudue quid ex ijs quæ sunt sacrorum certaminum. Verùm ei qui foro distinabitur, non in unam partem aliquam, sed in omnia quæ sunt eius operis, etiam siqua difficiliora discenti uidebuntur, elaborandum est. Nam & omnino superuacua erat doctrina, si natura sufficeret. An siquis ingenio corruptus ac tumidus, ut plerique sunt, inciderit, in hoc eum ire patiemur: aridum atq; ieiunum non alemus, & quasi uestiemus? Nam si quædam detrahere necessarium est, cur non sit adijcere concessum? Neq; ego contra naturam pugno. Non enim deserendum id bonum, siquod ingenitum est, existimo, sed augendum, addendumq; quod cessat. An uerò clarissimus ille præceptor Isocrates, quem non magis libri bene dixisse, quàm discipuli bene docuisse testantur eum de Ephoro atque Theopompo sic iudicaret, ut alteri frenis, alteri calcaribus opus esse diceret: aut in illo lentiore tarditatem, aut in hoc penè præcipiti concitationem adiuuandam docendo existimauit, cum alterius naturæ miscendum arbitraretur? Imbecillis tamen ingenijs sanè sic obsequendum sit, ut tantum in id quò uocat natura, ducantur. Ita enim quod solum possunt, melius efficient. Si uero liberalior * natura contigerit, & in qua meritò ad spem Oratoris simus aggressi, nulla dicendi uirtus omittenda est. Nam licet sit aliquam in partem pronior, ut necesse est, cæteris tamen non repugnabit, atque ea cura paria faciet ijs in quibus eminebat: sicut ille (ne ab eodem exemplo recedamus) exercendi corpora peritus, non si docendum Pancratiasten susceperit, pugno ferire uel calce tantum, aut nexus modò, atque in his certos aliquos docebit, sed omnia quæ sunt eius certaminis. Erit qui ex his aliqua non possit? In id maximè quod poterit incumbet. Nam sunt hæc duo uitanda prorsus: Vnum, ne tentes quod efficit non possit. Alterum, ne ab eo quod quis optime facit, in aliud cui minus est idoneus, trasferas. At si fuerit qui docebitur, ille quem adolescentes senem uidimus Nicostratus, omnibus in eo docendi partibus similiter utetur: efficietq; illum, qualis hic fuit, luctando, pugnandoq; (quorum utroque certamine ijsdem diebus coronabatur) inuictum. Et quanto id magis oratoris futuri magistro prouidendum erit? Non enim satis est dicere pressè tantùm, aut subtiliter, aut aspere: non magis quam phonasco acutis tantum, aut medijs, aut grauibus sonis, aut horum etiam particulis excellere. Nam sicut cithara, ita oratio perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta neruis consentiat.*

Cice. de opt. dicendi genere, & de cla. oratoribus.

Natura adiuta cura, magis eualescit.

Authoris sententia.

De his Aristot. li. 2. rhe. & Gelius li. 9. c. 38 antiquit.

Natura sine doctrina nõ sufficit.

Cic. 3. de ora.

Ingenia imbecilla quò natura uocat, ducenda.

* materia.

Pancratiastes.

Non tētanda quę fieri non possunt.

De Nicostrato uide Pausaniã Heliacon. 2.

Oratio ut cithara.

MOSELLANI.

IMmerito] Sine ratione. Notare] Obseruare. Quo] ad quam artem, professionem. Quod] Scilicet tantam uarietatem esse ingeniorum. Composuerint] Adornauerint. Deinde] Post hanc rationem. Propria] Insita ingenij bona. Doctrina] Ratione instituendi. In id] Disciplinarum genus. Palæstræ] Luctandi artis. Pueris] Studiosis palæstricę. Gymnasium] Exercitium. Certamini] Generi certationis. Sagaciter] Accurate. Limato] Exacto. Ita] Scilicet tradunt illum. Singulis] Disciplinis. Eminet] In quo quisque per naturam polleat. Prouehatur] Iuuetur. Adiuta] Promota. In diuersa] In naturæ suæ contraria. Aptus] Scilicet per naturam. Quod] Scilicet iam a me dictum. Libera] Absque periculo. Receptas] Vsu combrobatas. In parte] Id est ex. His] Scilicet ingeniorum proprietatibus. Historiæ] Scilicet olim scribendæ. Compositus] Aptus. Hæc] discrimina ingeniorũ. Palæstricus] Doctor palestræ. Quod] Genus. Sacrorum] Rerum comprobatarum. Foro] Contentionibus forensibus. Destinabitur] Dicabitur. Partem] Scilicet disciplinę. Operis] Rhetorici opificij. Natura] Scilicet felix per se. Corruptus] Infelici ingenio. Tumidus] Turgidus fastu. Inciderit] In scholam nostram. Detrahere] ob fœcunditatem scilicet ingenij. Adijcere] Scilicet aliquid ad bona naturæ. Contra naturam pugno] Immorandam censeo, Sed] Scilicet opinor. Cessat] Abest, tardum est, Præcipit] Festinabundo. Natura] Ingenio. Sane sic] Scilicet me permittente. Ducantur] Scilicet præceptione, Melius] Facilius, Liberalior] Felicior & dignior. Contigerit] Discipulo Libero] Homini generoso, Necesse est] Euenire in tanto ingeniorum uarietate. Ea] Scilicet diuersa. Cura] Diligentia & præceptoris, & discipuli. Eminebat] Per naturam. Exemplo] Scilicet palæstrici. Pancratiasten] Luctatorem atque pugilem; ut est πλῆττικὴ, id est percutiendi ars, ex qua hodie nata est ars gladiatoria Tunc & disci iactandi exercitatio in uso erat. Et qui his omnibus certabat generibus, πένταθλος dicebatur. qui autem pugillatoria uicisset, Pancratiastes nominabantur. id quod colligi potest ex lib. 2. Rhetoric. Aristotelis.

Calce]

Cales] Scilicet protrude. Nexus] Brachiorum & crurum implicationes. Certaminis] Pácratij. Erit] Scilicet discipulus. Possit] Scilicet efficere. Maxime] Scilicet per naturā Alterum] Cauēdum est Ab eo] Disciplinę genere. Transferas] Scilicet aliquem. Docebitur] In palæstra Partibus] Certaminum. Vtetur] Palestræ pręceptor. Illum] Discipulum. Quorum] Luctæ & pugnæ. Quanto] Quasi dicat maximè, infinitis partibus. Satis] Felicissimo oratori. Presse] Acute & breuiter. Subtiliter] Tenuiter. Aspere] inæqualiter. Phonasco] Exercitatori uoculationis, id est suauioris pronunciationis Sic enim Suidas exponit φωνασκεῖν, feliciorem & suauiorem pronunciationem exercendo reddere: origine sumpta à φωνὴ, uox, & ἀσκέω, exerceo. Acutis] Eleuatis. Medijs] Temperatis. Grauibus]. Depressis Imo] Principio. Ad summum] Finem. Neruis] Omnibus eius partibus,

CAMERARII.

Palæstricus] Id est gymnastes. Nam palæstram gymnasium dixere Sūt autem gymnica agonismata, stadium, πένταθλον, δίαυλος, δόλιχος, ὁπλίτης. Suntque hæc cursum nomina, πυγμὴ, hoc est cæstus. πάλη, hoc est lucta; παγκράτιον, cum totis uiribus decertabam pugnando luctandoque. ἅλμα, saltus. Nicostratus] Nicostratus ἐκ παγκρατιάσας τῆς ... ἰας, Isodoti filius, quem septimum ponit Pausanias in eorum numero qui iisdem diebus uicerint παγκράτιον καὶ πάλην, Eliacōn primo. Hoc loco obseruabis interpretatum esse Fabium παγκράτιον, pugnam Quod certamen quale fuerit, paulo ante descripsit. omnibus enim uiribus in eo utebantur, & quomodocunque poterāt aduersarium impetebant. Ne igitur dixeris pugiles τὰν παγκρατιαστὰς, qui sunt πύκται. Phonasco] Phonascum autem uocat magistrū uocalitatis, in qua mirum in modū elaborasse Græcos intellegi etiam ex Ciceronia lib. potest de Oratore primo.

ARGVMENTVM.

Quia parum profuerit docere nisi discipuli se præbeant dociles: quo pacto id fieri possit, demonstrat, nimirum si pietatem in præceptores exerceant, & eos tanquam animorum parentes colant amentque,

De officio Discipulorum. Cap. IX.

PLVRA de officijs docentium locatus, discipulos id unum interim moneo, ut præceptores suos non minus quàm ipsa studia amēt: & parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant: Multum hæc pietas cōfert studio. nam ita & libenter audient, & dictis credent, & esse similes concupiscent: in ipsos denique cœtus scholarum læti & alacres conuenient. emendati non irascentur, laudati gaudebant. at sint charissimi, studio merebantur. Nam ut illorū officium est docere, sic horum præbere se dociles alioqui neutrum sine altero sufficiet. Et sicut hominis ortus ex utroq; gignentiū confertur, & frustra sparseris semina, nisi illa præmollitus fouerit sulcus: ita eloquētia coalescere nequit nisi sociata tradentis accipientisq; cōcordia.

Pietas discipulorū in pręceptores multum confert studio.

MOSELLANI.

Non minus] Tardius, segnius. Cœtus] Consessus. Charissimi Pręceptori & condiscipulis. Studio] accurato. Dociles] Faciles ad docendum. Neutrum]; Neque doctrina præceptoris, nec docilitas discipuli. Confertur.] Conficitur Præmollitus] Aratro proscissus, & iembre conspersus. Sulcus] Ductus aratri. Fouerit] Contexerit.

ARGVMENTVM.

Pręexercitationes hactenus traditę sunt, & orationum membra à reliquis seiuncta: nunc corpus ipsum, declamationes iudiciales & suasorias, ultimum rhetoris munus aggreditur: & primū eas ab utilitate cōmendat: deinde formam depingit, ostenditq; quid sit earum proprium, nempe ut ueris actionibus sint quam simillimæ, quamuis plusculum nitoris assumere permittantur, inuehitur in licentiā atq; inscitiam declamatorum: & quatenus poetica themata pertractāda iuuenibus permitti oporteat, statuit, nempe ut uberius luxuriantes crescant, & eloquentiæ uires maiores adijciant.

De utilitate & ratione declamandi. Cap. X.

IN HIS primis operibus, quæ non ipsa partes sunt, sed maiorum quasi membra atque partes, bene instituto, ac satis exercitato, iā ferè tempus appetet aggrediendi suasorias iudicialesq; materias: quarum antequam uiam ingredior, pauca mihi de ipsa declamandi ratione dicenda sunt: quæ quidem ut ex omnibus nouissime inuenta, ita multo est utilissima. Nam & cuncta illa de quibus diximus, in se ferè continet, & ueritati proximam imaginem reddit: ideoque ita est celebrata, ut plerisq; uideretur ad formandam eloquentiam uel sola sufficere. Neque enim uirtus ulla perpetuæ duntaxat orationis reperiri potest, quæ non sit cum hac dicendi meditatione communis. Eò quidem res ista culpa docentium recidit, ut inter præcipuas quæ corrumperent eloquentiam caussas, licentia atque inscitia declamantium fuerit. Sed eo quod natura bonum est, bene uti licet.

Vtilitas declamationes.

Sint ergo & ipsæ materiæ quæ fingentur, quàm simillimæ ueritati: & declamatio inquantum maximè potest, imitetur eas actiones in quarum exercitationē reperta est. Nam magos, & pestilentiam, & responsa, & sæuiores Tragicis nouercas, aliaq; magis adhuc fabulosa, frustra inter sponsiones & interdicta quæremus. Quid ergo? Nunquā hæc supra fidem, & poetica (ut uere dixerim) themata, iuuenibus pertractare permittemus, ut expatientur, & gaudeant materia, & quasi * in corpus eant? Erat optimum: sed certè sint grandia & tumida, non stulta etiam, & acrioribus oculis intuenti ridicula: ac si iam cedendum est, impleat se declamator aliquando, dum sciat, ut quadrupedes cum uiridi pabulo distentæ sunt sanguinis detractione curantur, & sic ad cibos uiribus conseruandis idoneos redeunt; ita sibi quoque tenuandas adipes, & quicquid humoris corrupti contraxerit, emittendum, si esse sanus ac robustus uolet. Alioqui tumor ille inanis primo cuiusq; ueri operis conatu deprehendetur. Totum autem declamandi opus qui diuersum omnino à forensibus caussis existimāt ij profecto ne rationem quidem qua ista exercitatio inuenta sit, peruident. Nam si foro non præparat: aut scenicæ ostentationi, aut furiosæ uociferationi simillimū est. Quid enim attinet iudicem præparare, qui nullus est? narrare quod omnes sciant falsum? probationes adhibere caussę, de qua nemo sit pronunciaturus? Et hæc quidem otiosa tantū: affici uero, & ira uel luctu permouere, cuius est ludibrij, nisi quibusdam pugnæ simulacris ad uerum discrimen aciemq; iustam consuescimus? Nihil ergo inter forense genus dicēdi, atque hoc declamatorium intererit? Si profectus gratia dicimus, nihil. Vtinamq; adijci ad consuetudinem posset, ut nominibus * uteremur! & perplexæ magis, & longiores aliquando actus controuersiæ fingerentur, & uerba in usu quotidiano posita minus timeremus, & iocos inserere moris esset: quæ nos, quamlibet per alia in scholis exercitati simus, tyrones in foro inueniunt. Si uero in ostentationem comparetur declamatio, sanè paululum aliquid inclamare ad uoluptatem audientium debemus. Nam & ijs actionibus quæ in aliqua sine dubio ueritate uersantur, sed sunt ad popularem aptatæ delectationem, quales legimus Panegyricos, totumque hoc demonstratiuum genus, permittitur adhibere plus cultus, omnemq; artem (quæ latere plerunq; in iudicijs debet) non confiteri modò, sed ostentare etiam hominibus in hoc aduocatis. Quare declamatio, quoniam est iudiciorum consiliorumq; imago, similis esse debet ueritati: quoniam autem aliquid in se habet ἐπιδεικτικὸν, nonnihil sibi nitoris assumere. Quod faciunt actores Comici: qui nec ita prorsus ut nos uulgò loquimur, pronunciant, quod esset sine arte: nec procul tamen à natura recedunt, quo uitio periret imitatio: sed morem communis huius sermonis decore quodam scenico exornant. Sic quoque aliquas nos incommoda ex his quas finxerimus materijs, consequentur, in eo pręcipuè, quòd multa in his relinquuntur incerta, quæ sumimus ut uidentur, ætates, facultatès, liberi, parentes

Materiæ declamationū debēt esse ueris actionibus simillimæ.

Poetica themata quatenus tractāda, ἐμματεῦσαι græci dicunt.

Declamatio debet ad forum pręparare.

* nominibus, intellige propriis.

Panegyrici.

Absolute qualis declamatio esse debeat.

parentes, urbium ipsarum uires, iura, mores, aliaque his similia. Quin aliquando etiam argumenta ex ipsis positionum uitiis ducimus. Sed haec suo quęq; loco. Quanuis enim omne propositum operis à nobis destinati eò spectet, ut Orator instituatur: tamen nequid studiosi requirant, siquid erit quod ad scholas pertineat proprie, in transitu non omittemus.

MOSELLANI.

OPeribus] Exercitationibus primis. Declamandi] In ficta caussa orandi. Veritati] Id est, imitatur omnino formam ueri officii oratoris. Plerisque] Graecis scriptoribus. Virtus] Gratia, iucunditas, exornatio perpetuae prosae. Meditatione] Exercitatione. Eò] Propterea. Docentium] Scilicet peruerse, id est, uitiata est culpa docentium male. Licentia] Immodica lasciuia Materiae] Argumenta quae tractabantur in declamatione. Veritati] olim, quem nomine ueritatis hic accipit. Magos] Incantationes magicas. Tragicis] Scilicet personis & nouercis. Sponsiones] interpacta. Sponsiones] Quae frequentissimae fiunt in caussis, & sunt certi quidā contractus de re aliqua quae fieri debeat, uel nō fieri, firmanturq; sponsa ex promissa aliqua poena, si uel fiat, uel non fiat. Sic apud Plin. lib. 23. Cleopatra Aegypti regina sponsionem fecit cum Antonio, si nō centies sestertium, hoc est centies mille sestertiorū unica coena absumeret. Haec] Argumenta. Themata] Fabulosas positiones. Expatietur] In amoeniorea locos fabularū. Materia] Scilicet lasciuia. In corpus] Pinguescant. Erat optimū] Vt scilicet fiet in corpus irene. Stulta] Plus satis ridicula. Cedendum] Huic opinioni, quod scilicet pertractare permittemus pueros. Adipe] Pinguedinem, saginam orationis. Operis] Opificii. Deprehendetur] Obseruabitur. A forensibus caussis] Quae ferè in foro tractantur. Exercitatio] Ratio declamandi. Praeparat] Scilicet exordio. Nullus] Scilicet unquam in foro. Pronunciaturus] Sententiam laturus.

Ociosa] In nullum usum comparata. Ad consuetudinem] Declamandi. Nominibus] Scilicet adiectiuis, ut iudicie, testis.

Perplexae] Inuolutae, dubiae. Actus] Ductu eo quibus plus sudoris sit exhauriendum. Quae] Scilicet ignorata sit à nobis. Per alia] Genera exercitationum primarum. Ostentationē] Iactationem ingenii. Inclinare] Scilicet eam à ueris caussis forensibus aliàs declamare. Quales] Cuius generis. Panegyricos] Vt Gorgiae, Isocratis, atque aliorum. Est autem πανήγυρις, collectio populi, contentus. Panegyrici dicuntur orationes quae hominibus in hoc aduocatis, in laudem uel principis, reipublicae, uel etiam alterius magna rei magna olei iactura primum scribuntur, deinde ad populum recitantur. In quo genere extat Panegyricus Helenae titulo Gorgiae Rhetoris, & Traiani principis à Plinio iuniore habitus. Verum omnium maximè in hoc argumenti genere excellit Isocrates, uelut testatur Cicero in Bruto. In hoc] Vt ostenderemus nostram artem. ἐπιδεικτικόν] Ostentatiuum. Nitoria] Coltus immodici. Sine arte] Scilicet pronunciatione ipsorum, si sic dicerent ut nos fabulamur. Imitatio] Naturae. Decore] Persona quadam histrionica. Finaeritimus] Propter usum forensem omnino. Sumimus] Tanquam certam ad praecationem. Requirant] Tanquam omissum à nobis. In transitu] Obiter.

CAMERARII.

NAm Magos & pestilentiam] Exemplū Magi Declam. 10. earum quae Quintiliano adscribuntur. Nouercae prima. Responsi, quarta. Pestilentiae uidetur posse tale dari. Pestilentia grassante missi sunt qui oraculum consulerent: respondit Deus, si immolata fuisset quae nondum esset mater, cessaturum malum. Prius quàm uates de responso cognouissent, priuatus filiam suam mactauit. Vates statuere iuuencam, id est βοῦν ἄδμητον, immolandam, cessauit pestilentia: qui filiam occiderat, postulatur homicidii. Quae sumimus] Id est quae pro nostro arbitrio ponimus.

ARGVMENTVM.

Naturam ad eloquentiam minime sufficere, uerùm artem adiungendam contendit, refellendo & ridendo eorum ineptiam inscitiamque, qui contempta arte, naturae & ingenii uiribus gloriantes, pro tersa, culta, nitida, & ubique consona oratione, hiulca, dissoluta, & monstrosa utantur.

An artis huius necessaria cognitio sit. Cap. XI.



IAm hinc ergo nobis inchoanda est ea pars artis, ex qua capere initium solent qui priora omiserunt: quanquam uideo quosdam in ipso statim limine obstaturos mihi, qui nihil egere huiusmodi praeceptis eloquentiam putent: sed natura sua, & uulgari modo, & scholarum exercitatione contenti, rideant etiam diligentiam nostram, exēplo magni quoque nominis professorum, quorum aliquis, ut opinor, interrogatus quid esset σχῆμα & νόημα, nescire se quidem, sed si ad rem pertineret, esse in sua declamatione respondit. Alius percontanti, Theodoreus, an Apollodoreus esset, Ego, inquit, parmularius sum. Nec sanè potuit urbanius ex confessione inscitiae suae elabi. Porro hi, quia & beneficio ingenii praestantes sunt habiti, & multa etiā memoria digna exclamauerunt: plurimos habent similes negligentiae suae, paucissimos naturae. Igitur impetu dicere se, & uiribus uti gloriantur. Nec enim opus esse probatione aut dispositione in rebus fictis: sed (cuius rei gratia plenum sit auditorium) sententiis grandibus, quarum optima quaeque à periculo petatur. Quinetiam in cogitando nulla ratione adhibita, aut tectum intuentes, magnum aliquid quod ultro se offerat, pluribus saepe diebus expectantes, aut murmure incerto uelut classico instincti, concitatissimum corporis motum non enunciandis sed quaerendis uerbis accomodant. Nonnulli certa sibi initia priusquam sensum inuenerit destinant, quibus aliquid diserti subiungendum sit: eaque diu secum ipsi clareq; meditati, desperata connectandi facultate, deserunt: & ad alia deinceps, atque inde alia non minus communia atque nota diuertunt. Qui plurimum uidentur habere rationis, non in caussas tantum laborem suum, sed in locos intendunt: atque in his non corpori prospiciunt, sed abrupta quaedam, ut forte ad manum venere, iaculantur. Vnde fit, ut dissoluta & ex diuersis congesta oratio cohaerere non possit, similisque commentariis puerorum sit, in quos ea quę alii declamantibus laudata sunt, regerunt. magnas tamen sententias, & res bonas (ita enim gloriari solent) elidunt. nam & barbari, & serui: & si hoc sat est, nulla est ratio dicendi.

A declamatione, lusoria & iudicia si rhetores initiū capiebāt: qui grāmatici praexercitationes reliquerāt tanquā ad se nō pertinentes.

Cōtra imperitos artis cōtemptores.

MOSELLANI.

HInc] Post haec deinceps. Pars artis] Quae. s. uersatur in praeceptis. Priora] Scilicet arte à nobis praescripta. Quosdam] Malo iudicio praeditos. Limine] In ipso operis ingressu & uestibulo. Sed] Scilicet qui. Natura sua] Ingenii sui felicitate. Exemplo] Imitatione. Noema] Sententia. Theodorus] Id est imitator in dicendo Theodori Gadarei, qui insignis eloquentiae doctor fuit, quemadmodum indicat Fabius lib. 3. cap. 1 inter scriptores artis Rhetoricae. Apollodoreus] Imitator disciplinae Apollodori Byzantii, de quo & ipso est eodem loco apud Fabium. Parmularius] Id est, profiteor artem faciendarum parmularum. Sunt autem parmulae breuiora scuta, quibus ictus aduersarii excipimus. Porro hi] Scilicet qui arte contempserunt. Exclamauerunt] Declamationibus extulerunt. Igitur] Scilicet illi negligentiae patroni. Nec] Scilicet dicunt. Probatione] Argumentis ordine positis. Rebus fictis] Quae scilicet cadunt in declamationem. Cuius rei] id est quarum sententiarum. Periculo] Quasi ex tempore, cum iam dicendo uires ingenii periclitemur & ostentemus nō sine periculo, si res infeliciter cadat. Cogitando] Excogitando que dicere uelit. Magnum] Scilicet declamationis decorū.

Vltro] Non ex arte. Nonnulli] Contemptores artium.

Destinant] Concipiunt. Nota] Volgatiora quam fuerat priora. Rationis] Instituti sui. Caussas] Totas. Locos] Aliquos. Corpori] Toti caussae. Vnde] Ex quo exercitationis uitio fit. Cōmentariis] Collectaneis. Congerunt] Conuertūt. aliàs regerunt. Elidunt] Eiaculantur. Nam &] Scilicet ita elidunt. Barbari] Saepe etiam stultus fuit opportuna locutus.

Agumentum.

ARGVMENTVM.

Hoc caput ex superiori pendet, rationes etenim profert quibus uideantur imperiti, ineruditos & artis expertes melius artificibus & eruditis dicere iudicent: quia trahant, non ducant: rumpant, non soluant: effringant, non aperiant, quod illis uidetur robustius. Quia diuisione (quæ speciem uirium minuere uidetur) non utuntur: quia sine delectu omnia dicant, unde copiosiores appareant: quia argumentis minus inhæreant: quia effusius maledicant: quia inter sordes magis emicent eorum sententiæ: quia gestu, motu, & pronunciatione impotentius se iactent; quæ tamen omnia à uera eloquentia sunt alienissima.

Quare ineruditi ingeniosiores vulgò habeantur, Cap. XII.

NEc hoc quidem negauerim, sequi plerunq; hanc opinionem, ut fortius dicere uideantur indocti. Primum uitio male iudicantium, qui maiorem habere uim credunt ea quæ non habent artem: ut effringere, quàm aperire: rumpere, quàm soluere: trahere, quàm ducere putant robustius. Nam & gladiator qui armorum inscius in pugnam ruit, & luctator qui totius corporis nisu in id quod semel inuasit, incumbit, fortior ab his uocatur: cum interim & hic frequenter suis uiribus ipse prosternitur, & illum uehementis impetus, excipit aduersarij mollis articulus. Sed sunt in hac parte quæ imperitos etiam naturaliter fallant. Nam & diuisio cum plurimum ualeat in causis, speciem uirium minuit: & rudia politis maiora, & sparsa compositis numerosiora creduntur. Est præterea quædam uirtutum uitiorumque uicinia, qua maledicus pro libero, temerarius pro forti, effusus pro copioso accipitur. Maledicit autem ineruditus apertius, & sæpius uel cum periculo suscepti litigatoris, frequenter etiam suo. Affert & ista res opinionem, quia libentissime homines audiunt ea quæ dicere ipsi * noluissent. Illud quoque alterum quod est in elocutione ipsa periculum, minus uitat, conaturq; perditè: unde euenit nonnunquam, ut aliquid grande inueniat, qui semper quærit quod nimium est: uerùm & rarò euenit, & cætera uitia non pensat. Propter hoc quoque interdum uidentur indocti copiam habere maiorem, quod dicunt omnia: doctis est & electio, & modus. His accedit, quòd à cura docendi quod intenderint, recedunt. Itaque illud quæstionum & argumentorum apud corrupta iudicia frigus, euitant: nihilq; aliud quàm quo uel prauis uoluptatibus aures assistentium permulceant, quærunt. Sententiæ quoque ipsæ, quas solas petunt, magis eminent cum omnia circa illas sordida & abiecta sunt: ut lumina non inter umbras (quemadmodum Cicero dicit) sed planè in tenebris clariora sunt. Itaque ingeniosi nocentur ut libet, dum tamen constet, contumeliosè sic laudari disertum. Nihilominus confitendum est etiam detrahere doctrinam aliquid, ut limam rudibus, & cotes hebetibus, & uino uetustatem: sed uitia detrahit: atque eo solo minus est quod literæ perpolierunt, quo melius. Verùm hi pronunciatione quoque famam dicendi fortius quærunt. Nam & clamãt ubique, & omnia leuata (ut ipsi uocant) manu, emugiũt, multo discursu, anhelitu, iactatione, gestu, motu capitis furentes. Iam collidere manus, terræ pedem incutere, femur pectus frontem cædere, mirè ad pullatum circulum facit: cum ille eruditus, ut in oratione multa summittere, uariare, disponere, ita etiam in pronunciando suum cuique eorum quæ dicet, colori, accommodare actum sciat: & siquid sit perpetua obseruatione dignum, modestus & esse & uideri malit. At illi hanc uim appellant, quæ est potius uiolenta: cum interim non actores modò aliquos inuenias, sed (quod est turpius) præceptores etiam, qui breuem dicendi exercitationem consecuti omissa ratione, ut tulit impetus, passim tumultuentur: eosque qui plus honoris literis tribuerunt, & ineptos, & ieiunos, & trepidos, & infirmos, ut quodque uerbum contumeliosissimum occurrit, appellent. Verùm illis quidem gratulemur, sine labore, sine ratione, sine disciplina disertis: nos quando & præcipiendi munus etiam pridem deprecati sumus, & in foro quoque dicendi, quia honestissimum finem putabamus, desinere dũ desideraremur: inquirendo scribendoq; talia, consolemur otium nostrum, quæ futura usui bonæ mentis iuuenibus arbitramur, nobis certè sunt uoluptati.

Vitia imperitorum propter quæ in doctis magis & ex arte dicentes placẽt.

* uoluissent.

Lumina in tenebris clariora.

Doctrina, quid detrahit, non uirtutes.

Pullatus circulus, populi pars uilior.

Violentia.

Desinere dũ desideramur honestissimũ.

MOSELLANI.

SEqui] Ex priore opinione. Opinionem] Quod ineruditi sint ingeniosiores. Indocti] nulla eloquentiæ arte insigniti. Ineruditi i. artibus non instructi. Pugnam] Rixã cum duo tres'ue manum una conserunt. Luctator] Qui luctãdi prouinciam sumit. Inuasit] Apprehendit. Incumbit] Inclinat sese. Ab his] Vulgaribus. Hic] Luctator imperitus. Illum] Gladiatorem existentem. Mollis] Delicatus. Diuisio] Distributio rerum, uerborum & argumentorum. Rudia] Nondum artificis manu tractata. Politis] Arte elaboratis. Compositis] Ordinatis. Maledicus] Homo gaudens conuitiis. Libero] Magna cum libertate animi dicente. Effusus] Immodicus in uerborum ac rerum copia, ut Apuleius in Asino aureo. Litigatoris] Clientis. Libentissime] Audiunt. γελωτοποιός] Artifex risus. Elocutione] Id est delectu uerborum. Perdite] Supra modum res uerbis extollere conatur, adeo ut dum nimium intendit, aliquoties cassiam ipsam rumpat & perdat. Nimium] immoditam. Raro] Euenit ut grande aliquid inueniat. Et] Scilicet dum grande aliquid inuenit. Vitia] Scilicet quæ inde sequuntur. Pensat] Rependit, æquat. Copiam] Rerum scilicet & uerborum. Omnia] Quæcunque in mentem ueniunt. Electio] Rerum & uerborum. Accidit] Adiungendum. Docendi] Plane exponendi. Recedunt] Imperiti. Argumentorum] Probationũ. Corrupta iudicia] Vt iudices corrupte iudicantes censent. Frigus] Segnitiæ; tarditatis. Quærunt] Petunt, spectant. Eminent] Effulgent in oratione in eruditorum. Vt libet] Hominibus. Detrahere] Copiæ uerborum & rerum. Limam] Artificium. Detrahit] Doctrina. Minus] In homine inerudito. Hi] Ineruditi. Emugiunt] Eboant. Anhelitu] Frequẽti. Collidere] Complodere. Pullatum] pullis uestibus utentem. Circulum] Id est concionem populi & uulgi. Colori] Habitui. Actum] Gestum quendam proprium. Obseruatione] Continuo in eodem tenore consistenti. Ratione] Arte. Tulit] Instigauit. Tumultuentur] Dicendo. Quando] Id est quia. Deprecati sumus] Precibus amouimus. Finem] Dictis nostris. Desinere] Abiurando. Talia] Præcepta artis. Otium] scilicet quod sumus assecuti a fore & scholis.

ARGVMENTVM.

Esse artem ad naturam adiungendam, contra imperitos ostendit. Nunc autem quis modus in arte statui debeat (ne in hanc etiam partem aniliis superstitione obstricti simus) docet. nempe Rhetorices, præceptis, quæ catholica uocent, ita adhærendum esse, ut intelligamus ea pro ratione loci, temporis, & personarum, pro necessitate, aut occasione (quibus tota dicendi doctrina constat) mutari. Id probat & illustrat similitudine a bonis imperatoribus, statuarijs, & pictoribus ducta: qui etiam si de acie instituenda, de statuis, & picturis faciendis, ordinem certum, constitutumque habeant de illo tamen plurima frequenter mutent, uarios flexus auersiones quæ sequentes. Quare in omni actione duo spectanda monet, quid deceat, & quid expediat: ad quæ respicientes, artem dicendi non solis præceptis, uerum multo labore, assiduo studio, uaria exercitatione, pluribus experimentis, altissima prudentia, præsentissimo cõsilio cõstare, cognoscamus.

Quis modus sit in arte. Cap. XIII.

NEMO autem à me exigat id præceptorum genus, quod est à plerisque scriptoribus artium traditum, ut quasi quasdam leges immutabili necessitate constrictas studiosis dicendi feram: utique proœmium, & id quale: proximam huic narratio: quæ lex deinde narrandi: propositio post hanc, uel, ut quibusdam placuit, excursio: tum certus ordo quæstionum, cæteraque: quæ uelut si aliter facere fas non sit, quidam tanquam iussi sequuntur. Erat enim Rhetorice res prorsus facilis ac parua, si uno & breui præscripto contineretur: sed mutantur pleraque causis,

caussis, temporibus, occasione, necessitate. Atque ideo res in Oratore præcipua consilium est, quia variè & ad rerum momenta conuertitur. Quid si enim præcipias imperatori, quoties aciem instruet, dirigat frontem, cornua utrinque promoueat, equites pro cornibus locet? Erit hæc quidem rectissima fortasse ratio, quoties licebit: sed mutabitur natura loci, si mons occurret, si flumen obstabit, si collibus, syluis, asperitate alia prohibebitur. Mutabit hostium genus, mutabit præsentis conditio discriminis. nunc acie directa, nunc cuneis, nunc auxiliis, nunc legione pugnabitur: nonnunquam terga etiam dedisse simulata fuga proderit. Ita procemium necessarium, an superuacuum: breue, an longius: ad iudicem omni sermone directo, an aliquando auerso per aliquam figuram, dicendum sit: constricta an latius fusa narratio, continua an diuisa, recta an ordine permutato: caussæ docebunt. Itemque de quæstionum ordine, cum in eadem controuersia aliud alii parti prius quæri frequenter expediat. Neque enim rogationibus plebisue scitis sancta sunt ista præcepta, sed hoc quicquid est, utilitas excogitauit. Non negabo autem sic utile esse plerunque, alioqui nec scriberem: uerùm si eadem illa nobis aliud suadebit utilitas, hanc relictis magistrorum authoritatibus sequemur.

Res in oratore præcipua consilium.

*Equidem id maximè præcipiam, ac repetens iterum iterumque monebo, Res duas in omni actu spectet Orator, quid deceat, quid expediat. Expedit autem sæpe mutare ex illo constituto traditoque ordine aliqua, & interim decet: ut in statuis atque picturis uidemus uariari habitus, uultus, status. Nam recti quidem corporis uel minima gratia est. Nempe enim aduersa sit facies, & demissa brachia, & iuncti pedes, & à summis ad ima rigens opus: flexus ille, & ut sic dixerim, motus, dat * actum quendam effictis. Ideo nec ad unum modum formatæ manus, & in uultu mille species. Cursum habent quædam & impetum, sedent alia, uel incumbunt. nuda hæc, illa uelata sunt: quædam mista ex utroque. Quid tam distortum & elaboratum, quàm est ille Discobolos Myronis? Si quis tamen ut parum rectũ improbet opus, nonne ab intellectu artis abfuerit, in qua uel præcipuè laudabilis est illa ipsa nouitas, ac difficultas? Quam quidem gratiam & delectationem afferunt figuræ quæque in sensibus, quæque in uerbis sunt. Mutant enim aliquid à recto, atque hanc præ se uirtutem ferunt, quòd à consuetudine uulgari recesserunt. Habet in pictura speciem tota facies: Appelles tamen imaginem Antigoni latere tantũ altero ostẽdit, ut amissi oculi deformitas lateret. Quid? non in oratione operienda sunt quædam, siue ostendi non debent, siue exprimi pro dignitate non possunt? ut fecit Timanthes, ut opinor, Cithnius, in ea tabula qua Coloten Teiũ uicit. Nam cum in Iphigeniæ immolatione pinxisset tristẽ Calchantem, tristiorem Vlyssem, addidisset Menelao quem summum poterat ars efficere mærorem: consumptis affectibus, non reperiens quo dignè modo patris uultum posset exprimere, uelauit eius caput, & suo cuique animo dedit æstimandum. Nonne huic simile est illud Sallustianum, Nam de Carthagine tacere satius puto, quàm parum dicere? Propter quæ mihi semper moris fuit, quam minime alligare me ad præcepta quæ καθολικὰ uocant, id est (ut dicamus quomodo possumus) uniuersalia, uel perpetualia. Raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua, aut subrui possit. Sed de his plenius suo quicq; loco tractabimus. Interim nolo se iuuenes satis instructos, siquidem ex*
„ *his qui breues plerunque circunferentur, artis libellum edidicerint, & uelut decretis Technicorum tutos putent. Mul*
„ *to labore, assiduo studio, uaria exercitatione, pluribus expe*
„ *rimentis, altissima prudentia, præsentissimo consilio cõstat*
„ *ars dicendi. Sed adiuuatur his quoque, si tamen rectam* „
uiam, non unam orbitam monstrent: à qua declinare qui „
crediderit nefas, patiatur necesse est illam per funes ingre- „
dientium tarditatem. Itaque & stratum militari labore „
iter sæpe deserimus compendio ducti: & si rectum limitem „
rupti torrentibus pontes inciderint, circumire cogemur: & „
si ianua tenebitur incendio, per parietem exibimus. Latè „
fusum opus est, & multiplex, & propè quotidie nouum, & „
de quo nunquam dicta erunt omnia. Quæ sunt tamen tradita, quid ex his optimum, & si quid mutare, adiici, detrahi melius uidebitur, dicere experiar.

Aeneidas. 3.

Duo in omni actio spectanda esse, quid deceat, & quid expediat.

* alias, actũ quendam & factum.

Plin. lib. 34. cap. 8.

Plin. lib. 35. Cap. 10.

Cic. in Ora. Plin. lib. 35. cap. 10. & Valerius libro 8. cap. 11

In Iugurtha.

Catholicis præceptis non semper insistendum, & quibus præter illa cõstet ars dicendi.

MOSELLANI.

EXigat] In arte scilicet tractanda uel discenda. Præceptorum] Regularum. Vt] quasi, tanquam. Constrictas] Constitutas. Quale] Esse debet præcipitur. Deinde] Scilicet præcipitur. Propositio] Argumentorum. Excursio] Digressio, quæ ἐκφρασις græcè dicitur. Tum] Præcipitur in hac arte. Cæteraq;] ut sunt argumentatio, confirmatio, conclusio, refutatio. Quæ] scilicet sic ex ordine tradita. Quidã] Qui scilicet nullius suot consilii, hoc est iudicii. Iussi] Tanqua legislatione. Præscripto] Artis scilicet. Caussis] scilicet nouis quotidie emergentibus. Consilium] Iudicium rectum, ut aduertat quid quo loco quadret. Rerum] Agendarum. Dirigat] Ordinet in hostem. Frontem] Principium aciei. Promoueat] Vt promineant aduersus hostes. Pro cornibus] Ante cornua peditum. Ratio] Ars, modus. Licebit] scilicet per occasionem. Mutabitur] Hæc ratio. Asperitate] Densitate. Mutabit] Hanc rationem fortasse rectissimam. Hostium genus] Ab armatura diuersum. Cuneis] Oblique ordinatis militibus. Auxiliis] Subsidiis. Legione] Lectissimo militum numero inde enim legionem dictam esse primùm trium milium numero author est Varro lib. de uita pop Rom. 3. Breue an longius] scilicet sit commodius. Figuram] Vt per Apostrophen, Prosopopœiam &c. Continua] Perpetua. Recta] suo ordine facta. Caussæ] Quotidie emergentes nouæ. Itemque] Docebunt nos caussæ. Plebis ue scitis] Plebiscita apud Aul. Gell. ex Capitone lib. 10. cap. 20. leges sunt quas plebes, non etiam populus accipit, rogante Trib. plebis. Rogatio autẽ omnis iuris omniumque legum quasi fons & origo, est quòd uidelicet nihil proferatur nisi per rogationem, id est interrogationem. Sancta] Decreta sunt. Excogitauit] Per obseruationes. Vtile esse] ut scilicet artes præscribantur. Authoritatibus] Præceptionibus. Deceat] Sese & caussam. Statuis] Ex pressis ære. Habitus] Faciei lineamenta. Status] Incessus.

Status] Incessus. Corporis] Ita formati, ut est à natura institutum. Sit] scilicet in picturis. Et] scilicet sint. Rigẽs] Non flexum. Flexus] Membrorum corporis. Motus] Qui expressus pictura, & statuaria. Actum] actionem. Vultu] Exprimendo. Species] Varietates. Cursum] Expressa sunt ut currere uideantur. Incumbunt] Inclinant sese. Distortum A naturali membrorum ordine alienum. Discobolos Myronis] Disci iactator. expressit enim statuarius hominem in disci iactu miro artificio intentum etiam supra uires de qua re est apud Plinium libro 34. cap. 8. Porro exercitii genus erat apud ueteres maxime Græcos disci iactus: inde erat discus lapis grauis & rotundus, sed paulo planior. nam βάλλω iacio significat, inde δισκόβολος. Meminit huius Iulius Pollux, & Lucianus in quodam dialogo. Artis] Cuius est exprimere etiam nixus, ut Plinius habet.

Difficultas] Exprimendi illud quod uolumus. Delectationem] In oratione. A recto] Naturali institutione. Speciẽ] Habitum corporis. Antigoni] Regis Lacedæmoniorum. Operienda] Tegenda. Cithnius] Nam oriundus erat ex oppido Cithno, quod in Arcadia Plinius collocat & Stephanus. Coloten Teium] Ex Teio insula oriundum nobilem pictorem, cuius Plin. meminit lib. 35 ca. 8. Iphigeniæ] Puellæ, filiæ Agamemnonia. Chalcantem] Sacerdotem. Consumptis] Omnibus expressis. Vultum] Planè tristem. Huic] Operi Timantis. Parum] Non pro dignitate. Genus] præceptionum. Quicque] Vnumquodque. Interim] Dum eo perueniamus.

Technicorum] Eorum qui omnino artem sequuntur τέχνην, quod Græcis artem sonat: unde τεχνικός artificiosus, quo uocabulo etiam Cice. in Bruto usus est. His] Præceptionibus. Per funes ingredientium] Funambulorum. Stratum] Factum, paratum. Cõpendio] Commoditate. Torrẽtibus] Impetuosis fluminibus. Opus] Rhetoricæ. Tradita] Apud Rhetores.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Rhetoricen non apte in Latinum sermonem trāsferri posse, atque ideo Græco nomine nobis utendum, quod & in multis retinendum, hic, concludit. Deinde in partes, quæ rursus in aliis libro tertio & quarto diducantur, diuidit: nempe in Artem, Artificem, & Opus.

Rhetorices etymon, & totius operis diuisio. Cap. XIIII.



HETORICEN *in latinum transferentes, tum Oratoriam, tum Oratricem nominauerunt. Quos equidem non fraudauerim debita laude, quòd copiam Romani sermonis augere tentauerint. Sed non omnia nos ducentes ex græco sequuntur, sicut ne illos quidem, quoties suis utique uerbis signare nostra uoluerunt. Et hæc interpretatio non minus dura est, quàm illa * Plauti essentia atque entia: sed ne propria quidem. Nam oratoria sic effertur, ut elocutoria: oratrix, ut elocutrix. Illa autem de qua loquimur Rhetorice, talis est, qualis eloquentia: nec dubiè apud Græcos quoque duplicem intellectum habet. Namq; uno modo fit appositum, ars Rhetorica, ut nauis piratica. altero nomen rei, qualis est philosophia amicitia. Nos ipsam nunc uolumus significare substantiam, ut Grammatice literatura est, non literatrix, quemadmodum oratrix: nec literatoria quemadmodum oratoria. Verum in Rhetorice non sic. Ne pugnemus igitur, cum præsertim plurimis alio qui græcis sit utendum. Nam certè & * Physicos, & Musicos, & Geometras dicam: nec uim afferam his nominibus indecora in latinum sermonem mutatione. Denique cum M. Tullius etiam ipsis librorum quos hac de re primùm scripserat, titulis græco nomine utatur, profectò non est uerendum ne temerè uideamur Oratori maximo de nomine artis suæ credidisse. Igitur Rhetorice (iam enim sine metu cauillationis utemur hac appellatione) sic, ut opinor, optimè diuidetur, ut de arte, de artifice, de opere dicamus. Ars erit, quæ disciplina percipi debet: ea est bene dicendi scientia. Artifex est qui percepit hanc artem, id est Orator, cuius est summa bene dicere. Opus, quod efficitur ab artifice, id est bona oratio. Hæc omnia rursus diducuntur in species. Sed illa sequentia suo loco, nunc quæ de prima parte tractanda sunt ordiar.*

* alias Flauij, ut & infra li. 3. ca. 6. de statu, & lib. 8. ca. 3. de orna.

* philosophos.

Non adferendas in nominibus græcis indecora in latinum sermonem mutatione.

Rhetoricæ diuisio in Artem, Artificem, & Opus.

MOSELLANI.

SEd non omnia] Non possumus omnia latina facere. Ne illos] Græcos omnia sequuntur. Nostra] Latina, Romana, ut est Dictator, Consul. Hæc interpretatio] Oratoria oratrix. Essentia] Qua uidelicet reddidit *ὀυσίαν* græcam, cuius interpretationis mentionem & Fabius faciet libro 3. ubi decem summa genera rerum ab Aristotele tradita pertractantur. Porrò Boethius Seuerinus fugiens duritiam Plautinæ interpretationis, substantiam dicere maluit, quod hodie Philosophorum scholæ potissimum sequuntur, etiamsi Capnion libro de uerbo mirifico tertio, eius hanc interpretationem ut impropriam reijcit & refutat. Propria est translatio Rhetorices in oratoriam. Sic] Eadem ratione uocis. Talis est] Tam generaliter significat omnes bene dicendi partes. Intellectum] Acceptionem.

Appositum] Nomen adiectiuum, epitheton. Piratica] Qua utuntur piratæ idest prædones maris: ab eo scilicet qui hanc latrocinandi artem inuenerit, Piratæ dicti. Substantiam] Rem quæ significatur nomine substantiæ. In Rhetorice] ut scilicet possimus commode uertere quemadmodum grammaticem in literaturam. Indecora] Inepta, dura. Cum M. Tullius] Intelligit hoc loco Fabius libros Ciceronis de inuentione, quos dubio procul, ipse author Rhetoricorum inscripsit, aut de arte Rhetorica, quemadmodum in emendatioribus codicibus & hodie legitur. Ridiculum autem est quod quidam ex hoc loco conati sunt astruere, libros rhetoricorum ad Herennium scriptos, Ciceronis esse, cum multis argumentis constet, etiam ex præfatione operis summis, alterius mediocris cuiuspiam fuisse.

Cauillationis] Falsæ reprehensionis. Disciplina] In ratione quandam disciplinæ præscribi. Summa] summum officium. Sequentia] De artifice & opere.

ARGVMENTVM.

Profert uarias, atque etiam inter se pugnantes ueterum de Rhetorica, de fine eius, & oratore, opiniones: astruentibus alijs eam esse uim persuadendi, alijs cacotechnian idest artis prauitatem, alijs uim inueniendi, alijs ducendi in id quod uellet actor, alijs scientiam circa quæstiones ciuiles uersantem, artem alijs sed non uirtutem putantibus, alijs usum solum, atque exercitationem dicendi, alijs quoque adulandi peritiam, alijs etiam oratorem & pessimum uirum esse affeuerantibus. Quorum omnium opiniones refellit, & Rhetoricen bene dicendi scientiam, eius finem bene dicere, non persuadere: & oratorem uirum bonum esse debere, concludit.

Quid sit Rhetorice, & quis eius finis. Cap. XV.



NTE *omnia quid sit Rhetorice: quæ finitur quidem uariè, sed quæstionem habet duplicem. aut enim de qualitate ipsius rei, aut de comprehensione uerborum dissensio est. Prima ac præcipua opinionū circa hoc differentia, quòd alij malos quoque uiros posse Oratores dici putant: alij (quorum nos sententiæ accedimus) nomen hoc, artemque de qua loquimur, bonis demum tribui uolūt. Eorum autem qui dicendi facultatem à maiore ac magis expetenda uitæ laude secernunt, quidam Rhetoricen uim tantum, quidam scientiam sed nō uirtutem, quidam usum, quidam artem quidem, sed à scientia & uirtute seiunctam, quidam etiam prauitatem quandam artis, id est κακοτεχνίαν nominauerunt. Hi ferè aut in persuadēdo, aut in dicendo appositè ad persuadendum, positum orandi munus sunt arbitrati. Id enim fieri potest ab eo quoque, qui uir bonus non sit. Est igitur frequentissimus finis Rhetorices, uis persuadendi. Quod ego uim appello, plerique potestatem, nonnulli facultatem uocant, quæ res ne quid afferat ambiguitatis, uim dico τὴν δύναμιν. Hæc opinio originem ab Isocrate (si tamen re uera ars quæ circumfertur, eius est) dixit. Qui cum longè sit à uoluntate infamantium Oratoris officia, finem artis temere comprehendit, dicens esse Rhetoricen persuadendi opificem, id est πειθοῦς δημιουργόν. Neque enim mihi permiserim eadem uti declinatione, qua Ennius M. Cethegum Suadæ medullam uocat. Apud Platonem quoque Gorgias in libro qui nomine eius inscriptus est, idem ferè dicit: sed hanc Plato illius opinionem uult accipi, non suam. Cicero pluribus locis scripsit, Oratoris officium esse, dicere appositè ad persuadendum. In Rhetoricis etiam, quos sine dubio ipse non probat, finem facit persuadere. Verùm & pecunia persuadet, & gratia, & authoritas dicentis, & dignitas, & postremò aspectus etiam ipse sine uoce, quo uel recordatio meritorum cuiusque, uel facies aliqua miserabilis, uel formæ pulchritudo sententiam dictat. Nam & M. Aquilium defendens Antonius, quum scissa ueste cicatrices quas is pro patria pectore aduerso suscepisset, ostendit, non orationis habuit fiduciam, sed oculis populi Romani uim attulit: quem illo aspectu maximè motum in hoc ut absolueret reum, creditum est. Sergium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modò liberos paruulos in concionem produxerat, sed Galli etiam Sulpitij filium suis ipse manibus circumtulerat, elapsum esse, cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione testatum est. Et Phrynen non Hyperidis actione, quanquam admirabili, sed conspectu corporis, quod illa speciosissimum alioqui, diducta nudauerat tunica, putant periculo liberatam. Quæ si omnia persuadent, non est hic de quo locuti sumus, idoneus finis. Ideoque diligentiores uisi sunt sibi, qui cum de Rhetorice idem sentirent, existimauerunt eam uim dicendo persuadendi. Quem finem Gorgias in eodem de quo suprà diximus libro, uelut coactus à Socrate facit a quo non*

Refert uarias opinationes quas postea refellit.

Rhetoricæ finis, uis persuadendi, quæ est à uirtute secernunt.

Cic in Bruto & Catone.

De Orat. 1.

Cicero. 2. de Orat. & 7. in Verrem 2. Vale. lib. 8. ca. 1.

Athenæus 13. Dipnos.

Persuadere, non est idoneus finis.

dissentit

Vide Valer. l.8. ca. 15.

dissentit Theodectes, siue ipsius id opus est quod de Rhetorice nomine eius inscribitur siue, ut creditum est, Aristotelis in quo est, finem esse Rhetorices, ducere homines dicendo in id quod actor uelit. Sed ne hoc quidem satis est comprehensum. persuadent enim dicendo, uel ducunt in id quod uolunt, alij quoq; ut meretrices, adulatores, corruptores. At contrà non persuadet semper Orator: ut interim non sit proprius hic finis eius: interim sit communis cũ ijs qui ab Oratore procul absunt. Atqui non multum ab hoc fine abest Apollodorus, dicens iudicialis orationis primum & super omnia esse persuadere iudici, & sententiam eius ducere in id quod uelit. Nam & ipse Oratorẽ fortunæ subijcit: ut si non persuaserit, nomen suum retinere non possit. Quidã recesserũt ab euentu, sicut Aristoteles, qui dicit, Rhetorice est uis inueniendi omnia in oratione persuasibilia.

Lib. 1. Rhetoric.

Qui finis & illud uitium de quo suprà diximus, habet: & insuper, quòd nihil nisi inuentionem complectitur, quæ sine elocutione non est oratio. Hermagora, qui finem eius esse ait persuasibiliter dicere, & alijs qui eandem sententiam non eisdem tantum uerbis explicant, ac finem esse demonstrant dicere quæ oporteat omnia ad persuadendum: satis responsum est cum persuadere non tantũ Oratoris esse conuicimus. Addita sunt his alia uariè: Quidam enim circa res omnes, quidam circa ciuiles modò uersari Rhetoricen putauerunt: quorum uerius utrum sit, in eo loco qui huius quæstionis proprius est, dicam. Omnia subiecisse Oratori uidetur Aristoteles, cum dixit uim esse dicendi quid in quaq; re possit esse persuasibile.

Cap. 21. cuius li. de materia Rheto.

Et Patrocles, qui non quidem adijcit, in quaq; re: sed nihil excipiendo, idem ostendit. Vim enim uocat inueniendi quod sit in oratione persuasibile: qui fines & ipsi solam complectuntur inuentionẽ. Quod uitiũ fugiens Theodorus uim putat inueniendi & eloquendi cum ornatu credibilia in omni oratione. Sed cum eodem modo credibilia quo persuasibilia etiam non Orator inueniat: adijciendo, in omni oratione, magis quàm superiores concedit scelera quoq; persuadẽtibus, pulcherrimæ rei nomen. Gorgias apud Platonem, persuadendi se artificem in iudicijs & alijs cœtibus esse ait: de iustis quoq; & iniustis tractare: cui Socrates persuadendi non docendi concedit facultatem.

Vide Ioach. Camerariũ hic.

Qui uerò non omnia subijciebant Oratori, solicitius ac uerbosius, ut necesse erat, adhibuerunt discrimina: quorum fuit Ariston Critolai Peripatetici discipulus, cuius hic finis est, scientia uidendi & agendi in quæstionibus ciuilibus per orationem popularis persuasionis.

Rhetorice, scientia.

Hic scientiam, quia Peripateticus est, non, ut Stoici, uirtutis loco ponit: popularem autem comprehendendo persuasionem, etiam contumeliosus est aduersus artẽ orandi, quã nihil putat doctis persuasuram. Illud de omnibus qui circa ciuiles demum quæstiones Oratorem iudicant uersari, dictum sit, Excludi ab his plurima Oratoris officia: illam certè Laudatiuã totã, quæ est Rhetorices pars tertia. Cautius Theodorus Gadareus, ut iam ad eos ueniamus qui artem quidem esse eam, sed non uirtutem, putauerunt. Ita enim dicit (ut ipsis eorũ uerbis utar qui hoc ex Græco transtulerunt) Ars inuentrix & iudicatrix & enunciatrix decente ornatu secundum mensionẽ eius quod in quoq; potest sumi persuasibile in materia ciuili.

Rhetorice, ars.

Itemque Cornelius Celsus, qui finem Rhetorices ait dicere persuasibiliter in dubia & ciuili materia. Quibus sunt non dissimiles, qui ab alijs traduntur, qualis est ille, Vis dicendi & eloquendi de rebus ciuilibus subiectis sibi, cum quadam persuasione, & quodam corporis habitu, & eorum quæ dicet, pronunciatione. Mille alia, sed aut eadem, aut eisdem composita: quibus item cum de materia Rhetorices dicendum erit, respondebimus. Quidam eam neque uim, neq; scientiam neque artem putauerunt: sed Critolaus usum dicendi: nam hoc τριβὴ significat. Athenæus fallendi artem.

Rhetorice usus dicendi Critolao.

Plerique autem dum pauca ex Gorgia Platonis, à prioribus imperitè excerpta, legere contenti, neque hoc totum, neque alia eius uolumina euoluunt, in maximum errorem inciderunt: creduntque eum in hac esse opinione, ut Rhetoricen non artem, sed peritiam quandam gratiæ ac uoluptatis existimet: & alio loco, ciuilitatis particulæ simulacrum, & quartam partem adulationis: quòd duas partes ciuilitatis corpori assignet, medicinam, & quam interpretantur exercitatricem: duas animo, legalem, atque iustitiam.

Rhetorice κακοτεχνία falso ex Platone.

Adulationem autem medicinæ, uocet coquorum artificium: & exercitatricis, mangonum, qui colorem fuco, & uerum robur inani sagina mentiantur: legalis, cauillatricem: iustitiæ, Rhetoricen. Quæ omnia sunt quidem scripta in hoc libro, dictaque à Socrate, cuius persona uidetur Plato significare quid sentiat: sed alij sunt eius sermones ad coarguẽdos qui contrà disputant, compositi, quos ἐλεγκτικοὺς uocant. alij ad præcipiendum, qui δογματικοὶ appellantur.

Plato in Gorgia.

Socrates autem seu Plato, eam quidem quæ tum exercebatur Rhetoricen, talem putauit. nam & dicit his uerbis, τοῦτον τὸν τρόπον ὃν ὑμεῖς πολιτεύεσθε. Non ueram autem & honestam intelligit. Itaq; disputatio illa contra Gorgiam ita clauditur, οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βούλεσθαι δίκαια πράσσειν. Ad quod ille quidem conticescit, sed sermonem suscipit Polus iuuenili calore inconsideratior: contra quem illa de simulacro & adulatione dicuntur. Tum Callicles adhuc concitatior, qui tamẽ ad hanc perducitur clausulã, τὸν μέλλοντα ὀρθῶς ῥητορικὸν ἔσεσθαι δίκαιον ἄρα δεῖ εἶναι καὶ ἐπιστήμονα τῶν δικαίων ut appareat Platoni non Rhetoricen uideri malũ, sed eam ueram nisi iusto ac bono non contingere. Adhuc autẽ in Phædro manifestius facit hanc artẽ consummari citra iustitiæ quoq; scientiam non posse: cui opinioni nos quoq; accedimus. An aliter defensionem Socratis, & eorum qui pro patria ceciderant, laudem scripsisset? Quæ certè sunt Oratoris opera. Sed in illud hominum genus, quod facultate dicendi malè utebatur, inuectus est. Nam & Socrates inhonestã sibi credidit orationem quam ei Lysias reo composuerat: & tum maximè scribere litigatoribus, quæ illi pro se ipsi dicerent, erat moris: atq; ita iuri, quo non licebat pro altero agere, fraus adhibebatur.

Cl. 1. de orat. Valer. lib. 6. ti. 4. & Laer.

Doctores quoq; eius artis parum idonei Platoni uidebantur qui Rhetoricen à iustitia separarent, & ueris credibilia præferrent. nã id quoq; dicit in Phædro. Consensisse autem illis superioribus uideri potest etiã Cornelius Celsus, cuius hæc uerba sunt, Orator simile tantùm ueri petit. Deinde paulò post, Non enim bona conscientia, sed uictoria, litigantis est præmium.

Cornelius Celsus.

Quæ si uera essent, pessimorum hominum foret, hæc tam perniciosa nocentissimis moribus dare instrumenta, & nequitiam præceptis adiuuare. Sed illi rationem opinionis suæ uiderint. Nos autem ingressi formare perfectum Oratorẽ, quẽ in primis esse uirum bonum uolumus, ad eos qui de hoc opere melius sentiunt, reuertamur. Rhetoricen autem quidam eandem ciuilitatem esse iudicauerunt: Cicero scientiæ ciuilis partem uocat. Ciuilis autem scientia idem quod sapientia est. Quidam etiã phylosophia, quorum est Isocrates.

Quid sit rhetorice secundũ ueras opiniones. Rethoric. 1.

Huic eius substantiæ maximè conuenit finitio, Rhetoricen esse bene dicendi scientiam. Nã & orationis omnes uirtutes semel complectitur, & protinus mores etiam Oratoris, cum bene dicere non possit nisi uir bonus. Idem ualet Chrysippi finis ille ductus à Cleanthe, scientia rectè dicendi. Sunt plures eiusdem, sed ad alias quæstiones magis pertinẽt. Idem sentiret finis hoc modo comprehensus, Persuadere quod oporteat: nisi quòd

artem ad exitum alligat. Bene Areus, Dicere secundum uirtutem orationis. Excludunt à Rhetorice malos, & illi qui scientiam ciuilium officiorum eam putauerunt, si scientiam uirtutem iudicant: sed angustè intráque ciuiles quæstiones coercent. Albutius non obscurus professor atq; author scientiam bene dicendi esse consentit: sed exceptionibus peccat, adijciendo, circa ciuiles quæstiones, & credibiliter. quarum iam utrique responsum est. Probabilis & illi uoluntatis, qui rectè sentire & dicere, Rhetorices finem putauerunt. Hi sunt ferè fines maximè illustres, & de quibus præcipuè disputatur. Nam omnes quidem persequi, nec attinet, nec possum: cum prauum quoddam (ut arbitror) studium circa scriptores artium extiterit nihil eisdem uerbis quæ prior aliquis occupasset, finiendi: quæ ambitio procul aberit à me. Dicam enim non utique quæ inuenero, sed quæ placebunt: sic ut hoc Rhetoricen esse bene dicendi scientiam: cum reperto quod est optimum, qui quærit aliud, peius uelit. His approbatis, simul manifestum est illud quoq;, quem finem, uel quid summum & ultimum habeat Rhetorice, quod dicitur ad τέλος quod omnis ars tendit. nam si est ipsa bene dicendi scientia, finis eius & summum est bene dicere.

Rhetorice bene dicendi scientia finis eius, bene dicere.

MOSELLANI.

QValitate] Id est bonáne sit, an mala: árs ne, an exercitatio. Verborum] scilicet quibus definiatur. Dici] Putant, ut est Gorgias apud Platonem. Volunt] Vt est M Cicero, & Socrates apud Platonem. Laude] ab honestate. Vsum] Exercitium. Artem] Præceptis conclusam.

Scientia] Quæ semper est certissima. Virtute] Quæ semper est honesta. Apposite] Accommodate. Frequentissimus finis] Definitio fermè ab omnibus posita τὴν δύναμιν] A δύναμαι possum. Opinio] Ratio hæc definiendi. Isocrate] Cuius domus officina dicendi in uniuersa Græcia dicebatur.

πειθοῦς] Persuasioni. πειθὼ apud Græcos persuasio dicitur. δημιουργὸν] Artificem, opificem. Declaratione] Ea positione huius Græcæ definitionis. aliàs declinatione, M Cethegũ] Antiquissimum apud Romanos Oratorem, ut Gell. lib. 2. Cicero in Bruto, & Cato maior authores sunt. Suadæ] Deæ persuasionis. Medullam] Florem, in his uersibus,

Dictus ollis popularibus olim,
Qui tum uiuebant homines, atque æuum agitabant,
Flos delibatus populi, Suadæque medulla.

Hos enim uersus Ennianos de M. Cethego citat Cicero in Bruto, & A Gell. lib. 12. cap. 2. In libro] Nam inscriptus est Gorgias, siue de rhetorica. Idem ferè] Quod scilicet Isocrates dicit. Illius] Gorgiæ. Sic autem apud Platonem Gorgias loquitur. Opus rhetorices est persuadere posse dictione & in foro iudices, & senatu consultores, & cõcione auditores, & in alio cœtu quisquis fuerit ciuilis. Quibus Socrates sic respondit. Nunc mihi, inquit, uideris proximè cuiusmodi ars sit rhetorice, declarasse. Nam quantum ipse intelligo, persuasionis opificem eam dicis. Pluribus locis scripsit] porrò declarationis huius uberiorem rationem tractauit Angelus Politianus doctissimè capite quodam Miscellaneorum. Rhetoricis] De inuentione. Nam in præfatione uoluminũ de Oratore, puero sibi eos libros rudes & impolitos excidisse ingenue fatetur. Verũ in his ipsis libris uerba Ciceronis de Rhetorice sic se habent: Officium eius facultatis uidetur, dicere apposite ad persuadendum: finis, persuadere dictione. Authoritas] De qua Cicero in libro de Oratore. Dictat] scilicet nobis persuasionem in animo. Cicatrice] Vestigia uulnerum. Populi] Aspectantis. Elapsum] Aufugisse. Phrynen] Scortum nobile. Hyperidis] Discipuli Isocratis nobilissimi oratoris, cuius Cicero in Bruto meminit. Periculo] Imminentis damnationis Finis] Definitio. Ideoq;] Quod scilicet esset uis persuadendi. Dicendo] Dictione. Coactus] Disputationis tenore & progressu. Theodectes] Discipulus Isocratis, rhetor nobilis, de quo plura Gellius, & qui quoq; certãnerit ad Mausoleum. Est creditum] traditur. Corruptores] scilicet boni, uel uitiatores, stupratores. Interim] partim, Absunt] ut meretrix, adulator, corruptor. Appollodorus] Byzantius scriptor artis Rhetoricæ. Oratorem] Oratoris artem. Fortunæ] Euentu incerto. Dicit] Li. 1 ad Theodecten.

Inueniẽdi] perspiciendi persuasibilia] Quæ modò persuadere possunt. Supra diximus] Qđ uidelicet alijs cõueniat quàm Oratoribus. Quæ] inuentio rerũ persuasibiliũ. Hermagoræ] Quẽ penè M. Tull. Cic expressit in lib de Inuentione. Addita his] Supra dictis: Circa res omnes] Quorum opinionem Crassus apud Ciceronem in libro de Oratore imitatur. Ciuiles] Vt apud Platonem Gorgias. Subiecisse] subiecta esse. Persuasibile] Ad persuasionem aptũ. Idem] Rhetoricen uersari circa res omnes. Non orator] ut adulator. Infinitum est nomen, ut non homo apud Dialecticos. Pulcherrimæ] Rhetorũ, Oratorum. Persuadendi] idem faciendi. Docendi] scientiã faciẽdi.

Solicitius] curiosius. Videndi] Perspiciendi. Demũ] solum. Excludi] Omitti. Officia] Quæ cadunt in deliberatiuũ & iudicialia genera caussarum. Certè] sine controuersia dictũ sit. Laudatiuã totam] totum demonstratiuũ genus caussarum.

Cautius] definiuit Rhetoricen. Hoc] definitionem eius.

Iudicatrix] collatrix. Secundum] iuxta. Itemq;] scilicet cautius definiuit. Quibus] definitionibus. Ille] Finis. Vis dicendi] aliàs uidendi idest perspiciendi, iudicandi. Sibi] Rhethoricæ. Persuasione] assensu. Habitu] Gestu. Mille alia] Dicta sunt de rhetorica. Eisdem] superiorum definitionũ uerbis. Materia] subiecto. Scientiã] Certis demonstrationibus constantem. Artem] Coaceruationem præceptionũ & regularum quarundam. Vsum] Experientiã, practicam. τριβὴ] Quasi attritio, contritio, &c. Athenæus] nobilis scriptor græcus, cuius opera adhuc extant, ad cuius imitationẽ Gel. & Macrob. scripserunt, sed is lõge felicius. Nõ multum ab hoc fine Athenæi abest T. Castritii sententia, qui apud Gell. Noct. Att li. 1. cap. 6. de Rhetore sic uerba facit, Aliter, inquit, censor loqui debet, aliter rhethor. Rhetori concessum est sententijs uti falsis, audacibus, subdolis, captiosis, si modo uerisimiles sint, & possint ad mouendos animos hominum qualiacunq; astu irreppere. Propterea turpe esse ait Rhetori, si quid in mala caussa destitutum atque impugnatum relinquat. Sed hunc unà cũ alijs satis refutat Fab noster. Hoc eorum] uolumen Platonis. Volumina] ut Phædrum, atq; de legibus, in quibus etiam de arte Rhetorica disserit. Euoluunt] Perlegunt. Peritiam] Experientiam. ἐμπειρία Græcæ dicitur.

Alio loco] in eodẽ paulo post lib. Simulacrum] imaginem falsam. Ciuilitatis] ciuili facie. Corpori] .s. probè curando.

Medicinam] Rationem medendi. Duas] partes ciuilitatis.

Animo] curando assignat Plato. Mangonũ] artificum. Sunt autẽ mangones qui emebant & reuẽdebant tam homines quàm equos. Fuco] Factitio colore. Caussatricẽ iustitiæ] Nam quemadmodũ partim ex Gellio, partim ex Basilij Magni epistolis ad Libaniũ rhetorem constat, plerių; erant eo seculo rhetores ut Protagoras nominatim à Gellio citatus, qui profitebantur eiusmodi artẽ, quæ caussam inferiorẽ re ipsa, uerborum lenocinijs redderet superiorẽ, & uicissim superiorẽ, uerbis adeo deprimeret, ut inferiorem faceret. Quatuor partes ciuilitatis ponuntur Platoni in Gorgia, duæ corpus, reliquæ animum spectantes, iustitia. s. & scientia, medicina & exercitatio, quæ in omni Republica bene morata esse debent, authore eodem. In hoc libro] Cuiusmodi est liber de quo Fabius hic agit, quanquam hodie iuxta Thrasilli Platonici ordinationẽ, inscriptionis uerbum aliud est, etiam si à Fabiano titulo non admodum diuersum, nam ἀνατρεπτικὸς præscribitur, id est euersiuus, nimirum quòd in eo lib. falsa rhetorum sententia ineuitabilibus argumentis euertatur, reijciatur, refu tetur, &c. Compositi] Dialogi Platonici. ἐλεγκτικοὺς] Redargutorios, reprehensiuos. Vocant] Platonici. Præcipiendum] id est docendum fuit. δογματικοὺς] Doctrinales, decretorii, à δοκέω, δόξω in futuro, quod uidere opinariq; significat. Inde δόγμα decretum, doctrina. Exercebatur] In usu erat. Talẽ] Quartam partem adulationis. Τούτῳ] Hoc modo, ad hunc modum, quo uos administratis. Honestam] Virtute præditam. Disputatio] Socratis. ἀνάγκη] Necessarium rhetoricũ hominẽ iustũ esse, iustũ autem s. hominẽ, necesse est uelle iusta facere. Ad quod] dictum Socraticũ. Ille] Gorgias Polus] Gorgiæ discipulus. Calore] Temeritate. Inconsideratior] audacior. Illa] supradicta Simulacro] Particulæ ciuilitatis. Tũ] postea Polo fatigato excipit sermonẽ. Perducitur] Vi argumentationis adducitur. τὸν μέλλοντα] debentẽ rectè rhethoricũ fore, iustum ergo oportet esse scientẽ iustorũ Appareat] Manifestũ fit.

Phædro] In Dialogo quem scripsit de pulchritudine honestatis omnium φανερὸς per se pulchrũ significat. Alter] si non putasset æque rhetoricã bonam. Scripsisset] Plato. Quæ] .s. illa scribere. Inuectus] Disputatione sua. Nam & Socrates] Accusauit Miletus Socratem apud iudices, quòd iura uiolaret per hoc quòd deos ex instituto maiorum in ciuitate susceptos non existimaret, sed aliud nouum quoddam dæmonium introduceret.

quemadmodum,

quemadmodum Plato indicat, & cum illi pœna mors decerneretur, orationem quam ei Lysias scripserat, laudaui; quidem, quòd bona & præclara esset, uerum sibi eam non conuenire. Percontâti igitur Lysiæ, cur si bona esset, ei non conueniret: respondit, Et indumenta speciosa esse possent, neque tamen mihi conuenire. Porrò quemadmodum plerisque locis testatur Plato, erat omnino hæc popularibus magis argumentis instructa, quàm ueris, & philosopho dignis. Lysias] Orator suauissimus, secundum post Platonem obtinens locum. Litigatoribus] Litigantibus apud iudices. Ita] Hac ratione. Iuri] Legi. Fraus] Dolus. Quo pacto] Isocrates & Lysias alijs orationes conscripsere, uide M. Tullius Cice. in Bruto. Ideò] scilicet factum esse. Superioribus] infamantibus officia Rhetorum. Simile ueri] Credibile. Petit] Venatur. Conscientia] De iusta scilicet caussa. Instrumenta] præcepta artis rhetoricæ. Nequitiam] Oratorum, uictoriam tantum petentium, & non conscientiam. Opinionis] scilicet prauæ.

Viderint] perquirant. Ciuilitatem] scientiam rerum ciuilium. Cicero] Primo Rhetoricorum, cuius hæc sunt uerba Quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam ciuilis scientiæ partem esse dicamus. Philosophiæ] Partem scilicet esse dixerunt. Substantiæ] Essentiæ. Virtutes] Ornatus, elegantias. Mores] Rectos. Chrysippi] Sophistæ.

Ductus] Tractus. Cleanthe] Philosopho Stoico, quem præceptorem Chrysippus habuit. Plures] Finitiones. Quæstiones] Quæ tractantur in Rhetoricis. Oporteat] Deceat. rectum sit. Exitum] Dubium fortunæ euentum. Alligat] Astringit. * Illi] Scriptores. Anguste] In angustias. Coercent] scilicet Rhetoricam. Persequi] scilicet scripto. Ad quod] Ad quem finem, finitionem.

CAMERARII.

MArcum Aquilium] De Aquilio apud Ciceronem de Oratore secundo, de Galba I. Phrynen] Phryneo meretricem Thespiensem capitis ream factam ab Euthina, defendit Hyperides. Qui cum sensisset oratione sua non permoueri Iudices, productæ in medium uestem discidit, & pectus nudauit. tum omni oratione ad miserationem conuersa extorsit Iudicibus absolutionem. Vnde lege cautum postea fuit, ne quis pro reo dicens, miserationibus uteretur, neve reus in iudicio aspiceretur. Athenæus libro xiij. Gorgias] Locus Platonis est, ἢ ἔχεις τι λέγειν ἐπὶ πλέον τὴν ῥητορικὴν δύνασθαι, ἢ πειθὼ τοῖς ἀκούουσιν ἐν τῇ ψυχῇ ποιεῖν: Sic interrogat Gorgiam Socrates. Cui ille respondet, οὐδαμῶς ὦ Σώκρατες, ἀλλά μοι δοκεῖς ἱκανῶς ὁρίζεσθαι, ἔστι γὰρ τοῦτο τὸ κεφάλαιον αὐτῆς. Sequens locus est, δυνατὸς μὲν γὰρ πρὸς ἅπαντάς ἐστιν ὁ ῥήτωρ καὶ περὶ παντὸς λέγειν, ὥστε πιθανώτερος εἶναι ἐν τοῖς πλήθεσιν ἔμβραχυ περὶ ὅτου ἂν βούληται. Et paulò pòst interrogat Socrates Gorgiam. ἐάνπερ ῥητορικὸν σύ τινα ποιήσῃς, ἀνάγκη αὐτὸν εἰδέναι τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα, ἤτοι πρότερόν γε, ἢ ὕστερον μαθόντα παρὰ σοῦ: Respondet Gorgias πάνυ γε. Nam hoc] ἄτεχνος τριβή. In Phædro & Gorgia τριβὴν & ἐμπειρίαν uocat cocorum artificium, οὐ τέχνην, & facit particulam τῆς κολακείας, ut Rhetoricam quoque. Cuiheatis] Καλῶ δὲ ἐγὼ αὐτοῦ τὸ κεφάλαιον κολακείαν. Item, ἔστι γὰρ ἡ ῥητορικὴ κατὰ τὸν ἐμὸν λόγον πολιτικῆς μορίου εἴδωλον. Item, τῇ μὲν οὖν ἰατρικῇ ὥσπερ λέγω ἡ ὀψοποιικὴ κολακεία ὑπόκειται, τῇ δὲ γυμναστικῇ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον ἡ κομμωτική. Et aliquanto post, ὅτι ὃ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικήν, τοῦτο σοφιστικὴ πρὸς νομοθετικήν, καὶ ὅτι ὃ ὀψοποιικὴ πρὸς ἰατρικήν, τοῦτο ῥητορικὴ πρὸς δικαιοσύνην. Lysias] De Oratore primo. *Nam id quoque] Τισίαν τε Γοργίαν τε ἐάσομεν εὕδειν, οἳ πρὸ τῶν ἀληθῶν τὰ εἰκότα εἶδον ὡς τιμητέα μᾶλλον, τά τε αὖ σμικρὰ μεγάλα, καὶ τὰ μεγάλα σμικρὰ φαίνεσθαι ποιοῦσι, διὰ ῥώμην λόγου, καινά τε ἀρχαίως, τά τ' ἐναντία καινῶς, συντομίαν τε λόγων καὶ ἄπειρα μήκη περὶ πάντων ἀνηῦρον. Finis] De finibus primo. Vltimum Cicero esse ait, quod omnium Philosophorum sententia tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam. Plato Gorgia, ἆρα καὶ σοὶ συνδοκεῖ οὕτω τέλος εἶναι ἁπασῶν τῶν πράξεων, ἀγαθὸν, καὶ ἐκείνου ἕνεκα δεῖν πάντα τἄλλα πράττεσθαι, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνο τῶν ἄλλων.

ARGVMENTVM.

Probat Rhetorices esse maximam utilitatem dignitatemque. Et primum refutat eorum calumnias, qui in eam tanquam rem perniciosam inuehi solent, in eam uitium conferentes, quod in homines sceleratos erat conferendum quo etiam modo medicinam, sapientiam, magistratum, reprehensioni obnoxia fieri, subiectis exemplis & similibus docet. Deinde alijs contrarijs, proprijs & effectis eius dignitatem utilitatemq; colligit, quod deus nullo magis homines separauerit a brutis, quam dicendi facultate. Et uelocitate quidem, firmitate, uiribus, & magnitudine, a brutorum quibusdam plurimis homines superari, esse etiam intellectum & usum rationis in quibusdam, proxime ad homines accedentem, uerum uim dicendi uerè hominis propriam esse, qua etiam homo non solum brutis sed alijs hominibus præstet. Addit quod nulla res plenius gratiam referat, quòd ea amici defendantur, regatur Senatus populusque, exercitus quocunque ducatur, quod ea uerbis etiam in communi usu positis, homines non loqui, sed tonare ac fulgurare uideantur.

An utilis sit Rhetorice. Cap. XVI.

*SEQVITVR quæstio, an utilis Rhetorice. Nam quidam uehementer in eam inuehi solent: & quod sit indignissimum, in accusationem orationis utuntur orandi uiribus: Eloquentiam esse quæ pœnis eripiat scelestos, cuius fraude damnentur interim boni: consilia ducantur in peius: nec seditiones modò turbæque populares, sed bella etiam * inexpiabilia excitentur: cuius denique tum maximè sit usus, cum pro falsis contra ueritatem ualet. Nam & Socrati obijciunt Comici, docere eum quomodo peiorem caussam meliorem faciat: & contra Tisiā & Gorgiam similia dicit polliceri Plato. Et his adijciunt exempla Græcorum Romanorumq;, & enumerant qui perniciosa nō singulis tantum sed rebus etiam publicis nisi eloquentia, turbauerint ciuitatum status, uel euerterint: eoque & Lacedæmoniorū ciuitate expulsam: & Athenis quoq;, ubi actor mouere affectus uetabatur, uelut recisam orandi potestatem. Quo quidem modo nec duces erunt utiles, nec magistratus, nec medicina, nec ipsa deniq; sapientia. Nam & dux Flaminius, & Gracchi Saturnini Glauciæ magistratus, & in medicis uenena, & in ijs qui philosophorum nomine malè utuntur, grauissima nonnunquam flagitia deprehensa sunt. Cibos aspernemur, attulerunt sæpe ualetudinis caussas. Nunquam tecta subeamus, super habitantes aliquando procumbunt. Non fabricetur militi gladius, potest uti eodem ferro latro. Quis nescit ignes, aquas, sine quibus nulla sit uita, & (ne terrenis immorer) Solem Lunamque præcipua siderum, aliquando etiam nocere? Num igitur negabitur deformem Pyrrhi pacem cæcus ille Appius dicendi uiribus diremisse? Aut non diuina M. Tullij eloquentia & contra leges Agrarias popularis fuit? & Catilinæ fregit audaciam? & supplicationes, qui maximus honor uictoribus bello ducibus datur, in toga meruit? Non perterritos militum animos frequenter à metu reuocat Orator? & tot pugnandi pericula ineuntibus, laudem uita potiorem esse persuadet? Neque uero me Lacedæmonij atque Athenienses magis mouerint, quàm populus Romanus, apud quem summa semper Oratoribus dignitas fuit. Equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuisse ut uaga illa multitudo coiret in populos, nisi docta uoce commota: nec legū repertores sine summa ui orandi consecutos, ut se ipsi homines ad seruitutem iuris adstringerēt. Quin ipsa uitæ præcepta, etiā si natura sunt honesta, plus tamen ad formandas mentes ualent quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare etiam si in utranque partem ualent arma facundiæ, non tamen est æquum id haberi malum, quo bene uti licet. Verùm hæc apud eos fortasse quærantur, qui summam Rhetorices ad persuadendi uim retulerunt. Si uerò est bene dicendi scientia, quem nos finem sequimur, ut sit Orator in primis uir bonus: utilem certè eam esse confitendum est. Et hercle deus ille princeps parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem separauit à cæteris, quæ quidem mortalia essent, animalibus: quàm dicendi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, uiribus, firmitate, patiētia, uelocitate præstātiora in illis mutis, uidemus eadē minus egere acquisitæ extrinsecus opis. Nam & ingredi citius, & pasci, &*

Vt Picus Mirandula aduersus Hermolaū. Eloquentiæ mala.

* inexpugnabilia.

Aristopha. νεφέλαις. In Gorgia & Phędro.

Refutatio calumniæ, quā exēplis probat Liui. deca. 3. lib. 2. & Cic. in Bruto.

Liu. li. 13. & Flo.

Pli. li. 7. c. 30.

L. tamē Crassus cēsor magistros dicendi sustulit. Cicero. 3. de orato. & Sueton. de claris rhetoribus.

Eloquentiæ laus.

tranare aquas citra docentem natura ipsa sciunt. Et pleraque contra frigus ex suo corpore uestiuntur, & arma his ingenita quædam, & ex obuio ferè uictus: circa quæ omnia multus hominibus labor est. Rationem igitur nobis præcipuam dedit, eiusque nos socios esse cum dijs immortalibus uoluit. Sed ipsa ratio neque tam nos iuuaret neque tam esset in nobis manifesta, nisi quæ concepissemus mẽte, promere etiam loquendo possemus: quod magis deesse cæteris animalibus, quàm intellectum & cogitationem quãdam uidemus. Nam & moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus & excludere, quin etiam reponere in hyemẽ alimenta, opera quædam nobis inimitabilia, qualia sunt cerarum & mellis, efficere, nonnullius fortasse rationis est: sed quia carent sermone quæ id faciunt, muta atque irrationabilia uocantur. Denique homines quibus negata uox est, quantulum adiuuat animus ille cælestis? Quare si nihil à Dijs oratione melius accepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus, aut in quo malimus præstare hominibus, quàm quo ipsi homines cæteris animalibus præstant? Eo quidem magis, quòd nulla in parte plenius labor gratiam refert. Id adeò manifestum erit, si cogitauerimus, unde, & quousque iam prouecta sit orandi facultas, & adhuc augeri potest. Nam ut omittam, defendere amicos, regere consilijs, senatum populum exercitatum in quæ uelit ducere, quàm sit utile, conuenıatq; bono uiro: nónne pulchrum uel hoc ipsum est, ex cõmuni intellectu, uerbisq; quibus utantur omnes, tantũ assequi laudis & gloriæ, ut non loqui & orare, sed quod Pericli contigit, fulgurare ac tonare uidearis.

Cic. in Ora, ex Aristophane,

MOSELLANI.

QVidam } Maligno iudicio præditi Rhetores. Indignissimum } Absurdissimum. Orationis } Eloquentiæ.

Orandi uiribus } sic exercendi ingenij gratia Picus Mirandola iusto penè uılumine barbariem defendens, eloquentiam insectatur, idque potissimum efficit eloquentiæ uiribus. cui de huic potissimum ab Hermolao Barbaro & abunde respõsum est Apologia. Fraude } Dolo. Pro falsis } in defensionẽ caussas falsas habentibus Comici } ueteres Græci, quorum est princeps Aristhophanes, qui à quibusdam Socratis accusatoribus ingenti pecunia persuasus, in calumniam Socratis totam scripsit comœdiam cui titulus Nebulæ, in qua Socrates nubes atque id genus alia deos facit, & profitetur. Meliorem } Quam professionem & Protagoræ tribuit Aulus Gell. lib 5. cap 3 sicut & Laertius. Similia } Meliorem caussam peiorem facere, & ediuerso. His } Iam dictis argumentis. Adiciunt } aduersarij. Græcorum } Vt Periclis, qui eloquentiæ uiribus fretus, tyrannidem in Athenienses alioqui liberos exercuerit, & de Romanis Gracchi duo. Status } conditiones. Eoque } Propterea adiciunt.

Bapulsam } Legibus Lycurgicorum principis, uelut testatur Xenophon in libro quem scripsit de republica Lacedæmoniorũ.

Vbi } In quibus Athenis. Affectus } iudicẽ ad misericordiã, iram, inuidiam, atque id genus alia concitare, quod ut scribit Aristoteles Rhetoricorum libro primo, in iudice affectus mouere ad caussam non pertinet, & multo minus ad actorem, cuius officium saltem sit, fidem facere aliquid factum esse uel non factum, futurũ aut non futurum, sed reus ipse misericordiáne dignior, an supplicio sit, id totũ arbitrio iudicis relinquendũ statuit. Quare laudat uehementer eas resp. in quibus legibus cauetur iudicẽ affectibus peruertere, tractatq; hanc quęstionẽ doctissimè prudentissimeq;, unde pleraq; excerpsit in lectiones suas Ludouicus Cælius lib. 3. cap. 14 Qua quidem modo } si uidelicet abutentiũ uitio damnandæ sint artes. Dux Flaminius] C. Flaminius consul homo temerarius, contra auspicia profectus, signis militaribus, quæ tolli non poterant, effossis, & ab equo quẽ conscenderat, in caput deuolutus, insidiis ab Hannibale circunuentus, & seipsum & pulcherrimum perdidit. Exercitum apud Thrasimenum lacum author est Liuius lib. 22. Et Gracchi } sic Cicero in persona Quinti Scæuolæ ad Crassum loquitur lib 1. de Oratore, Sempronius, inquit, Gracchus, homo prudens & grauis, haudquaquam eloquens, & sæpe aliàs, & Censor saluti Reipub. fuit. At eius filij Tiberius & Caius omnibus uel naturæ uel doctrinæ præsidiis ad dicendum parati, cum ciuitatem patrio consilio uel auitis armis florentissimam accepissent, ista præclara, ut tu ais, ciuitatum gubernatrice eloquentia rempublicam dissipauerunt. unde alibi Cicero optat eandem fuisse in administranda repub mentem ipsorum, quæ in eis fuit uis in utroque dicendi. Et Gracchi } magistratus scilicet, qui cum plebem legibus agrariis contra Senatorem commouisset, à Senatu interfectus est. Saturnini } seditiosum Saturnini Tribunatum coercuit C. Rabirius authoribus patribus, uelut testatur Suetonius in Cæsare, & M Cic. in Bruto. Glauciæ magistratus } Post natos homines improbissimus extitit C. Seruilius Glaucia. is Prætor eodem die quo Saturninus Tribunus plebis, publice est interfectus, cũ plebem contra patres armaret. Aspernemur } Hac ratione. Valetudinis } Aduersæ. Procumbunt } Procidunt. Fabricetur } excudatur. Militi } Pugnaturo. Solem lunamque } Subindicat hoc loco Fabius noster quorundam Platonicorum sententiam, qui etiam animalia quædam statuebant immortalia, ut solem & lunam, & reliquas stellas. Verum hanc sententiam, quanquam forsan parum intellectam, Aristoteles pariter & theologi refutant, decernentes omnia animalia esse mortalia, nec stellis aut mundo etiam ipsi aliquid animæ inesse. Sed hæc altioris sunt disputationis. Deformem } Pudendam. Pyrrhi pacem } Pyrrhus rex Epirotarum, rei militaris expertissimus, cum traiecto exercitu in Italiam, magnis cladibus Romanos iam affecisset, iniquis & duris conditionibus Romanis pacem proposuit, quam illi cum parum abfuisset quin accepissent, Appius Cęcus in lecto grauiter decumbens sese in Curiam deportari iussit, ac ibi dicendi uiribus pactam Pyrrhi pacem dissuasit atque diremit. Florus ex 13. lib. Liuii. Diremisse } Rescidisse. Contra agrarias } Leges agrariæ erant, quibus decernebatur agros ex hoste captos populo uiritim per triumuiros distribui debere. Hæ leges subinde à Tribunis plebis promulgabantur, sed M. Cicero in contrarium tanta grauitate orare solebat, ut etiã eis ipsis actionibus populi fauorem emeritus fuerit. Popularis } Grata populo. Catilinæ } Coniurantis contra rempub. Supplicationes } Gratiarũ actiones dijs faciendas. Honor } Supplicationum faciendarum pro aliquo. Toga } Orando in foro. Oratoribus dignitas } Nam post imperatoriam dignitatem, ut indicat Cicero in Bruto, orator summam dignitatem obtinebat. Vide Cicero ibidem de Seruio Sulpitio Iurisconsultorum optimo detractante officium oratoris, sic scribit, Maluit enim in secunda arte, hoc est iuris ciuilis prudentia, esse primus, quàm in prima, hoc est oratoria facultate, secundus. Aliter } Non alia arte. Populos } Cœtus. Commora } Persuasa. Adstringerent } Obnoxios facerent. Claritas } Fulgor. hoc idem de ueritate de uina Lactantius libro primo Inst. & August. libro quarto de doctrina Christiana. Quærantur } in dubio fine. Summa } Finem. Persuadendi } Qualicunque opere intelligendi. Obuio } in promptu, in procinctu. Rationem } Principalem. Socios } Communes possessores.

Quod } promere posse loquendo, quod in animo habeas.

Quandam } Etiam non perfectam. Moliri } Extruere, conari. Texere } Continuare. Fœtus } pullos. Excludere } Incubando. Quantulum adiuuat } Parum admodum. Cultu } Exornatione. Parte } Negociorum. Amicus } ab incursu aduersariorum. Intellectu } Opinione omnium hominum.

Pericli } Principi Atheniensium. Fulgurare } Oratione. Sic enim Aristophanes Comicus de Pericle dicit Fulgurabat, ac tonabat, & dicendo uniuersam commouit Græciam. Cuius rei mentionem facit eruditè Plinius iunior Epistolarum libro primo ferme in fine.

CAMERARII.

COntra Tisiam } Locus supra positus ex Phædro. De Socrate notum est ex Nubibus Aristophanis. Græci autem hoc ita dicunt, τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν. Vbi uictor mouere } Athenæus 13. Καὶ ἀρχαίως ἐγράφη κατὰ ταῦτα [illegible] μηδένα ἐπιλέγεσθαι τῶν λεγόντων ὑπέρ τινος, μὴ δὲ βλέπειν τὸν κατηγορούμενον, ἢ τὴν κατηγορουμένην κρίνεσθαι. Hinc est, absoluta Phryna, scitum factum est, ne cui dicenti pro altero, miseratione uti liceret, neve reum aut ream in iudicio aspici fas esset.

Flaminius } De Flaminio contra prodigia confligente cum Annibale, & interfecto Liuius libro 22. De C. & T. Gracchorum fratrum seditionibus, itemque de Saturnini & Glauciæ, notum uel ex Bruto Ciceronis. Appius } Historiam annotauit Florus ex 13. libro Liuii. Pericli cont. } Aristophanes Ἀχαρνεῦσι, ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης οὑλύμπιος ἤστραπτ' ἐβρόντα ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα, id est, Ibi tum furens Pericles ille Olympius, fulmine tonitruque conturbabat Græciam.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Rhetoricen artem esse probat testimonijs primum, non Oratorum modo, uerumetiam philosophorum: & ex comparatione aliarum artium, a minori, item sub finem capitis a definitione eius, a pari, & effectis. In medio uero tredecim artem oppugnantium obiectiones interserit, & easdem refutat, quæ sunt huiusmodi: Non esse artem, quod a natura sit, quod etiam natura sola exercitatione non etiam arte tuentur: Rhetoricen esse eiusmodi: ergo non esse artem. Secundo, Nihil quod ex arte fiat, ante artem fuisse: atqui orationes, ante artem fuisse: ergo &c. Tertio, Non esse artis, quod faciant qui non didicerint: atqui orasse Aeschinem & Demadem qui non didicerant: igitur. Quarto, Omnes artes habere materiam, Rhetoricen non habere: ergo. Quinto, Nullam artem assentiri falsis opinionibus, Rhetoricen assentiri: ergo. Sexto, Omnes artes habere finem propositum, Rhetoricen non habere: ergo. Septimo, Artes scire quādo finem sunt consequutæ, Rhetoricen nescire: ergo. Octauo, Non esse artem quæ uitijs utatur, Rhetoricen uti: ergo. Nono, Nullam artem esse sibi contrariam: Rhetoricen esse contrariam: ergo. Decimo, Nullam artem destruere quod effecerit: id accidere Rhetoricæ: ergo. Vndecimo, Nullam artem docere dicenda & non dicenda: id accidere Rhetoricæ: ergo. Duodecimo, Artes non in opinionibus esse, sed in scientia, Rhetoricen esse in opinionibus: ergo. Decimotertio, Nullam artem oppugnare diuerso tempore quod defenderit: id accidere Rhetoricæ operi: ergo. Quas omnes cauillationes refellit, aut propositionem assumptionemve negando: uel distinguendo, & quod ambiguum erat, interpretando: aut conclusionem non ex præmissis sequi ostendendo.

An Rhetorice sit ars. Cap. XVII.



FINIS non erit, si expatiari parte in har, & indulgere uoluptati uelim. Transeamus igitur ad eam quæstionem quæ sequitur, an Rhetorice ars sit. Quod quidem adeò ex ijs qui præcepta dicendi tradiderunt, nemo dubitauit, ut etiam ipsis librorum titulis testatum sit scriptos eos de arte Rhetorica: Cicero uerò etiam quæ Rhetorice uocetur, esse artificiosam eloquentiam dicat. Quod non Oratores tantum uindicarunt, ut studijs aliquid suis præstitisse uideantur: sed cum his philosophi & Stoici & Peripatetici plerique consentiunt. Ac me dubitasse confiteor, an hanc partem quæstionis tractandam putarem. nam quis est adeò non ab eruditione modò, sed à sensu remotus hominis, ut fabricandi quidem, & texendi, & è luto uasa ducendi artem putet, Rhetoricen autem maximum ac pulcherrimum (ut supra diximus) opus, in tam sublime fastigium existimet sine arte uenisse? Equidem illos qui contra disputarunt, non tam id sensisse quod dicerent, quàm exercere ingenia materiæ difficultate credo uoluisse, sicut Polycratē cum Busirim laudaret, & Clytenæstram: quanquam is, quod his dissimile non esset, composuisse orationem quæ est habita contra Socratem, dicitur. Quidam naturalem esse Rhetoricen uolunt, & tamen adiuuari exercitatione non diffitentur: ut in libris Ciceronis de Oratore dicit Antonius obseruationem quandam esse, non artem. Quod non ideo ut pro uero accipiamus, est positum, sed ut Antonij persona seruetur, qui dissimulator artis fuit. Hanc autem opinionem habuisse Lysias uidetur: cuius sententiæ talis defensio est, quòd indocti & barbari & serui pro se cum loquuntur, aliquid dicant simile principio, narrent, probēt, refutent, & (quod uim habeat epilogi) deprecentur.

Rhetori. I.

Policrates.

Obiectiones contra prædicta, I.

Antonius artis dissimulator.

II. *Deinde adijciunt illas uerborum cauillationes, Nihil quòd ex arte fiat, ante artem fuisse: atqui dixisse homines pro se, & in alios, semper: doctores artis, serò iam & circa Tisiam & Coraca primùm repertos. orationem igitur ante artem fuisse, eoque artem non esse. Nos porrò quando cœperit huius rei doctrina, non laboramus: quanquam apud Homerum, & præceptionem Phœnicem tum agendi tum etiam loquendi, & oratores plures, & omne in tribus ducibus orationis genus, & certamina quoque proposita eloquentiæ inter iuuenes, inuenimus: quin in cælatura clypei Achillis & lites sunt, & actores. Illud admonere satis est, omnia quæ ars consummauerit, à natura initia duxisse: aut tollatur Medicina, quæ ex obseruatione salubrium atque his contrariorum reperta est, & ut quibusdam placet, tota constat experimentis. Nam & uulnus deligauit aliquis antequam hæc ars esset: & febrem quiete & abstinentia, non quia rationem uidebat, sed quia id ualetudo ipsa coegerat, mitigauit. Nec fabrica sit ars: casas enim primi illi sine arte fecerunt. Nec musica: cantatur ac saltatur per omnes gentes aliquo modo. Ita si rhetorice uocari debet sermo quicunque, fuisse eam antequam esset ars, confitebor. Si uerò non quisquis loquitur, orator est, & tum non tanquam oratores loquebantur: necesse est oratorem factū arte, nec ante artem fuisse fateantur. Quo illud quoque excluditur quod dicunt, non esse artis id quod faciat qui nō didicerit: dicere autem homines & qui non didicerunt. Ad cuius rei confirmationem afferunt Demadem & remigem & Aeschinem hypocritem oratores fuisse. falsò. Nam neque orator esse qui non didicit, potest: & hos serò potius quā nunquam didicisse quis dixerit: quanquam Aeschines ab initio sit uersatus in literis, quas pater eius etiam docebat: Demadem neque non didicisse certum sit, & continua dicendi exercitatio potuerit tantum, quātuscunq; postea fuit fecisse. Nam id potentissimum discendi genus est. Sed præstantiorem, si didicisset, futurum fuisse dicere licet. Neque enim orationes scribere est ausus, ut eum multum ualuisse in dicendo sciamus. Aristoteles, ut solet, quærendi gratia, quædam subtilitatis suæ argumenta excogitauit in Gryllo: sed idem & de arte Rhetorica treis libros scripsit, & in eorum primo non artem solùm eam fatetur, sed ei particulā ciuilitatis, sicut Dialecticis, assignat. Multa Critolaus contra multa Rhodius Athenodorus. Agnon quidem detraxit sibi inscriptione ipsa fidē, qua Rhetorices accusationem professus est. Nam de Epicuro, qui disciplinas omnes fugit, nihil miror. Hi complura dicunt, sed ex paucis locis ducta. Itaque potentissimis eorū breuiter occurram, ne infinitum quæstio euadat. Prima his argumentatio ex materia est.*

Iliad. 9

Iliad. 5.

Iliad. 18.

Iliad. 6.

Nō quisquis loquitur orator est.

III.

Demades.

Aeschines.

Exercitatio continua, discendi genus potētissimū.

Contra Critolaum & Athenodorum.

IIII. *Omnes enim artes aiunt habere materiam, quod est uerum: Rhetorices nullam esse propriam: quod esse falsum in sequentibus probabo. Altera est calumnia, nullam artem falsis aßentiri opinionibus, quia constitui sine præceptione non possit, quæ semper uera sit: Rhetoricen assentiri falsis: non esse igitur artem.*

V. *Ego Rhetoricen nonnunquā dicere falsa pro ueris confitebor, sed non ideo in falsa quoque esse opinione concedam: quia longè diuersum est, ipsi quid uideri, & ut alij uideatur, efficere, nam & imperator falsis utitur sæpe: ut Hannibal, cum inclusus à Fabio, sarmentis circa cornua boum deligatis, incensisq́;, per noctem in aduersos montes agens armenta, speciem hosti abeuntis exercitus dedit: sed illum fefellit, ipse quid uerum esset, non ignorauit. Nec uero Theopompus Lacedæmonius, cum permutato cum uxore habitu è custodia ut mulier euasit, falsam de se opinionem habuit, sed custodibus præbuit. Item Orator cum falso utitur pro uero, scit esse falsum, eoque se pro uero uti: non ergo falsam habet ipse opinionem, sed fallit alium. Nec Cicero cum se tenebras offudisse Iudicibus in caussa Cluentij gloriatus est, nihil ipse uidit. Et pictor cum ui artis suæ efficit ut quædam eminere in opere, quædā recessisse credamus, ipse ea plana esse non nescit.*

Liu. li. 3. tertiæ Decadis

De Minyis hoc scribit in Melpomene Herodotus & Vale. li. 4. cap. 6.

VI. *Aiunt etiā, omnes artes habere finē aliquē propositū, ad quē tendāt. hunc modò nullum esse in Rhetorice, modò non præstari eum qui promittatur. Mentiuntur. Nos enim esse finem iam ostendimus, & quis esset diximus. Præstabit hunc semper Orator. semper enim bene dicet. Firmum autē hoc quod opponitur, aduersus eos fortasse sit, qui persuadere finem putauerunt. Noster Orator, arsque à nobis finita, non sunt posita in euentu. Tendit quidem ad uictoriam qui dicit: sed cum bene dixit, etiam si non uincat, id quod arte continetur, effecit. Nam & gubernator uult salua naue in portū perueni-*

Oratoris ars non est in euentu.

re: si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetque notum illud, Dum clauum rectum teneam. Et medicus sanitatem ægri petit: si tamen aut ualetudinis ui, aut intemperantia ægri, aliòue quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicina fine non excidit. Ita oratori bene dixisse finis est. Nam est ars ea, ut post paulum clarius ostendemus, in actu posita, non in effectu. Ita falsum erit illud quoque quod dicitur, Artes scire quando sint finem consecutæ, Rhetoricen nescire. Nam se quisque bene dicere intelligit.

Eras. in Chiliad.

Cap. seq. VII.

VIII. Uti etiam uitijs Rhetoricen, quod ars nulla faciat, criminantur: quia & falsum dicat, & affectus moueat. Quorum neutrum est turpe, cum ex bona ratione proficiscitur: ideoque nec uitium. Nam & mendacium dicere, etiam sapienti aliquando concessum est: & affectus, si aliter ad æquitatem perduci Iudex non poterit, necessario mouebit Orator. Imperiti enim iudicant, & qui frequenter in hoc ipsum fallendi sunt, ne errent. Nam si mihi sapientes iudices dentur sapientum conciones, atque omne concilium, nihil inuidia ualeat, nihil gratia, nihil opinio præsumpta, falsique testes: perquam sit exiguus eloquentiæ locus, qui propè in sola delectatione ponatur. Sin & audientium mobiles animi, & tot malis obnoxia ueritas: arte pugnandum est, & adhibenda quæ prosunt. Nec enim qui recta uia depulsus est, reduci ad eam nisi alio flexu potest. Plurima uerò ex eo contra Rhetoricen cauillatio est, quòd ex utraque caussæ parte dicatur.

Falsum dicere ex bona ratione, non est turpe.

IX. X. XI. Inde hæc, Nullam esse artem sibi contrariam, Rhetoricen esse contrariam sibi. Nullam artem destruere quod effecerit: accidere hoc Rhetorices operi. Item, Aut dicenda eam docere, aut non dicenda: itaque uel per hoc non esse artem, quòd non dicenda præcipiat: uel per hoc, quòd cum dicenda præceperit, etiam contraria his doceat. Quæ omnia apparet de ea Rhetorice dici, quæ sit à bono uiro atque ab ipsa uirtute seiuncta: alioqui ubi iniusta caussa est, ibi Rhetorice non est: adeò ut uix ex admirabili quodam casu possit accidere ut ex utraque parte Orator id est uir bonus dicat. Tamen quoniam hoc quoque in rerum naturam cadit ut duos sapientes aliquando iustæ caussæ in diuersum trahant, quando etiam pugnaturos eos inter se, si ratio ita duxerit, credunt: respondebo propositis: atque ita quidem, ut appareat hæc aduersus eos quoque frustra excogitata, qui malis moribus nomen Oratoris indulgent. Nam Rhetorice non est contraria sibi. Caussa enim cum caussa, non illa secum ipsa componitur. Nec si pugnent inter se qui idem didicerunt: idcirco ars, quæ utrique tradita est, non erit. Alioqui nec armorum, quia sæpe gladiatores sub eodem magistro eruditi inter se componuntur. Nec gubernandi, quia naualibus prælijs gubernator est gubernatori aduersus. Nec imperatoria, quia Imperator cum imperatore contendit. Item non euertit opus Rhetorice quod efficit. neque enim positum à se argumentum soluit Orator, sed ne Rhetorice quidem: quia apud eos qui in persuadendo finem putant, aut si quis (ut dixi) casus, duos inter se bonos uiros composuerit, uerisimilia quærentur. Non autem si quid est altero credibilius, id ei contrarium est, quod fuit credibile. Nam ut candido candidius & dulci dulcius non est aduersum, ita nec probabili probabilius. Nec præcipit unquam non dicenda, nec dicendis contraria, sed quæ in quaque caussa dicenda sunt. Non semper autem, etiamsi frequentissimè, tuenda ueritas erit, sed aliquando exigit communis utilitas, ut etiam falsa defendantur. Ponuntur hæ quoque in secundo Ciceronis de Oratore libro contradictiones,

XII. Artem earum rerum esse quæ sciantur, Oratoris omnem actionem opinione non scientia contineri: quia & apud eos dicat qui nesciant, & ipse dicat aliquando quod nesciat. Ex his alterum, id est an sciat iudex de quo dicatur, nihil ad Oratoris artem: alteri respondendum, Ars earum rerum est, quæ sciuntur. Rhetorice ars est bene dicendi, bene autem dicere scit Orator. Sed nescit an uerum sit quod dicit. Ne hi quidem qui ignem aut aquam, aut quatuor elementa aut corpora insecabilia esse, ex quibus res omnes initium duxerunt, tradunt: nec qui interualla siderum, & mensuras solis ac terræ colligunt: disciplinam tamen suam, artem uocant. Quod si ratio efficit, ut hæc non opinari sed propter uim probationum scire uideantur: eadem ratio idem præstare Oratori potest. Sed an caussa uera sit nescit. Ne Medicus quidem an dolorem capitis habeat qui se pati dicet: curabit tamen tanquam id uerum sit, & erit ars medicina. Quid quòd Rhetorice non utique propositum habet semper uera dicendi, sed semper uerisimilia? scit autem esse uerisimilia quæ dicit.

XIII. Adijciunt his qui contrà sentiunt, quòd sæpe quæ in alijs litibus impugnarunt actores caussarum, eadem in alijs defendant. Quod non artis, sed hominis est uitium. Hæc sunt præcipua quæ contra Rhetoricen dicantur: alia & minora, & tamen ex his fontibus deriuata. Confirmatur autem eam esse artem breuiter. Nam siue (ut Cleanthes uoluit) ars est potestas * uiam ac ordinem efficiens: esse certè uiam atq; ordinem in bene dicendo nemo dubitauerit: siue ille ab omnibus ferè probatus finis obseruatur, artem constare ex præceptionibus consentientibus & coexercitatis ad finem uitæ utilem, iam ostendimus nihil non horum in Rhetorice inesse. Quid quòd & inspectione & exercitatione, ut artes cæteræ, constat? Nec potest ars non esse, si ars est Dialectice, quod ferè constat: cum ab ea specie magis quàm genere differat. Sed nec illa omittenda sunt, quæ in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat, in ea esse artem: & in eo quod qui didicerit, melius faciat, quàm qui non didicerit, esse artem. Atqui non solùm doctus indoctum, sed etiã doctior doctum in Rhetorices opere superabit: neque essent eius aliter tam multa præcepta, tamque magni qui docerent. Id quod cum omnibus confitendum est, tum nobis præcipuè, qui rationem dicendi à bono uiro non separamus.

Rhetoricen artem esse.

* In uetustis quibusdã codicib. & scriptis & impressis legitur, potestas uia id est ordine efficiens,

MOSELLANI.

Finis} scilicet Disputationis. Expatiari} Ab instituto digredi. Voluptati} Ingenio meo. Quod} Rhetoricen esse artem. Dicat} Primo libro Rhetoricorum. Stud ijs} Affectibus proprijs. Stoici} ut Chrysippus. Peripatetici} Vt Aristoteles, & Democritus, & Phalereus. Tractandam} Disputatione excutiendam. Exercere} Periclitari. Polycratem} Rhetorem. Busirim} Tyrannum Aegypti, qui homines ad aram mactare consueuerat. Clytemnestram} Adulteram, uxorem Agamemnonis, quæ in mariti necem cum Aegystho conspirauerat, quam & perfecit, ut testatur Homerus cum alibi, tum Odyss. lib. primo. Socratem} Integerrimæ ac laudatissimæ uitæ uirum Naturalem} A natura insitam. Quod} Rhetoricen esse obseruationem. Antonij} ut seruiatur personæ decoro. Dissimulator} Negauit se artem didicisse. Opinionem} Quod non sit ars Rhetorica. Deprecentur} Precibus mala auertere conentur. Cauillationes} Falsas reprehensiones. Fiat} Oriatur. Semper} omni seculorum memoria. Tisiam & Coraca primos præceptores artis bene dicendi. Orationem} artificiosam. Huius rei} eloquentiæ. Laboramus} Solicite perquirimus. Præceptorem Phœnicem} Adhibitum Achilli instituendo. Oratores} ut Nestorem Pyliorum principem, cui medium & temperatum genus dicendi attribuit Homerus, si statur iudicio Ciceronis, & Fabii in x. In tribus ducibus} Menelao, cui tenue attribuitur filum orationis: & Vlysse, cuius orationem hybernis niuibus, copia scilicet facit similem Poeta Iliados tertio, etiam si in primo ex Nestoris ore melle dulcior fluit oratio. Iuuenes} Græcos: quod in xuii. Iliad. Homerus habet, ubi in funere Patrocli [illegible] tuitur

acutia

eloquentiæ præmium iuuenibus: Achillis] apud Homerum lib. 16. Consumauerit] Perfecerit. Initia] Omnium artium semina, quæ natura indita esse probat susius Plato multis rationibus in Menone. Salubrium] Rerum naturalium.

Contrariorum] insalubrium. Experimentis] Id est usu, unde Plinius: Sunt eius generis medici, qui ab experimentis, quibus totam artem tribuebant, ἐμπειρικοὺς se nominarunt id est experimentorum professores. Deligauit] id est ligatura demulsit, curauit. Febrem] A febrire prisca uoce, id est feruere. Rationem] Quare scilicet faceret. Fabrica architectura. Modo] Arte. Loquitur] Quomodocunque, tum incultis illis seculis. Fateantur] Fateri possint. Quo] Responso. Illud] argumentum. Didicerit] scilicet dicere. Ad cuius rei] argumenti. Demadem] Oratorem nobilem apud Athenienses, cuius pater nauta fuit, à quo ipse Demades non scholis Rhetorum sed remis est adhibitus, author Suidas. Hypocritem] Actorem fabularum, siquidem Græcis ὑποκρίνομαι significat simulo, & eam personam repræsento, à qua ipse sum alienus: nam actores ipsi fabularum aliquoties Iro pauperiures, repræsentant personam. Agamemnonis, aut regis: quo factum est ut qui quoquo modo aliud præ se ferant quàm debent, hypocritæ dicantur. Falso] Non uere. Hos] Demadem & Aeschinem. Pater eius] Lysanias nomine, ut Suidas testatur.

Genus] Exercitationem. Potissimum] Dicendi genus est, quod non admodum ad superiora respondere uideatur: quod, ut ait Marco Cicero, usus & exercitatio omnium magistrorum præcepta superat. Argumenta] contra Rhetoricen, quæ aliud in se nihil habent, nisi subtilitatem & argutiam quandam cauillandi. Aristoteles] Reliquit enim librum singularem de arte rhetorica, quem amici cuiusdam nomine, Laertio authore, inscripsit Gryllum. Et] Rhetoricæ. Ciuilitatis] Ciuilis scientiæ, nimirum eam partem politices, quæ affectus & hominum mores tractare & formare pollicetur, intelligit. Multa] argumenta, Critolaus] Philosophus Peripateticus, cuius Laertius meminit. Agnon] scriptor, cuius Suidas meminit.

Eidem] ipse se indignum fide, & suspectum reddidit. Epicuro] contra Rhetoricam sentiente. Hi] Rhodius, Epicurus, Agnon. Locis] Sedibus dialectis argumentorum. In infinitum] Ne non sit finis huius disputationis. Ex materia] subiecta. Aiunt] Aduersarij nostri. Quæ] Opinio. Veris] Quæ tantum facere debebunt, quantum uera. Ipsi] sibi, scilicet uerum quod falsum est. Falsis] Verorum caussa. Inclusus] Circumseptus inter oppidum Casilinum & Calliculam montem, ut narrat historiam Liuius libro secundo tertiæ Decat. Dedit] Romanis. Montes] in Calliculam, supra quem præsidium Romanorum erat, & hoc strata gemate Hannibal euasit.

Habuit] Quòd scilicet mulier esset. Falsam] Fallitur. Offudisse] Imposuisse, & falsum pro uero obtulisse. In caussa Cluentij] Aulus Cluentius ueneficij reus fuit. Recessisse] Caua esse. Aiunt] Accusatores rhetoricæ artis. Finem] Bene dicere esse Rhetoricæ artis. Euentu] in alea fortunæ. Notum] Prouerbium. Erasmus in Prouerbijs & hoc inter adagia recenset, putatque hemistichion esse ex ueteri quopiam poeta, sed ignoto. est certe mensura dimidiati Heroici: Dum clauum rectum teneam: modo officio meo fungar. Petit] Spectat potissimum. Vi] immodica pœna. Summa] finis. Rationem] iuxta præscripta artis. Excidet] Abierit.

Actu] Diligenti actione. Effectu] persuasionis. Illud] argumentum. Artes] Expertos. Finem] scilicet suum.

Nescire] Quando scilicet consecuta suum finem sit. Quorum]. Falsum dicere, & affectus mouere. Ratione] id est, salutare est illis apud quos fit. sic Orator caussam pietatis agens si in auditoribus mouerit affectus, scilicet odium peccatorum, & amorem uirtutis, profectò omni laude dignus, nedum non turpis erit. Aliquando] Cum salutare est his quorum gratia mendacium dicimus. sic enim sentit Plato, & hanc opinionem etiam Origenes in homilijs editis in epistolam Pauli ad Galatas sequitur. Et Hieronymus hac parte Origenem sectatus, etiam in Petro & Paulo mendacium, hoc est simulationem & dissimulationem interpretatur eo loco Pauli, ubi legalium ciborum gratia ipse Paulus sese restitisse in faciem Petro dicit. Quanquam Augustinus ex huius quæstionis occasione contentionem penè cum Hieronymo suscepit: etiamsi impacientissimi Hieronymi clauo repercussus, postea destitit, uelut indicant epistolæ super hac re ab utroque scriptæ. Concessum] A Platone in libro de Mendacio. Aequitatem] sententiæ proferendæ. Imperiti] iudices caussarum. In hoc] propter hoc. Fallendi] salubri mendacio. Mihi] Oraturo. Concilium] Cœtus Senatorum. Inuidia] apud Iudices. Præsumpta] uel bona de malo, uel mala de bono. Eloquentiæ] arti ipsi. Mobiles] instabiles. Prosunt] siue falsa, siue uera. Ex eo] Loco scilicet.

Hæc] scilicet dicunt. Dicenda] in oratione. Per hoc] Non erit Rhetorica. Vtraque] Hæc argumenta. Propositis] Argumentis. Illa] Rhetorica. Componitur] Committitur. Componuntur] Contendunt, committuntur. Armorum] ars, digladiandi scilicet, erit scientia. Naualibus] Naumachijs. Imperatoria] Erit ars. Nam duobus apud iudicem cõtendentibus oratione, cum alter persuadet, opus & finem suum consequitur etiã si aduersarius ad hunc finem non pertingat. Non ergo est sibi contraria, cum per eam alter persuadeat, alter non. nam hic defectus non est artis ipsius, sed eius qui non plene didicisset, aut arte abuteretur. quæretur ergo ab utroque credibile saltem: quoniam contraria, Philosophis authoribus, quæ sunt sub eodem genere posita, maximè distant: ut sub colore album & nigrum, contraria sunt, quoniam maximè distant, & æqualiter sub genere collocantur: flauum autem & album non sunt contraria, quòd non maximè distent. Frequentissime] Defendenda sit. Sciantur] Certissime teneantur per caussas.

Opinione] Quæ iam falsa, iam uera est. Qui nesciant] An sint terræ. Nihil] Pertinet. Ignem] Vt Heraclitus. Aquã] Vt Thales. Quatuor elementa] ut Empedocles. Insecabilia] atomos, ut Democritus, & Anaxagoras. Res] Naturales.

Nec qui inter] sciunt an sint uera quæ dicunt. Interualla] distantias, ut Astrologi. Terræ] ut Cosmographi. Probationum] Argumentorum. Sed] Obiectio. Verisimilia] Quoniam eiusdem facultatis est scire quæ sunt uera, & quæ uerisimilia, authore Aristotele 2. Ethicorum. Cleanthes] Philosophus Stoicus, locus à definitione. Nihil non] Omnia. Inspectione] Contemplatione. Ab ea] Dialectica, ut testatur Aristoteles in libris Rhetoricorum, ubi utrique eandem materiam assignat, nempe res omnes, & nihil determinatum, immò addit, quòd Rhetorice cum Dialectica conuertatur, & recurrat: quod & Zeno indicauit cum dixit Dialecticen & Rhetoricen utranque esse manum, sed Rhetoricen uelut expansam, Dialecticam autem uelut clausam, ut citat Cicero in Bruto.

CAMERARII.

Coraca] De Oratore libro primo. Phœnicem] Vt supra indicauimus, Oratores apud Homerum præcipuos, Nestorem, Menelaum, & Vlyssem in inuenimus. quorum orationis tribus generibus absoluit Fabius eloquentiam in XII. Sed & Troianos Oratores fecit idem poeta Iliados γ.

Quo Priamus Panthusque loco iuxtaque Thymœtes,
Lampusque Clytiusque & bellipotens Hicetaon,
Et duo, qui docto populum sermone regebant,
Vcalegon annis grauis Antenorque sedebant,
Hic ubi stant Scæas quas dicunt nomine portas.
Roboris effœtos dudum hos à Marte senectus
Soluerat, ast illi cœtus & rostra colebant,
Argutam excelso dantes è pectore uocem:
Vtque nemus molli complentes uoce cicadæ
Fronde super uiridi resident, sic Dardanidarum
Turba ducum, æqualis loca turris summa tenebat.

Inter iuuenes certantes de eloquentia Thoantem fecit excellere, Iliados ο.

Tunc his dicta Thoas Andræmone talia natus
Ore dabat, cunctos Aetolos optimus inter.
Et iaculum uibrare, & cursu uincere doctus:
Inque foro inferior paucis, cum Dorica pubes
De iure, eloqui uerbis certamen iniret.

In cælatura] Iliados V I.

At populus turba celebrabat rostra frequens.
Hic certare duos uerbis, intendere litem
Cernere erat, quorum nummos pro cęde petebat
Vnus, at alter se dudum soluisse docebat.

Quas pater eius] Atrometes. hoc exprobrat Aeschini Demosthenes περὶ στεφάνου: ἅμα τῷ πατρὶ πρὸς τῷ διδασκαλείῳ προσεδρεύων, τὸ μέλαν τρίβων, καὶ τὰ βάθρα σπογγίζων, καὶ τὸ παιδαγωγεῖον κορῶν, οἰκέτου τάξιν, οὐκ ἐλευθέρου παιδὸς ἔχων. Demades autem nautæ filius fuit, & ipse nauta primùm, mox rhetor, quem negant orationem ullam scriptam emittere uoluisse. Cicero in Bruto: Et is cuius nulla extant scripta, Demades. Conceptione] Κατάληψιν dicit, id est cognitionem rerum. de Finibus 3. cognitiones rerum uocat. Theupompus] De Minys hoc scribit Herodorus μιλτομένη. Et est exemplum apud Valeriũ lib 3. cap. 6. Corpora insecabilia] ἀτόμους. Probatus] Quod Græce ita dicitur, τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐκ καταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ.

ARGVMENTVM.

Diuisionem artium facit in tria genera, unum uocat Theoreticum, quod constat inspectione seu contemplatione, ut Astrologia. Alterum practicum, quod in actu consistit, ut saltatio. Tertium poeticum, quod in effectu est, & post se opus relinquit, ut pictura. Rhetoricen uero maxime actu contineri, esse igitur practicam, quamuis ex alijs generibus multum assumat, unde media uideri possit.

Generalis artium diuisio, & ex quibus sit Rhetorica. Cap. XVIII.

CVM sint autem artium aliæ positæ in inspectione, id est cognitione & æstimatione rerum, qualis est Astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei cuius studium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητικὴ uocatur: Aliæ in agendo, quarum in hoc finis est, & ipso actu perficitur, nihilque post actum operis relinquit, quæ πρακτικὴ dicitur, qualis est saltatio: Aliæ in effectu, quæ operis quod oculis subijcitur, consummatione finem accipiunt, quam ποιητικὴν appellamus, qualis est pictura: ferè iudicandum est Rhetoricen in actu consistere. Hoc n. quod est officij sui perficit. atq; ita ab omnibus dictum est. Mihi autem uidetur etiam ex illis cæteris artibus multum assumere. Nam & potest aliquando ipsa res inspectione esse contenta. Erit enim Rhetorice in Oratore etiam tacente: & si desierit agere, uel proposito, uel aliquo casu impeditus, non magis desinet esse Orator, quam Medicus, qui curandi fecerit finem. Nam est aliquis, ac nescio an maximus etiã ex secretis studijs fructus, ac tum pura uoluptas literarum cum ab actu, id est opera recesserunt, & contemplatione sui fruuntur. Sed effectiuæ quoque aliquid simile scriptis orationibus, uel historijs (quod ipsum opus in parte oratoria merito ponimus) consequetur. Si tamen una ex tribus artibus habenda sit, quia maximus eius usus actu continetur, atque est in eo frequentissima, dicatur actiua, uel administratiua. Nam & hoc eiusdem rei nomen est.*

* Inscrip. codicib. legitur cõsummatione, non finẽ accipiunt. Rethoricæ actiua scientia, assumit tamen & ex cæteris generibus non parum, ut media uideri possit.

MOSELLANI.

Aestimatione] Iudicio. Astrologia] Ratio tractans motus & interualla syderũ. Actum] Corporis. Rei] Syderum cœli, quæ artium ratio θεωρητικὴ, contemplatiua, à θεωρέω diuino, contemplor. Intellectu] intelligentia. Agendo] Consistunt. Hoc] Agendo. πρακτικὴ] Actiua, effectiua, à πράττω, ago. Effectu] Consistunt elaboratione. Operis] scilicet sui. Quod] Opus. Finem] Artis. Poeticem Factiuam. Qualis] Cuiusmodi cuius generis. Hoc] Opus. Ita] Quod scilicet actiua sit scientia. Cæteris] Effectiuis, ac factiuis. Res] Rhetorica. Impeditus] Orando. Medicus] Definit esse. Secretis] Domesticis, priuatis, quæ ad solem non feruntur. Pura] Syncera propter conscientiam. Actu] Vitæ effectiuæ. Opus] Conscribendarum historiarum. Ex tribus] Contemplatiua, actiua, effectiua. Vsus] Vtilitas. Hoc] Administratiua. Rei] Artis actiuæ.

CAMERARII.

Inspectione] θεωρία καὶ πρᾶξις.
In agendo] Quæ uocant αἱρετὰ καὶ φευκτά.

ARGVMENTVM.

Consummatum oratorem fieri non posse, nisi ars cum natura iungatur contendit: & naturam quidem, si eas distrahi oporteat, arte meliorem esse. Si etiam ex æquo adsint mediocria utraque, plus adhuc efficere naturam. Perfectos uero plus arti debere quam naturæ. Quæ similitudinibus a re rustica & statuaria sumptis illustrat.

Vtra plus conferat eloquentiæ, ars, an natura. Cap. XIX.

SCio quæri etiam, naturáne plus ad eloquentiam conferat, an doctrina. Quod ad propositum quidem nostri operis nihil pertinet: nec enim consummatus Orator nisi ex utraque fieri potest: plurimum tamen referre arbitror, quam esse in hoc loco quæstionem uelimus. Nam si parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum ualebit, doctrina nulla esse sine natura poterit. Sin ex pari coeant, in mediocribus quidem utrisque maius adhuc naturæ credam esse momentum, consummatos autem plus doctrinæ debere quàm naturæ putabo: sicut terræ nullam fertilitatem habenti, nihil optimus agricola profuerit: è terra uberi utile aliquid etiam nullo colente nascetur. At in solo fœcundo plus cultor quàm ipsa per se bonitas soli efficiet. Et si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exculpere, Parium marmor mallem rude: at si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset, quàm in marmore. Denique natura materia, ars doctrinæ est. hæc fingit, illa fingitur. Nihil ars sine materia: materiæ etiam sine arte precium est. Ars summa, materia optima melior.

Quando naturæ maius momentum quam arti, & contra.

MOSELLANI.

Quæri] Dubitari uulgo. Conferat] Momentum adferat. Quod] Scilicet disputare, inquirere. Vtroque] Et naturæ felicitate, & doctrinæ cura. Referre] Interesse. Hoc loco] Quomodo interpretamur hac quæstionẽ. Vtrilibet] Vel naturæ, uel doctrinæ præceptioni. Alteram] Si consideres naturam. Per se] Sine doctrina. Valebit] Efficiet. Doctrina] Præceptione. Natura] Felici. Ex pari] Aequaliter, id est simul æstimantur per se priuata cultore. Praxiteles] Nobilis statuarius, cuius meminit Plinius lib. 34. cap. 8. Parium marmor] Aduectum ex Paro insula, de quo marmore uide Plinium lib. 36. Rude] Inelaboratum. Idem] Marmor. Expolisset] Exculpisset. Plus] Scilicet ingenij. Natura] Hominis. Fingitur] Excolitur. Materia] subiecta. Precium] Aestimatio. Summa] Insculpta materiæ.

ARGVMENTVM.

Ex Stoicorum sententia Rhetoricen illam bene dicendi scientiam (non autem atechniam, aut mataeotechniam, cacotechniamue, quibus homines uel ad suam impudentiam, uel stultitiam, aut etiam improbitatem abutuntur) uirtutem esse probat, quæ sibi in dicendis & non dicendis constet, quæ prima suæ facultatis semina in optimum finem a natura trahat. Adiungit etiam argumentum a parti: & quo differat a dialectica, ex Zenone explicat. A materia quam tractat, quæ nulla est citra honestorum ac inhonestorum, iusti & iniusti, uirtutumque omnium & uitiorum scientiam. Ab actione Rhetoris, quæ frequenter inter tumultus fortitudinẽ desideret. A minori, ex cõparatione brutorũ, in quibus inesse uirtus dicitur. Vltimo loco obiectionem de homine improbo, qui interdũ ex arte dicat, soluit a simili.

An uirtus sit Rhetorice. Cap. XX.

ILLA quæstio est maior, an ex medijs artibus, quæ neque laudari per se, neque uituperari possunt, sed utiles aut secus secundũ mores utentium fiunt, habenda sit Rhetorice: an sit, ut compluribus etiam philosophorum placet, uirtus. Equidem illud quod in studijs dicendi plerique exercuerunt, & exercent, aut nullam artem, quæ ἀτεχνία nominatur, puto (multos enim uideo, sine ratione, sine literis, quà uel impudentia uel fames duxit, ruẽtes) aut malam quasi artem, quã κακοτεχνίαν dicimus. Nam & fuisse multos, & esse nonnullos existimo, qui facultatem dicendi ad hominum perniciem conuerterunt. Ματαιοτεχνία quoque est quædã, idest superuacua artis imitatio, quæ nihil sanè nec boni nec mali habeat, sed uanum laborem: qualis illius fuit qui grana ciceris ex spatio distante missa, in acum continuò & sine frustratione inserebat: quem cum spectasset Alexander, donasse dicitur eiusdem leguminis modio. Quod quidem præmium fuit illo opere dignissimum. His ego comparandos existimo, qui in declamationibus, quas esse ueritati dissimillimas uolunt, ætatem multo studio ac labore consumunt. Verum hæc quam instituere conamur, & cuius imaginem animo concepimus, quæ bono uiro conuenit, quæq; est uera Rhetorice, uirtus erit. Quod philosophi quidem multis & acutis conclusionibus colligunt: mihi uerò etiam planiore ac propriè nostra probatione uidetur esse perspicuum. Ab illis hæc dicuntur.

Alexandri magni de te frustra iacto dictum.

Rhetorica est uirtus.

tur. Si consonare sibi in faciendis ac non faciendis, uirtutis est, quæ pars eius prudentia uocatur: eadem in dicendis ac non dicendis erit. Et si uirtutes sunt, ad quas nobis etiam antequam doceremur, initia quædam ac semina sunt concessa natura, ut ad iustitiam, cuius rusticis quoque ac barbaris apparet aliqua imago: nos certè sic esse ab initio formatos, ut possemus orare pro bonis, etiam si non perfectè, tamen ut inessent quædam (ut dixi) semina eius facultatis, manifestum est. Non eadem autem his natura artibus est, quæ à uirtute sunt remotæ. Itaq; cum duo sint genera orationis, altera perpetua, quæ Rhetorice dicitur, altera cōcisa, quæ Dialectice, quas quidem Zeno adeò coniunxit, ut hanc compressæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret similem, etiam disputatrix uirtus erit: adeò de hac, quæ speciosior atq; apertior est, nihil dubitabitur. Sed plenius hoc idem atq; apertius intueri ex ipsis operibus uolo. Nā quid Orator in laudando faciet, nisi honestorum ac turpium peritus? aut in suadendo, nisi utilitate proposita & perspecta? aut in iudicijs, si iustitiæ sit ignarus? Quid? non fortitudinem postulat res eadem, cum sæpe contra turbulentas populi minas, sæpe cum periculosa potentium offensa, nonnunquam, ut in iudicio Miloniano, inter circunfusa militum arma dicendum sit. ut si uirtus non est, ne perfecta quidem esse possit oratio. Quòd si ea in quoq; animalium est uirtus, quæ præstat cætera uel pleraq;, ut in leone impetus, in equo uelocitas: hominem porrò ratione atq; oratione excellere cæteris certum est: cur non tam in eloquentia quàm in ratione uirtutem eius esse credamus? Rectéq; hoc apud Ciceronem disserit Crassus. Est enim Eloquentia una quædam de summis uirtutibus. Et ipse Cicero in sua persona, cum ad Brutum in epistolis, tum alijs etiam locis, uirtutem eam appellat. At proœmium aliquando & narrationem dicit malus homo, & argumenta sic, ut nihil sit in his requirendum. Nam & latro pugnabit acriter, uirtus tamen erit fortitudo: & tormenta sine gemitu feret malus seruus, tolerantia tamen doloris laude sua non carebit. Multa fiunt eadem, sed aliter. Sufficiant igitur hæc, quia de utilitate suprà tractauimus.

Rhetoricę & dialecticę differentia ex Zenone. uide Cice. 2. de fin. in Orat. & in Parti.

Aristot. Politicorum. 1. c. 2. Cice. 1. de Oratore.

MOSELLANI.

MEdijs] Quibus quispiam abuti potest. Sola enim uirtute ipsa abuti non possumus, alijs omnibus rebus secus. Aristoteles libro. 1. Politicorum, & primo Rhetoricorum. Secus] Inutiles. Complunibus] Vt Phalereo Demetrio. Virtus] Qua nemo abuti potest. Illud] Genus facultatis. Ratione] Certo modo artis. Sine literis] Sine cæteris artibus liberalibus, citra quas non constat ars dicendi. Fames] Paupertas rerum. Κακοτεχνίαν] Malam artem. Multos] id quod Cicero in Gracchis usuuenisse demonstrat, quorum eloquētia in id fuerat comparata, ut Rempub. maiorum consilijs magis felicibus quàm eruditis stabilitam, euerterent. Adde etiam quòd flagitiosissimus quisq; olim eo bonu magis magisq; polluit, ut testantur historiæ Romanæ. In acum] Foramen acus: Sine frustratione] Iactu non fallente. His ego] Inutilem operam anxie in res non ita magni momenti collocantibus. Dissimillimas ueritati] Cum longè secus ex Rhetorum præceptis agere conueniat, quibus enim modis assequemur ut ueras caussas atq; ob id serias cum dignitate tractemus, nisi nos antea circa declamationes ueluti tyrocinia exercuerimus? Instituere conamur] Ab ipsis incunabulis. Bono uiro conuenit] Inter dicacitatem, & eam quā Sallustius loquentiam uocat & eloquentiam, Fabius uel maximè interesse existimat, quòd prior illa in Catilinas, aut si qui sunt magis pestilentes, cadat, altera uero, quæ uirtutis nomine censetur, non nisi in bonum usum. Philosophi] Quibus peculiare est res introspicere, & uerbis de his non quibuslibet, sed ex præscripto loqui: cū oratori interim liberum sit suis uti pigmentis, remq; tanquam digito obiter ostendisse. Consonare sibi] Vix est quod grauis uiri, qui idem sapiens uideri uelit, dignitati æquè repugnet, ac dictorum factorumq; inconstantia, adeo ut inuenias qui experiundorum animorum caussa non alia censura utantur, quàm si perpetuus sit quidam bene consultorum consensus. Nihil interim prohibet declinare de uia, atq; sententiā palam mutare, si id rei honestas antea parum cognita suadeat. Quædam semina] Nam Cicero omnium uirtutum animis humanis inesse semina, id est scintillas quasdam dixit, quæ ad maturā frugem tum demum uenirent, cū studio perpetuaq; exercitatione ex altissimis tenebris producerentur. Honestorū & turpiū peritus] Ob id in primo de Oratore Cicero philosophiam moralem adeo necessariam censuit Oratori, ut tum sine hac affectos moueri non possint, tum uirtutū laudes, uitiorūq; uituperiū, in quod sæpe Orator ita poscente argumento diuertit, nullo modo tractari possit.

ARGVMENTVM.

Varias de materia Rhetorices opiniones recenset, dicentibus alijs eam orationem esse, alijs argumenta persuasibilia, quæstiones ciuiles alijs, alijs totam uitam, alijs propter aliquam uirtutum, locum ei in Ethice assignantibus. Et concludit omnes res ad dicendum oratori subiectas, materiam Rhetorices esse. Probat authoritate Socratis in Gorgia, & Phædro, & Ciceronis inde Oratore. Hinc uarios obiectiones soluit, multiplicem eius esse materiam, circa quam uersetur & alius, quod admittit. Nam idem fieri ostendit in minoribus artibus, ut architectonice, & sculptura, atq; etiā in parti dialectica, de bono utili & honesto disputare, non philosophi modo, sed etiam oratoris esse. Omnium autem rerum ita demum peritum esse debere, ut cum illa ab artificibus acceperit & cognouerit, de illis longe melius ipsis artificibus dicat. Disputationē de isto in librū. 12. differt.

Quæ sit materia Rhetorices. Cap. XXI.

MAteriam Rhetorices quidam dixerunt esse orationem: quam sententiam ponit apud Platonem Gorgias. Quæ si ita accipitur, ut sermo quacunq; de re compositus, dicatur oratio: non materia, sed opus est, ut statuarij, statua, nam et oratio efficitur arte, sicut statua. Sin hac appellatione uerba ipsa significari putamus, nihil hæc sine rerum substantia faciunt. Quidam argumenta persuasibilia: quæ & ipsa in parte sunt operis, & arte fiūt, & materia egent. Quidam ciuiles quæstiones, quorum opinio non qualitate, sed modo errauit. Est enim hæc materia Rhetorices, sed non sola. Quidam, quia uirtus sit Rhetorice, materiam eius totam uitam uocant. Alij, quia non omniū uirtutum materia sit tota uita sed pleraq; earum uersentur in partibus, sicut iustitia, fortitudo, continentia, proprijs officijs & suo fine intelliguntur: Rhetoricem quoq; dicunt in una aliqua parte ponendam: eiq; locum in Ethice negocialem assignant, id est πραγματικόν. Ego (neque id sine authoribus) materiam esse Rhetorices iudico, omnes res quæcunq; ei ad dicendum subiectæ erunt. Nam Socrates apud Platonem dicere Gorgiæ uidetur, non in uerbis esse materiam, sed in rebus. Et in Phædro palàm non in iudicijs modò & concionibus, sed in rebus etiam priuatis, ac domesticis Rhetoricen esse demonstrat. Quo manifestū est hanc opinionem ipsius Platonis fuisse. Et Cicero quodam loco materiā Rhetorices uocat res quæ subiectæ sunt ei, sed certas demum putat esse subiectas. Alio uerò, de omnibus rebus Oratori dicendum arbitratur, his quidem uerbis, Quanquā uis Oratoris professioq; ipsa bene dicendi, hoc suscipere ac polliceri uideatur, ut omni de re, quæcunq; sit proposita, ornatè ab eo copioséq; dicatur. Atque adhuc alibi, Verum enim Oratori, quæ sunt in hominum uita (quādoquidem in ea uersatur Orator, atq; ea est ei subiecta materia (omnia quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. Hanc autem quam nos materiam uocamus, id est res subiectas, quidam modò infinitam, modò non propriam Rhetorices esse dixerunt, eamq; artem circuncurrentem uocauerunt, quòd in omni materia diceret. Cum quibus mihi minima pugna est. Nam de omni materia dicere eam fatentur: propriam habere materiam, quia multiplicem habeat, negant. Sed neq; infinita est, etiam si est multiplex, & aliæ quoq; artes minores habent multiplicem materiam, uelut Architectonice. Namq; ea in omnibus quæ sunt ædificio utilia, uersatur. Et cælatura, quæ auro, argento, ære, ferro, opera efficit. Nam sculptura etiam lignum, ebur, marmor, ui-

Refert multorū opiniones de materia Rhetorices, contra quos sentit.

Quæ materia Rhetorices.

In Gorgia.

2. de Orat.

3. de Orat.

Soluit diuersas opiniones.

Architectonice. Cælatura.

mor, uitrũ gemmas, præterea quæ suprà dixi, cõplectitur. Neq; protinus nõ est materia Rhetorices, si in eadẽ uersatur et alius. Nã si quærã quæ sit materia statuarij, dicetur æs. si quærã quæ sit excusoris, id est eius fabricæ quã Græci χαλκευτικὴν *uocãt, similiter æs esse respõdeant. Atqui plurimũ statuis differũt uasa. Nec medicina ideo non erit ars, quia unctio & exercitatio cũ palæstrica, ciborũ uerò qualitas etiã cum coquorũ ei sit arte cõmunis. Quod uerò de bono, utili, iusto disserere, philosophię officiũ esse dicunt, nõ obstat. Nã cum philosophũ dicunt, hoc accipi uolunt, uirũ bonum. Cur igitur Oratorem, quem à bono uiro non separo, in eadem materia uersari mirer? cũ præsertim primo lib. iam ostenderim, philosophos omissam hãc ab Oratoribus partẽ occupasse, quæ Rhetorices propria semper fuisset, ut illi potius in nostra materia uersentur. Deniq; cũ sit Dialectices materia de rebus subiectis disputare, sit autem Dialectices oratio cõcisa, cur non eadẽ perpetua quoq; materia uideatur? Solet à quibusdã & illud poni, Omniũ igitur artiũ peritus erit Orator, si de omnibus ei dicendum est. Possem hic Ciceronis respõdere uerbis, apud quẽ hoc inuenio. Mea quidem sentẽtia nemo esse poterit omni laude cumulatus Orator, nisi erit omniũ rerũ magnarum atq; artiũ scientiã consecutus, sed mihi satis est, eius esse Oratorẽ rei de qua dicet, nõ inscium. Neq; enim omnes caussas nouit, & debet posse de omnibus dicere. De quibus ergo dicet? de quibus didicit. Similiter de artibus quoq;, de quibus dicendũ erit, interim discet: & de quibus didicerit, dicet. Quid ergo? nõ aut faber de fabrica melius, aut de musice musicus? Si nesciat Orator quid sit de quo quæritur, planè melius. Nã et litigator rusticus illiteratusq; de caussa sua melius quã Orator qui nescit quid in lite sit, dicet: sed accepta à musico, à fabro, sicut à litigatore, melius Orator quàm ipse qui docuerit. Verùm & faber cũ de fabrica, et musicus cũ de musica, siquid cõfirmationẽ desiderauerit, dicet: nõ erit quidẽ Orator, sed faciet illud quasi Orator: sicut cum uulnus imperitus deligabit, non erit medicus, sed faciet ut medicus. An huiusmodi res nec in laudẽ, nec in deliberationem, nec in iudicium ueniũt? Ergo cũ de faciendo portu Hostiensi deliberatum est, non debuit dicere sententiã Orator? Atqui opus erat ratione architectorũ. Liuores & tumores in corpore, cruditatis an ueneni signa sint, non tractat Orator? At est id ex ratione Medicinæ. Circa mẽsuras & numeros nõ uersabitur? Dicamus has Geometrię esse partes. Equidẽ omnia ferè posse credo casu aliquo uenire in officiũ Oratoris, quod si nõ accidet, nõ erunt ei subiecta. Ita sic quoq; rectè diximus materiã Rhetorices esse omnes res ad dicendũ ei subiectas: quod quidẽ probat etiam sermo cõmunis. Nam cum aliquid de quo dicamus accepimus, positã nobis esse materiam frequẽter etiã præfatione testamur. Gorgias quidem adeò Rhetori de omnibus putauit esse dicendum, ut se in auditorijs interrogari pateretur, qua quisq; de re uellet. Hermagoras quoq; dicendo materiam esse in caussa & in quæstionibus, omnes res subiectas erat cõplexus. Sed quæstiones si negat ad Rhetoricen pertinere, dissentit à nobis: si autem ad Rhetoricen pertinent ab hoc quoq; adiuuamur. Nihil est enim quod non in caussam, aut quæstionem cadat. Aristoteles tres faciendo partes orationis, Iudicialem, Deliberatiuam, Demonstratiuam, penè et ipse Oratori subiecit omnia. nihil enim non in hac cadit. Quæsitum à paucissimis etiam de instrumento est. Instrumentum uoco, sine quo formari materia, & in id quod uelimus effici opus non possit. Verùm hoc ego non artem credo egere, sed artificem. Neq; enim scientia desiderat instrumentum, quæ potest esse consummata etiam si nihil faciat: sed ille opifex, ut cælator cælum, & pictor penicilla. Itaque hæc in eum locum quo de Oratore dicturi sumus, differamus.*

In proœmio 1. lib.

De Orat. 1.

Illum facere destinauerat Iul. Cæs. perfecit Claud. imper.

Cice. 2. & 3. de Orat. & de finibus.

Instrumentũ.

In lib. 12.

MOSELLANI.

Materiam Rhetorices] Seorsim quidam uerba materiam statuerunt, alij rem: atq; in utranque partem est acriter satis certatũ antiquitus. Nos uerò uerba ipsasq; res materiã artis Rhetoricæ nominamus. Hæc M Tullius Cicero de inuẽtione uel Rhetoricorum, uel Commentariorum in Hermagoram. Appellatione] scilicet Oratoris. Argumenta persuasibilia] id est res quæ possint oratione persuaderi, uel probationes quæ possint persuaderi. Operis] Rhetorici. Fiunt] Persuasibilia. Materia] A rebus circa quas uersantur ciuiles quæstiones, quæ in cœtu populi tractantur, & in Republica ciuitatis aguntur.

Qualitate] Id est re ipsa. Modo] Mensura, & numero minori, quoniam & priuatæ quæstiones cadunt in materiam Rhetorices. Vitam] Rationem uiuendi. Omniũ uirtutum] Vniuscuiusque per se. Earum] Virtutum. Partibus] Vitæ gubernandis. Fine] Definitionibus. Parte] Scilicet uitæ. Ethice] Morali philosophia. Negocialem] Occupatum in negocijs ciuilibus. Quodam loco] Primo de Oratore. Alibi] de Oratore. Non propriam] Nam aliæ disciplinæ quoque res tractant. Eamque artem] Rhetoricen. Circuncurrentem] Ambientem omnes alias artes. Materiam] Quam etiam cum alijs artibus cõmunem haberet. Nam si singulæ disciplinæ singulas res habent subiectas, & Rhetorice omnes res subiectas ambit, certissimum est, quod hanc materiam cum alijs disciplinis cõmunem habet. χαλκευτικὴν] Aerariam. Intelligit fabros caldariorum, sartaginum, ahenorum, cantharorum, uasorum. Vasa] Sic excusa. Palæstrica] Luctandi arte. Communis] medicinæ. Philosophiæ] Moralis. Non obstat] Nostræ sententiæ. Dicunt] Aduersarii. Nam cum philosophum] Cũ simpliciter philosophiam dicimus, intelligenda est ea quæ uel ciuitatum, uel morũ priuatorum, uel domus administrandæ curam pollicetur, quod ea pars omnium maximè ad huius uitæ utilitatem pertineat. Sic Socrates à Cicerone fons philosophiæ dicitur, nimirum quod relicta illa quæ naturæ arcana scrutatur, primus omniũ Græcorum, morum disciplinam docuerit. alioqui iam ante apud Iudæos, gentem omnium antiquissimam, tres philosophiæ partes celebratæ erant, quemadmodum probat Eusebius de præparatione euangelica. Hoc] Dicto suo. Materia] Scilicet cũ philosophia. Versari] Occupari. Primo] In præfatione primi libri. Illi] Philosophi. Nostra] Rhetorica. Sit autem dialectices] Etiam authore Aristotele ad Alexandrum. Concisa] Breuis, acuta. Eadem] Materia. Perpetuæ] Solutæ prosæ orationis. Illud] Quod sequitur. Respondere] Huic obiectioni. Hoc inuenio] In præfatione libri primi de Oratore. Magnarum] Quæ in controuersiam ueniunt. Non inscium] Aliquo modo conscium. Caussas] Lites quæ possint contingere. Quæritur] Controuersia fit. Melius] Scilicet dicet faber uel musicus. Confirmationem] Comprobationẽ.

Hostiensi] Oppidi Hostiæ, quod ostium & ianuam in morem faciat. Atqui] Id est certe. Liuores] Non naturales colores in corpore ad flauedinem tendentes. Cruditatis] Non cocti cibi. Veneni] Scilicet dati. Mensuras] Terminos agrorum.

Quod quidem] Scilicet uerum esse. Præfatione] inter præfandum. Polus] Discipulus Gorgiæ, qui idem dicit, aliàs Gorgias. Hermagoras] Qui sex libros scripsit de arte Rhetorica, & docuit sub Augusto Cæsare Romæ. Quæstiones] qualiscunque controuersiæ. Instromento] Rhetorices: Opus] Oratio, uox, spiritus longus, & patientia laterum, sunt instrumẽta oratoris. Celator] Artis professor. Hæc] Dubitata.

CAMERARII.

Apud Platonem Gorgias] ἀλλὰ πᾶσα ἡ πρᾶξις καὶ ἡ κύρωσις διὰ λόγου ἐστὶ, & ἐπιστήμη περὶ λόγους. Nam Socrates] Cum enim posuisset ῥητορικὴν εἶναι τῶν τῷ λόγῳ πάντα διαπραττομένων καὶ κυρουμένων, exquirit Socrates περὶ τί τῶν ὄντων: Locum autem etiam è Phædro descripsimus: ἆρ' οὖν τὸ μὲν ὅλον ἡ ῥητορικὴ ἂν εἴη τέχνη ψυχαγωγία τις διὰ λόγων, οὐ μόνον ἐν δικαστηρίοις, καὶ ὅσοι ἄλλοι δημόσιοι σύλλογοι, ἀλλὰ καὶ ἐν ἰδίοις ἡ αὐτὴ σμικρῶν τε καὶ μεγάλων πέρι. Mea quidem] de Oratore primo:

FINIS LIBRI SECVNDI.

M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA, *LIBER TERTIVS.*

ARGVMENTVM.

Repetit breuiter summa quædam capita ex libro secundo, inde maxime unde tractatus artis incipit, & transit ad sequentem operis partem, statimq; auditorem reddit attentum, à difficultate operis, propter inquisitionem diuersarum opinionum, unde futurum ait, ut sequentibus minus auditoris asperfiorem sit, quam primis duobus libris, quos quare dicendi maiore suauitate condierit, ex Lucretio respondet, ut iuuentutem ad cognitionem rerum utilium quidem, sed amari quiddam præ se ferentium, facilius alliceret, deinde se etiam metuere ait, ne hic liber eo minus gratus sit, quod non à se inuenta contineat, qua sollicitudine contra inuidiam se ipsum præmunit. Et quia in nullo tanta erat diuersarum opinionum congeries, quanta in hoc libro, recenset scriptores artis Rhetoricæ græcos primum, deinde latinos, & quo quisque affectu, & quando scripserit, prodit, post quos se operæpretium facturum existimat, si suam sententiæ adferat, quæ nulli sectæ sit addicta sed libere de omnibus pronunciet, ut ipse electoris liberum relinquat quod commodissimum uidebitur, sequi.

De scriptoribus artis Rhetoricæ. Cap. I.

Breuis enumeratio rerũ quæ lib. 2. cõtentæ sunt, & propositio cum præfatiuncula in sequentem partem operis.

QVONIAM in libro secundo quæsitum est quid esset Rhetorice, & quis finis eius: artem quoque eam esse, & utilem, & uirtutem, ut uires nostræ tulerunt, ostendimus: materiamq; ei res omnes de quibus dicere oporteret, subiecimus: iam hinc unde cœperit, quibus constet, quo quaq; in ea modo inuenienda atq; tractanda sint, exequar: intra quem modum pleriq; scriptores artium constiterunt, adeò ut Apollodorus contentus solis Iudicialibus fuerit. Nec sum ignarus, hoc à me præcipuè quod hic liber inchoat opus, studiosos eius desiderasse, ut inquisitione opinionum, quæ diuersissimæ fuerunt, longè difficillimum, ita nescio an minimè legentibus futurum uoluptati: quippe quod propè nudam præceptorum traditionem desideret. In cæteris enim admiscere tentauimus aliquid nitoris, non iactandi ingenij gratia (namq; in id eligi materia poterat uberior) sed ut hoc ipso alliceremus magis iuuentutem ad cognitionem eorum quę necessaria studijs arbitramur, si ducti iucunditate aliqua lectionis, libentius discerent ea, quorum ne ieiuna atq; arida traditio auerteret animos, & aures præsertim tam delicatas raderet, uerebamur, qua ratione se Lucretius dicit præcepta philosophiæ carmine esse complexum: namq; hac, ut est notum, similitudine utitur:

Lucr. lib. 1. item 4.

Ac ueluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras porcula circum
Aspirãt mellis dulci flauoq; liquore, et quæ sequũtur.

Sed nos ueremur ne parum hic liber mellis, et absinthij multum habere uideatur, sitq; salubrior studijs quàm dulcior. Quin etiam hoc timeo, ne ex eo minorem gratiam ineat, quòd pleraq; non inuenta per me, sed ab alijs tradita, continebit: habeat etiam quosdam qui contra sentiant & aduersentur, propterea quòd plurimi authores quamuis eodẽ tenderent, diuersas tamen uias munierunt, atq; in suam quisq; induxit sequentes. Illi autem probant qualecunque ingressi sunt iter: nec facilè inculcatas pueris persuasiones mutaueris, quia nemo non didicisse mauult, quàm discere.

Est autem ut procedente libro patebit, infinita dissensio authorum, primò ad ea quæ rudia atque imperfecta adhuc erant, adijcientibus quod inuenissent scriptoribus: mox, ut aliquid sui uiderentur afferre, etiam recta mutantibus. Nã primus post eos quos poetæ tradiderunt, mouisse aliqua circa Rhetoricen Empedocles dicitur. Artium autem scriptores antiquissimi, Corax & Tisias Siculi: quos insecutus est uir eiusdem insulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis (ut traditur) discipulus. Is beneficio longissimæ ætatis (nam centum & nouem uixit annos) cum multis simul floruit: ideoque & illorum de quibus suprà dixi, fuit æmulus, & ultra Socratem usq; durauit. Thrasymachus Chalcedonius cum hoc, & Prodicus Ceius, & Abderites Protagoras, à quo decem millibus denariorum didicisse artem quã edidit Euathlus dicitur: & Hippias Eleus, & quem Palamedẽ Plato appellat, Alcidamas Eleates Antiphon quoque & orationem primus omnium scripsit, & nihilominus artem ipse composuit, & pro se dixisse optimè est creditus: etiam Polycrates, à quo scriptam in Socratem diximus orationem: & Theodorus Byzantius, ex ijs & ipse quos Plato, appellat λογοδαιδάλους. Horum primi communes locos tractasse dicuntur, Protagoras, Gorgias, Prodicus, & Thrasymachus. Cicero in Bruto negat ante Periclem scriptum quicquam quod ornatum oratorium habeat, eius aliqua ferri. Equidem nõ reperio quicquam tantæ eloquentiæ famæ dignum: ideoq; minus miror esse qui nihil ab eo scriptum putent: hæc autem quæ feruntur, ab alijs esse composita. His successere multi, sed clarissimus Gorgiæ auditorum, Isocrates? quanquam de præceptore eius inter authores non conuenit, nos autem Aristoteli credimus. Hinc uelut diuersæ secari cœperunt uiæ. Nam & Isocratis præstantissimi discipuli fuerunt in omni studiorum genere, eoque iam seniore (octauum enim & nonagesimum impleuit annum) pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artem Oratoriam cœpit, noto quidem illo (ut traditur) uersu ex Philocteta frequenter usus,

Recenset scriptores artis Rhetoricæ, Græcos primum, deinde Latinos.

Vide Gelliũ lib. 5. cap. 10

Lib. 2. ca. 17. In Phædro, & Cicero in Orat.

Cicero. 3. in Orat. & 1. Tuscul.

Αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν.
Turpe esse tacere, & Isocratem pati dicere.

Ars est utriusq; sed pluribus eam libris Aristoteles complexus est. Eodem tempore Theodectes fuit, de cuius opere supra dictum est. Theophrastus quoq; Aristotelis discipulus de Rhetorice diligenter scripsit: atq; hinc uel studiosius philosophi quàm Rhetores, præcipueq; Stoicorum ac Peripateticorum principes. Fecit deinde uelut propriam Hermagoras uiam, quam plurimi sunt secuti: cui maximè par atq; æmulus uidetur Athenæus fuisse. Multa post Apollonius Molon, multa Areus, multa Cæcilius, & Halicarnasseus Dionysius. Præcipuè tamen in se conuerterunt studia Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniæ Cæsaris Augusti fuit: & Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium: quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tyberius Cæsar. Hi diuersas opiniones tradiderunt, appellatiq; inde Apollodorei & Theodorei, ad morem certas in philosophia sectas sequendi. Sed Apollodori præcepta magis ex discipulis cognoscas: quorum diligentissimus in tradendo latinè fuit C. Valgius, græcè Atticus. Nam ipsius sola uidetur ars edita ad Matium, quia cæteras missa ad Domitium epistola non agnoscit. Plura scripsit Theodorus, cuius auditorem Hermagoram sunt qui uiderint. Romanorum primus (quantum ego quidem sciam) condidit aliqua in hac materia M. Cato ille Censorius, post M. Antonius inchoauit. Nam hoc solum opus eius, atque id ipsum imperfectum manet. Secuti minus celebres, quorum memoriam si quo loco res poscet, non omittam. Præci-

Lib. 2. c. 15.

Vide Strab. lib. 17.

Romani scriptores Rhetoricorum.

puum

punm uerò lumen ſicut Eloquentiæ, ita præceptis quoq; eius dedis unicum apud nos ſpecimen orãdi, docendiq; oratorias artes, M. Tullius, poſt quem tacere modeſtiſſimum foret, niſi & Rhetoricos ſuos ipſe adoleſcensi ſibi elapſos diceret, & in Oratorijs hæc minora, quæ plerіq; deſiderant, ſciens omiſiſſet. Scripſit de eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nõnihil pater Gallio: accuratè uerò priores Gallione Celſus & Lenas, & ætatis noſtræ Virginius, Plinius, Rutilius. Sunt & hodie clari eiuſdem operis authores: qui ſi omnia complexi forent, conſuluiſſent labori meo: ſed parco nominibus uiuentium: ueniet eorum laudi ſuum tempus: ad poſteros enim uirtus durabit, nõ perueniet inuidia. Non tamen poſt tot ac tantos authores pigebit meã quibuſdam locis poſuiſſe ſententiam. Neq; enim me cuiuſquam ſectæ, uelut quadam ſuperſtitione imbutus, addixi: & electuris quæ uolunt facienda copia fuit: ſicut ipſe plurium in uno confero inuenta, ubicunq; ingenio non erit locus, curæ teſtimonium meruiſſe contentus.

Cicero.s. de Opt.

Non peruenit ad poſteros inuidia.

M. OSELLANI.



QVæſitum] Quæſtionibus agitatum. Tulerunt] Permiſerunt. Materiamq;] Subiectũ, quod græcè ὑπόθεσιν dicunt. Dicere] Oratorem. Hinc] Poſthac, deinceps. Vnde] Ex quo initio. Quibus] Scilicet partibus.

Exequar] Pertractem. Intra quem modum] Intra quod præſcriptum, id eſt metam. Conſtiterunt] Gradum fixerunt. In cæteris] Scilicet artibus, ubi non tractamus nuda præcepta. In id] Vt iactaremus ingenium. Materia] Argumentum fœcundius. Hoc ipſo] Hac ipſa miſcella & miſtura. Studijs] Rhetoricis. Ea] Præcepta. Ieiuna] Tenuis, minus plena. Dedicatas] Delicijs aſſuetas, teneras. Qua] Cauſſa, ob quam cauſſam, ne ſcilicet raderet aures delicatas. tacita eſt alluſio ad uerſum Perſii qui eſt, Auriculas teneras mordaci radere uero. Lucretius] Epicureus philoſophus. Philoſophiæ] Naturalia. Vtitur] ſcilicet lib. 4. de rerum natura ſtatim in principio. Abſinthia tetra, &c.] Supra modum amara, ſiquidem ut eſt author Dioſcorid. lib. naturalis medicinæ. 3 tam eſt acerbum abſinthium, ut apud græcos ἀψίνθιον, id eſt immenſum, acerbum cognominetur, diſcutit uentris ac ſtomachi dolores, qua potiſſimum ratione pueris uermina uentris patientibus ſolet miſceri. Sed & Plinius lib. 27. cap. 7. huius herbæ naturam ac medicinas plures ex Dioſcoride. ferme ad uerba exſcripſit Hermolaus certè à græcis poetis quibuſdã ἀπίνθιον dici aſſerit, tanquam dicas impotabile lib. 3 corollarii. Et quæ ſequuntur] Vt puerorum ætas improuida ludificetur, labrorum tenus interea oportet amarum abſinthij laticem deuorare. Tetra] Amara. Medentes] Medici. Oras] Extremitates, terminos. Aſpirant] Attingunt, oblinunt. Mellis] Suauitatis, iucunditatis. Abſinthij] Amaritudinis, faſtidii. Ex eo] Propterea. Gratiam ineat] Ne plus odij ferat, ne minus placeat.

Quoſdam] Scriptores. Contra] Scilicet opinionem noſtram. Eodem] Ad eundem finem. Diuerſas tamen uias] Rationes artis diuerſas, translatione ſumpta à uiarum ductoribus. Illi] Sequentes diſcipuli. Nec mutaueris facile] Quiſpiam mutare poſſit. Perſuaſiones] Opiniones. Ad ea] Præcepta. Mox] Deinde. Sui] ex ſuo ingenio natum, depromptum. Recta] Rectè inuenta. Poetę] Vt Homerus, Empedocles Philoſophus atq; etiam Rhetor, quem philoſophiam carmine illuſtraſſe conſtat. Artium] Præceptionum, quanquam Ariſtoteles his priores aliquas ſcribit in lib. Redargutionum: qui tamen hi fuerint, non exprimit, niſi forte Empedoclẽ quiſpiam intelligere uelit. Poſt eos] Opinor intelligi Phœnicem illum Homericum, qui apud poetam Achillem docet & rerum actorem, & uerborum Oratorem eſſe, in 9. Iliad. tum & Menelaum, cui argutum & ſubtile dicendi genus adſcribit Homerus, & Neſtorem, cui dulce & mediocre: tum & Vlyſſem, cui fœcundum & amplum magnificumq; tribuitur ab eodem Homero lib. Iliad. 3 Gorgias Leontinus] Hic Gorgias authore Suida primus præceptis Rhetoricis adiunxit tranſlationes, Allegorias, Apoſtrophes, & id genus alia uel ſententiarum uel uerborum lumina, de quibus Fabius ipſe in 8 ac 9 perſcribit. Porro huius nomine librum de Rhetorica reliquit Plato. De ætate autem eius in idem conſentiunt M. Tullius in Catone maiore, & diuus Hieronymus in epiſtola ad Nepotianum de Clericorum officiis.

Vt traditur] à Suida. Is] Gorgias. Multis] Rhetoribus. Illorum] Coracis, & Tiſiæ. Aemulus] Studiorum æmulator, ſocius. Thraſymachus Chalcedonius] Sic, per ch ſcilicet, ſcribendum eſt, ſic enim Stephanus Chalcedonem Bithyniæ urbem deſcribit. Prodicus Ceus] Ex inſula Ceo, diſcipulus Protagoræ, ob corruptam inſtitutionem Athenis cicutam bibere coactus eſt, author Suidas. Abderites Protagoras] Ex Abdera Thraciæ urbe. De hoc Protagora & Euathlo Gellius copioſe agit lib. 5. cap. 3. & 10. cui loco magna ex Fabio lux inferri poteſt. contenditur enim iſtic ſuper mercede pacta: uerùm quæ fuerit, non exprimitur, ſed & Apuleius Floridorum lib 2 floruleutius idem tradit. Edidit] Euathlus ipſe. Eleus] Ex Elide oppido adiacente Olympiæ Aegyptiæ primùm enim authore Stephano ab Elis nomen gentile Elidios, poſtea eliſo, Elidios, & per contractionem ἠλεῖος, ſed nos latini frequenter ει diphthongon in e longum uertimus. Eleates Alcidamas] Ex Elea urbe Italiæ oriundus. Antiphon] Rhamnuſius. Primus] Scilicet Alcidamas diſcipulus Gorgiæ. Orationem] Oratoriam. Pro ſe] In cauſſa capitis. Creditus] Scilicet à Thucydide, qui audiſſe ſe ſcribit. Etiam] Scilicet eodem ſeculo fuerunt, floruerunt.

In] contra. Diximus] in præcedenti libro Theodorus] Eodem ſeculo floruit. Ipſi] Scilicet Rhetores floruerunt aliàs ipſe. Λογοδαιδάλους] Artifices ſermonis, ingenioſos, ſiquidem δαίδαλος ingenioſum & uafrum ſignificat aliquẽ. Plato in Phædro & Protagora. Locos] Cõmunes, ſeu diſputationes quaſdam compoſitas in ſingularum uirtutum laudes, & uitiorum uituperationes, quas iuuenes diſcipuli apud eos diſcebant, cuius rei meminit & Ariſtotel in calce libri redargutionum Sophiſticarũ, idq; nõ ſine uituperio. In Bruto] in libro quem ſcripſit ad Brutum de Claris Oratoribus Ornatum oratorium] Elegãtiam Oratori peculiarem. Ferri] Circunferri. Equidem] Ego quidem, quod ad me attinet. Fama] Quæ ſcilicet etiam apud comicum Eupolim tribuit ei ſuadendi deam, quam Græci πειθὼ uocant: diciturq; eum ita auditorum animos demulſiſſe, ut etiam dictorum aculeos relinqueret, tũ & Ariſtophanes de hoc ait, Fulgurabat, inquit, dicendo, tonabat, atq; uniuerſam commouit Græciam. Meminit eius quoq; famæ Plato in epiſtola lib. 1. Eſſe] Scilicet ſcriptores. Hæc] Scripta. His] Rhetoribus iam dictis. Clariſſimus] Scilicet omnium. Eius] Iſocratis, nam ut Suidas ait, ac Plutarchus, alij Gorgiam, alij Tiſiam, alij Hermogenem quendam, alii Prodicum, alii Theramenem tradunt.

Ariſtoteli] Aſſerenti Gorgiam. Hinc] Poſt Iſocratem.

Vitæ] Rationes diſcendi. Præſtãtiſſimi diſcipuli] Vt Theodectes, Theopompus, Hyperides, & quidam alii, quos Cicero in Bruto recenſet, & Suidas in collectaneis. Porro quod de Iſocratis ætate hic aſſerit Fabius, & confirmat M Tullius in Catone maiore, tum & Hieronymus conſentit: illud ipſum narratur apud Suidam, qui mortuũ ſcribit anno quarto & nonageſimo. Scholis] Diſſertationibus, diſputationibus, Græci proprie ſcholas uocant non ipſum diſcendi locum, ſed magis diſputationes, præfectiones, atq; id genus alia quæ res Platonis dialogos legenti ſtatim eſt obuia. Præcipere] Docere. Traditur] A Laertio in uita Ariſtotelis. Philoctetа] Comico ſcilicet. Eſt] Extat.

Dictum eſt] in ſuperiori libro, quòd ſcilicet inter doctos ambiguum ſit cuius authoris id ſit opus, Ariſtotelisne, an Theodectis.

Rhetorice] Nam teſtatur Laertius librum unicum ſcriptum ab eo, cui titulus, Oratoria præcepta. Hinc] Diligenter ſcripſerunt de Rhetorica. Stoicorum] Vt Chryſippus ac Diogenes. Peripateticorum principes] Vt Demetrius Phalereus, cuius liber de interpretatione Oratoria in hunc diem extat. Viã] Suam rationem dicendi. Aemulus] Concertator, comes ſtudiorum. Athenæus] Ille antiquior ſcilicet, nam & recentior quidam extat Athenæus nomine, qui ſub M. Antonio imperatore Dipnoſophiſtas, id eſt ſapientium hominum conuiuia doctiſſimè ſcripſit, ad cuius imitationem compoſuit Saturnalia Macrobius, ut pleriq; exiſtimant. Apollonius Molon] Quem Cicero ipſe in inſula Rhodo audiuit, ut ipſe ſæpe teſtatur. Cæcilius] Nam hunc æmulum Hermagoræ Suidas facit. Dionyſius] Scripſit præcepta quæ hodie græce extant Pergamenus] Ex Pergamenis Phrygiæ urbe. Apolloniæ] Quæ ciuitas eſt colonia Corinthiorum, quanquam Stephanus hoc nomine uiginti quinque recenſet urbes. Gadarenus] Ita cenſet legendum Stephanus: qui à Gadara non Gadaræus, ſed Gadarenus uenire dicit, id eſt oriundus ex Gadara ciuitate Palæſtinæ. Cognoſcas] ἀττικῶς ponitur, quando uidelicet ſecunda perſona pro tertia quauis accipitur. Valgius] ſeu Eualgius, utrunq; apud authores, alterum tamen frequentius inuenitur, Valgius ſcilicet apud Macrobium. Atticus] Attici meminit Suidas cum Rhetorem

torem eũ dicit. Cæteras] Apollodoro inscriptas. Epistola] Apollodori. Agnoscit] Scilicet Apollodori esse. siquidẽ agnoscimus antè cognita, cognoscimus autem qualiacunque. Plura] Quàm scilicet Apollodorus. Viderint] Scilicet iuuentem, nam ut Suidas author est, potissimum sub Cæsare Augusto Romæ docendo floruit, ac diutissime uixit: quare non incredibile est Fabij seculo, quod fuit Domitiano imperante, aliquos superstites fuisse qui Hermagoram uiderint. Censorius] Sic cognominatus à seueritate censuræ gestæ. Inchoauit] Inchoatum opus de arte reliquit, quem exilem uocat libellum M. Tullius in Bruto. Imperfectum] Ad finem non perductum. Res] Necessitas, usus. Dedit] Apposuit. Tacere] nihil præcipere. Elapsos] Excidisse. Diceret] In præfatione librorum de Oratore. Minora] Præcepta. Materia] Argumẽto Rhetorices. Pater Gallio] Ad differentiam filij Gallionis. Priores] Aetate, functum uiris fuisse Plinium, ex hoc Fabij loco cõijcere possumus. Parco] Taceo nomina. Eorum] Hodie uiuentium scriptorum. Inuidis] Alludit ad Ouidij dictum,

Maius ab extincto nomen in ora uenit. Atque ad Horatium simul, cuius hi sunt uersus in hanc sententiam lib. Epist. 2.

– Diram qui contudit hydram.
Notaq; fatali portenta labore subegit,
Comperit inuidiam supremo fine domari.
Vrit enim fulgore suo qui prægrauat artes
Infra se positas, extinctus amabitur idem.

Pigebit] Scilicet me. Imbutus] Affectus. Addixi] Adiuraui Alludit ad uersum Horatij, qui de se ait lib 1. Epistolarum.

Nullius addictus iurare in uerba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.

Electum] Lectoribus. Meruisse] Quod meruerim.

ANTONII PINI PORTODEMAEI AD IACOBVM A GOVVEA, THEOLOGVM EXIMIVM,

Barbaranæq; iuuentutis moderatorem prudentissimum, in suos commentarios Præfatio.

INTER eos qui eloquẽtiæ præcepta literis mãdarunt, satis constat nullum uel subtilius Fabio ea excussisse, uel splendidius nitidiusq; perscripsisse. Qua ex caussa factum est, ut qui ad nomẽ aliquod peruenisse creduntur, plurimum lectioni Fabij studii impendant, & in eius peruestigando sensu omnem curam, operam, animiq; contentionem collocent, adeo ut tm̃ se quisq; in arte dicendi promouisse putet, quantum in huius authoris studio est progressus: ut nec defuerint superiore nostraq; memoria, qui suum profectum uno Fabio metirentur, & in eius intellectu sponte conquiescerent. Et sanè ita allicit tacito eloquentiæ condimento Fabius, ut morari usq; iuuet, & non modo tumultuaria auiditate percurrere, uerum etiam refrigerato calore ex interuallo regustare. Etenim cum in eius uirtutes diligentius intueor, eminere cerno, & caput attollere, sed ita, ut numero se constipent, ut uicinia obruant, splendore obscurent. Prudenter enim & se ad discentis summittit mensuram, & sic in doctiorum captum descendit, ut neminem suo aditu prohibeat, omnibus sui faciat copiam, qui acri iudicio sibi & animum spectando, & prudentiam æstimando dedunt. Venit porro in eam authoritatem, ut maiorum rhetor gentium, pondere rudioribus, eruditis acumine, morosis diligentia satisfaciat. Cum tamen ad Fabii lectionem adspirent omnes, eoq; neruos omnes contendãt ingenij, impetum multorum, mendarum frequentia inhibet, lectionem remoratur obscuritas, professores difficultas retardat. Eas plagas, superiorum tẽporum barbaries intecit Fabio, ut non mihi degenerasse ab illo uetere, sed in aliam quandam speciem uideatur esse translatus. Nec temere ullum reperias scriptorem, in quem sibi plus indocti permiserint, quem uitiarint fœdius, quẽ turpius loco mouerint. Subiit aliorum aleam, sed maiore & dispẽdio sui, & studiorum iactura. Nam præterquam quòd interciderũt multa, quæ uicturis post se literis commendarat, reliquias collegimus ex tanto literarum incendio, uerum sordidas adeo, & inquinatas, ut non in magno discrimine posueris, perieritne opus, an ita deformatum ad nos peruenerit. Quoties frigidos sensus, contortas sententias, hiulca membra, diffitas partes, male descripta præcepta offendimus, toties exulceratur dolor, & ueteris iacturæ obseruatur animo recordatio. Ego uero miror nulli pertinaciores mendas inustas esse. Siquidem cum se collegissent literæ, & doctis ad bene de se sperandum signum extulissent, in hunc authorem incubuerunt plurimi, & pro se quisque sordes detergere, delere maculas, dictionũ portenta expellere, studio sunt aggressi, quorum industria factum est, ut mẽdosum Fabium, Fabium quidem certe retineamus. In hoc ordine principem locum obtinet Valla, qui labore improbo descripsit exemplar, & emendatum quanta maxima cura potuit posteris propagauit. Illum secutus est Hermolaus, Angelus Politianus, aliiq; eruditi, quorum magnum prouentum ea ætas tulit. Successit Raphael, qui castigauit nonnulla, quædam uertit in deterius, & prauis authoritatem dedit. Supersedeo uiuentium nominibus, ne uel ex laude gratiã captasse, uel ex reprehẽsione offensionem contraxisse ultro uidear. Hoc tamen dicam, & quidem audacter, ita Fabio omnes cupere, ut non desperem & familiarem præ facilius te, & emendatum pro diligentia tandem aliquando fore. Quo ut alios mei ordinis professores elicerem, primus ipse uolui periclitari, & prætentare, & me quoq; hominum iudicijs credere, quæ qui undiq; expauescit, intra famam uiuet, nec se unquam a silentio, ac si publico abstineat, uindicabit. Nec uero sum nescius, molestissimam esse prouinciam eorum qui cum diu multumq; ut aliis præluceretit elaborarunt, in hominum indoctorum reprehensiones incurrunt. Hæc est sũdi nostri literarij calamitas. Veniam dari nobis uolumus, quam aliis deneganius: iniquam in nos ipsos legem sancietes. Vbi oculatius nescio quid inspeximus, uniuersa exigimus, & deintegro incudi reddi uolumus, adeo ubi eruditionis parum est, ibi candoris est minus. Quòd si mutuis auxiliis starent docti, studiis mirum quanto maior fieret accessio. Omnes enim in maius prouehere niterentur, nec aliis eodem contendentibus, uiam calumniando obsepirent. Expertus sum crebro nullos de interprete magis decerpere, quàm qui eius ubiq; facẽ illatam sequuntur. Quæ cum ita sint, reformidandum censeo ne plerisq; parum instructus re literaria uidear, qui ad opus tam exquisitæ difficultatis accedam, à quo plane destitissem, si tantum mihi ipse tribuerem, ut in ea quæ scribo, alios uelut sacramento adigi uelim. Non enim tam effuse de me polliceor, ut in re tam obscura nunquam caligasse me audeam confiteri. Hoc certe præ me fero, conatum me, ut si quod uolui, non essem assecutus, me operæ insumptæ non pœniteret, si uiam quam cæteri sternerent, ipse aperirẽ, quæ in hoc authore necessariò adhibenda est, partim ut præceptores, partim ut auditores angustiis itineris non excludantur, sed potius ut quà prius uix pedem figebant, nunc tuto decurrant, & superata difficultate gaudeãt, id quod cum aliquando ipse liberis præstitissem, auditoribus præsertim nostris in mora esse nolui, quin uno eodemq; tempore & quotidiana prælectione alerentur, & domestica lectione audita recolerẽt, & excipiendi libersti molestia, nostram non manum modo, sed & mentem assequerentur. Proinde in librum tertium, cuius in comperto est obscuritas, commẽtarios emisi, idem in libris aliis propediẽ facturus, qui alienæ mihi lucis uidebuntur indigere. Quam nostri ingenij primam foeturam cuius fidei committere potius debui, quam tuæ, doctor eximie? Tibi enim ut addicam, ratio officii ita impellit, ut ab hoc officio discedere, in religionem uerterem. Et ne longius abeamus, quo ego munere propensionẽ tenetur, uoluntatẽ rependere, beneficia possim reponere, quæ tot ipse in me collocasti, quæ neq; pudor tuus agnoscere, neq; meus silentio præterire sustinet? Iam enim cum in ordinem legerentur nonnulli, qui illustrissimi Lusitaniæ regis sumptu cultum ingenii caperent, quo studio me puerum complexus es? Et non modo in hunc ordinem cooptandum, sed & literis expoliendum curasti. Quos ipse tam præsentes deos habiturus fui, ut sine ductu tuo Lutetiam appulissem? cui hoc debemus omnes, quòd fontem literarum Lutetiam nobis aperueris, nec ad illum tantum digitum intenderis, sed ab illustrissimo rege impetraris, ut eius uoluntate copiisq; sustentarentur qui & nostros homines e concionibus formarent, & ad exteras barbarasq; nationes fidem Christianam diffunderent. Quid quòd nullam ornandi nostri nominis occasionem prætermisisti? De me honorifice scripsisti sæpius, & ut ordinẽ ducerem, tua pietate excitasti. Ingratas ergo meas literas putarem, nisi tuum sibi nomen præscriberent, & te unum esse per quem profecimus, testarentur. Quanta uero, dij immortales, diligentia perfecisti ut eminentissimis ipse præceptoribus operam darem, & uelut sub optimis imperatoribus ingenii mei rudimentum ponerem? Delegisti Iacobum Lodoicum, uirum singulari uirtute, iudicio, eruditione: in cuius disciplinam cum ipse me dedissem, ille & mores collocasset in tuto, & solidæ eruditionis uiatico munisset, tuæ uirtutis parte adiutus triennium in omnem me partem philosophiæ insinuauit, duce usus eo, qui in philosophorum castris magnum usum habuisset: postremo ne quod temporis punctum tuis beneficiis esset

uacuum,

uacuum, ad erudiendam tuam iuuentutem inuitasti, & amplissimo tui gymnasij ordini præfecisti, cuius ego nunquam dignitati occurrissem, nisi tuæ beneuolentiæ flatu promotus, ad omnē me laborem confirmassem. Quare non tam uereor ne ut ibi hoc dicarem, parum caussæ fuerit, quam ne tuum nomen meis nugis interponendo, uidear eleuare. Ego uero eam caussam sustinerē, nisi tuo patrocinio hæc fulcire, & officio respondere uoluissem. Fœtum ergo recens editum indulgenter foue, & meum in res tuas studium lubens agnosce, qui nō uiuæ tantum uocis beneficio tuę iuuentuti prodesse, sed & scripto eius industriam iuuare contendi: atq; ita feceris, ut nullum maius abs te beneficium, quàm huius meæ temeritatis ueniam interpreter. Vale.

ANTONII PINI.



RECENSAT principes artis dicendi scriptores Fabius, tam qui græcè, quàm qui latine artem hanc sunt præceptis complexi, quod ab eo uidetur factum partim ut locum sibi scribendi etiam post tot authores relictum ostenderet, partim ut quia horum est citaturus opiniones, catalogum haberemus scriptorum qui in hanc dicendi facultatem præcepta contulerunt. Ideo uero hæc enumeratio huic libro aptissima est, quòd ipse initio testatur in nullo ferme tantam esse alienarū opinionum congeriem, quantam in hoc. Accedit, quòd cum hic liber præcepta dicendi primus contineat, nullibi commodius poterit hæc authorum multitudo recenseri, cum in ijs quæ sequuntur, longe sit maior sententiarum uarietas. Principio uero epilogo colligit quantum hactenus sit effectum, deinde quid in posterum instituat docet.

Quoniam, inquit, libro secundo quæsitum est quid esset rhetorice] Vbi miraberis fortasse cur non longius initium repetendi faciat. Omissis enim illis omnibus quæ de prolusionibus rhetoricis dixerat, à decimoquarto capite repetere orditur. Quod hac ratione factum crediderim, quia uoluerit inde repetere, unde artis tractatus incipit. Præcedentia enim ut in officio sunt rhetoris, ita iustum artis opus antecedunt, eoq; non in summam colligit per uniuersum librum sparsa sed dicta secundum id caput, quo huius facultatis tractatum tripartito diuisit, in artem, artificem, & opus. Nam cum hæc quæ in substantia artis quæruntur, secundo libro absoluerit, & disputando transegerit, concludit: Quoniam secundo libro, qui ea omnia continet quæ ad naturam artis cognoscendam faciunt (quam artem externam Victorinus appellat) quæsitum est quid esset rhetorice, quæsitum inquā, q; ex multis multorū definitionibus uel in qualitate rei, uel in comprehensione uerborum peccantibus, hanc constituerit definitionem, rhetoricam esse scientiam bene dicendi. Nec uero mihi in his immorari consilium est, & quæ fuse ibi dicuntur, huc coaceruando obscurare, cum & ibi à nobis sint explanata, & uiuæ uocis beneficio commodius renouentur. Ergo quoniam definitionem rhetorices (quod in omni disputatione debet esse primum) ratione collegit, deinde finem esse docuit bene dicere, qui nec esset in euentu, ut persuadere: nec aliquid euentus includeret, ut apte ad persuadendum dicere: nec munus unum duntaxat aut alterum complecteretur, ut facultatem esse inueniendi: nec falsum aliquid includeret, ut artem esse imponendi, sed qui intra oratoris scientiā situs, & utrum bonum ostenderet, & materiæ honestatem, & dicendi uirtutem contineret, utpote bene dicere, quod si officium esse uideatur, nihil prohibet officium esse, dum præstat: finem, ubi simus consecuti. Hæc autem una eademq; opera in definitione posuit, quòd ea definitio & genus habeat artis, ut sit scientia, & materiam, quia de omni re, & finem, officiumq;, nimirum bene dicere. Artem quoq; esse eam ostendimus. Quæsiuisse tantum antea se ait, nunc ostendisse, quòd hæc argumentis confirmauerit, reprehensis contrarijs, illa comparatione authorum quodāmodo inuenerit. id quod ita esse reperiet, qui illa cum iudicio expenderit. Cæterum obserua, artem esse probatam cap. 17. utilem uero docuisse cap. 16. Quod ne temere putes factum. In repetendo enim naturæ ordinem uidetur seruasse, in tractādo respexisse cohærendi commoditatem. Nam quia utilitas ex definitione colligebatur, & ut ars uideretur iuuabat, libro secundo antè locauit. Porrò cum è multis effecerit esse artem, tum præcipue quia ars, Cleanthe authore, est potestas oia ordineq; multa efficiens, quod in rhetoricem competere certum est. Et utilem satis potenter ostendit, cum quòd ut fateamur mediam quandam esse artē rhetoricen, si quas inuectas calamitates per eam constaret, improbitati potius abutentium, quàm artis uitio essent adscribendæ, deinde quòd nihil ita omni ex parte bonum est, quin aliquando uideatur perniciem attulisse, cuius tamen usus non in totum abdicetur. Postremò quòd nulla incommoda importabit hæc ars, ita uirtuti coniuncta, ut ille copulari coniungiq; uult, & uirtutem probauit, more puto Stoicorum, qui uirtutes uocant artes, quas, ut distarent ab alio uirtutum genere, ἐντέχνας uocauit Aristoteles: nec magnopere discedit Cicero, qui in 3 de oratore unam de summis uirtutibus esse contendit, si non fiat linguæ cordisq;, id est sapientiæ & eloquentiæ diuortium. Accedit quòd in partitionibus hanc artem facit sapientiæ comitem, ministramq;, ut non dubitandum sit hoc intellectu in uirtutum ordinem coactam à Fabio. qui eam uellet artem cohonestare, cuius præcepta tanta erat diligentia traditurus. Ait igitur se pro uirili parte, quantum uires tulerint, ostendisse, ne quid sibi uideatur tribuere arrogātius. Nec uero moueri debes quòd duo capita omiserit. Non enim id uacillanti memoriæ est imputandum, sed quòd sanis doceant rhetores in omni ἀνακεφαλαιώσει cauendum ne minutissima quæq; regeramus. proinde ea uidetur tacuisse, deinde quòd utraq; disputatio magis nata ex occasione tractandi uidetur, quàm ex cursu ordineq; præceptorum. Ergo addit materiam sibi subiecisse, id est subijciendam probasse omnes res de quibus dicere oporteret, non ita, ut de omnibus oblatis, sed quæ honeste à uiro probo dici possint. Quod ut altius intelligas, memineris Fabium mediā quandam inter Crassum & alios qui huius facultatis materiam in angustum concludunt, tenere sententiam. Crassus enim ut magnificentius de suo oratore loqueretur, uult omnium rerum præsentanea & ueluti numerata cognitione esse præditum, quod si fieret, non dubium quin is esset futurus orator nulla ex parte cessans. Alij ad ciuilium duntaxat quæstionum curriculum aut uerius pistrinum coegerunt, exiguum admodum campum relinquentes, in quem posset oratoria uis excurrere. Fabius ut non onus tātum imponit oratori, ita uult oratorem arte cognita omni de re dictu rum, quam uel tunc sciuerit, uel ab alio pro tempore nouerit, ita tamen, ut quemadmodum proprie dicuntur ciuiles quæstiones, q; illas ubi nouerit, dote uerborum locupletabit: ita & res aliæ dicantur proprie, quòd illas ornata possit eloqui. In summa ego sic puto, si quis materiam eam quæ tractari potest, perspiciat, omnes esse res sin ea uelis intueri quæ traduntur, præcipuum esse locum ciuilibus quæstionibus. Cum igitur hæc præmiserit hactenus, quæ posthac est traditurus exponit. Iam hunc, à libro nempe tertio, executurum se dicit, unde cœperit, quamq; habeat originem, siue facultatem spectes, siue artem, quibus constet ue partibus. Quinque etenim faciet quasi membra eloquentiæ, postea quo quæq; modo inuenienda sunt, id quod perficit libris quinq;, deinde quomodo tractanda, quod de elocutione est intelligendum, ad quam attinet tractare inuenta & collocata. In cuius partes ueniunt memoria & pronunciatio, ut inuētioni subijcitur dispositio, id quod ipse in operis totius præfatione testatur. Intra quem modum plerique constiterunt id est, de quibus omnibus tantum abest ut cæteri sint locuti, ut Apollodorus præcepta tantum forensis generis sit persecutus. Sed enim ut intra famam esse, est famam nō attingere, ita intra hunc modum esse, est hunc dicendi finem nō assequi, aut certè non ultra progredi. Apollodoros autem recenset Suidas plurimos Fabio is est Apollodorus Pergamenus Apolloniæ olim doctor Augusti: à quo dicti sunt Apollodorei. Est autem latens comparatio, qua suam diligentiam aliorum incuriæ anteponit. Deinde ubi qua de re sit toto opere acturus aperuit, ad peculiare huius libri argumentum præparat, & difficultatis nos admonens, & tædij, quod uitio potius materiæ quàm dictionis contrahi poterat. Infert subinde hunc sensum, materiam huius libri tertij magno consensu expetitam, sed uereri se ne quantum difficultatis in colligendis diuersissimis opinionibus exhausit, tantum tædij afferat spinosa traditio, quæ in id genus rebus necessario adhibetur. Ideo uero plus est in hoc libro opinionum, quòd rationē statuum docet, qua de re, dij immortales, quanta est opinionum dissensio? Apud multos enim cum cætera iaceant in silentio, mirum dictu quàm in numero statuum parum omnes consentiant. tamen in tanta sententiarum uarietate rogabant pleriq; Fabium, ut uelut honorarius arbiter suam ea de re sententiam insereret, quod ut fiat difficile propter inquisitionem opinionum, quæ (ut dixi) & plurimæ sunt, & ualde dispares, ita minimam legentibus uoluptatem afferre poterit, quòd huiusmodi tractatus ornatū non capiat, nec nisi nuda uerborum simplicitate possit tradi. In cæteris enim aliquid nitoris & ornatus inseruit: ubi tædiū huius auget ex priorum contentione, qui cum fuerint eloquentiæ succis conditi, molestiorem hunc facient, qui eloquentiæ habeat uelut ossa nulla ornatus cute uelata, quod ne uideatur ad ostentationem comparatum in prioribus, occupatione hanc opinionem diluit, ex eo, quòd si uenditare suam facundiam uoluisset, potuit plausibilius argumētum captare, ut sunt panegyrici, ut actiones, ut pleraq; alia eloquentiæ capaciora. Sed consilium facti propo-

nit,

nit, ut ne austeritate deterriti iuuenes, rem in totum abijcerent, quin potius suauitate dictionis allecti, pergerent in studiis, & ea cognoscerent, unde certum erant fructum percepturi, & suorum studiorum fundamentum quodammodo iacturi, quod alacrius facturi erant, si non auerterentur statim arida & nulla eloquentia irrigata asperſaq; oratione, qualis potuit aures tenerorum adolescentum nimis asperius uelut ferrum reformidantes quasi radere atque offendere. Quod ita dictum est, ut à Persio radere auriculas, pro commouendo offendere. Non uidetur ulla subesse allusio, sed insignis decoraq; translatio. Confirmat hoc consilium exemplo. Totus autem locus fauorem illi conciliat, quòd animo sit in promouendam iuuentutis industriam tam propenso.

Qua ratione, inquit, Lucretius Carus eius operis quo philosophiam ex decretis Epicuri est carmine complexus, lib. 1 usus est. Eius autem uersus adscribit, qui notam habeant insignemq; similitudinem, Non secus ac pueris qui medêtur, ut improuidam eorum ætatē ludificent, cum absinthia amara admodum, & propè ἀπότιστα pharmaco immista in potionem dare conâtur, prius extremitates poculorum qua labiis admouentur, liniunt melliteo succo, aut dulciario aliquo tragemate, ut salubrem ægrotantibus nectant dolum, redditur deinde similitudo apud Lucretiū, qui eo tempore, ut idem Fabius ait, iñ manibus uersabatur etiā supra Virgilium, his uersibus,

Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumq; uidetur
Tristior esse quibus non est tractata, &c.

quæ ut uulgo nota, truncata potuit, laudato authore unde peti possent, ubi pro ac, in Lucretio est, sed: pro uerbo adspirant, contingunt, quæ ideo non muto, quia sæpe fit ut in citandis alienis scriptis uacillante memoria, suum loco alterius uerbum irrepat. Porrò de absinthio multa dici possent ex Dioscoridis libro. 3. ubi utile dicit ad dolores sedandos melli uinoq; admixtum. Illud in curuli certamine uictores ebibebant. In corollariis Barbarus in plura genera diuidit, Ponticum, Santonicum. Thalassium, quasi marinum. Hæc ad locum nihil faciunt, proinde scrupulosius inquirere est περίεργον, descriptionem collegit diligenter Ruellius libri secundi cap. 20 ubi eius uulgare aluynam ponit. huius folia pueris dabāt ueteres in fico, uel illitis melle uasculi labris.

Sed nos ueremur, inquit, ne parum hic liber habeat mellis suauitatisq; in progressu, absinthij & tædii ex ieiunitate dictionis plurimum, quam allegoriam dilucidius explanauit, salubriorem fore quàm dulciorem, plus habiturum nēpe utilitatis, qua mens uelut inscitia laborans leuaretur, quam dulcoris, quo appetentia legendi uelut in edulius foueretur. Hactenus difficultatis unam caussam reddidit, quòd arida esset necessario huius libri traditio. Nunc cæteras attexit, in hūc modum primum, quòd placere minus poterit ex eo, quia aliena fide dicet plurima, quæ cum falsa sint, aut apud alios lecta, nullum uidetur operæpreciū in his operam collocare. Alteram, quòd dissensio authorum ingenium turbat legentium, unde uelut cæca rerum caligine confusus lector pedem referet, & posito de manibus libro, uoluntatem legendi abiiciet. Adde quòd si imbutus fuerit praua aliqua opinione, præiudicium domo adferens, sententiam Fabii ut dissidentem respuet atq; aspernabitur. Vtriusq; caussam subnectit. Dissensionis quidem, quòd plurimi authores quamuis eodem tenderent, artemq; dicendi eandem uellent tradere, tamen diuersas in tradēdis præceptis uias sunt secuti, quas siue inuentas siue munitas commodiore dixeris metaphora, haud in magno discrimine posuerim. Nec uero quisquam affirmare fuit contentus, & electuris liberum calculum permittere, sed quisq; annixus est ut plerosq; in eandem sententiam uelut scholastico sacramento adigeret. Iam quòd imbuti religione cuiusdam sententiæ, cæteras præ illa pro nihilo ducunt, hoc colligit, quòd qualecunq; nullo habito delectu sis iter sententiamq; ingressus, id probabis, cuius quandam cōsuetudinem cepisti. Nec enim facile ea possunt mutari, quæ pueris inculcata sunt, & uelut attrito pede ingesta, nā si prioribus renunciarent, discēdi nouus esset exhauriendus labor. At si priora pertinaciter arcteq; tenent, abunde uidetur quod didicerunt, & iterandi studii labore liberantur, hinc prius ducent antiquam sententiam qualemcunque probare, quàm illam improbando, in nouum se nouus discendi conijcere. Quia uero dixeat infinitam esse dissidentium scriptorum uarietatem, docet unde ea nata sit est enim certum, non statim absolutam hanc fuisse artem ut coli cœpta est. Ergo cum pauca, & ea impolita scripta essent in artis huius primordia, unusquisq; ut artem suppleret, & de suo augeret, conferebat quod inuenerat. Inueniebat autem quisque pro suo captu sæpe diuersa. Iam ubi suis numeris uisa est constare eloquentia, præreptam sibi materiam dilatandi uidebant multi, quare conuertebantur ad calumniandos eos qui prius scripserant, & ut recens aliquid peperisse uiderentur, bene dicta in prauum detorquebant, & pro genuinis subditicia quædam spuriaq; reponebant. Hinc nata est maior quædam lis, quæ nondum transacta hodie est. Illud ut ita factum doceat, repetit altius tempus quo rhetorica scribi cœpit, ut circa initia consensum quendam rudem, circa incrementa fortuitā opinionum collisionem indicet: absoluta iam arte, cum nihil uideretur deesse augendo, erupisse plus dissensionis ex calumnia reprehensioneque præcedentium. Ergo post eos, inquit, quos tradiderunt poetæ, nempe Vlyssem, cuius oratio ab Homero comparatur niuibus hybernis: Nestorem, cuius ab ore sermo melle dulcior effluebat: Phœnicem, & agendi & loquendi magistrū optimum, qui tamen rhetorica usi sunt potius naturæ ui, quàm artis ductu: adde eos oratores, quos pinxit Homerus in cælatura clypei Achillis, primus circa hanc artem uidetur mouisse quædam & tractasse (quo sensu & græci τὸ κινεῖν dicunt) Empedocles Metonis filius, auditor Parmenidis, qui, ut ait Aristoteles in Sophista, Laertio referente, πρῶτος ἔυρε τὴν ῥητορικὴν, ζήνων δὲ διαλεκτικήν. de eius obitu uaria refert Diogenes Laertius lib 8. Sed in formam artis iustius redegerunt Corax eiusque auditor Tisias, hac occasione, quòd deiectis tyrannis, propter licentiam popularem uariæ lites existebant. Callidè ergo ea cogitatum est artificium, quo secundum illos quibus adessent, pronunciaretur. Institutus deinceps est ludus, in quem multi ex nobilibus uentitabant. Martianus Capella de Corace intellexit cum dicit fuisse coruū rostro aureo, cuius discipulus Tisias uisus est quasi cornici oculos configere, unde abierit in prouerbium κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Sub hos fuit Gorgias ex Leontio oppido Siciliæ mediterraneo. (Fuit enim alter Gorgias, qui de figuris scripsit, quem est secutus Rutilius) Huius frequens est in dialogis Platonis mentio, præcipuè in Gorgia. Fuit uerò discipulus Empedoclis, ut significat Laertius his uerbis, φησὶ δὲ σάτυρος γοργίαν λεοντῖνον αὐτοῦ γενέσθαι μαθητὴν ἄνδρα ὑπερέχοντα ἐν τῇ ῥητορικῇ καὶ τέχνην ἀπολελοιπότα, ὅν φησιν ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς ἐνιαυτοὺς τοῖς ἑκατὸν ἐπιβιῶναι quibus uerbis eadem significari uides, quæ & Fabius tradit. Tradi uerò ait, quòd non desint qui Tisiæ auditorem faciant Gorgiam. Ergo quia diu uixit Gorgias, cum multis uixit, quos in Bruto enumerat Cicero, & ad refellendam eorum arrogantiam oppositum Socratē, ultra quem Anyti & Meliti calumnia cicutæ sorbitione extinctū uixit Gorgias. Illorum autem, utpote Tisiæ & Coracis, fuit æmulus, quòd in eodem artis genere par utrique uideri uolebat. Et quia cum multis floruisse dixerat, eos subnectit, qui cum facta quodammodo oratione ualerent, arrogantibus, ut inquit Cicero, uerbis pollicebantur se docere quomodo inferiorem caussam superiorem dicendo facerent. Vixit igitur cū illo Gorgia Thrasymachus ex Chalcedone urbe Bithyniæ authore Stephano περὶ πόλεων καὶ δήμων. Deinde Prodicus Ceius ab insula Ceo, oppido Iulide, & philosophus & rhetor, æqualis Democrito, Protagoræ auditor Athenis obijt potione cicutæ, quasi corruptor iuuētutis, quæ habet Suidas in uocabulo πρόδικος. Vulgo aūt utrūque male scribitur, cum utrique aspiratio inseritur. Huius item est memoriæ Protagoras ex Abdera urbe Thraciæ, quæ locū dedit parœmiæ, inde enim mēs Abderitica, à quo dicitur Euathlus nobilis & primariæ familiæ authore Gellio adolescens artem didicisse decem millibus denariorum, siue quadraginta millibus nummum, hoc est mille coronatis, quam supputationem sequitur uir huius ætatis doctissimus Gulielmus Budæus, non Galliarum modo, sed totius Europæ ornamentorum, qua de re scribit Gellius lib. 5. cap. 10. ubi uidetur innuere dimidium initio numeratum, de reliquo iudicio certatum, & quia res dilata sit in diem longissimam, propter inexplicabile dubium, non persolutum. Baptista Pius in posterioribus annotationibus nil recepisse uidetur asserere. Fabius didicisse artem ait decem millibus denariorum, pactis an appensis, non exprimit. Nec uero omiserim, ex græcis quosdam, quod ferè dicitur de Protagora & Euathlo, de Corace & Tisia recensuisse. Vnde Cicero de Orat. 3. Sinamus Coracem pullos suos excludere. Quæ in unum locum omnia contuli, ne membratim quærendis singulis lector fatigetur. Succedit Hippias Eleus, ad alterius Hippiæ discrimen, qui omne artis genus callebat optime, & Hippiæ tyranni, aliorumque quibus idem nomen fuit. Ille Suida teste ex Elide fuit urbe Olympiorum solennibus ludis nobili, Diopithus filius, auditor Hegesidami, sophista & philosophus: sufficientem affluentiam ad uitæ præsidia bonorum finem dixit, græce αὐτάρκεια scribitur, formationem ex Stephano scribit Mosellanus: qui si omnia esset complexus, consuluisset labori & meo, & aliorum. Sed designabat puto opus quod multis structoribus erat absoluturus, nisi uitam fortuna inuidisset. Additur his Alcidamas ex Elea ciuitate Asiæ (fuit & in Italia altera, quæ postea Veliæ nomen

accept,

accepit, aspiratione uersa in u consonam) Dioclis filius, discipulus Gorgiæ Leontini, ut habes ex Suidæ collectaneis. Hunc Plato uocat Palameda: de quo loco est quòd addubites, an dicat hunc Alcidamantem Palamedem esse dictum. Certe Suidas Palamedis etiam meminit Elei, qui poeta fuerit tragicus, & Pindari enarator. Adde quòd malim legi, quem παλαμήδην uocat Plato. Antiphon quoque primus orationem composuit. Antiphon, inquit Suidas, patria Atheniensis, tribu Rhamnusius, Sophili filius, Thucydidis præceptor (ille quem habuerit, est incertum) primus iudicialis generis præcepta attigit post Gorgiam.
Quod autem hic dicitur primus orationem composuisse, an accipiendum est quòd priores, partes tractarint, hic primus ad integræ orationis assurrexit structuram: an quòd primus conscripserit, & pro se dixerit? Artem composuit, qua forense genus illustrauit: pro se orauit caussam capitis. Collapso statu quadringentorum, cum populus eorum acta rescinderet, uocatus est in ius Antiphon, quasi tyrannis studuisset, alioqui propter dicendi facultatem iamdudum suspectus. Est autem creditus, Thucydide id affirmante lib. 8. belli Peloponnesiaci, dixisse optime. Etiã Polycrates, non ille Samius tyrannus miræ felicitatis, sed rhetor alius, qui, ut dixit libro secũdo cap. 18. scripsit materias infames, laudem Busiridis & Clytæmnestræ, & eam orationem qua sunt usi delatores Socratis. Hunc reprehendit Isocrates in laude Busiridis. Theodorus item Byzantius fuit alter Gadareus, cuius postea meminit. hic autem fuit ex Byzanthio urbe Thraciæ adiacente Europæ quæ postea Constantinopolis & noua Roma uocata est. Plura require ex Stephano de urbibus. Ex his, inquit, est, quos Plato, in Phædro scilicet, uocat λογοδαιδάλους, sermonis artifices optimos. Verba autem Platonis adscribam, ut habent in Phædro, siue de pulchro. πίστωσιν δὲ καὶ ἐπιπίστωσιν τὸν λογοδαίδαλον βυζάντιον ἄνδρα, φασὶ χρῆναι ἂν λέγειν Θεόδωρον. Horum primi communes locos tractasse dicũtur, id est illustres, ut Cicero in Bruto ait, de uitiis & uirtutibus disputationes, Fabius meminit primo capite libri secundi, & cum agit de rhetoricis præexercitamentis. Porro uocari locos frequenter huiusmodi communes disputationes, habes apud Fabium libro quarto.
In locis, inquit, minus obseruatur uerborum licentia. Dicuntur communes, quòd uelut in propositum rem euocent, & in toto genere tractent. Aliter uocãtur loci communes apud rhetores, quibus & accusator uti potest, & defensor. Sed de his nihil ad hunc sensum. Cicero in dialogo quo recenset oratores latinos ad sua usque tempora, quem Brutum uocauit ab eo cui dedicabat, negat ante Periclem scriptum aliquid quod oratorio nitore fuerit splendidum, his uerbis, Ante Periclem, cuius scripta quædam feruntur, & Thucydidem, qui non nascentibus Athenis, sed adultis fuerunt, litera nulla est quæ ornatum habeat aliquem, & oratoria esse uideatur. Subiicit tamen antiquiorem Pisistratum, Solonem, Themistoclem eloquentes fuisse creditos. Vnde uides à Cicerone dictum, aliqua extare monumenta ex quibus colligatur Periclis eloquentia. Idem ad Q. fratrem ait antiquissimos esse quorum extent opera, Periclem & Alcibiadem. Fabius dissentit, & edita illa putat nomine Periclis, apertius alibi in hunc modum, Periclis monumenta ad nos non uenerunt, & non ita multo post, Nil posteritati mansuruque literis reliquit. Ductus est hac ratione, quòd non habeant ea fulmina, quæ illi etiam cũ reprehendunt tribuunt priscæ comœdiæ authores Eupolis & Aristophanes: quorum ille impressos aculeos reliquisse dicit, οὕτως ἐκήλει καί, μόνος τῶν ῥητόρων τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις. hic fulminando totam Græciam permiscuisse, ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν ἑλλάδα, ideoque eum non pœnitet eorum esse sententiæ, qui nil putẽt ab eo literis proditum, quòd ea quæ circunferantur, non respondeant ei famæ qua dicebatur in labiis Periclis Suadam sessitauisse. His, inquit, successerunt multi quos Cicero attingit in Bruto, sed clarissimus qui senibus illis iam extitit Isocrates Atheniensis Theodori filius, Thelesippi & Dionysij frater, authore Plutarcho in uitis decem rhetorum, auditor Gorgiæ Leontini, de quo audi Dionysium, ἐγένετο δ' ἀκουστὴς προδίκου τοῦ κείου, καὶ γοργίου τοῦ λεοντίνου, καὶ τισίου συρακουσίου, ὡς δέ τινες ἱστοροῦσι, καὶ θηραμένους τοῦ ῥήτορος. Vnde colligas non omnes de præceptore eius consentire, eademq; tradere. Sed Aristoteles, qui eo tempore uixit, ætate grandior, tradit in Sophista Gorgiæ fuisse auditorẽ, ideo tutius est in eius ire sententiam. Hinc uelut sectæ cœperunt uiæ, & quasi nouæ sectæ inter rhetores sunt inductæ, cum alii se darent Isocrati excolendos, alii dare operam Aristoteli mallent. Nam Isocratis præstantissimi fuere discipuli fere ad centum, præter aliam multitudinem quæ eius domum ut ludum totius Græciæ communẽ frequentabat, tam ad historias scribendas, ut Ephorus, & Theopompus: quàm ad actiones, ut Hyperides & Isæus. Demosthenem quo minus audiret, precio tardatum aiunt, & ad tragœdias, ut Asclepiades & Theodectes, & ad leges condendas, ut Lacritus & Leodamus, postremo ad laudem militarem, ut Timotheus Cononis filius, & Nicocles Euagoræ. Bene ergo Dionysius uocat eius scholam μητρόπολιν, unde multæ sint deductæ coloniæ. Eo uero seniore (obiit enim Athenis post acceptam cladem ad Chæroneam) ἀμφὶ ἑκατὸν ἔτη, ut ait Philostratus ἐν βίοις, uti; addit Dionysius, imperante Cheronide δυοῖν δέοντα βεβιωκὼς ἑκατὸν ἔτη, ubi confirmatur ætas à Fabio scripta. Eo igitur seniore Aristoteles qui antemeridianis horis edoceret ἀκροαματικά, pomeridianis quibus exoterica quasiq; popularia tradebat, cœpit rhetorices ludum aperire, motus, ut uerbis utar Ciceronis, Isocratis rhetoris gloria, & usus eo uersu à multis in hac historia perscripto, ex Philocteta Sophoclis tragœdia. Est autem uersus insertus παρῳδικῶς, & ex alio sensu in hunc deflexus, quod Omnibonus non omnino malus author admonet. Quòd ad uersum attinet, uarie legitur ego sic puto rectè legi, ut αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, καὶ ἰσοκράτη ἐᾶν λέγειν. Non ausim tamen affirmare interpretationem à Fabio adscriptam, quia res tamen lenior est, non magnopere utrumuis sentias refert. Miror autem unde Laertio in mentem uenerit referre ad Xenocratem, quasi Aristoteles cum audiuisset Xenocratem, philosophari cœpisse discipuli postularit, ac si turpe esset tacere se, & Xenocratem pati Athenis constanter philosophari. Sed enim maior est aliorum authoritas, quàm ut Laertii testimonio possit eleuari. Schola uero cum ludum significat literarium, tum disputationes quasdam illustres credibiliter agitatas; quo intellectu & Cicero ad Atticũ aliquoties utitur, & uerò in Tusculanis, si aliàs unquam, apertissime. Vt scholas, inquit, Græcorum more habere possimus, quo sensu dictum putarim scholis pomeridianis, id est eo tempore quo populares quasdam credibilesq; dũtaxat quæstiones tractare consueuerat. Atqui ars est utriusque Aristotelis & Isocratis, non tamen perinde scripta. Aristoteles enim, ut taceam Gryllum ad Alexandrum, & alia opera, certe ad Theodecten accurate est uias artis huius prosequutus tribus libris.
Isocrates uerò exiguam quandam reliquit artem: cuius mentionem facit Quintilianus libro secundo capite decimosexto, sed ita, ut subditiciam putet, & ab aliquo Isocratis nomine emissam. Eiusdem fuit ætatis Theodectes Aristotelis auditor, prius tamen Isocratis, Aristandri filius. In Mausolum epitaphium scripsit, & præter tragędias, ut Suidas refert, ἔγραψε τέχνην ῥητορικὴν ἐν μέτρῳ, cuius hic Fabius meminit. Legitur tamen apud Laertium, artem ab Aristotele conditam, sed sub huius nomine exiisse, cuius testimonio utitur Fabius libro secundo capite decimosexto de qua an sit potius intelligendum, uideant docti sat habeo commonuisse. Theophrastus, qui cum Tyrtamus uocaretur, à diuina dictione nomen inuenit, scripsit de rhetorica diligenter, nam & περὶ τῆς ῥητορικῆς ά, καὶ περὶ τῶν τεχνῶν ῥητορικῶν εἴδη ιζ authore Laertio scripsit. Ex hoc demum tempore, cum rhetores pene decoxissent, rhetoricam magis literis illustrarunt philosophi, in quãcunque familiam te cogitatione conuerteris, sed præcipue Stoicorum (qui in Stoa porticu disserebant) principes, ut Chrysippus: & Peripateticorum, ut Demetrius Phalereus, ut de multis hos nominem. Hermagoras post hos fecit propriam uiam, & uelut certas quasdam opiniones sequendas proposuit. Porro Hermagoras fuisse duos, ex Suida, & Fabio conijcio, seniorem hunc, & alterum iuniorem, qui scriptos libros reliquerit περὶ ἐξεργασίας, περὶ σχημάτων, περὶ φράσεως καὶ περὶ πρέποντος, quique sub Augusto docuerit, & multum ætate processerit: quem suæ memoriæ quosdam uidisse testatur paulo infra Fabius. Ille uero senior mihi uidetur, quem & mirabiliter composuisse multa ait postea, & in rhetoricis subinde imitatur Cicero. Huic uidetur fuisse par Athenæus senior rhetor. Alter fuit grammaticus, & æmulus, ut qui in eodem artis genere primas sibi arrogaret. Multo post Apollonius Molon, cui Rhodi tunc docenti recoquendum se Cicero præbuit. Aliqua scripsit Areus, cuius laudat diligentiam libro secundo. Multa Cæcilius rhetor, & Dionysius ex Halycarnasso Ioniæ oppido: quorum quædam hodie extant. Sed nulli tantam de se opinionem excitarunt, nec tam illustre sibi fecerunt nomen, quàm Apollodorus ex Pergamenis urbe Phrygiæ, Apolloniæ doctor Octauij, qui inde euocatus ad cernendam hæreditatem Cæsaris, Augustus postea dictus est, decernente Planco. Erudiit & Theodorus, quem Gadarenum uocandum putat Stephanus, certe γαδαρέα uocat Suidas. hic cum Tiberius successor Augusti, siue ob tædium urbis, siue ob uxoris insolentem arrogantiam, siue ut authoritatem reditu captaret, quam in oculis omnium quasi habitando minui sentiebat, in eam insulam Rhodum nomine secessisset, studiose illi adfuit,

& præceptis

& præceptis quantum per tempus licebat instruxit. Maluit autem dici Rhodius, quòd ea urbe donatus esset, quàm à Gadara urbe Palæstinæ nomen sumere. Porro dissidebant inter se admodum, unde qui in alterius se disciplinam dedissent, quasi in magistri sententiam iurassent, arcte tuebantur sua placita, & ut ab Epicuro Epicurei, ab Aristotele Aristotelei, sic à Theodoro Theodorei, ab Apollodoro uocati Apollodorei, & rhetoricam in familias dispertierunt, ut antiqui in sectas philosophiam dissiparunt. At uero Apollodorus docuit plurima, scripsit pauca, sed libris editis discipuli quæ à schola attulerant, commendarunt, latine quidem C. Valgius (Sabellicus Eualgium legit, falsò) græce Atticus rhetor, quod ubi legerit apud Suidam Mosellanus, ne scio, ipse certe nusquam reperi, cum studiose inquirerem. In quẽ locum quia incidi, mirum est quàm sæpe negligentibus imponat, qui citet sæpe eos quos an uiderit dubito, cum eorum nequicquam toties imploret fidem. Ergo cum multa circunferrentur nomine Apollodori, is epistola ad Domitium scripta, agnoscit eam modo artem, quam ad Matium familiarem elucubrarat. Theodorus scripsit plura quàm Apollodorus. Huius fuit auditor, iunior quidam Hermagoras, quem qui uiderint, extare suo tempore dicit Fabius, & fieri potest ut eum senem uiderint quidam qui ætate essent iam prouecti quo tempore ista cœpit scribere, quod quando fuerit, certius infra subiiciam. Romanorum quidem primus aliquid de arte dicendi scripsit Cato à grauitate censuræ gestæ nomen sortitus. Sed quia temere facit, qui rem tam ueterem pro certa affirmet, quantum, inquit, ego sentiam. Istuc confirmat Capella in sua rhetorica, testimoniũ inde aliquando petit Fabius, ut cap. 1 libri postremi cum in mores artificis inquireret. Post Marcus Antonius, is qui cum Crasso disputat in oratoriis libris, pauca præcepta in libellum redegit, quem sibi excidisse uerius quàm editum esse idem subinde testatur. Cum autem imperfectam artem reliquisse dixerit, indicat, nam præter eum libellum nihil scripsit, seu quòd artis ostentator non esset, quam se nescire simulabat, seu fortasse quòd præstantius credidit artem scriptis admiscere, quam illam tradere. Secuti sunt scriptores alii, ut Fronto Santius, Cælius, aliiq; cõplures, sed inferioris ordinis, quorum testimonium siquando res desiderabit, eorum opinione utetur. Et de his hactenus. Deinceps reprehensionem amolitur operæ aut frustra aut cum inuidia susceptæ. Nam cum M. Tullius artem hanc non splendore modo insigni, sed & authoritate donauerit, uidebitur aut inanis labor siquis eadem tædiose recantet, aut certe impudens si reprehendere perget quædam, & nomen Ciceronis calumniãdo deprimere. Vtruoque auertit caussa reddita cur necessario post illum subeunda fuerit hæc scribendi prouincia. Ergo ut in eloquentiæ usu princeps est, ita in docẽda arte omnes excelluit M. Tullius, unus in quo totius oratoriæ facultatis uiuum ferè est exemplar. Proinde tacere fuisset satius, ne quid uideretur ad eius præcepta posse addi, nisi ipse damnaret illud opus Rhetoricorum, in quod artis huius elementa ideo coniecerat, ita ut quæ illic dicuntur, ex polita non sint, sed iuuenili diligentia regesta: cui operi etsi alia subiecerit limatissima, infra se tamen putauit uulgares artis minutias consectari, unde relinquitur scribendi locus ea saltem quæ à se minus accurate perscripta ad Q. fratrem in operis ingressu testatur, & ne ars intercisa esset, quæ optimè dixerat alibi Cicero, in ordinem coegit, cum cæteris authorem inuenti libenter agnoscens. hinc & modestiæ consuluit, & præreptum non esse scribendi locum collegit. Oratoria porro uocat non libros modo ad Q. Fratrem, sed & ad Brutum, & alia quædam opera ubi præcepta huius artis grauiter magis quàm subtiliter est persecutus. Illustrauit artem rhetoricam Cornificius, cui multi tribuunt libros ad Herennium scriptos, qua de re nolim in utramuis partem controuersiam suscipere. Stertinius hunc est secutus, postea Gallio senior iunioris Gallionis pater. Accuratius, inquit, diligentiusq; Cor. Celsus, qui de medicina eleganter scripsit, & Lænas, docuerunt artẽ, quorum uterque antecessit ætatem Gallionis. floruerunt etenim ambo sub finem Augusti. Maiore item cura quam Gallio, Virginius, qui sub Traiano est uita functus, quo adhuc tempore uiuebat Fabius. Ex hoc loco infert Cataneus, hoc opus institutionum fuisse inchoatum sub Domitiano, sed sub Traiano uulgatum, nam hic memoriam facit Virginii ut mortui, obiisse autem Traiano imperante, locupletissimus testis est Plinius in epistola libri secundi, extat tamen libro quarto ad Domitianum præfatio quasi adhuc in uita agentem. Plinium uero eum significat seniorem, qui ab incunabulis oratorem informauit, ut meminit eius ex sorore nepos Cæcilius Plinius in epistola quadam, ubi partibus Iudicis fungitur, & opera auunculi enumerat omnia. Rutilius quoque Lupus figuras descripsit ex iuniore quodam Gorgia. Sunt uero, inquit, ætate nostra. Floruit autem Fabius sub Domitiano Nerua Traianoque imperatoribus. Clari scriptores, ut Suetonius, Tacitus, iunior Plinius & alij quos enumerat Tacitus in dialogo oratorum. Sed si omnia ut fortasse cognouerunt, ita diligenter pertractassent, nil fuisset opus Fabio, impetrata iam à docendo quiete, tam laboriosum multiplexque opus aggredi. Supersedet tamen nominare uiuentes, ne uel ea laude illis conflet inuidiam, uel eorũ in se ex èleuatione odium concitet. Veniet suum tempus eorum laudi. Post cineres enim, ut ait poeta, gloria certa uenit. Tunc laudabuntur essosius, cum è uiuis excesserint. Virtutis memoria magis magisq; a rogo inualescit. Inuidia quasi cum corpore uritur, cum cadauere sepelitur quodammodo ac restinguitur. unde liberius iudicant posteri, ut qui nullam inuidiæ maculam iniustam habeant. Enumeratis scriptoribus colligit, ut initio dixi, scribendum sibi esse, operæprecium se facturum putans, si post alios suam sententiam multis de rebus afferat, quam & ueriorem innuit, quòd nulli addictus quasi sectæ de his iudicat sed libere adhibito iudicio quid sentiat exprimat. Ac ut ille nullius uerba se adstrinxit, ita non uult ut sibi lector adhæreat, sed re perpensa æstimataque eligat quod sequatur. hinc electuris ait se fecisse copiam. Quod uero ad recensendas opiniones attinet, ubi aliorum placita explicauit, si uidebitur posse aliquid adiici, contendet ingenio, ut summam intendat prioribus, & saniorem de re proposita ferat sententiam. sin res nil patietur tale, at certe commendabitur Fabii diligentia, qui biennio tantum impenso tot authores excusserit, ut quid senserint de eloquentia uiri grauissimi, aperiret.

ARGVMENTVM.

Ad id quod initio præcedentis capitis promiserat, accingitur, docet Rhetoricen principium a natura duxisse, studium & incrementum debere utilitati, perfectionem, ab arte & exercitatione esse consequutam: Artem, ut medicinam, ex longa obseruatione factam. Refellit etiam eos qui curam dicendi a conditoribus urbium, aut legum authoribus cœpisse, aut à defensione potius quam ab accusatione, putabant.

Quod initium Rhetorices. Cap. II.

NEc diu nos moretur quæstio quæ Rhetorices origo sit. Nam cui dubium est, quin sermonem ab ipsa rerum natura geniti protinus homines acceperint? (quod certè principium est eius rei) huic studium & incrementum dederit utilitas, summam ratio & exercitatio? Nec uideo quare curam dicendi putent quidam inde cœpisse, quòd ij qui in discrimen aliquod uocabantur, accuratius loqui defendendi sui gratia instituerint. Hæc enim ut honestior caussa, ita non utique prior est, cum præsertim accusatio præcedat defensionem, nisi quis dicit etiam gladium fabricatum ab eo prius qui ferrum in tutelam sui, quàm qui in perniciem alterius comparauit. Initium ergo dicendi dedit natura: initium artis, obseruatio. Homines enim sicut in medicina cum uiderent alia salubria, alia insalubria, ex obseruatione eorum effecerunt artem, ita cum in dicendo alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum uitandumque, & quædam secundum rationem eorum adiecerunt ipsi quoque: hæc confirmata sunt usu: tum quæ sciebat quisque, docuit. Cicero quidem initium orandi conditoribus urbium ac legumlatoribus dedit, in quibus fuisse uim dicendi necesse est: cur tamen hanc primam originem putet, non uideo, cum sint adhuc quędam uagæ & sine urbibus ac sine legibus gentes, & tamen qui sunt in his nati, & legationibus fungantur, & accusent aliqua ac defendant, & denique alium alio melius loqui credant.

Initium dicẽdi ab accusatione uerius quã à defensione.

In prologo Rhetoricorũ ueterum.

MOSELLANI.

SErmonem] Loquendi facultatem. Protinus] Genitis hominibus sermonem inditum, fuisse. Huic] Principio & semini indito à deo. Studium] Amorem. Vtili-

tas] Sperata scilicet ex eloquentia. Summam] Perfectionẽ huic dedit principio. Exercitatio] Vsus qui omnium magistrorum præcepta superat. Vsus enim, ut ille dicit, potest omnia. Video] Deflexio est à corpore ad animum. Inde] Hoc principio. Discrimen] Capitis, aut fortunarum. Hæc caussa] Hoc principium. Prior] quàm sit accusandi caussa.

Nisi quis dicit] Quod scilicet absurdissimum esset. Qui] Scilicet latro. Obseruatio] Diligens cura artis. Artem] Scilicet medendi. Horum] Vtilium, & inutilium inuentorum. Dedit] In præfatione Rethoricorum. Vagæ] Huc & illuc errantes sine mansionibus, id quod & de Aboriginibus narrat Sallustius in Catilina. & hodie in multis gentibus Scythicis experientia cognoscere licet. Legationibus] Muneribus legatorum.

ANTONII PINI.

PRincipio executurum se dixerat unde cœperit rhetorica, ita originis quæstionem initio tractat, cuius breuitatem faciliratemque promittit, cum ait. Ne nos moretur quæstio, quæ sit rhetorices origo. Quod ut facilius assequatis, propone tibi duplicem originem, facultatis alteram, id est quomodo & nata & adulta & consummata sit eloquentia artis alteram, qua nempe uia, uaga prius eloquentiæ præcepta in artem redacta sunt. Nec enim idem est quærere, unde homines ad diserte loquendi curam incubuerint, & unde factum sit ut arte eloquentia comprehensa, certo præceptorum ordine constaret. De priore sic ait, Fundamentum bene loquendi, est sermo qualiscunque à natura sit donatus, ergo eloquentiæ initium à natura est. quod hac ratione colligit, quia loqui est primum. Atqui in confesso est, rationis comitem esse orationem, nec ulla re magis quàm sermone contrahere homines inter se, & ciuili quadam consuetudine à pecudibus bestijsque distare. Eloquentia igitur elementum, nempe sermonem, genitis à natura omnes accipimus, nisi uitiatum sit aliquod organum eorum quæ uocem, ut sic dicerim, procudunt & effingunt. Ex eo uero aucta est eloquentia, quòd cum homines uiderent magnum nomen magnasque opes sibi facere eos qui dicendo excellerent, eorum domos frequentari, oratores deduci, officiose salutari, beneuolentiam sibi conciliare, defensionum laboribus obligare multos, deinde magistratus gerere, populo præesse, & ut in libera ciuitate cum authoritate, sic apud reges cum gratia uersari, intenderunt maiorem curam, omnique diligentia enisi sunt, ut ad aliquem numerum eloquentium peruenirent. hinc usus rhetorices & utilitas incrementum dedit, ex studio quo omnes in hac arte elaborabant. At tum demum eloquentia pleno alueo fluxit, & passis prope dixerim uelis lata est, cum ad initium naturæ, diligentiamque studiosam accessit ars, quæ rectè docendi est ratio. & quæ præcepta confirmat exercitatio. Hactenus habes originem accuratè & cum uitore oratorio dicendi. Suppresso dehinc, ut ferme solet cum Ciceronem arguit, nomine, negat ueram esse opinionem Ciceronis, qui asserit, uocatis in periculum hominibus, reos contendisse ut faces uerborum admouerent animis iudicum, & luculenta dictione euaderent ex periculo, & hinc natam esse scribendi eloquenterque dicendi curam. Fabius hac ratione nititur. Origo eloquentiæ prima est reddenda, quæ cum non sit defensio, male inde uelut à capite arcessitur eloquentia. Nemo enim ambigit, inquit, ante defensionem fuisse accusationem, quam ut adornarent actores, credibile est effecisse ut aliter reum facerent, quàm uulgati oratione, cum augere uellent crimina, & atrocitate iudices ad seueritatem accendere. Vnde fit ut prior fuerit eloquendi diligentia in accusando, quàm in defendendo. Proinde ut fateamur honestius esse, mederi uulneribus, quàm facere, & periculum depellere quàm constare, non tamen id est bene dicendi asserendum initium: quod perinde est ac si quis diceret usum gladii esse uim arcere, non inferre, cum humanius sit inimicum repellere, quam perniciem alteri intentasse. Ego uero inuitus facio ut discedam à Fabio: sed, nescio quo modo, transuersus uidetur agi cum aliorum sententias suis locis mouere contendit. Etenim, ut hinc exordiar, quid est tandem mali, si fatear in hoc fabricatum esse gladium, ut si quis abuteretur natura sua, & uulnus inferret, repellere possemus? Adde quòd ut statuamus prius esse accusare, quis ignorat accuratius esse genus defensionis, quàm accusationis? cum accusator litem sit habeat contestari, & uelut subscriptione crimen proponere: defensori sit opus eleuare, refellere, nunc astu, nunc collata fronte pugnare, & omnia excutere, ut se à periculo eximat. Postremò in nullum periculum incurrit actor ut caussa cadat, defensor caussa simul & uita in publicis iudicijs excidit. Hinc constat non plane fieri, ut si tempore præcedat accusatio, initium dicendi à defensione esse non possit, nec certe à ratione multum abhorret, in re tam longe repetita hoc bene dicendi initium ponere. Cum tribus igitur perficiatur eloquentia, natura, à quo sermo emanat: studio, quod ex utilitate natum, incrementum dedit, ratione, quæ uelut dux certior naturam studiumque dirigeret, ultimum in eloquentia adstruenda fuit ars, cuius ita postea docet originem, ut prius eloquentiæ ipsius primordia, incrementa, summamque docuerat. Initium, inquit, artis obseruatio dedit, hoc est, diligens & accurata eorum quæ fierent, animaduersio, quæ sine admiratione esse non potuit, ut optime docet Aristoteles primæ philosophiæ initio, id quod simili comprobat. Nam ut medici alia experimento salubria cognouerunt, alia noxia, eaque in ordinem digesserunt, ut salubribus uteremur, insalubria, uitaremus, sic oratores nonnulla uidebant ferè prodesse, alia malo fuisse hinc cœperunt notare quæ usui esse possent, quæ cum prodessent, ut illa imitaremur, hæc uitaremus, hinc cœpit artis quædam esse effigies. Expoliri deinde cœpta est, non contentis tantum referre in libellum quæ memoriter tenebant, sed addentibus multa ingeniose, quæ uel ipsi solertes repererant, uel ad priorum confirmationem ualerent, ita & locupletata est ars auctario illo, & confirmata, cum similitudine priorum accederet noua, & uetera inualescerent. At uero ars tum demum ad unguem facta est, cum præcepta plerique ad usum ipsi traducerent, & alijs ea uia rationeque traderent. Ita principium artis dedit obseruatio, incrementum ratio cuiusque, & ex similitudine accessio, summam exercitatio præceptorum, & illorum compendiaria traditio. Nec hoc probantur incertæ artes, quòd obseruatione sint natæ singulorum, quæ in scientiæ non cadebant comprehensionem. Etenim ut inuestigandi principium dedit admirabunda obseruatio, sic & consummationem caussæ postea inuentio, & efficax exercitationis approbatio.

Cicero quidem.] Id habes primo libro ad Q. Fratrem, quo loco non id agit Cicero, ut tam subtiliter artis huius principium rimetur. Inter cæteras duntaxat eloquentiæ laudes infert. Quæ uis, inquit, alia homines congregauit, & mœnibus sepsit? quæ uis alia leges dedit? Vnde colligit Fabius, Ciceronem principium eloquentiæ tribuisse conditoribus urbium, ac legumlatoribus, perinde ac si ita procederet, Cum uagi homines ritu ferino palantesq; in agris uersabantur, ratione uixdum satis exculta, nullus in artem oratoriam studium conuertebat. at uero ut se legibus constringerent, & ciuitatis cultu angustiore includerent, non nisi prudentis eloquentisque uiribus potuere compelli. Prima itaque dicendi cura in illis uidetur extitisse. Quod cum Fabius negare non possit, carpit tamen, nec intelligit quomodo hanc Cicero originem primam uoluerit. Et certè non id agit Cicero, quemadmodum pauloante dixi. Argumentum quo utitur, est, multas adhuc esse gentes nec mœnibus cinctas, nec obstrictas legibus, apud quas tamen eloquentiæ sint quædam uestigia, unde elicit potuisse fieri, ut etiam ante urbium conditores, legumque authores, eloquentes fuerint. Quod si uolueris ad unum excutere, uidebis, puto, Ciceroni constare dicti rationem, nec illam hoc Fabii argumento conuelli, cum non neget Cicero naturalem quandam eloquentiam in alijs fuisse, sed primam dicendi curam illis conditoribus necessariam fuisse. Ordinis porro tractatus constans est. Quis enim ignorat prius fuisse eloquentiam, quàm eiusdem artem? Ita prius eloquentiæ originem explicat, deinde artis.

ARGVMENTVM.

Tria hoc capite complectitur, partitionem Rhetorices, ordinem partium, & appellationem. Partes ex quibus sermo nectitur, rebus & uerbis constare, & esse numero quinque ostendit, refellens eorum sententiam, qui eas uel plures uel pauciores fecerunt. Docet memoriam & actionem excludi non posse, iudicium contra & ordinem non posse adijci, quòd illud tribus primis partibus sit permixtum, ordo uero ad dispositionem referatur. In ordine partium primam esse inuentionem, secundam dispositionem, tertiam elocutionem, hinc memoriam & pronunciationem subsequi. Vltimo loco uocandas esse partes contendit, quia totum perficiant, non opera, quia oratio opus dicatur. Non etiam elementa, quia essent solum initia quæ totum non construerent, ostenditque quibus caussis in hos errores inducti fuerint qui ita senserunt, hinc ad caussarum genera transit, quæ ita rectius quam Rhetorices genera uocata esse indicat.

Quinque

Quinque esse partes Rhetoricæ. Cap. III.



Mnis autem orandi ratio, ut plurimi maximique authores tradiderunt, quinq; partibus constat, inuentione, dispositione, elocutione, memoria, pronunciatione siue actione: utroque enim modo dicitur. Omnis uerò sermo, quo quidem uoluntas aliqua enunciatur, habeat necesse est & rem, & uerba. Ac si est breuis, & una conclusione finitus, nihil fortasse ultra desideret: at oratio longior plura exigit. Non enim tantum refert, quid, & quomodo dicamus, sed etiam quo loco opus ergo est dispositione. Sed neque omnia quæ res postulat, dicere, neque suo quæque loco poterimus, nisi adiuuante memoria. quapropter ea quoque pars quarta erit. Verùm hæc cuncta corrumpit ac propemodum perdit indecora uel uoce uel gestu pronunciatio. Huic quoque igitur tribuendus est necessariò quintus locus. Nec audiendi quidam, quorum est Albutius, qui treis modo primas esse partes uolunt, quia memoria atque actio, natura, non arte contingant: quarum nos præcepta suo loco dabimus: licet Thrasymachus quoque idem de actione crediderit. His adiecerunt quidam sextam partem, ita ut inuentioni iudicium subnecterent, quia primum esset inuenire, deinde iudicare. Ego porro ne inuenisse quidem credo eum, qui non iudicauit, nec enim contraria, communia, stulta, inuenisse dicitur quisquam, sed non uitasse. Et Cicero quidem in Rhetoricis iudicium subiecit inuentioni: mihi autem adeo tribus primis partibus uidetur esse permistum, (nam neque dispositio sine eo, neque elocutio fuerit) ut pronunciationem quoque uel plurimum ex eo mutuari putem. Quod hoc audacius dixerim, quòd in partitionibus oratorijs ad easdem de quibus supra dictum est, quinque peruenit partes. Nam cum dupliciter primum diuisisset, in inuentionem atque elocutionem: res ac dispositionem inuentioni, uerba & pronunciationem elocutioni dedit: quintamque constituit communem, ac uelut custodem omnium, memoriam. Idem in Oratore, quinque rebus constare eloquentiam dicit, in quibus postea scriptis certior eius sententia est. Non minus mihi cupidi nouitatis alicuius uidentur fuisse, qui adiecerunt ordinem, cum dispositionem dixissent: quasi aliud sit dispositio, quàm rerum ordine quam optimo collocatio. Dion inuentionem modò & dispositionem tradidit, sed utranque duplicem, rerum, ac uerborum: ut sit elocutio inuentionis, pronunciatio dispositionis, his quinta pars memoria accedat. Theodorei ferè inuentionem duplicem, rerum, atque elocutionis, deinde treis cæteras partes.

Oeconomia.

Hermagoras, iudicium, partitionem, ordinem, quæque elocutionis sunt, subijcit œconomiæ, quæ græcè appellata ex cura rerum domesticarum, & hic per abusionem posita, nomine latino caret.

Ordo partium.

Est & circa hoc quæstio, quòd memoriam in ordine partium quidam inuentioni, quidam dispositioni subiunxerunt: nobis quartus eius locus maximè placet. Non enim inuenta tantum tenere ut disponamus, nec disposita ut eloquamur, sed etiam uerbis formata memoriæ mandare debemus. Hac enim omnia quæcunque in orationem collata sunt, continentur.

Appellatio partium.

Fuerunt etiam in hac opinione non pauci, ut has non Rhetorices partes esse existimarent, sed opera Oratoris: eius enim esse inuenire, disponere, eloqui, &c. Quod si accipimus, nihil arti relinquemus. Nam bene dicere, est Oratoris: Rhetorice tamen est bene dicendi scientia: uel, ut alij putant, artificis est persuadere, uis autem persuadendi, artis. Ita inuenire quidem & disponere, Oratoris: inuentio autem & dispositio, Rhetorices propria uideri potest.

Partes, an opera, an elementa sint appellanda.

In eo plures dissenserunt, utrùmne hæ partes essent Rhetorices, an eiusdem opera, an (ut Athenæus credit) elementa, quæ uocant στοιχεῖα. Sed neq; elementa rectè quis dixerit: alioqui tantum initia erunt, ut mundi uel humor, uel ignis, uel materia, uel corpora insecabilia, nec operum rectè nomen accipiẽt, quæ non ab alijs perficiuntur, sed aliud ipsa perficiunt. Partes igitur. Nam cum sit ex his Rhetorice, fieri non potest ut totum ex partibus constet, nisi sint partes totius, ex quibus constet. Videntur autem mihi qui hæc opera dixerunt, eo quoque moti, quòd in alia rursus diuisione nollent in idem nomen incidere. Partes enim Rhetorices esse dicebant laudatiuam, deliberatiuam, iudicialem. Quę si partes sunt, materiæ sunt potius quàm artis. Nanque in his singulis Rhetorice tota est, quia & inuentionem, & dispositionem, & elocutionem, & memoriam, & pronunciationem quæcunque earum desiderat. Itaque quidam genera ea tria Rhetorices dicere maluerunt, optimè autem ij quos secutus est Cicero, qui genera caussarum.

Aristotel. ad Theodec. lib. 1. cap. 3.

MOSELLANI.

PLurimi maximiq;] ut Aristoteles, Cicero, Hermagoras. Sermo] Confabulatio philosophorum est: oratio uerò, oratorum in Senatu uel iudicio ad iudicem. Conclusione] Clausula. Vltra] Supra rem & uerbum. Quomodo] Stultene, an prudenter. Dispositione] Quæ uidelicet indicat quo quid loco dicendum sit. Loco] Ordine Ea] Memoria. Hæc] scilicet sic disposita, uerbis ornata, fixa memoriæ. Modò] Saltem. Actio] Decorus gestus, uultus & motus corporis. Actione] quòd uidelicet natura contingat. Inuenire] Quæ scilicet ad propositum facerent. Iudicare] Dignoscere inter leuia & grauia, inter stulta & prudentia. Contraria] Suo instituto. Communia] Parum ad rem facientia. Non iudicasse] Non dignouisse. alias non uitasse. Apta] Ab ineptis. In Rhetoricis] Rectè Aldus pro Rethoricis topicis legit. Nam in Ciceronis Rhethoricis de Iudicio ne uerbũ quidem fit ullum. Quod autem hic Fabius citat, legitur in Topicis ferme in principio, his uerbis: Omnis ratio diligens disserendi duas habet partes, unam inueniendi. alteram iudicandi: Inueniendi ratio prior. Diuisisset] His uerbis, Vis oratoris in rebus est, & uerbis: sed & res & uerba inuenienda sunt & collocanda. propriè in rebus, inuenire: in uerbis, eloqui dicitur: collocare & si est commune, tamen ad inueniendum refertur. uox, motus, uultus, atq; omnis actio eloquendi comes est: eorumq; omnium custos memoria. Topicis] Sedibus argumentorum. alias Rhetoricis. Subiecit] Postposuit. Mutuari] Mutuo accipi. Oratorij] Quibus partes oratoris Cicero persequitur. Omnium] Inuentorũ & dispositorũ. Postea] Post Topica & Retheorica Non minus] Quàm superioribus. Dion] Rhetor uel philosophus, cui Chrysostomo ab aurea eloquentia nomen fuit: qui circiter Fabij seculum, ut certum est, floruit, maximè gratus iã senex Traiano Cæsari Nec ratio temporum repugnat quo hic sit Dion cuius Fabius meminit, quum Domitiano quem celebrat Fabius suo seculo florentem, successisset Nerua, Neruæ autem Traianus, neq; multi inter hos supputentur anni. Modo] Saltem. Elocutionis] scilicet uirtutis orationum. Oeconomiæ] Nam Græcis οἶκος, Latinis domum & familiam significat, νέμω autem dispenso & distribuo sonat: unde οἰκονόμος dicitur paterfamilias, siue dispensator domus, & res uel ars οἰκονομία, cuius est summũ opus, quæque suo loco & tempore & ordine facere prudenter. quam disciplinam Aristoteles duobus uoluminibus prosecutus est, quibus titulus, Oeconomica. & item Xenophon in libro qui Oeconomicus dicitur. Porrò quod Fabius abusionem dicit, græcis est species tropi κατάχρησις appellata, quoties ad significandam rem proprio carentem nomine, alio abutimur: ut cum pro magno nebulone furciferum dicimus, & lacũ in quo pisces non sunt, piscinam: quod in codicibus Aldinis hoc loco adijcitur. Nam abusiue, annotatum ab aliquo superioris seculi docto homine suspicor, ac postea ab Aldo, forsan plus æquo curioso, contextui insertũ, nimirum quod cũ Fabianis uerbis

planè pugnet, quodque in cæteris omnibus codicibus desideretur. Postremò non uidetur aduerbium abusiuè, dignum purissima Fabij eloquentia. Nomine] huic rei quadrante & apto.
Eloquamur] Verbis uestiamus. Elementa] Principia quibus accrescit Rhetorica. Humor] Vt putat Thales Milesius.
Ignis] Vt putat Heraclitus. Materia] Vt putat Aristoteles, Plato. Insecabilia] Insectilia, quas Græci ἄτομα, appellant, ut putat Democritus, & Anaxagoras. Partes] sunt dicendæ. Materiæ] scilicet partes. In his] Partibus tribus materiæ. Quidam] De quorum numero est Aristoteles primum Rhetoricorum cap. 3. Caussatum] Cadentium in officium Oratoris.

ANTONII PINI.

Tria hoc capite ordine prosequitur, numerum partium, ordinem earum, & appellationem. Initio enim côtendit esse quinque, notata opinionum uarietate. siquidem non eodem consensu numerus statuitur, deinde quia uariat apud scriptores ordo, quomodo sibi succedant hæ partes, explicat. tum partes an officia, opera an elementa uocanda sint, dicit, quòd ea res in diuersa rapiatur propter dispares scriptorum opiniones. Ergo ut hoc ordine exequitur singula, ita in omni tractatu sequitur eam uiam quam primo capite proposuerat. Explicaturum enim se promittebat unde cœperit qua de re superiore capite dixit deinceps quibus confiter, quod nunc prosequitur. Agit siquidem de quinque partibus quibus oẽm eloquentiam constare sciunt omnes. Initium uerò sumit à propositione rei, quam ratione est confirmaturus. Omnis, inquit, orandi ratio, quæ eloquentia dicitur, quinque partibus constat: & ut homo suis mẽbris componitur, & ex eorũ proportione totus efficitur, sic eloquentia in hæc quinq; quasi membra diuiditur, & eorum collectione tota consurgit, quod non nudè affirmat, sed & numero scriptorum, & authoritate confirmat, in Ciceronem uelut digitum intendens, qui locis mille in hæc quinq; partitur rhetoricã. Primò ne quis nomina ignoret partium, inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam uocari ait, ultimæ parti duplex dari nomen. Cum enim & uocis modulatione constet, & corporis motu, à uoce pronunciatio, à gestu motuq; actio dicitur In aliorum nomine tenuis est diuersitas. Cicero collocationem appellat, quam nocamus dispositionem. Elocutionem est ubi dictionem uocet, sed tam exilis dissensio interum habere Fabium non debuit. Vnum hic notabo, ut nomen rhetorices, & doctrinam significat præceptorum, & dicendi facultatem præceptis collectam, quam in usum exeras, ita partes has quinque & artis dici posse, ut præcepta significant, & facultatis, ut facultatẽ excogitandi, collocandi, reliquorumq; iam partam, & ad usum promptam indicant. At frigidum erat aliena fide niti, suam rationem addit, qua fateatis hoc numero partium constare eloquentiam, nec in plures diffundi, aut in pauciores concludi coarctariq; posse. Omnis sermo quo mentis uoluntas enunciatur, & quo aliquid prius cogitatione septum significamus, ut minimum rebus constat, & uerbis, quibus sententiæ latentes animo quodammodo exprimantur Rebus præest inuentio, uerba dispensat moderaturq; elocutio. Voluit autem Fabius ex eo quod omni est sermoni comune, & partes eloquentiæ uelut ex aceruo educere, & quid præstet supra alios orator, explicare. Nec enim hoc sic debes accipere, ut qualiscunque excogitatio, ex sit oratoria inuentio, aut qualiscunque sermo sit eloquutio, sed ut dixi, res & uerba gignunt partes duas quas de grege uulgari eximit orator, & rectam quandam meditationem rerum suam facit inuentionem, ita compositamq; orationem, numerisq; astrictam in elocutione spectat orator, igitur hæ duæ partes eius expolitæ duntaxat sunt oratoriæ, earum tamen species & imago est aliqua in omni sermone, quòd & sententias inuenire crassius, & uerba rudius collocare uideatur. Quo loco hæc fortasse cogitatio subibit, cur Fabius ex rerum uerborumq; complexu duas modo partes collegerit. cum Cicero in partitionibus ex hoc quasi seminario partes quinq; traducat in ordinem oratorum dicam. Res uerbaq;, quod ex se est, has duas tantum gignunt partes, quibus applicantur cæteræ, ac si uites ulmis dicas adiungi. Non secus enim inuentioni rerum adhæret collocatio earundem, quã elocutioni adiacet pronunciatio, & utrisque innititur memoria Fabius ex officiis partium seorsum colligere singulas uoluit. Ergo ut addat partem tertiam dispositionem, ait, A c si breuis est sermo & concisus, una finitus conclusione, quæ non periodos alias de aliis trahat, sed interitus, & ad singulas propè clausulas fuerit aptus, quali utuntur Dialectici, & omnes propè in quotidianæ dictionis instrumento, nil desiderat amplius, quam ut orationis cogitationem, uerborum beneficio efferat & eniciet. oratio uero continens iustæ magnitudinis, tam paucis contenta non est, instructiorem postulat apparatum. Cum enim comprehendat multa, ea confundi non uult, nec temere indigesta proferri, sed suo quicq; loco dici apte, quia non tantum refert, qua uaris sententia, qua elocutione, sed etiam quo illa sint ordine collocata, qua ex re elucet necessarius dispositionis usus, qui nõ ita in breui oratione exigitur, quia pauca non possunt magnopere confundi, & illis in ordinem cogendis, si quando erit opus, grammatici magis sufficiet munus, quam ut sit necessarius cõsulti oratoris labor. Pergit deinceps ad educendam de obscuro partem quartam, nimirum memoriam. Inuenta excident, uerba effluẽt, ordo confundetur quem domo meditatum attuleris, si memoria uacillet, aut potius omnino te deficiat, ideo uel in hoc saltẽ, ne trium priorum irritus fit labor. memoria est oratori excolẽda. Adde quòd in luce ciuitatis uersari debet, & in maximo hominum conuentu dicere, ut memoria satis tenax esse non possit, nisi quæ naturæ beneficio donata, artis creuerit adiumentis. quapropter erit ex pars quarta. Cuius quod, obsecro, in oratione quotidiana interciditq; est specimen? Ego certè nusquam laudati ineo uidi memoriam, qui uerba ne sponte ueniebant effunderet, qui res eo loco efferret, quo in os occorrebant. Proinde singulare recordationis beneficium in Oratore elucet, cui toe dicenda uno tractu, meditata omnia, arte dicendi facta & expolita omnia. Verùm non satis quidem fuerit, in memoriæ ærariũ retulisse omnia, & in sanctiore quodam thesauro condidisse, nisi & motu corporis utaris decenti, & uocis flexu modulato. Quãobrem quia perduntur reliqua, nequa parte claudicet orator, addenda est ad eius munus pronunciatio. Non defuerunt prima illa Isocrati, sed quia ἀσχρόφωνος erat, ut ait Plutarchus, publico abstinuit, intra parietes domesticam aluit gloriam. Excellebat in illis Demosthenes, sed uitio linguæ laborabat, sentiebat perdi aliorum gratiam, unde primas secundas tertias huic dabat. Non utar exemplis latius, quæ possem afferre plurima. hic tantum licet experiri, nisi graues sensus, uerba delecta, collocationem prudentem, constantem memoriam luculenta calefecerit actio, friget tota dictio, & effigiem habet propè spirantis mortui. Ergo necessario huic est tribuendus quintus locus. De ordine quem inter se habent, infra sum dicturus, cuius rei gratiã hic nolo præripere. Occurram tamen prudentium cogitationi, qui requirunt horum officiorum distinctionem, nos enim hic quinque statuimus, cum tria duntaxat uulgo esse audiãtur. Neminem nominabo ea certe parte, qua cum illo non sentiã, nec imitabor quorundam nostræ memoriæ hominum petulãtiam, qui deprimendis alienis scriptis sua extollunt, & aliorum obtrectatione gloriam quærunt. Ego certe semper in animo habebam illud, Heracliti nisi fallor, ἐν βάθει ἀλήθεια. fauendum proinde esse iis qui demersam profunda caligine ueritatem suæ lucei reddere uoluerunt, quod si minus sunt assecuti, quia tamen secutos constat, laude diligentiæ iudiciiq; defraudare, cum eodẽ tendas, est inhumanum. Nec enim tantum de meipso polliceri mea potest, si qua est, eruditio, ut perfecisse confidam, quod alii sunt conati. Quod ne sæpius præfari opus habeam, nulli addictus sectæ quod sentiam dicam, non ut Pythius aliquis Apollo de ambiguis decernens, sed ut unus è multis in ueritatis explanationem tenue quoddam symbolum in studiorum collecta cõferens. Ergo ut eo nostra reuertatur oratio, unde profecta est, bifariam id uidi in doctorum sermonibus explicari. Non deerãt qui hæc quinque sub illis tribus dicerent contineri, quod quia nec ipsi qui dicunt, satis explicant, ego planè non intelligo. Alii distinguebant officia infusa per totam orationem ex æquo & ad partes accommodata Quinque, inquiunt, omnibus partibus ex æquo conueniunt, tria illa certis aptantur partibus. Videbantur mihi niti authoritate Ciceronis, qui duabus demum partibus mutum dat, duabus fidem, qui mihi uidentur falli, tum quòd Cicero illa ipsa non negat per totum fusa orationis corpus, sed in his partibus magis eminere: tum quòd ut id sit uerum de motu, fide, certè delectatio tertium munus, cui tandem parti quasi mancipio addicetur? Verius igitur & breuius, qui ista quinque præcedere dicunt, & ad orationis consummationem ualere, illa tria ex hit sequi, efficique dicendo, ut tum demum bene quinque prioribus uideamur functi, si illa tria perfecerimus orando, motum, fidem, uoluptatem: de quibus dicam necessario cap. 5. huius libri. Memoria enim & actio (de aliis enim ambigi non potest) ad ista non mediocre habent adiumentum, & orationem ideo consummant, quòd ista si detrahas, scripta quidem restabit oratio, sed quæ nomen oratori facere non possit. Transit deinde ad eos qui diuersum numerum tradiderunt: quorũ diuersitas est triplex. Alij enim plures, alij pauciores, alij longè

alias

alias posuerunt. Albutius igitur professor huius artis non obscurus, negabat duas ex his partibus, non quin fateretur necessarias, sed partes esse artis negabat, quòd agendi bene, & per orandi memoriter beneficium à naturæ fontibus potius oriatur, quã ab artis præceptis. Neque uerò æquum putabat eam numerare inter artis partes, quæ nullo adiumento artis constarent. Quæ opinio procederet, si nullis hæc præceptis accendi augerique possent, sed quia iuuantur his præceptis quæ libro. 11 proponit Fabius, non sunt eo nomine illæ duæ partes excludendæ. Thrasymachus quatuor primas non mouebat numero, eximebat ultimam actionem, quòd uox, latera, spiritus, dona essent naturæ, non artis subsidia. Habes qui detraxerint, nunc subiicit eos qui adiecerint alias, quasi his quinque non esset tota eloquentiæ uis comprehensa. His adiecerunt quidam sextam præter has quinq; nempe iudicium, quo inuenta, uelut Lydio lapide aurum, probarentur, quod statim post inuentionem numerabant, illiq; subnectebant, ut primum sit omnium excogitare quid dicas, mox de inuentis iudicare, eiusmodi ne essent, ut in apertum proferenda essent, an domi supprimenda, & in summam consentanea essent, an dissentanea. Nomine uero iudicii quid intelligamus, fuse Rodolphus Agricola exponit: ubi multis in simile collatis, subdit nil aliud esse iudicium, quàm argumenti reperti examinationem ex accommodatione illius ad utranq; partẽ quæstionis propositæ, quod ut crassiore musa rudes intelligant, statuatur quæstio, sitne uoluptas bonum. Duo sunt hic uocabula quæ totam prope quæstionem conficiunt, uoluptas, & bonum, quæ duo ut inter se faciamus cohærere, ea cogitemus ex definitione alterutrius rationem qua dulita hæc coniungamus. Bonum est quod appetunt omnia. hactenus sua uice fungitur inuentio. Inuentum ergo ex locis argumentum, limandum explorandumq; præbet: suscipit illud intellectus, & nectit cum utroque, in hanc formam. Omne id est bonum, quod omnia appetunt, & uoluptatem quidem omnia appetunt, quorum utrunque quia credibiliter procedit, admittit, & hactenus de materia iudicat: & ne quis in colligendo subsit dolus, refert ad argumentandi leges quibus cum teneri intelleait, omnino probum esse iudicat. Habes explanatum, si minus doctè, certè facilè, quo intellectu dialectici partem alteram suæ artis κριτικὴν uocent. Fabius nomine iudicij non tam utitur subtiliter, sed iudicium intelligit æstimationem quandam eruditam naturæ artiq; admiatam, ut sub iudicio consilium quoq; complectatur. & si utrunq; paulo aliter distinguit cap. ult. lib 6. Est ergo summa huius loci, iudicium hoc loco nomine inuentionis præcipue intelligi. Nam cum usus communis hæc non disiungit, tum certè inuentio oratoria non dicitur quæ iudicio est destituta. Infert itaq; sibi non uideri inuenisse, ut nomine inuentionis hic utitur, qui non iudicium adiunxerit id probat argumento ex more loquẽdi nato. Etenim si nomen inuentionis à iudicio uulgus dislocaret, aliquis stulta, leuia, communia, quæ nil peculiariter efficiant, contrariaq; rei probandæ affert, diceret illum inuenisse quidem, non tamẽ iudicium adhibuisse, at loquitur aliter, nil inuenit, inquit, quia stolta & ridicula dicit. Vnde potest intelligi nusquam dari alicui nomen inuentionis, nisi optima, grauia, consentanea inuenerit, quod operam iudicij desiderat. Hæc, bone deus, quo distrahuntur modo, si uellem onerare lectorem nugis in hunc locum ex se planum collatis? neque scribendi ego, neque legendi ille faceret modum. In Topicis, inquiunt, natura priorẽ facit inuentionem, potest ergo sine iudicio quod natura succedit intelligi. Hic alii inuentionem duplicem, informem, & formatã. Illam sine iudicio, hanc illi coniunctam. Acutiores alii tempore aiunt simul esse, etsi naturæ altero modo antecedat inuentio.

Non intelligunt docti homines diuerso intellectu hæc dici. Ibi Cicero more loquitur Dialecticorum, ex quorum fontibus hausit illa, qui acutius ea distinguunt, quæ populus crassior connectit, ita ut reuera inuentio iudicium præcedat. non propterea tamen, inquit Fabius, separari debet quasi noua pars, cum nomine inuentionis etiam uulgo intelligatur. Videre poterunt ibi de dialectica inuentione esse mentionem, quæ sine iudicio potest intelligi, hic de oratoria, quæ non dicitur nisi cum rerum est uerarum aut uerisimilium excogitatio, quod sine iudicio fieri non potest. Sed ignosces lector uerbositati, non potui agere paucioribus in re à tam multis decantata, & tam paucis non dico ignorata, sed excussa. Et Cicero quidem in rhetoricis de inuentione uocatum iudicium subiecit inuentioni. Vulgò hic locus difficultatis habet plurimum, ubi non ausim asserere acutius me sentire cæteris. Ius proponam æquum, quod arbitror non repudiaturos, ut si placuerit expositio, nil illi detrahat ingenii mei tenuitas, sæpe enim (ut in prouerbio) est olitor ualde opportuna locutus. Tota loci enodatio est in uerbo subiicere, quod Raphael cũ non intelligeret (id quod in eo non est nouum) fecit ambiguã lectionem, quæ prius erat constans, ea in tantam uenit authoritatem, ut adnotetur ad marginem, aut illam immeritam possessione exturbauerit, quam tum diuturnitate, tum omniũ uoluntate obtinuerat. Et ne multis agam, subijcere alicui, est sub illo complecti, non illi postponere, etsi sæpe legi utroque significatu usurpari, hic sine dubio sic accipitur, ut hoc intelligi uelit. Ciceronem, cum nullam in rhetoricis mentionẽ iudicii fecerit, uideri ex cõmuni loquendi usu iudicium subiecisse inuentioni, hoc est sub illa cõprehendisse, quo sensu quid aut simplicius dictu, aut intellectu facilius? aut quid attinet inanes suspiciones spargẽre, quasi perierint rhetoricorum libri aliquot? aut lectionem deprauare, cum in Topicis de numero partium non disputet? Addit Fabiũ, nõ modo iudiciũ inuentioni cõnexum esse, id quod uulgus quoq; fatetur, sed per alias partes dispersum, non tres modo primas (quid n. eloqueris sine iudicio uerborum, aut ut dispones sine prudenti cõsilio?) uerumetiã alias, ut memoriã, quã rerum iudicium multum iuuat, ut actionẽ, quæ aut in scenicum gestũ exibit, aut in uastã deformitatem, nisi moderetis iudicio. Vbi memineris, quod supra dixi, nomẽ iudicii nõ in tã angustum cõcludi, quàm solet apud dialecticos. Iudiciũ uerò nõ nouã esse partẽ, sed per alias fusum, ut est sanguis per corpus, deducendo Ciceronis sententiam, probat. Cum enim iudicium necessarium sit, nec separatum unquam à Cicerone etiam in his libris, quos cum senex scripserit, certiorem habent eius sententiam, cõstantius, inquit, asseuero non unam partem iudicio tribuẽdam, sed eius per omnia uim infusam, quæ partes omnes temperet & regat. Nam cum dupliciter primum diuisisset, in inuentionem ac elocutionem. ac Cicero quidẽ certè uim oratoria in res & uerba diuisit, sed rebus & uerbis inuentionem collocationemq; destinauit, monuit tamẽ in rebus propriè dici inuentionẽ, in uerbis elocutionẽ. Vnde ait Fabius Ciceronẽ in duas partes omnia dispersisse, quæ has duas ex rerum uerborumque aceruo primas eduxerit. Res ac dispositionem inuentioni dedit. Videtur dicendum fuisse, rebus inuentionem dedit, ac dispositionem. At Fabius sequutus est id quod inuentionẽ primã partem fecit, cui rerum excogitatio accederet, & illarũ collocatio, quomodo est accipiẽdum quod sequitur, Curam uerborũ, comitemq; eorum pronunciationẽ, adiunxit elocutioni, quintam fecit communem rerum uerborumq; thesaurum memoriam, quæ latius exponerem, nisi ea satius esset haurire ex fontibus partitionem, in quas extant luculenti doctiq; commentarii Iacobi Lodoici olim præceptoris mei: quibus tantum mihi uidetur nostris studiis attulisse lucis, ut in hoc commentandi genere nobis omnino præluxerit.

Et ut planè confirmet hanc esse genuinã Ciceronis sententiam, tam in Oratore ad Brutum, qui uerus orator inscribitur, quàm ad Q. Fratrem, idem idem eundem numerum partium asseuerat, in quibus postea scriptis certior sententia est, quàm in libris de inuentione. Numerum uerò ibi positum cum nusquam mutarit alibi scriptis postea libris, uidetur ut in rhetoricis, sic in cæteris, iudicium sub inuentione complexus. Non defuerunt qui adderent ordinem ad alias quinq; partes, homines nouitatis cupidi, qui nulla adacti necessitate adiecerunt ordinem, ne itinere uulgato insistere uiderentur, Ordo enim nomine tãtùm à dispositione separatur, cum nihil sit aliud dispositio, quàm optima rerum (uerborũ enim collocatio in partem elocutionis uenit) in ordinẽ collocatio. Transit ad eos qui reuocarunt ad pauciores, easq; diuersas. Dum tres numerabat partes, inuentionẽ, dispositionem, memoriam. Inuentionẽ uocabat & rerum & uerborum excogitationem, dispositionem, & rerum, quæ collocatio dicitur, & uerborum, quæ est pronunciatio. Videtur enim qui pronũciat, uerba dispensare uoce ipsa, & uocis flexu digerere, etsi compertum est impolitũ esse elocutionẽ, in qua uerba inueniuntur modo, non etiam coagmentantur, & inter se quàm possunt optime componuntur, ne aut uaste hient, aut confragose rixentur.

Quinetiam adiiciebat memoriam ordine quidẽ tertiam, sed facta distributione quintam. Qui Theodorum sectabantur, inuentionem faciunt duplicem, rerum, & uerborum, id quod Cicero affirmat, sed ita, ut nomen inuentionis in res peculiariter competat. deinde tres reliquas subnectunt, utpote dispositionem, memoriam, actionem. Hermagoras quatuor in ordinem partium redigit, iudicium, partitionem, ordinem, œconomiam, quibus quid uelit sibi colligere, promptum esset si extaret author unde posset peti. nunc quia præter nomen cætera perierunt, utamur coniecturã, & sagaciter diuinemus id quod nullum requirebat impensam diligentiam, nisi authoris monumenta temporis iniuria intercidissent, quod in hoc authore sic torquet professores, ut nullam magis difficultatem in enarrando Fabio pertimescant, ergo suppleamus labore, quod tem-

pore deest, & ut aperiamus eum sensum, cuius uestigia sunt in uerbis imperfecta, uidetur Hermagoras hanc distribuendi rationem] secutus. Fundamentum bene inueniendi, est de rebus bene iudicare, & sensu cōmuni ualere, unde prima eius pars iudicium, totum situm in artificis prudentia; quia instructus sententias ex suis locis depromit, & ad partes singulas apta inquiret. hæc est partitio & deductio totius rei (græci ταραχγήσιν uocant) hæc ita confusa, diuidenda sunt ordine, & suo quæque loco ponenda, hic est ordo, postea uerborum amictu uestienda, & ita constituenda omnia, ut cum summa conueniant. hæc est œconomia, quod nomen prudentem rei familiaris dispensationem significat, & per abusionem quæ nomen ex uicino mutuatur, consultum operis progressum. quo & media imis, & summa mediis consentiunt: quo nomine & enarratores utuntur omnes, & Donatus creberrime, cum Terentii œconomiā indicat.

Est etiā circa hoc quæstio] Pars est altera totius capitis, qua breuiter monet quo ordine partes hæ sibi succedant. Inuentio prima est, quæ ut dignitate ab elocutione uincitur, ita natura antecedit, dispositio rerum inuentarum sequitur, nam etsi rebus uerba cohærent, proximè tamen, quia elocutio res non capit tumultuarie confusas, & quasi in aduersariis iacentes, sed digestas, ideo eam præcedit dispositio. Quæ res autem forsitan, cur rerū collocatio diuersam partem facit, uerborum inuentio collocatioq; in unam partem ueniunt, nempe elocutionis? Quod ideo fit, quia inuentio tuetur suum munus sine rerum ordine, elocutio non dicitur nisi uerba copulata fuerunt inoffense, & numerose collocata. Sed præcipua est quæstio in loco memoriæ, quā secundo loco numerant quidem, eo impulsi, quòd nisi memineris inuentorum, ea non possis disponere qua ratione subiungēda est dispositioni, quia si digesta exciderint, eloqui non poteris. item & elocutioni. etenim pronunciari non queunt nisi memoriæ thesauro custodita. Proinde hæc ratio aut nullum illi certum locum reddet, aut maxime quartum. Adde quòd memoria hic est totius orationis. Oratio ergo tribus partibus constituta, tum memoriæ imprimenda est, memoria quæ uidetur præcedere, & singularum est partium, & natura paratur maxime Fabio ergo maxime placet quarto loco poni. sequitur enim ordinem naturalem in agendo, prius memoriter tenemus, tum demum in magna frequentia pronunciamus. Cicero in aliis libris uariat, in Partitionibus quintam facit, uel quia rebus uerbisq; suas partes subiecit, & memoriam, quia communis erat cunctis, quinto loco numerauit, uel quia ut pronunciatio illa ultima sequitur memoriam, sic domestica actionis exercitatio credit gestus flexusq; memoriæ, ut optime enarrauit eum locum Iacobus Lodoicus, præ cuius uigilantia dormitauit Georgius. Fabius porrò nititur eo argumento, quòd memoria tribus partibus est utilis, ideoq; illis subnectenda. Hac enim, inquit, omnia continentur tanquam thesauro, quæcunque sunt collata in orationem, id est quæ in ipso sunt orationis corpore. Pronunciatio adiuuat quidem oratoris absolutionem, sed nihil confert quod in ipso orationis sit corpore, ideoque non eget memoria illa oratoria, nisi præcedentium rerum, uerborum, ordinisq;. Et hæc de ordine. Accedit ad partem tertiam, quæ erat de nomine partium rhetorices. opera artis, an officia, an elementa recte uocentur. Fuerūt, inquit, qui hæc opera oratoris putarint, & officia, qui hac ratione nitebantur, inuenire oratorem, disponere, cæteraq; præstare. Vnde cum præstari hæc oratorium minus desiderer, uidētur officia oratoris recte uocari. Occurrit Fabius prius illato incommodo, deinde ambiguum distinguit, colligit alio atq; alio intellectu partes & officia dici posse, absurdum elicit, hoc modo, si quis ista officia uocet oratoris, cum nihil aliud in rhetorica sit, nil arti relinquet, omnia in artifice erunt sita. Nec uero fatebitur quispiā artis nullas esse partes, quod extorquet argumentum si officia dixeris hæc tantum uocari Nullæ enim possunt aliæ artis partes commode proponi. Subiungit distinctionem, cuius hæc summa est, inuentionem aut notare actum quendam inueniendi, & eo intellectu artificis dici posse officium, aut uiam rationemq; inueniendi præceptis comprehensam, ita rursum artis esse membrum, quod simul probat. Etenim ut fateatur aliquis (quod exempli caussa positum est) oratoris esse finem persuasionē, ars tamen persuadendi dicetur rhetorice, ita ut inuenire sit oratoris officium, ut excogitandi est actus ab artifice procedens, ita ars inueniendi, totius rhetorices pars est una. Occurram porrò cogitationi acutæ. Videtur enim Fabius hæc quinq; partes dicere artis, ut docentur, & omnia artis præcepta in hæc quinque accommodantur, non facultatis. Quid si eloquentia utamur? nonne eius dicendi facultates partes erunt hæ quinq; tum cum dicimus, & in actum expromimus? Hæc scripto non tam possunt illustrari, ac si uiua uoce elucidarentur, conabor tamen depresso, ut hactenus feci, stylo, rudium etiam captui seruire. Dico actum harum partium bifariam inspici posse, aut ut ex eo facultas consurgit, quo intellectu promptitudo inueniendi parta, eloquentiæ pars est, aut ut ab oratore emanat, sic officium dicitur, quanquam rhetorica non dicitur actiua, quòd ea actu esse possit, sed quia in actum eius præcepta dirigi possunt. In eo, inquit Fabius, plures dissenserunt, essent ne partes artis, an opera, id est effecta quædam ipsius artis, an elementa, id est quædam artis constituendæ primordia, quæ græce στοιχεῖα uocari docet. Hoc ultimum initio refellit ex finitione elementi. Elementa enim dicimus quæ uidelicet inchoant, non absoluunt, ista uero absoluunt totam artem, ideoq; eius elementa non recte dicentur. Elementa autem similitudine exponit, ut sunt mundi ignis iuxta Heraclitum, aqua secundum Thaleten Milesium, uel materia ut Plato, uel atomi in uacuo concursantes, ut Democritus ponit. At uerò opera non recte uocaueris, opus enim est quod efficitur. partes non efficiuntur à rhetorica, sed efficiunt orationem, atque adeo artem ipsam alio modo conficiunt, partes siquidem totum uidentur quadantenus efficere. Occurret fortasse dubitatio, nunquid rhetorica efficiat inuentionem? quod speciem haberet ueri, si inuentionem rem uocares inuentam, sed artem inueniendi nullo modo gignit rhetorice. Enumeratione colligit partes esse, quia tria nomina reprehensa sunt, quod tamen noua ratione comprobat, quam ita struit, Partes totum efficiunt, ex his autem efficitur doctrina dicendi, fieri ergo nequit, ut non sint partes rhetorices, cum ex illis coalescat & constet. Nec ambigo mirum tibi uideri quinque hic partes poni, cum Cicero in Partitionibus tres duntaxat rhetorices partes recenseat. Qua noua difficultate ne te implicem, audi, Artis præcepta omnia ad has quinque partes referri possunt, ut fecit Fabius, atque ita ab his quinque nullæ sunt aliæ. Possunt & separari aliter, ut fecit Cicero, quando quinque officia contracta in angustias, totam uim artis non complectuntur Nam ego persuasum habeo, eodē planè modo rhetoricem hic doceri, & illas tres partes sub arte comprehendi apud Fabium. Dices ergo tum demum quinq; partiū præceptis constare doctrinam eloquendi uniuersam, cum ad illas aptamus omnia præcepta, at cum partium orationis tractatum ad orationem referimus, & statuum generumq; ad quæstionem, tum possumus doctrinam dicendi, id est præcepta omnia in tria illa genera distribuere, & sub primo quinq; ponere officia, quæ ita angusto tractatu omnia præcepta non comprehendant. Proinde breuiter digitum admoui ad fontem. Supersedeo reliquis, ne authori per se molesto, nouas aliunde uidear tenebras offundere.

Videntor autem mihi qui hæc opera dixerunt] Nil est efficacius ad errorem arguendum, quàm cum probabilis erroris caussa redditur. Docet igitur unde sint impulsi quidam ut opera appellarent, quod ideo fecerunt, ne rebus diuersis idem nomen facerent. Quia uerò genera caussarum partes rhetorices uocabant, his quinque membris aliud imposuere nomen, ne in idē inciderent, quæ si partes sunt, hoc est si genera caussarū, exornatio, suasio, cōtrouersia, partes dici deberēt, potius partes caussæ, quæ ciuilis est materia, uocarentur. Quod si ne partes quidem caussarum dici possunt, quanto minus partes rhetorices? Rursum non esse rhetorices partes, hoc modo colligit, In nulla parte est totum uniuersum, atqui singula genera totam habent Rhetoricen, id est scientiam partium recipiunt, seruiuntq; officia, quo modo si intellexeris, assumptionem epicherematis intelliges. Vt enim totum animal in homine est, quia tota animalis inest diffinitio, non tamen recte omne animal in homine inesse dixeris: sic tota in singulis est rhetorice, quòd facultas omnium partium effectusque reperitur, non tamen omnis, quia excluderetur ab aliis in quibus uidetur esse, quæ subtiliter prosequitur, nec commode assequeris, nisi proprius attendas. Itaque quidam, ut Aristoteles ad Theodecten, τὰ γένη ἐπιτροπικῶς uocāt, genera pro formis accipientes, ut uulgo iam dicimus pastinacæ esse multa genera, quia totum genus est in singulis formis. Rhetorica uero tota in singulis horum est tota: quare hæc appellatio non omnino caret ratione. Optime autem qui subiecerunt hypothesin ut eius species, & quæ ciuili quæstione comprehendantur, esse affirmarunt. Cur caussæ species melius quam partes inscribantur, ex eo intelliges, quòd nomen totius uni parti non accommodatur, in his autem caussæ appellatio inferioribus communicatur. Nec te moretur quòd Fabius alicubi partes uocet. Authores enim siquando ex professo de re non agunt, loqui solent negligentius. Adde quòd si rationem habeas distribuendi præcepta, omnia artis præcepta in hæc tria genera siue partes uidentur diuisa. Ciceronis tandem authoritate hanc inscriptionem comprobatam relinquit.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Genera caussarum optimè genera dici docuit, nunc confutatis aliorũ opinionibus, tria esse numero colligit: Demonstratiuum, Deliberatiuũ, & Iudiciale. Sed primum hanc opinionem oppugnantium argumenta profert, plura esse genera, sed hoc numero comprehensa frequentissima pro solis. Contra quos probat aliorum argumentis & suis, solum esse tria. Aliorum sic, tot esse genera caussarum, quot auditorum, auditores omnes aut delectationem sequi, aut consilium capere, aut iudicare uelle. Ergo esse tria solum genera. Suis, hoc pacto: Oratoris uersãri esse in iudicijs & extra. Quæ sunt extra, tẽpus habere præteritũ, uel futurum, præterita laudari, futura in deliberationem cadere: Ergo solum esse tria genera, & rursus, Oratori certa esse omnia, aut dubia, certa laudari, aut uituperari, dubia autem in deliberationem, aut in iudicium cadere. Recenset diuersas multorum partitiones, & Platonem duobus alijs tertium genus prosomileticon (quod & dialecticon dicimus) adiecisse, cuius uis e dialectica sit, in quo quæramus quid sit res, quæ partes eius, quæ caussæ, &c. Atque ad extremum omnia reduci ad illa tria, Demonstratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale concludit. Et Demonstratiuum uocari à meliore parte laudatiuum, quorum utrunque a græcis profluxisse potuerit, quæ encomiasticon & epidicticon dicant, nisi Latina interpretatione malimus esse contenti, cum qui laudatur, pingi & demõstrari uideatur. Vbi breuiter, quo differat epidicticon ab encomiastico, docet. Ad finẽ eos improbat qui honestum, finem laudatiui, utile, deliberatiui, æquum iudicialis pronunciarent, cum sint illis omnium generum communes.

Tria esse genera caussarum. Cap. IIII.

Disputatio: uarietas tentamentum: caussarũ contentibus.

SEd tria an plura sint, ambigitur. Nec dubiè propè omnes utique summæ apud antiquos authoritatis scriptores Aristotelem secuti, qui nomine tantùm alio concionalem pro deliberatiua appellat. hac partitione contenti fuerunt. Verum & tum leuiter est tentatum, cum apud Græcos quosdam, tum apud Ciceronem in libris de Oratore, & nunc maximo temporum nostrorum authore propè impulsum, ut non modo plura hæc genera, sed etiam penè innumerabilia uideantur. Nã si laudandi ac uituperandi officium in parte tertia ponimus: in quo genere uersari uidebimur cum querimur, consolamur, mitigamus, concitamus, terremus, cõfirmamus, præcipimus, obscurè dicta interpretamur, narramus, deprecamur, gratias agimus, gratulamur, obiurgamus, maledicimus, describimus, mandamus, renunciamus, optamus, opinamur, et plurima alia? ut mihi in illa uetere persuasione permanẽti, uelut petenda sit uenia: quærendumque, quo moti priores, rem tam late fusam, tam breuiter adstrinxerint. Quos qui errasse putant, hoc secutos arbitrantur, quòd in his ferè uersari tum Oratores uidebãt. Nam & laudes ac uituperationes scribebantur, & ἐπιταφίους dicere erat moris, & plurimum in consilijs ac iudicijs insumebatur operæ, ut scriptores artium pro solis comprehenderint frequentissima. Qui uero defendunt, tria faciunt genera auditorum, unum quod ad delectationem conueniat, alterum quod consilium accipiat, tertium quod de caussis iudicet. Mihi cuncta rimanti talis quadam ratio succurrit, quòd omne Oratoris officium autem in iudicijs est, aut extra iudicia. Eorum de quibus iudicio quæritur, manifestum genus est: ea quæ ad iudicem non ueniunt, aut præteritum habent tempus, aut futurum. Præterea laudamus aut uituperamus, de futuris deliberamus. Item omnia de quibus dicendum est, aut certa sint necesse est, aut dubia. Certa, ut cuique est animus, laudat aut culpat: ex dubijs partim nobis ipsis ad electionem sunt libera, de his deliberatur: partim aliorum sententiæ commissa, de his lite contenditur. Anaximenes iudicialem & concionalem generales partes esse uoluit, septem autem species, hortandi, dehortandi, laudandi, uituperandi, accusandi, defendendi, exquirendi, quod ἐξεταστικὸν dicunt: quarum duæ primæ deliberatiui, duæ sequentes demonstratiui, tres ultimæ iudicialis generis sunt partes. Protagoram transeo, qui interrogandi, respondendi, mandandi, precandi, quod εὐχωλὴν dixit, partes solas putat. Plato in Sophista, iudiciali & concionali tertiam adiecit προσομιλητικὴν, quam sanè permittamus nobis dicere sermocinatricem, quæ à forensi ratione disiungitur, & est accommodata priuatis disputationibus, cuius uis eadem profectò est, quæ dialecticæ. Isocrates in omni genere inesse laudem ac uituperationem existimauit. Nobis & tutissimum est authores plures sequi, & ita uidetur ratio dictare. Est igitur, ut dixi, unum genus quo laus ac uituperatio continetur, sed est appellatum à parte meliore laudatiuum, idem alij demonstratiuum uocant, utrunque nomen ex græco creditur fluxisse. Nam & ἐγκωμιαστικὸν & ἐπιδεικτικὸν dicunt. Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non tam demonstrationis uim habere, quàm ostentationis uidetur, & multum ab illo ἐγκωμιαστικῷ differre, nam ut continet laudatiuum in se genus, ita non intra hoc solum consistit. An quisquam negauerit Panegyricos ἐπιδεικτικοὺς esse? Atqui formam suadendi habent, & plerunque de utilitatibus Græciæ loquuntur: ut caussarum quidem genera tria sint, sed ea tum in negocijs, tum in ostentatione posita. Nisi forte non ex græco mutantes demonstratiuum uocant, uerum id sequuntur, quòd laus ac uituperatio quale sit quicque demonstrat. Alterum est deliberatiuum. Tertium, iudiciale. Cæteræ species in hac tria incidunt genera: nec inuenitur ex his ulla, in qua non laudare aut uituperare, suadere aut dissuadere, intendere quid uel depellere debeamus. Illa quoq; sunt communia, conciliare, narrare, docere, augere, minuere, concitandis componendisue affectibus animos audientium fingere. Ne his quidem accesserim, qui laudatiuam materiam honestorum, deliberatiuam utilium, iudicialem iustorum quæstione contineri putant, celeri magis ac rotunda usi distributione, quàm uera. Stant enim quodammodo mutuis auxilijs omnia. Nam & in laude iustitia utilitasque tractantur, & in consilijs honestas, & rarò iudicialem inueneris caussam, in cuius non parte aliqua, eorum quid supra diximus, reperiatur.

Profert sententiã suam apertè, & cõcludit.

MOSELLANI.

ARistotelem secuti] in Rhetoricis ad Alexandrum. Concionalem] δημηγορικόν, hoc est genus caussarum quod in concionibus deliberantium uersatur, quãquam idem Aristoteles Rhetoric. 1. ad Theodecten capite. 3. ex trium eruditorum generibus ἐκκλησιαστοῦ, hoc est concionalis, δικαστοῦ, id est iudicis, & θεατοῦ, id est spectatoris, tria genera Rhetorices quoq; statuit, Deliberatiuum, Demonstratiuum, & Iudiciale, nihil planè in uerbis dissidens. Quam diuisionem ex Platonis Gorgia ingratus discipulus furatus est, ubi Gorgias sic ad Socratem: Officium Rhetorices est, posse persuadere & in iudicio Iudices, & in consilio Consultores, & in concione concionales auditores. Tum] Aristotelis seculo. Apud Græcos quosdam] Atq; adeò apud Platonem ipsum, qui in Gorgia, postquam tria hæc genera uulgata expressisset, adiecit etiam officiũ esse Oratoris, in alio quouis cœtu cuilibet dicendo persuadere posse. Maximo nostrorum temporum] Intelligo hunc Plinium maiorem, qui (ut inquit Gell.) suæ ætatis tempore, ingenii dignitatisque gratia summam tenuit authoritatem: quique, ut iunior Plinius meminit in quadam epistola, reliquit 36 libros studiosorum in sex uolumina propter amplitudinem diuisos, in his Oratorem ab incunabulis & instituit & perfecit. Genera] Caussarum. Querimur] De iniurijs illatis. Consolamur] Amicos. Mitigamus] Lenimus concitatũ animum. Concitamus] In iram scilicet. Præcipimus] Docemus. Obiurgamus] Amice. Maledicimus] Contumeliose. Renunciamus] literis, id est abstinemus nos à literis, desistimus à disciplinis. Quo] Argumento. Rem tam late fusam] Caussas forenses, & alias. Breuiter] Breui diuisione. Hoc] Hãc caussam. In his] Tribus generibus. Laudes] Encomia clarorum uirorum. Scribebantur] Eo seculo. ἐπιταφίους] Orationes funebres, sic Arist. Rhet. 1. Periclem summum Græcorum principem introducit ἐπιταφίῳ dicentem. Et apud Mausoleũ.

Contra me ... & alio... genera esse dictatas tria unde Arist. lib. 3. rhe. 1. cap. 1.

In Sologo dicunt.

id est Mausoli regis Cariæ sepulcrum, epitaphiis dicendis certarunt nobilissimi Rhetores, Theodectes, Theopompus, ac iunior Isocrates. Nam quòd Gellius maiorem quoque suspicetur in certamen descendisse, error est ex amphibolia ortus, ut liquere potest Suidam legenti diligenter ἐπί, ad uel iuxta, præpositio, & τάφος sepulchrum, à τάφω quod sepelio sonat, τάψω, in futuro. Vt] scilicet hae caussa. Frequentissima] Plurimum in usum uenientia. Defendunt] Hanc partitionem triplicē caussarum. Tria faciunt] Etiam, ut Aristo. in 1. Rheto. cap. 3. & Plato. Delectationem] Quam scilicet Aristoteles theatricam, id est spectatoriam uocat. Ratio] Caussa triplicis partitionis. Manifestum] Iudiciale. Partim] Aliqua. Sententiæ] Arbitrio. Aliorum] Iudicum. Lite] Controuersia. Anaximenes] Rhetor Græcus, patria Lampsacenus, discipulus fuit Diogenis cui cognomentum canis, & Zoili Grammatici, eius qui Homeri poemata ueneniato infecit ueru: postea Alexandri principis Macedonum præceptor in rhetorica extitit, de quo plura alia Suidas in Collectaneis. Species] Harum partium. ἐξεταστικὸν] Exquisitiuum. Protagoram] Sophistam nobilem. Precandi] Rogandi. Quod] Precari. εὐχωλὴν] Precationem. Sophista] In Dialogo Sophistes, uel de Ente. προσομιλητικὸν] Confabulatoriam, à πρὸς præpositione, quæ hoc loco coniunctionem & societatem significat, & ὁμιλεῖν, quod in circulis differere sonat. Permittamus] Indulgeamus. Nobis] latinis. Cuius] Partis προσομιλητικῆς Genere] Caussarum. Dictare] Ingerere, præscribere, instillare homini cordato. Dixi] In principio huius capitis. ἐγκωμιαστικὸν] ἐγκώμιον authore Ammonio de differentiis dictionum, propriè laudationem hominis, aut animalis, aut etiam rei inanimatæ significat. Sic extat ἐγκώμιον Helenes à Gorgia scriptum. Sed & ἐγκώμιον caluitij lusum à Synesio. Postremò & muscam encomio celebrauit Lucianus. Porrò hymnus laudem in aliquem deum compositam significat. ἐπιδεικτικὸν] Demonstratiuum, siue ostentatiuum. Quàm ostentationis] Quanquam enim δείξω in futuro, monstro significat, ἐπιδείκνυ tamen propriè ostentare & uelut iactare significat, quam etymologiam probasse uidentur qui res ridiculas & nugacissimas nugas ad ingenii ostentationem laudibus extulerant, uelut Phauorinus quartanam febrem celebrauit, atque etiā Thersitem, Picus Mirandula Barbariem, Glanco iniustitiā apud Platonem. Intra hoc] Spatium laudandi & uituperandi. .. Panegyricos] Sermones laudatorios. ἐπιδεικτικὸν] Ostentatorios. Ostentatione] Ingenii atque uirium. Id] Hanc caussam. Sequuntur] Scriptores. Cæteræ species] Caussarum siquæ sunt. Ea his] Speciebus cæteris. Intendere] Aliquid imputare. Communia] Omnium scilicet caussarū. Conciliare] Fauorem parare. Docere] Rem factam, aut non factam. Minuere] Quæ contra nos sunt. Audientiū] Iudicum. Materiam] caussas. Quæstione] Inquisitione. Omnia] Genera caussarum. Consiliis] Dandis. Quid] Id est aliquid, utile scilicet, aut honestum.

ANTONII PINI.

CVm superiori capite ad extremum docuisset quomodo dici optime genera ciuilium quæstionum possent, nunc eorum constituere numerum nititur, ne uagus, & nullo conclusus limite, in immensum uideatur posse diffundi. Proinde sumit initium ab explicatione quæstionis. Sed tria, inquit, an plura sint, ambigitur. quasi post nominis distinctionem sola numeri restaret contentio. At certè ambigi non potest, nisi utrinque aut argumenta stent, aut illustrium authorum testimonia. Nec dubium est quin quotquot apud antiquos authoritate in scribendo ualuerunt, in sententia fuerint Aristotelis, qui tria facit genera, ἐγκωμιαστικὸν, συμβουλευτικὸν, (alter δημηγορικὸν) δικανικὸν, ubi secundam partem nunc à consilio dando συμβουλευτικὸν, nunc ab aduocanda habendaque concione δημηγορικὸν appellat. Verùm non omnibus ita persuasum est, nam & tum, tempore Aristotelis, leuioris notæ authores, nunc in plura diffundebāt, nunc in pauciora cogebant. Qui sint hi, paulo inferius enumerat, unde dicere non occupabo. & apud Ciceronem secundo de Oratore genus hoc numero excerpitur, quòd facilius sit, & ut adnatum alias frequenter, sic per se rarum, nisi in funebribus orationibus, aut certè si admittimus hoc esse genus tertium, pari iure infinita quoque genera cogemur adscribere, & certè per hæc res leuiter tractata est, & leui quadam tanquam uelitum pugna transacta. Tempore uerò Fabii loco mota est prior illa Aristotelis opinio, & quasi impulsa gradum referre coacta est, ob duos maximè authoritatem, per quem creditur Plinium intellexisse: qui, ut diximus, sex libros studiosorum scripsit, in quibus oratorem informabat. Porro illa constitutione hoc est actum, ut non excurrat modò ad plura numerus, uerùm etiam in infinitū euadat. Additur rationis aculeus. Etenim si tertia pars laude infamiaque constat, cur excluduntur cætera usus maioris, nec minoris operæ? aut si includi putas, in quo tandem genere uerfari nos dices si querimur de iniuria, consolamur in aduersa fortuna, iratos mitigamus, sedatos concitamus, terremus, dehortamur, confirmamus exhortando, præcipimus παραινετικῶς, coarctamus obscuriores sensus, narramus nonciando, deprecamur pro alio, gratias agimus uerbis honorificis ob acceptum beneficium gratulamur ob felicem successum, obiurgamus ἐπιτιμητικῶς, increpamus, maledicimus, ut in orationib. inuectiuis, describimus rerum locorumque faciem subijciendo oculis, mandamus dando negociū ut nostro nomine curetur aliquid, renunciamus aduersa, & quæ nollet alter accidisse, optamus per εὐχὴν, opinamur cū rogati quid sentiamus exponimus? quæ omnia non minora uidentur officio laudandi, & uituperandi, & cum nullo genere uideantur posse contineri, noua erunt genera. Nec tamen ignoto quid dicat Victorinus, genera hæc ciuilium esse quæstionum, illa omnia in priuatis magis officiis exerceri inter amicos per literas, quàm in usu Reipub. eoque stultum esse illa uel reuocare ad hæc genera, uel noua seorsum ponere. Non desunt autē nostræ ætatis plurimi, qui libris editis illa & plura horum generum ambitu coarctarint, quamquam re nec ullum mihi uideatur operæprecium fecisse, nec uerò fidei omnino ueritatis satisfecisse. Demus aliqua, etiamne omnia constipabis his generibus, & uel inuita retrudes? Esse enim quædam certum est, quæ in hunc ordinem non possunt uenire. Nec omnino mihi uidetur transuersus agi, qui cum hac esset partitione usus, demonstratiuum quod fecerat tertium, in ἐπιδεικτικὸν secuit, quasi genus ipsum quod partiebatur, huic membro posset adaptari. Primo uim nominis & diffi cultatem exprimit Fabius, cum ait sibi manenti in illa uetere opinione quæ tria tantum esse uoluit, petendam esse ueniā cur in ea sententia fuerit hactenus, aut certe quærendam rationem probabilem, qua uiros magnos impulerit ut materiam oratoris tam latè patentem in trium generum repulerint angustias. Ec ne illustres aliquot authores tantæ inscitiæ reus peragant, prætextum errori uiquirunt, ut eorum quos reprehendunt, ea laude nihil uideantur decerpere. Ergo ita excusant descripta esse tria genera; nō in totum, sed quòd in his tribus oratoria facultas tū maximè spectaretur. Subnectit deinde horum generum frequentissima ex arte argumenta, tunc enim locos tractabant communes de uitiorum uituperio, laudeque uirtutum, funebres dicebant orationes, ut ad Mausoli sepulcrum. In his et exornatio, & plurimum temporis collocabant in dandis consiliis, ubi regnabat suasio, & alius scribebantur orationes, quibus in iudicio uterentur. Vnde se errorem molliunt, quasi non hæc tria sola affirmarint, sed in frequentissima in seriem reduxerint præceptorum. Hactenus oppugnauit eam opinionem, quæ tribus caussarum generibus uniuersam materiam conclusit, nunc quibus ea confirmari possit argumentis, edocet, quæ ualetiora sunt. Sic enim par fuit, ut eam corroboraret opinionem, quam uideatur pauloante labefactasse. Ergo bifariā confirmat, & aliens argumentis, & suis. Qui defendunt tria esse genera ea Aristotele, eius quoque uinnitur partitione, qui auditores diffperit in ἀκροατὴν & κριτὴν, eumque duplicem, βουλευτὴν, & δικαστὴν, siue, ut Cicero interpretatur, in auscultatorem, & disceptatorem, eumque in senatorem, & iudicem. Vnde emanat hoc epicherema. Totidem sunt genera caussarum, quot genera auditorum, at tria sunt genera auditorū, unū quod solā quærit delectationē, ut in exoratione auscultator. Alterū, ut senator uel populus, quod consilium accipit. Tertiū, quod exercet iudicia, & iudex dicitur. Rogauerit fortasse, primum unde fiat ut auditorū numero numerus caussarū respondeat, deinde cur ad solā delectationē conuenire dixerit auditores in genere laudatiuo, tum, rectè ne colligantne tria esse, eo magnum fecit authoritatem consensus utentium scriptorum. Ordine accipies quæ rogas. Principio, ex eo cōmode alterū respondet alteri, quòd genera caussarum ciuilia sunt, & in Repub. exercentur, ubi distincta loca sunt, distincta & auditorū genera, ita ut legibus ciuitatis nequeāt confundi, sic ne uel senatus iudicet, uel deliberet iudex. Vnde fit ut quoruplex sit constituta in urbibus diuersitas audientium, totidem sint genera diuersa orationum quæ habentur apud illos. Alterum percō. taris, solāmne uoluptatem consectetur auditur. Cicero certe cum loquitur de fine motus, ad uoluptatem refert hoc genus. Primo intelligimus uoluptatem animi delectationem ex iudicata uirtute orationis, ut eum aliquis agentem audit oratorem, suauitate orationis demulceatur, hæc est uoluptas ad quam conueniebant spectatores. Quod ut rectius noris, statue duplex genus de-

nus demonstratiuum, ἐπιδεικτικὸν, & insertum negotiis. de hoc Aristoteles non loquitur, nec intelligendum est in hac diuisione. De priore nemo addubitat quin in his orationibus quibus suam ostendebant eloquentiam oratores, sola petatur audiendi beneco̅posita uoluptas. Quæris postremò, rectène colligantur. quod facilè intelliges si priora non transcurreris ociose legendo Non contentus priorum ratione, suam apponit, quam commendat à diligentia, quòd omnia rimatus studiose, in talem rationem inciderit, quæ partim à loco nascatur, partim à tempore. Omne, inquit, oratoris officium aut est in iudiciis, aut extra iudicia. Si in iudiciis, manifestum est esse genus iudiciale præcedebant quidem iudicium laudationes reorum sublatæ lege Pompeia. sed in iudiciis non penitus inhærebant, & quæ iudicio non cernuntur, duplex habent tempus. Si præteritum, erit genus demonstratiuum, quo elapsa laudamus aut uituperamus si futurum, deliberatiuum erit. Omnis enim consultatio de agendo suscipitur, quod est futurum. Quæ quidem Fabii collectio facilis hit potest uideri qui non rimantur omnia, & plausibilia captantes, spinosis abstinent. Non committam ut dissimulem, mouebo scopulum, quem si mihi non dabitur, doctiores impellant. Atque retrolegam singula, futurum tempus dat consultationi. Nonne iudicia quædam, ut diuinationes, de futuro sunt, in quibus statum negotiatim, ut in suasoriis, ponit Asconius? An non futura omnia uult uideri suasoriæ esse partis, sed ea demum, quæ sunt extra iudicia, an potius unumquodque per se uoluit æstimari? Diuinationes enim ut non fiunt nisi iudicii constituendi gratia, ita & futurum habent, sed præcurrens ad præteritum, quod est iudicii proprium. Iam uerò & quædam sunt deliberationes de præteritis, non faciendis, sed qualia sint. at consultationes uere non sunt quæstiones potius, quę etsi ueniant in cognitionem partium iudicialium speciem magis habent. Maius opus moueo. Aristoteles generis demonstratiui κυριώτατον putat τὸ παρὸν. Quid ergo Fabium impulit ut præteritum daret tempus exornationi, quod iudiciali uerius conuenit? Ego ut conciliare hos authores uellem maximè, ita de utroque iudicandi maius est onus quàm meæ uires ferre possint Fortasse uidit Aristoteles laudari hominem à uirtutibus quas habeat, & ideo præsens tempus huic generi dedit. Fabius uerò uirtutum comitatum ex factis colligi, quæ si laudata fuerint, laudis faciunt præsenti personæ accessionem. Ita alter ea quæ colligimus, alter ea per quæ colligimus, uidetur respexisse. Aut certe de laude factorum loquitur Fabius de laude personarum Aristoteles, quæ ut in præsens mihi occurrerunt, ita facile assentior siquis maiore præditus ingenio limatiora cogitarit. Nisi dicas ab Aristotele dici κυριώτατον, non μόνον, quæ subtilitas in tam graui dubitatione mihi non multum placet Tuetur hanc opinionem alio argumento ex rerum partitione Eius hæc summa est comprehensio Omnia de quibus agit orator, aut sunt certa aut dubia. Certa ut quisque uult pro arbitrio uel laudat, uel infamat. Dubia uel ad eligendum nobis permittuntur, uel ex aliena pendet potestate. Priora gignunt deliberationem, posteriora iudicium, qua in re potes te non nihil torquere. Nam si demonstratiuũ species est quæstionis, omnis uero dubia quæstio, cur in hoc genere certa erunt? Adde quod si certa sunt omnia, quomodo Fabius nunc co̅firmationem ueram requirere hoc genus ait, nunc probationis specie̅. Postremò quod in ore uersant pueri, qui esse poterit status, si certa sunt omnia? Expediã breuiter singula, & pro mea facultate diluã, ut pueris intelligendi muniã uiam. Doctis n. hæc erunt fortasse peruia Meminerimus in primis loqui Fabium de ea laude quæ non est inserta negotijs ea sine dubio capit certa, de quibus ne per somniũ quidem dubitat quispiam. Certa uocantur, quæ tu̅c nemo ex aduerso negat, sed audire paratus discere uult, & dicente̅ cum uoluptate sequitur prona fide. Quod obiiciebam quæstione̅ dici, uerum, sed quæstio oratoribus non significat id de quo in præsens dubitatur significat subiectã ad dicendum materiã, cui non repugnat in accipitem uerti controuersiam. Iam quod ueram probationem requiri ait Fabius, uerum istuc in laude adhibita negotiis, de qua hic non agitur. ostentatoria speciem tantùm habet, & ut uulgus ait, apparentiam, quæ non prohibet aut certa esse, aut pro certis poni, ut utar uerbis Ciceronis. Audio tamen à præceptoribus quibusdam arcte defendi poni pro dubiis quod si intelligerent, desinerent ea constanter asseuerare, quæ per incuriam non capiunt. Superest tertius nodus, quo id agitur, ut si certa sint, nullus uideatur esse posse status. Sed quemadmodum dixi esse quæstionem, ita accipiendum est statum esse, cui non repugnat nullam præcessisse intentionem, in qua diluenda depulsio resisteret. Reliqua si quem excitent, scrupulum, leuior erit is, quàm ut sit opus eximere occurrendo. Anaximenes, non ille Milesius Euristrati filius philosophus, sed alter rhetor Lampsacenus, præceptor Alexandri, qui ueniam suis ab inuito Alexandro impetrauit. Cum enim studuissent Persis, minatus est illis acerbissima quæque Alexander. ad quem cum ueniæ & gratia missus esset supplex Anaximenes, sanctissimum subiurandum iurauit, se contraria facturum ac esset oraturus Anaximenes. tum ille, Oro te, inquit, rex, ut ciuitatem funditus euertas, in seruitutem omnes redigas, igni ferroque deleas omnia. Hic Alexander extemporalem miratus solertiam, egit contraria, parcendo, eosque supplices in fidem recipiendo. Hic igitur in duas partes oratoris diuersit officium, iudicialem, & concionalem. his duabus septem species subiecit, hortari, dehortari, laudare, uituperare, accusare, defendere, exquirere, ut fiebat Athenis in reposcenda ratione uitæ, uel cum magistratibus essent defuncti, uel cum in Areopagum iudicium sanctissimum adscribi contenderent. Exquisitiuum genus ἐξεταστικὸν uocant. Iudicat de his Fabius, & eas species in sua genera reuocat. Primæ illæ duæ deliberationem habent, aliæ, laus nempe & uituperatio, demonstratiui sunt generis, tres ultimæ, accusatio defensio & inquisitio, eo quo exposui modo ad iudiciale genus pertinent. Protagoræ inserit opinionem, qui à Democrito propter ingenii acrimoniam eruditus ad magnum nomen peruenit. Artemonis fuit filius, uel ut ait Apollodorus. Menandri. Diuisit in quatuor omnem orationem, qua in re Laertii utar uerbis, διεῖλέ τε τὸν λόγον πρῶτος εἰς τέτταρα, εὐχωλὴν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν. quę latinæ Fabius exiulit omnia. Sunt tamen plerique qui septem dicant fecisse species, præter quatuor addẽdu κλῆσιν, ἀπαγγελίαν, διήγησιν, uocationem, denunciationem, expositionem, quæ quo sensu dixerit, facile est perspicere. Dicebat enim in quadruplici proprietate omnem oratoris sermonem uersari, ut & Alcidamas τέτταρας εἶναι τοὺς λόγους, φάσιν, ἀπόφασιν, κλῆσιν, ἀπαγόρευσιν. Plato in Sophista, iudiciali, & concionali, quam deliberatiuam dicimus, adiecit προσομιλητικὴν, ab hominum conuersatione. & priuata sermocinatione, unde sermocinatrix, quod in dialogis familiaribusque colloquiis dominatur, uocari potest, & quod sit istud genus, explicat, cum ait disiungi à forensi, hoc est publica ciuilique consuetudine, quàm alii tantum oratori attribuerunt, & in domestica priuataque sermocinatione collocati. Platonis uerba sunt, quòd in hac facultate sophistam dominari putat, & sibi ex uenditatione doctrinæ quæstum facere. τὸ μὲν προσομιλῶν διὰ χάριτος, καὶ παντάπασι δι' ἡδονῆς τὸ δέλεαρ πεποιημένον, καὶ τὸν μισθὸν πραττόμενον τροφὴν ἑαυτῷ μόνον, &c. Idem τὰς προσομιλίας. paulopost ἰδίας συνουσίας. Aristoteles primo τῶν τοπικῶν τὰς ἐντεύξεις appellat, his uerbis, πρὸς τὰς ἐντεύξεις διότι τὰς τῶν πολλῶν κατηριθμημένοι δόξας οὐκ ἐκ τῶν ἀλλοτρίων, ἀλλ' ἐκ τῶν οἰκείων δογμάτων ὁμιλήσομεν πρὸς αὐτοὺς μεταβιβάζοντες ὅτι μὴ καλῶς φαίνονται λέγειν ἡμῖν. Hactenus Aristoteles. Cæterum ut προσδιαλέγεσθαι est cum alio disserere, ita προσομιλεῖν, cum alio sermones serere. Cuius uis inquit, eadem est quæ disputatricis facultatis. Nam cum dialectica sit utilis ad gymnasticas altercationes, methodum reliquarum artium, & ad colloquia literata & erudita est utilissima. quamobrem ut dialectica latius patet, ita quatenus familiares collocutiones tanquam Ariadnes filum regit, eandem cum sermocinatrice uim habet, nisi quod plus argumentorum inserit dialectica, plus sensus communis naturalisque prudentiæ sermocinatrix. Isocrates in ea arte cuius supra meminit, laudem uituperiumque per omnia genera putabat diffundi. nam qui suadet, laude utitur eius ad quod impellit, & qui defendit, reum exornat, commendatque. Vituperio contrà utuntur dissuasor & accusator. Concludit tandem Fabius suam his de rebus sententiam, quam denuo & authoritate firmat, & argumento. Tutissimum est contra omnem inuidiæ calumniam sequi illustres duces, quos sequi honestus error est. & ratio consentire uidetur huic opinioni, quæ in tres partes omne ciuile præsertim oratoris officium describit. Numero igitur constituto, ad singulorum definitionem accedit, & quo singula nomine donata sint, incidat. Orditur autem à demonstratiuo, quod cur princeps sit, & ordine præeat, explicabo tum, cum huius generis præcepta enarrabo. Hoc genere & laudamus, & uituperamus. Sed quia etiamsi malos uituperare honestum est, conuenientius tamen est humanitati in laude quàm in conuitiis etiam iustis exerceri, ideo à parte meliore laudatiuum est appellatum. hoc alii demonstratiuum genus uocant. Vtriusque appellationis originem ad græca uocabula reuocat. Græci enim & ἐγκωμιαστικὸν dicunt, ut latini laudatiuum, & ἐπιδεικτικὸν, quod sonat demonstratiuum. quanquam nonnihil uidetur subesse in græco, quod latina appellatio non reddat. ἐπιδείκνυσθαι etenim ostentare significat magis quàm demonstrare, & multum significatu interest, ἐγκωμιαστικὸν

ne dicas,

ne dicas, quod in laude consumitur, an ἐπιδεικτικὸν quasi ad ingenii ostentationem comparatum. Nec dubium quin laudatiuum ostentatorium dici possit, sed comprehenditur ut particula quædam. pleraq; enim argumēta ἐπιδεικτικὸν habēt genus, quæ laudatiui generis nō sunt. id quod probat latius fundi τὸ ἐπιδεικτικὸν quàm ἐγκωμιαστικὸν, nimirū quòd panegyrici, id est in conuentu magno & solēnitatis alicuius celebratione habitæ orationes, ad ostentationem eloquentiæ adhibebātur, nec tamē laudatorij sunt generis, immo suasionis habent formam, quia de utilitatibus communis libertatis totiusque Græciæ sæpe agunt. Vnde quia ostentatiuum hoc genus in alia spargi genera potest non tantum demonstratiuum, tria genera sic diuidenda sunt, ut aliquando propter negotij præsentis usum tractentur, aliquando propter solam dicendi laudem. Sed quia nullibi liberius dominatur, suasq; in aciem copias magnificentius educit eloquentia, quàm in genere exornatorio, omnis prope ostentatiui cullata est in hoc genus, & ac si illi peculiariter conueniret, ἐπιδεικτικὸν appellatum. Ac fieri quidem potest, ut demonstratiuum nō sit τοῦ ἐπιδεικτικοῦ interpretatio, sed latinum merè nomen, ideo impositum, quia hoc genere is qui laudatur, pingitur & informatur, qualisque sit demonstratur eloquendo. Aliud genus deliberatiuum uocatur, quod res libra rationis expendat, & ad examen ponderet. Tertium iudiciale. Sufficere tria ex eo denuo ostenditur, quòd quæ possunt ciuili quæstione comprehendi, his tribus includuntur omnia, quando aut laudis uituperijque tractantur locis, aut suasionis speciem recipiunt, aut intendere uidentur ac depellere, hoc est iudicialia generis locos tractatumq; admiscere. Sunt in agendo quædam, quæ quia usu sunt omnium nulli sunt quasi mancipiō addicta, ut conciliare animos, docere narrando, augere & minuere, animos audientium tales reddere, quales esse nostræ caussæ expedit, affectus aut excitando si frigeant, aut restinguendo si ardeant. Porrò quia his tribus generibus tres ab aliis præscripti sunt fines: libere sententiam suam ponit: quæ quam sit uera, ubi intellexerit lector iudicabit. Negat se his assentiri, qui generis laudatiui finem faciunt honestatem, deliberatiui utilitatem, iudicialis æquitatem. Vtuntur, inquit, distributione tereti ac rotunda, quia nequid excurrat desitve, quasi in circulo, qui ex se totus est aptus, tribus ex parti tres fines dederunt, non tamen uere, ac si ducti magis sine quadrante summa, quàm rei ueritate compulsi. nam mutuo se iuuant omnia: nec in uno genere ita dominatur unum, quin subsidiu accurrant cætera. Quid? inquit, an non in laudando & utilitatis & æquitatis habemus rationem, non tantum honestatis? In suadendo magnum est quoque honestatis momentum. Adde quòd genus iudiciale in laudem honestorum excurrit, & utilitatis comparatione sæpe uititur. Ex his effici Fabius putat, stare hæc tria auxiliis mutuis, & in unum genus cadere posse omnia. quā rem nitar aperire paucis. Duplex finium habetur ratio in his generibus. Alij enim fines sunt motuum, & ad collocationem faciunt alij fines generum ipsorum, ex quibus & præcipuæ ducuntur quæstiones, & loci proprij generum deducuntur. Prioris generis fines dicimus, cum demonstratiuo uoluptatē, consultationi spem metumque, iudicio seueritatem & clementiam: posterioris, cum tribuimus laudanti honestum, suadenti utile, apud iudices agenti æquum. quæ si fines dixeris hoc intellectu, quòd huc referantur, & hinc quodammodo nascantur argumenta omnia, quam obsecro fraudem admiseris? Nec enim ambigi potest, quin is qui exornare uult, honesti utatur partibus, & qui suadet, honesta quidem certè admisceat, sed ut utilitati sint coniuncta, quæ duo in alia pro ingeniis parietur audientium. Deniq; qui se forensi genere exercet, ad æquitatem sua confert omnia. quemcunque locum capiat, quocunque gradu resistat: etiamsi æquitate factum non defendit, æquitate tamen iudicis uult uti. Agendum ut demus honestatis partem esse æquitatem, aliter in iudiciis & in laudibus uersatur. hic ut laudis habet segetem, illic ut damnandi absoluendique est arbitra. Nec uerò si ista incidunt in genera, ideo fines esse non debent, cum finis dominetur quidem ipse, non tamen excludat reliquorum subsidia. Adde quòd si se iuuant fines hi, ex eo est, quia nullum ferè est tam merum genus quod alterius consortio careat. Nam ut de cæteris taceam, demonstrandi uis, id quod tradidit Isocrates, per omnia diffundi potest. Nil igitur prohibet, non rotundam modò, sed & ueram esse distributionem, quam & Aristoteles ante Ciceronem confirmauit his uerbis. Τέλος δὲ ἑκάστοις τούτων ἕτερόν ἐστι, καὶ τρισὶν οὖσι τρία, τῷ μὲν συμβουλεύοντι τὸ συμφέρον, καὶ βλαβερόν. ὁ μὲν γὰρ προτρέπων, ὡς βέλτιον συμβουλεύει. ὁ δὲ ἀποτρέπων ὡς χεῖρον ἀποτρέπει. τὰ δ᾽ ἄλλα πρὸς τοῦτο συμπαραλαμβάνει ἢ δίκαιον, ἢ ἄδικον, ἢ καλὸν, ἢ αἰσχρόν. τοῖς δὲ δικαζομένοις τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον. τοῖς δ᾽ ἐπαινοῦσι τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρόν.

ARGVMENTVM.

Qui locutus est de tribus generibus, & sequitur tractatio de statibus: orationis officia, & quæstionum diuersitatem explicat, & præcedentes caussas ex quibus nascuntur repetit. Omnem enim orationē rebus & uerbis constare tradita. Facultatem orandi, natura, arte (cui subijcitur imitatio) & exercitatione consummari. Tria esse quæ præstet Orator, ut doceat, delectet, moueat, quæ non semper in omnem orationem cadant. Alia esse quæ probationem desiderent, alia quæ non desiderent: contra Celsum, qui oratorem solum de incertis dicere noluit. Alias quæstiones esse in scripto, de iure: alias de non scripto, in re. Et omnes esse aut finitas, certis personis, locis, & temporibus inclusas, quæ hypotheses dicantur: aut separatas ab omnibus circunstantijs, quæ theses uocentur, ad quas disputando hypotheses reducantur. Et quasdā esse quæstiones inter theses & hypotheses medias, thesesque non minus ad Oratorem pertinere, quàm hypotheses: atque illas à Cicerone scientia & actione distingui. Prius, trium generum esse, an sit, quid sit, quale sit, sequens, duorum: quomodo adipiscamur, quomodo utamur: eosdēq; status in theses cadere, qui in hypotheses. Et alias esse in rebus ipsis, alias ad aliud referri. Postremo hypotheseos refert multa nomina, & uarias secundū diuersos finitiones.

Quibus contineatur omnis ratio dicendi. Cap. V.

OMNIS autem oratio constat aut ex his quæ significantur, aut ex his quæ significant, id est, rebus, & uerbis. Facultas orandi consummatur natura, arte, exercitatione: cui quartā partem adijciunt quidam imitationis, quam nos arti subijcimus. Tria sunt item quæ præstare debet Orator, ut doceat, moueat, delectet. Hæc enim clarior diuisio, quàm eorum qui totum opus in res & in affectus partiuntur. Non semper autem omnia in eam quæ tractabitur materiam cadent. Erunt enim quædam remotæ ab affectibus: qui ut non ubique habent locum, ita quocunque irruperint, plurimum ualent. Præstantissimis authoribus placet, alia in Rhetorica esse quæ probationem desiderent, alia quæ non desiderent: cum quibus ipse consentio. Quidam uerò, ut Celsus, de nulla re dicturum oratorem, nisi de qua quæratur, existimant: cui cum maxima pars scriptorum repugnat, tum etiam ipsa partitio: nisi forte laudare quæ constet esse honesta, & uituperare quæ ex confesso sint turpia, non est Oratoris officium. Illud iam omnes fatentur, esse quæstiones aut in scripto, aut in non scripto. In scripto sunt de iure, in non scripto de re. Illud legale, hoc rationale genus. Hermagoras atque eum secuti uocant νομικὸν, & λογικόν. Idem sentiunt qui omnem quæstionem ponunt in rebus, & in uerbis.

Cic. in loco.

Imitatio arti subiecta.

Orator dicit etiā de re certa, contra Celsum.

Item cōueniunt quæstiones esse aut infinitas, aut finitas. Infinitæ sunt, quæ remotis personis & temporibus & locis cæterisque similibus, in utranque partem tractantur: quod Græci θέσιν dicunt. Cicero propositum, alij quæstiones uniuersales ciuiles, alij quæstiones philosopho conuenientes, Athenæus partē caussæ appellat. Hoc genus Cicero scientia & actione distinguit: ut sit scientiæ, an prouidentia mundus regatur: actionis, an accedendum ad Remp. administrandam. Prius, trium generum, an sit, quid sit, quale sit. omnia enim hæc ignorari possunt. Sequens, duorum, quomodo adipiscamur, quomodo utamur. Finitæ autem sunt ex complexu rerum, personarum, temporum, cæterorumque hæ ὑποθέσεις à Græcis dicuntur, caussæ à nostris. In his omnis quæstio uidetur circa res personasq; consistere. Amplior est semper infinita. inde enim finita descendit. Quod ut exemplo pateat, infinita est, An uxor ducenda: finita, an Catoni ducenda: ideoque esse suasoria potest. Sed etiam remotæ à personis proprijs, ad aliquid referri solent. Est enim simplex, an Respublica administranda: refertur ad aliquid, an in tyrannide administranda. Sed hic quoque subest uelut latens persona. tyrannus enim geminat quæstionem, subestque & temporis & qualitatis tacita uis: nondum tamen hoc propriè dixeris caussam. Hæ autem quas infinitas uoco, & generales appellantur. quod si est uerum,

Thesis, & uaria eius nomina. In Topic.

Hypotheses semper, ad theses referendae.

uerum, finitae speciales erunt. In omni autem speciali utique inest generalis, ut quae sit prior. Ac nescio an in caussis quoque quicquid in quaestionem uenit qualitatis, generale sit. Milo Clodium occidit: iure occidit, insidiatorem. nonne hoc quaeritur, an sit ius insidiatorē occidendi? Quid in coniecturis? non illa generalia, an caussa sceleris odium? cupiditas? an tormentis credendum? testibus, an argumentis maior fides habenda? Nam finitione quidem comprehendi nihil non in uniuersum certum erit. Quidam putant etiam eas posse theseis aliquando nominari, quae personis caussisque contineantur, aliter tantummodo positas: ut caussa sit, cum Orestes accusatur: Thesis, an Orestes rectè sit absolutus: cuius generis est, an Cato rectè Martiam Hortensio tradiderit. Hi thesin à caussa sic distinguunt, ut illa sit spectatiue partis, haec actiuae. Illic enim ueritatis tantum gratia disputari. hic negocium agi.

Theses etiā ad Oratorē pertinent.

Quanquam inutiles quidam Oratori putant uniuersales quaestiones, quia nihil prosit quòd constet ducendam esse uxorem, uel administrandam Rempublicam, siquis uel aetate uel ualetudine impediatur. Sed non omnibus eiusmodi quaestionibus sic occurri potest, ut illis, Sit ne uirtus finis, Regaturne prouidentia mundus. Quinetiam in ijs quae ad personam referuntur, ut non est satis generalem tractasse quaestionem ita perueniri ad speciem nisi illa prius excussa non potest. Nam quo modo an sibi uxor ducenda sit, deliberabit Cato, nisi constiterit uxores esse ducendas? Et quo modo an ducere Martiam debeat quaeretur, nisi Catoni ducenda uxor est? Sunt tamen inscripti nomine Hermagorae libri, qui confirment illam opinionem, siue falsus est titulus, siue alius hic Hermagoras fuit. Nam eiusdem esse quomodo possunt, qui de ac arte mirabiliter multa composuit, cum, sicut ex Ciceronis quoque Rhetorico primo manifestum est, materiam Rhetorices in theseis & caussas diuiserit? Quod reprehendit Cicero: ac thesin nihil ad Oratorem pertinere contendit, totumque hoc genus quaestionis ad philosophos refert. Sed me liberauit * reprehendendi uerecundiam, & quod ipse hos libros improbat, & quòd in Oratore, atque ijs quos de Oratore scripsit libris, & Topicis, praecipit, ut à proprijs personis atque temporibus auocemus controuersiam, quia latius dicere liceat de genere quàm de specie, & quod in uniuerso probatum sit, in parte probatum esse necesse sit. Status autem in hoc omne genus materiae ijdem qui in caussas cadunt. Ad hoc adijcitur, alias esse quaestiones in rebus ipsis, alias quae ad aliud referantur. Illud, an uxor ducenda: hoc, an seni ducenda. Illud, an fortis: hoc, an fortior, & similia. Caussam finit Apollodorus, ut interpretetione Valgij discipuli eius utar, ita, Caussa est negocium omnibus suis partibus spectans ad quaestionem: aut, Caussa est negocium, cuius finis est controuersia. Ipsum deinde negocium sic finit, Negocium est congregatio personarum, locorum, temporum, caussarum, modorum, casuum, factorum, instrumentorum, sermonum, scriptorum, & non scriptorum. Caussam nunc intelligimus ὑπόθεσιν, negocium περίστασιν. Sed ipsam caussam quidam similiter finierunt ut Apollodorus negocium. Isocrates caussam esse ait quaestionem finitam ciuilem, aut rem controuersam in personarū finitarū complexu. Cicero his uerbis, Caussa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negocijs cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorū.

Definitione.

* respondendi.

Lib. 1.

Caussa.

Negocium.

In Topicis.

MOSELLANI.

NAtura] Id est naturalibus ingenii dotibus. Arte] Ratione quadam praeceptionum. Arti subiicimus] Dicimus partem artificij. Doceat] Clara comprobatione auditorem scire faciat. Delectet] Cum gratia & uoluptate audientium dicat. Opus] Rhetoricae. Res] Quas narrandō doceamus, & inspergendo. Quaedam] Materiae, caussae. Probationem] Quae est pars docendi artificialis. Celsus] Cornelius. Quaeritur] Est quaestio, controuersia. Partitio] Diuisio eorum quae praestare debeat Orator. Constet] Certū sit.

Quaestiones] Controuersias Oratori tractandas. Iure] Ambiguo, aut aliter ab aliis interposito, cum uerba ipsa uidentur cum legumlatoris uoluntate pugnare, aut cum uerbum aliquod in lege positum habeat plures significationes, cui negocio discutiendo Cicero Iuriscōsultos praeesse dicit, lib. 1. Rhet. De re.] Facta, aut non facta, iure uel iniuria facta. Illud] Quaestionum genus, quod uersatur in scripto. Rationale] quod scilicet rationibus sit probandum uel improbandum. Idem] Quod nos iam dicimus. Verbis] Legum. Conuenit] Consensus est.

Similibus] appenditiis circunstantijs. Cicero] in Topicis. ferme in fine, ex quibus haec Fabius mutuatus est. Ciuiles] ad statum ciuitatis pertinentes. Philosopho] qui contemptis singularibus in scientiam non cadentibus, authore Aristotele, uniuersalia maximè spectat. Genus] infinitarum quaestionū.

Scientia] cognitione. Actionis] Exemplum] sit Prius] Genus quaestionis infinitae scientia distinctū. Generum] scilicet & modorum. Quid] ad definitionem. Quale] ad iustū pertinet. Sequens] actio quaestionis infinitae. Adipiscamur] Scilicet rem quae proponitur in quaestione. Complexu] Adiunctione. Personarum] quibus res adhibebuntur. Res] De quibus est controuersia. Amplior] Vniuersalior. Quod] Scilicet à me dictum. Inde] Scilicet ut infinita fiant finita. Aliquid] Scilicet certi. Simples] Nullo respiciens. Prima enim quaestio est, an sit administranda Respub. Altera, An tum administranda, cum tyrannus aliquis summae rerum praeest, quo tempore difficillimum est bonum praestare magistratum. Refertur] Haec simplex. Hic] in hac quaestione. Subest] Scilicet uerbis. Tyrannus] Qui sibi, non populo gerit imperium.

Subest] Praeest. Qualitatis] quòd scilicet is qui praeest, sit tyrannus. Dixeris] Eiusmodi quaestionem. Generales] quod in genere & in uniuersum aliquid complectantur. Vtiq;] Maximè. Prior] natura. Qualitatis] utilitatis uel inutilitatis, iustitiae, uel iniustitiae. Iure] quaestio sit. Coniecturis] quas Iurisconsulti prēsumptiones uocant. Coniecturis] in quibus non certis argumentis utimur, sed quasi indiciis, praesumptionibus. Sceleris] Perpetrati. In uniuersum] Generaliter.

Certum] Constabit. Theseis] quas Cicero proposita uocat. Aliter] Alia ratione expressas. Caussa] quaestio.] Orestes] Matricida. Rectè] iure. Generis] Naturae. Haec) Caussa. Illic] in these. Hic in caussa. Negocium] Seculares circunstantias quasdam. Quidam] Scriptores, ut Cicero. Omnibus] Exemplis. Illis] quaestionibus potissimum tractatis à Cicerone. Finis] Felicitas, summum bonum.

Personam] Certam. Perueniri] ab Oratore. Speciem] Specialem quaestionem. Illam] quam ego iam refuto. Hic Hermagoras] Ex Collectaneis Suidae colligitur quidem duos Hermagoras fuisse, priorem philosophum, qui nihilominus περὶ σοφιστείας aduersum Academicos scripserit. Hic titulus an ad Rhetorem referri queat, nondum apud me statui, cum σοφιστείας uocabulum ut plurimum in malam partem apud Graecos accipiatur, pro falsa specie sapientiae. Horum autem quendam nominat celebriorem, cuius sex libros Rhetorices citat. Qui] ille prior scilicet. Materiam] Subiectam. Quod] quam sententiam Hermagorae. Contendit] Nititur probare. Genus] Infinitum. Improbat] in praefatione de Oratore. Vniuerso] Generali. Status] Capita caussarum. Adicitur] A scriptoribus. Illud] quaestio in rebus. Hoc] quaestio ad aliquid. Negotium.] Tractatus. Caussarum] Rationum quibus aliquis motus fuerit. Περίστασιν] Circunstantiam, appendicem e personarum. Cicero his uerbis] in Topicis & Rhetoricis utitur.

ANTONII PINI.

PRincipio huius capitis congerit multa, quae quo pertineāt, non facilè uideris. Itaque scopus quò referantur haec omnia, nobis est inuestigandus, ut & ordinis constet ratio, & nihil in uniuerso tractatu dissitum hiulcumque uideatur. Ergo cum Fabius tria caussarum esse genera docuisset loco superiori, & in his uersetur tota ciuilis eloquentia, nunc eius orationis quae in his tribus generibus uersatur non officia modò consequentia explicat, sed & praecedentes caussas, ex quibus nascitur perficiturque oratio. Deinde quia locuturus est de statu ciuiliū quaestionum, diuersitatem quaestionum partitione explanat, ut status ratio, de qua paulò pòst est acturus, planius commodiusq;

intelligatur

intelligatur. Omnis autẽ, inquit, oratio quæ ex partibus quinq; rhetorices adhibitis ad ciuile genus caussæ efficitur, significantibus uerbis, & significatis rebus constat. Aristoteles in sermone tria esse uoluit, uerba, notiones, res ipsas, ita ut ex re imprimeretur notio, ad efferendam notionem uteremur uocum notis, sed hic non tam morose discernit. Hic tam res quàm notiones per ea quæ significantur intelligit. Circa eadem hæc est uis oratoris, sed oratio est ex his ut ex partibus totum, uis oratoris circa hæc ut circa obiectam materiam uersatur. At uerò oratio, quæ artis opus est, rerum uerborumque complexu fit. sic eloquentia absoluta tribus paratur rebus. Natura, cuius nomine non ingenium modo, sed uires, uocem, latera, gestus, decorem, dotes corporis debes accipere: quam sic definiunt rethores, ut sit insita ad dicendum commoditas. deinde arte, quæ naturæ dona augeat, uitia corrigat, præceptis ingenium moderetur, & uia rationeq; ad eloquendum adiuuet. Hinc Antonius tinctum literis uult suum oratorem, præceptorum non insolentem. Est autem ars, ut breuiter definit Antonius, quæ rebus penitus perspectis, ordineque traditis instruit. Tertius maius fit adiumentum, ex Fabio lib. 2. requires: Nunc id fixum est, tum demum aliquid esse eximiũ, cum ad optimam naturam accessit quædam ratio, tum exercitatio, qua usus præceptorum confirmatur, & audita in scholis continentur. hinc ueteres oratores ludum sibi putabant forum, magistrum populum audiebant, eloquentes dabant se in eorum disciplinam easdem caussas in umbra agebant, quas in acie & sole uidebant disputari discebant ferire, nunc eminus suspiciones torquere, nunc comminus argumentis pedẽ conferre, hæc est exercitatio meditatioque dicendi, quam tot locis inculcat Cicero, quam & secundo & ultimo libro Fabius, quam in dialogo de claris oratoribus Tacitus, quam in epistolis in oes desiderat Plinius quam excidisse conqueritur Seneca. Additur quarta eloquentię caussa imitatio, de qua multa lib. 10. Fabius, nonnulla ad Quintum fratrem Cicero sed alienis scriptis non occupabo locum, nisi eius rei necessitate urgear. studiosus legat, ut ne loquendo ieiunus, ne dicendo sit aridus. Nã ut uites non bene crescunt nisi arboribus applicitæ, ita nisi ad alicuius te componas imitationẽ detrahis frequenter. Summa porrò imitationis in hoc est, ne quid, quem, quantum imitemur, prospiciamus. Etenim ut Zeuxis pictor non ex una puella duxit lineamẽta, sic nec orator ex uno trahere potest omnia, sed ex omnibus sequi optima. Hanc imitationem, quæ non est aliud quàm cupiditas cum æmulatione studiosa similitudinis, arte includit Fabius, nempe quòd tum demũ reddemus aliquem scribendo, cum in eius artem consiliumque nos insinuauerimus. Nec enim potest similis alterius esse, qui uim non intelligit, artem illius non sentit, consilia non assequitur. Hinc fabius arte est complexus imitationem. Hæc ut uideri plana possunt, ita suam, habent difficultatem. Initio uidetur hæc docuisse antea, cum originẽ docebat. sed ibi explicabat quomodo & innata fuisset primo, & aucta, & perfecta: nunc autem quibus ex caussis eloquentiam assequi licebit, quæ etsi re nõ magnopere distant, rationis ui seiungi possunt. Iam hoc diluendum quòd cum diceret artis originem, exercitationem ante artem posuit, nunc artis facit comitem. Istud ita dissolue, exercitationem rudem & imperfectam ante artem cognitam esse, qua loquitur Fabius cap. 2. at uerò absolutam iustamque exercitationem arti subijci: de quà egit Fabius lib. 10. & ult. Postremo addubitaueris cur ab arte secernatur exercitatio, ac non potius imitatio. quod ideo fit, quia exercitatio, artis est consummatio, imitatio, artis uerius pars, eo modo quo dixi, ideoque illi subijcitur. Posset & imitatio exercitatione comprehendi, quod Fabius non omnino negat. Deinde ut sciamus, simulque perfectam adepti eloquentiam, subiungit officia quæ absoluta fiunt oratione. Tria sunt, inquit, quæ præstare debet orator dicendo, ut doceat, quod est fides, moueat affectu, delectet uoluptate, hoc est suauitate, qua ad audiendum incitet. Possem huc cõgerere locos sexcentos ubi eadem Cicero affirmet, sed nullum me facturum puto operæprecium cuius tamen rei ita sunt multi studiosi, ut ad unius uoculæ testimonium authores omnes aduocent, & rei non multum obscurè aliunde lumen uelint arcessere. hoc iam à nobis expeditum est superiore commentario, quomodo hæc tria ab alijs discernerentur. Dispiciamus ergo diligenter qualia sint hæc omnia. Rodolphus Agricola uir magni iudicij præterquam in reprehendendo, unum uult esse oratoris officium, nempe docere, alia duo uocat accessiones. Nec mihi, inquit, quanlibet magni authores persuaserint ista effici oratione, ac non potius sequi. quam rem latius disputat libro 2. eiusdem operis. Illi ergo non persuaserint, at mihi certe persuaserunt. nam ut uerum est orationis in genere acceptæ ui sermo est quidam, hunc esse primum usum, docere, ita orationis ex qua orator sibi nomen facit, docere est minimum: præcipua, quæ illa orationis acrimonia intendit, mouere & delectare. nam si docere uellet, subtili tantum uteretur genere, nunquam uel floridum ad uoluptatem, uel robustum ad motum adhibere orator. Quid si docemus sine his? an non sine recto est fundamentũ? ita ut motus & uoluptatis principium est intelligi, non eo fit quin hæ in ipsa orationis ita scriptæ sint ui & prope dixerim substantia. Cuius rei, si liceret egredi, exempla laudarem plurima. Dices de sermone loqui Rodolphum, quod & ego puto: sed iniquam ansam captauit reprehendendi tantos uiros, qui aliter orationis tria fecerant officia. Apponam quod sentio uidentur hi similes canibus minoribus, qui longius allatrant, quia ui pares esse non possunt. sic isti qui a recta laude infra illos ueteres sunt, obtrectando longius insequuntur. Cætera breuiter accipe. Cicero mouere dicit esse uictoriæ, & uictoria non est penes nos: unde nec motum gignere est officium, sed ad motum apte dicere. Voluptas hic separatur à motu affectuque. Est enim uoluptas approbatio dicentis, quæ uelut condimento elegantiæ ad audiendum impellit. Cicero in partitionibus prætermittit uoluptatem, quòd ex æquo sit fusa per omnes partes, & ibi uellet ex disparibus officijs quatuor partes reperire. Postremò rogaueris, præstatne hæc oratio non prolata? dicam. Hæc tria, ut dixi, sunt signa perfectæ eloquentiæ, cuius summa est, quando in actu est. proinde ex actu sumuntur, in scripto iacent sepulta, quia uim horum habent, dignosci tamẽ non possunt. Et de his hactenus. Clarius autem officia sic sunt diuisa, quam si diceres eloquentiæ munus esse in rebus, hoc est sententijs ad fidem, & affectibus, sententijs ad motum delectationemque comparatis. Dixerat primo tria esse absolutæ eloquentiæ indicia. quod ita uult intelligi, cum res ista tria desiderabit. Non enim desinet esse eloquens, si motum non admisceat, quem offerendo esset ridiculus. Sunt enim quædam caussæ numariæ faciles, in quibus furiosum esset solicite & agere, faces admouere uerborum, & in re leui quasi deum hominumque implorare fidem, affectuum tragœdias excitare: qui ut non ubique habent locum, sic uictoriam à iudice penè extorquent, ubi in eius animum ui facta intrauerunt.


PRAESTANTISSIMIS authoribus placet.] Altera est pars huius capitis, qua diuersitatem quæstionum dicebam explicari antequam de status ratione loqueretur. Initium uerò sumit à diuisione eorum de quibus loquitur orator. Præstantissimis, inquit, authoribus placet, inter ea quæ orator tractat, alia esse certa, alia dubia. illa probatione non indigere, hæc fidem certis accipere. Cui diuisioni, quia uera est, assentiri se ait Fabius. Celsus tamen existimauit non actuum oratorem nisi de dubijs, & probatione egentibus, quia orator non agat nisi de quæstione, omnis uerò quæstio sit dubia. Cuius sententiam refellit bifariam. nam & authores nobiles certa in tractatu oratoris quædam ponunt; & ipsa in tria caussarum genera facta diuisio, rem secus habere arguit. diuisa enim fuit oratoris materia ciuilis in tria genera, quorum unum est in laude & uituperio. atqui indubitatum esse uult, certa laudari & uituperari, atque ita certa, ut ex confesso sint uel honesta, uel turpia. Haud scio tamen quomodo imprudentes multi in Celsi delabuntur errorem. qua de re quid sentirem, superius exposui, unde licebit ut petas.

Subiungit aliam ciuilis materiæ partitionem, quæ omnium scriptorum consensum meruerit. Ea sic habet, Omnis ciuilis quæstio aut ex scripto nascitur, aut nullam de scripto habet controuersiam. Illa de iure litigat. Ius enim continetur scripto, ut legibus, edictis, senatusconsultis, plebiscitis: & ideo quia uerba in controuersiam trahit, quæ sunt scripti iuris, de iure agere propriè dicitur. Altera uero agit de re, hoc est, rei uim, naturam & accidentia ratione colligit, scripto non innixa, ut cuius uerbis non inhæreat. Prius genus legale uocant, quòd præcipuum in iure scripto sit lex: latius tamen disputat quàm de lege, ut exposui. hoc posterius rationale uocat Hermagoras, quòd tantum in eo quisque ualeat, quantum sagaci ratione potest consequi. græca horum uocabula apponit. legale νομικὸν παρὰ τοῦ νόμου, λογικὸν παρὰ τοῦ λόγου rationale appellatur. In idem recidit illa quoque diuisio quæ aliter efficitur, omnem quæstionem aut esse in rebus ratione colligendis, aut in uerbis scripto examinandis, atque ut hæ diuisiones magis conueniũt ciuili quæstioni, ita quæ sequuntur, uim quæstionis in uniuersum dispertiunt. Omnis enim quæstio aut finita dicitur, aut infinita. quam distributionem à modo enunciandi Agricola ductam putat. Dupliciter enim rem dicit efferri, aut simpliciter κατηγορικῶς, aut καθ' ὑπόθεσιν, cum sub ficta conditione sicut in θέσει res enuncietur simpliciter, in ὑποθέσει, conditio ex circunstantiarum complexu nascatur, quod quia non satis uerum, & subtilitate nihilominus concisum, prudens omitto. Grauius Cicero, qui cum uideret in omni disputatione


aut de

aut de re tota quæri, aut de re finita caussis & negotiis, priorem consultationem uel propositum, posterioré uel caussam uel controuersiam dixit. utranq; speciem describit in hunc modum. Infinitæ sunt quæ circunstantijs quibusdam rerum, negociorumq; finibus sublatis, liberam habent in utranque partem disputationem. Quas uerò maximè circunstantias oporteat remoueri, innuit, cum personam, tempora, loca nominatim excipit: nimirum quòd propositum authore Cicerone aut carere debet omnibus, aut certe maximis. Maximas uerò quas uocet Cicero, idem explicat 2. de Oratore, ubi has ipsas tres negotiorum limites adscribit. Nec improbanda tamen est interpretatio recentis scriptoris cuiusdam, qui maximas eas dici putat, quæ singulatiter proferuntur, ut homo sit persona, at Socrates sit maxima circunstantia. Nam etsi Ciceronem sic non intellexisse certum habeo, ita uere id dici posse in quibusdam ingenue fateor. Vera igitur thesis carere debet iis quæ disputationem coarctant, & in exiguũ concludunt. Inter illa maxime adstringunt quæ in gestione sunt negotij, ut persona, loca tempora. Etenim penes hæc tria præcipue uniuersalis disputatio uariatur. Tractantur porrò in utranq; partem, quòd à philosophis de his haberentur scholæ, & credibiliter positæ utrinque agitarentur: unde Θέσεις dicebantur. Huius exercitationis meminerunt Græci, Alexander Philoponus, & alii ex Aristotelis familia: Latini, Cicero, Seneca, & Gellius. Illas quæstiones Cicero proposita uocat in Topicis, quòd disputando soleant proponi. Alii uniuersales quæstiones, quòd de re in uniuersum agant. Particulam, ciuiles, subdititiam puto, & per errorem insertam: unde libens expunxerim, id quod fatebitur studiosus lector. Alij uocant quæstiones philosophicas, quòd hæc disputandi his de rebus consuetudo apud philosophos ualeret, & præsertim ab Aristotele & Platone. Athenæus partem caussæ appellat. ita Cicero dixit in caussa esse propositum, & cõtineri sub controuersia consultationem. Id ut assequaris, adnota duobus modis aliquid sub alio contineri communiter, aut enim continetur aliquid alterius significatione atque ambitu, ut species sub genere continetur. Etenim sub comprehensione uirtutis est iustitia, & animalis, homo. quo intellectu sub proposito caussa continetur. Hæc enim quæstio, an Catoni ducenda sit Martia, huius finibus concluditur, an homini ducenda uxor. Aliter continetur sub alio, quod eius constituendi est pars. ita rursum sub homine continetur animal. In definiendo quippe homine, animal partis uice fungitur. sic propositum, & caussa continetur, & eius est pars. huius enim controuersiæ, an homini senatorio ducenda sit Martia uxor Romæ, hæc thesis, an homini ducenda est uxor, pars est. Crassiuscule exposui, ut etiam modice eruditis facerem satis, quibus præcipue hanc operam nauo. Consultationem Cicero uocauit, puto quod ita quisque de re proposita dicat, ut senatores à relata re à consule dicunt sententiam. Aliam reddunt alij caussam mihi hæc maxime placet. Hactenus de nomine, nunc quotuplex sit pro[...]situm, succincte docet. Diuiditur ergo quæstio infinita in actionis quæstionem, & cognitionis. In qua disputatione ne tenebras offundam, principio exprimam rem breuissime, deinde si qua incidet difficultas, enitar ut facile dissoluam. Ergo quia satis constat, ea de quibus homines disputant aut esse ut sciant tantum, & animum cognitionem rerum alant, aut ut uitam sapientius instituant, rectiusque moderentur, fit ut quæstio omnis aut ad cognitionem instituatur, aut ad actionem id quod cum Cicero intelligeret, hanc est secutus quæstionum partitionem. Temperabo igitur stylum, ut nec longitudine pariam tædium, nec breuitate obscuritatem rebus inducam. Principio rogabis, solisne quæstionibus infinitis hæc uarietas conueniat. Existimant plerique docti etiam caussis aptari posse, hoc secuti, quod quæ generi conueniunt, eadem & in speciem competant. thesis uerò ad hypothesin ut ad speciem genus se habet. ego secus puto, nec alios tamen reprehendo, cum ipse forsitam labi decipique possim. Ducor testimonio Ciceronis & Fabii. hoc, inquit, genus actione scientiaque diuiditur. Addo rationem. quærere enim ad scientiam, est uelle rem cognoscere. Nemò autem aut uult aut potest scientia comprehendere, quæ illis appendiculis sunt inuoluta. Iam quòd oporteat conuenire speciei, quæ generi quadrant, uerum, nisi alterum sit de ratione & proprietate uniuersalis: ut non potest homo de formis dici pluribus, etiam si dicatur animal, nec potest sciri singulare, etiamsi uniuersale quæri cognoscique possit. Hæc in id scripsi, ut non oscitanter legantur, sed cum iudicio diligenterque ponderentur. Vtrinque etenim res est anceps, & quod ego nunc sequor, ita sequor, ut si quis uerius aliud ostendat, non simili grauatè assensurus. Iam & id quæri potest, an & quæstiones quędam sint effectiuæ, ut & artes, quæ quo distent ab actiuis, uide Fabium libro secundo. Dices hanc diuisionem non ex artium sumptam diuersitate, sed ex fine, nisique, ita ut quæcunque rogant homines, aut pernoscendi caussa, aut agendi rogent. Quid? quòd & mediæ uidentur esse quædam, ut logicæ, quas ad cognitionem referendas audacter dixerim. Hinc uides quomodo genus hoc & scientia distinguatur, & actione ubi memineris non tam rei quæsitæ quàm modi habendam esse rationem ut quid sit uirtus, si rem spectes, actiua est quæstio, sed si faciem, & quæstionis, ut ita dicam, frontem, cognitiua est, pollicetur enim definitionem, quo sensu quæstiones cognitionis uocat Cicero. Nec placet tamen Agricolæ hæc partitio, qui falsam putat, & sibi non cohærentem, tum quia per illas tres quæstiones cognitionis ministras actionem docet quæri, quod in re fieri potest, in modo nunquam. tum quòd cum qualitatem subiecisset cognitioni, postea iuris & iniuriæ disceptationem tribuerit qualitas ius, & iniuria actionis. Videtur ignorasse qualitatem in genere cognitionis esse, statum uerò qualitatis propter adhibitas circunstantias actionis esse potius. Adde quòd Cicero non uocat quæstiones actiuas, quæ actionem possunt dirigere, sed quarum uultus hic est, ut de agendo uel non agendo ex tempore agant. Cæterùm quia confusa res solet esse sine appositione exemplorum, utriusque theseos & cognitiuæ & actiuæ subdit exemplum. Cognitionis, inquit, est quæstio, ut si roges regatur'ne mundus prouidentia, πρόνοιαν. Stoici dicunt, an fortuito, ut uult Democritus. Etenim hic nullam præ se fert speciem actionis. Alterius partis exemplum est, sit'ne sapienti uiro Repub. suscipienda administratio. Porrò cognitiua thesis tribus quæstionibus absoluitur. Perfecte enim rem cognoscimus, cum esse scimus, & naturam definiendo habemus compertam, & accidentia per qualitatem nobis sunt perspicua. Nunc iam breui ratione confirmat Fabius. Solemus enim quærere quæ ignoramus, & scire contendimus. Quamobrem cum tria de re ignorari possint, sit'ne res, quid sit, qualis si totidem quæstiones cognitionem perficient. Aristoteles tamen posteriore libro demonstrationis quatuor instituit quærendi modos, ut præter hos uocemus in quæstionem, quamobrem talis sit res. Verum idem fatetur caussam esse definitionem, & illam sub quid est contineri. Quod si roges, huiusmodi'ne quæstiones tractet orator, ille quidem absolutus tractat, sed mediocris ferme abstinet. Et hæc ideo adscribunt rhetores, ut quæstionis in uniuersum natura diuersitasque appareat. Cicero unicuique speciei subijcit plures modos, quos nequis desideret, per formulas, ut oculis essent obuii, adscripsi.


In Partitionibus igitur res sic habet.



In Topicis uidetur paulo aliter partitus



In tertio de oratore Crassus ad hunc modum



Et hoc quidem modo partitur quęstiones Cicero. quæ res quantum in se habeat difficultatis & tædii, non ignoro. Conabor tamen rei obscuræ lucem inferre, quam si non ero assecutus, secutum tamen me non pœnitebit. Nec uereor reprehensionem, quòd extra rem egressus uidear. Satis enim scio sensum Fabij etiam sine his capi posse, sed & græci & latini interpretes ad quædam ex his diuertunt: & quibus satis esse priora uidebuntur, posteriora legere non curent. Initio ut in thesi, sic in hypothesi uelle Ciceronem actionem cognitionemq; reperiri, ex eo aiunt, quòd in Topicis sic scribit. Pleraque enim sunt inquit, proposito cum caussa communia. Idem uidetur in partitionibus, cum ait Eadem proprie genera in controuersiam cadunt. quod ita accipiendum est, ut hæc partitio thesi per se, hypothesi secundo quasi loco conueniat. qua de re plura superius. Numerus quęstionum cognitionis ubique constat, & nomina sunt eadem, nisi quòd consecutionem uocat libro tertio de oratore, quam in aliis qualitatem dixerat, puto, quód id agatur, quid cui consecutione cohæreat, illique sit consequens. In partitionibus duos coniecturæ facit modos, in aliis quatuor: sed an sit omi sit, quod generalis quęstio an sit res, idem sonet quæ sit origo & caussa. sub hac intelligit, possit ne res effici. mutatio pertinet ad quæstionem, quomodo res fiat. Postremo in partitionibus quid intersit subiecit finitioni, in aliis qualitati. quod ideo fit, quia idem esse aliquid a'teri, uel definitione colligimus, uel accidentibus. unde & finitioni subnecti potest, & qualitati. Adde quòd definitioni imaginem & descriptionem subdit, in alii plura addidit. sed nec illa sola esse in partitionibus dixerat. Iam in actiuis est quod ambigas. Illa enim duo membra quæ in partitionibus adscripsit, in aliis omisit. Officii enim & motus ubique meminit, diuersis nominibus in primo de oratore, ubi per adhortationem motum, per obiurgationem officium intellexit. Cæterum quia non repugnant inter se, mirari non oportet si in quibusdam angustius, in aliis fusius eisdem de rebus sit locutus. usus tamen & adeptionis quęstiones Fabius probauit, cum ait quomodo adipiscamur, quomodo utamur. quibus duobus alia sunt intelligenda quæ in bono sunt, incrementum, & conseruatio, item in malo, ut liberatio, imminutio, uitatio, conuersio, de quibus agam libro quinto. Satis uerò scio plura uocis beneficio posse addi, quæ scripto obscurantur magis quàm explanantur. proinde ad expositionem reuertor. Finitæ quæstiones, quæ circunstantiis uelut quibusdam rerum finibus adstringuntur in angustam disputationem, nascunturque ex complexu, hoc est cumulo rerum, personarum, temporum, & reliquarum circunstantiarum, ut loci: ita Cicero caussam definit, quę aut omnibus sit aut maximis circunstantiis inclusa. Huiusmodi quæstiones à græcis ὑποθέσεις dicuntur, quod uerbum de uerbo reddere si uoles, suppositiones uocabis, quasi sub positionibus, theses dico, contineantur, eo intellectu, quo explicaui. Rodolphus nomen indictum putat, quia in his quæstionibus tacita si conditio: quod nec ille satis probat, nec ego certe uerum puto: etsi nomen hypotheseos non conditionem modo significat, sed & fictionem, ut noster Fabius libro quinto interpretatur. à latinis, & præsertim à Cicerone, caussæ appellantur, quia controuersiam ciuilem constituunt. Sunt & alia nomina, ut controuersia ciuilis, & definita quæstio, & negocium. Comparat deinceps utranque speciem inter se. in hunc sensum. hoc distat controuersiæ quæstio à proposita consultatione, quòd in finitis quęstionibus altera pars difficultatis dubitationisque ex adiectione rerum certarumque personarum uidetur nasci, non quòd in speciali quæstione non sit aliqua de generali disputatio, sed cum euocatur res ad thesim: manentes in hypothesi circa rerum personarumque momenta luctantur. hinc in circunstantiis præcipuam uult esse Fabius definitæ quæstionis disputationem. Infinita uerò quæstio, si ambitum significatumque æstimes, amplior est, & ad plura diffundi potest, ut uirtus iustitia amplior. Vnde fit ut cum ambitum theseos ad angustias quasdam redigat hypothesis, ab illa uideatur descendere, ut à uirtutis comprehensione uelut inclusa iustitia educitur: sic ab uniuersali quæstione singularis uidetur emanare. quæ quia sunt obscura, illustrat exemplis propositis. Infinita est quęstio, an homini sit uxor ducenda, ubi personæ quidem sunt, non tamen certæ. hæc quęstio has omnes, an Catoni ducenda Martia, an Socrati Xantippe, an Metello Cornelia, an Cæsari Calpurnia, an Antonio Cleopatra, complectitur, ideoque latior est. Finita uero quæstio, una nempe ex illis, angustior uidetur, quia eius disputatio paucioribus conuenit. Illa ergo thesis quia latius patet, & ab illa descendit, hypothesis esse potest suasoria, id est in suasione frequenter tractabitur. qui locus ad literam expositus, sua difficultate non caret. illustrandus ergo est pluribus, cum excurramus in theses aliis etiam in generibus. Vnde intulit Fabius ideo thesim suasoriam esse posse? nam si quia tractatur inter suadendum, esse potest suasoria, sic & iudicialis esse poterit, & exornatiua, quòd utrique generi non rarò admiscetur. An uult Fabius aliquando in personis quibus suadetur, nihil esse disputationis, & quia tota disputatio arcessitur ad caput, nempe thesim, ideo illam suasoriam esse posse? an integræ theseos disputatio aliis in generibus rarior est, quia uerò cum suademus alicui, totam nim ex thesi prope eruimus, ideo quia latius patet, suasoria esse potest, postremo exemplum allatum erat suasoriũ? Videtur ergo uelle Fabius in hypotesi suam illamque respondentem consultationem tractare. quæ ideo suasoria esse possit, id est in suasionem cadere, ut in aliud quodu a genus distaret si conuenisset exemplo, nisi quis uult solã thesim

in consul-

in consultationis partes uenire. Sed quia latior est mihi sat est indicasse.

Sed etiam remotæ, inquit, à personis.] Medium quoddam est genus inter meram caussam, & consultationem, de quo nunc præcipit. Sunt enim nonnullæ quæstiones huiusmodi, ut nec tam sint immunes à circunstantiis, quàm debent esse theses, nec rursum tam implicatæ, quàm hypotheses decet. Illas remotas à personis dicit, hoc est nulla singulari definitaque persona conclusas, ad aliquid tamen referri, id est latentis temporis uel personæ angustiis contineri, ut simplex sit quæstio, & mera thesis, an Respublica administranda. nulla enim neque ui neque uoce sub est circunstantia, refertur ad aliquid, & præter simplicem quæstionem respicit personam, an in tyrannide administranda. Et quia referri ad aliquid dixerat, subdens exponit. hic enim etsi non singularis quædam additur persona, ut an sub Dionysio, Iasone, Phalaride, Pisistrato, Superbo, Cæsare, tamen latet facultate. Tyranni enim persona facit ut iam duplex sit quæstio, una, an omnino capessenda respublica. altera, an sub tyranno ita ingeminare quæstionem uidetur. Subest item temporis uis in ea quæstione. Perinde est enim quærere, an in tyrannide administranda sit ciuitas ac si rogares, tyrannidis ne tempore sit uiro sapienti attigenda. Est hic & qualitatis tacita uis, an tali modo administranda, quod in qualitate quæri solet. At uero quia circunstantiæ latent uerius quàm sunt, nec sese exerunt & explicant, ideo ut non planè thesim dixeris, ita prorsum hypothesim minime uocaueris.

Hæ autem quas infinitas uoco] Ex nomine colligit rationē quam inter se thesis & hypothesis sortiuntur. Cum enim generalis illa, hæc specialis dicantur, necesse est quandam inter hæc similitudinem cum genere & specie reperiri. ergo quæ infinitæ uocantur, eædem generales aliis dicuntur quam appellationem si recipimus, in thesi, quòd more generis late pateat, hypothesis, quæ in speciei morem est ambitu contractiore, specialis dici potest, quod si stant nobis hæc nomina, & thesis ex genere, hypothesis ex specie nomen capit, ut in constituenda perficiendaque specie adhibetur genus, utpote quod principem habeat in definiendo locum, ita cum natura præcedat thesis, & tanto sit prior, quanto uniuersalior, in omni hypothesi componenda pars erit thesis, & in speciali nempe caussa tractanda antegressam oportebit generalem disputationem, quod uelut æquum ut impetret, in tractatu caussæ requiri consultationem, accipit quod est iniquius. Tam necessaria est, inquit, in speciali generalis quæstio; ut prope dixerim in tractanda hypothesi solum penè esse propositum tractandum, cumque omnis hypothesis in illa tria genera statuum describatur, in unoquoque statu probat maiorem uim esse theseos quàm hypotheseos, qua de re statuit Antonius libro secundo de oratore. quem locum non adscribo, ne prolixitate non necessaria mihi crescant paginæ. Rei summa est apud Fabium libro 12. his uerbis, De personis quæritur, de rebus disputatur. Quod breuiter angusteque dictum sic explico. In hypothesi hic est præcipuus circunstantiarum usus, ut caussam constituant, & de illa quæri faciant. Nam si personam res non attingeret, non rarò omitteretur. Et quæstionum numerum augeant. Sed illarum quæstionum tractatio ad thesim reuocari reducique debet. Quod ut sit facilius, proponamus exemplum. In statu qualitatis posita est prima Milonianæ defensionis quæstio, an iure occiderit Clodium milo. hic persona Clodii Milonisque facit ut quatenus liceat hominem occidere disputetur, & auget quæstionem. præterquam enim quòd quæritur an hominem liceat interficere, quia Clodius insidiator fuisse dicitur quæritur an omnis insidiator possit interfici. ita ex personis caussa quæstioque oritur, ex thesi emanat uniuersa disputatio. Nec inficior à personarum attributis nasci argumenta, sed quę à personis habent angustam originem, in thesim oratoriè excurrunt. Sic in coniectura, occiderit' ne patrem Roscius, quæstio est personis inuoluta, à quibus nascuntur caussæ definita, ut, Roscius patrem oderat. quid hoc adhibitum proderit nisi huc peruenias, ut quantū possit odium, quæ sit eius uis, disputes? Sic an uenenum dedit Oppianicus, suspicionem dat auaritia. Nónne hinc transibis, ut quid sit in cupiditate momenti, doceas? Reliqua exempla idem ualent, ut probent in omni caussa ortum quęstionis deberi personis, reliquisque circunstantiis, sed disputationem thesi. Id quod Crassus cum intelligeret, primum elocutionis fundamentū esse uoluit, rem abducere ad genus, ut in liberiore campo nullis habenis temporum locorumque constricta decurrat eloquentia. Enimuero in statu definitiuo ipsa statim definitio caussam ponit cum enim de facto conueniat, uterque ut nomen quod facto tribuit confirmet, suam definitionem adducit, in qua constituenda opus est uniuersum, & unus utriusque partis labor. Atqui definitio in uniuersum de re tota datur, de qua quomodo ueniat in iudicium, subtiliter agit Agricola libro secundo sed ita, ut undique sibi non constet. Vult enim, si memoria non labor, primam thesim esse in caussis finitis: quod à uero longè abhorret.

Quidam putant eas theses] Cum hactenus ex Ciceronis sententia omnia prope dixerit, nunc instituti operis memor, quænam his de rebus aliorum sit opinio, non prætermittit, quidam, inquit, alio intellectu nomine theseos & hypotheseos utuntur. Non enim distare aiunt complexu circunstantiarum, sed fine disputationis. Eandem siquidem quæstionem & thesim fatentur esse dum excutienda philosophorum more ponitur, & hypothesim dum propter negocium aliquod tractatur: ut caussa dicatur, an rectè à matris cæde absolui Orestes possit, dum ea de re iudicio agitur. Vbi uero ueritatis inquirendæ studio, rectè ne absolutus fuerit à cæde Clytemnestræ Orestes, disputabitur, thesim uocant, & si nomen æstimes, non omnino male. etenim rem ad inquisitionem positam uocamus thesim, cui non uidentur obesse circunstantiæ. ita, inquit, hypothesis erit, recténe traditurus sit Martiam Cato Hortensio postulanti, ut de illa liberos tolleret, cum ea de re negocium erit. at ubi transacta res fuerit, si quis disserat an rectè Martiam uxorem tradiderit Hortensio, erit apud illos thesis. distinguunt enim thesim ab hypothesi, ut quæstio dicatur hypothesis, cum de illa negocium inciderit, thesis, cum sine ullo negocio solius cognitionis caussa de re disceptamus. Proinde cognitiua est apud illos omnis thesis, quòd gratia ueritatis tractatur: hypothesis actiua, quòd præsenti negocio, eius caussa tractetur. Qui uerò hæc tradiderunt, non planè dixerim propter inopiam eorum authorum quos subinde citat Fabius.

Quanquam inutiles quidam putant] Commodè explicata quæstionum uarietate, de illarum usu agit. Refellit igitur quorundam opinionem, qui uniuersales quæstiones ab oratorio apparatus remouerunt, & uelut inutiles reiecerunt, ducti hoc argumento, quòd ubi satis probaueris capessendam esse Rem publicam alicui, nihil effeceris si ille uel senectute uel sinistra ualetudine impediatur quo minus eius se administrationi queat admiscere. Item ut disputando collegeris ducendam uxorem homini esse, si uel est senior quàm ut possit, uel morosior quàm ut debeat coemptionem facere: qui uel eò uidentur labi, quòd ex eo quia non sufficiant uniuersales quæstiones, efficiunt nullius esse in agendo usus. Sed ut clarius soluat Fabius, uniuersales quæstiones duplices esse dicit. quasdam quæ ex persona non pendeant, & illæ tractatæ sufficiunt. In illis igitur non sic potest occurri, id est nullum ex persona potest impedimentum afferri ut non sufficere uideantur: quales sunt, an uirtus sit bonorum finis, an mundus regatur prouidentia dei. Quasdam uerò esse quæ ex persona sunt æstimandæ ad quam referuntur. In illis non satis fuerit in genere rem docuisse, necesse est tamen hanc præcessisse disputationem. Nam nisi excusso genere, cui similis est thesis, ad speciem quæstionemque specialem non potest perueniri. quod exemplo liquet. Nam ut Catoni ducenda uideatur uxor, prius est ut omnino uxor ducenda uideatur, de qua re sunt & fuerunt qui ambigerent. Iam an illi ducenda sit Martia, non constabit nisi prius ducendas esse uxores indubitatum feceris. Ergo cum necessaria sit tractatio uniuersalium quæstionum, sunt tamen editi libri qui absurdam opinionem tueantur, & hi Hermagoræ titulo sed aut hic ab illo uetere Hermagora fuit alius, aut falsò tale opus tanti authoris nomine inscribitur. Prius duos fuisse antea docuimus primo capite huius libri. Nec enim uero est simile, degenerasse usque adeo tam excellentem scriptorem, ut qui mirabiliter multa scripserit, in tam falsam sit opinionem delapsus. Accedit Ciceronis testimonium, qui sensisse aliter Hermagorā scribit, his uerbis, Hermagoras quidem nec quid dicat attendere nec quid polliceatur intelligere uidetur, qui oratoris materiam in caussam & quæstionem diuiserit. Caussam uocasse ait, ubi interpositæ essent certæ personæ, quæstionem, ubi citra personarū interpositionem disputaretur, quo loco, ut & alibi, non tam magnifice de Hermagora sentit quàm Fabius. Eum enim facit & eloquentiæ inscium, & philosophiæ expertem, in arte diligētem cuius tamen fœdissima errata reprehendit. Satis uerò probat hinc Fabius non putasse illas quæstiones inutiles oratori, cum in eius materia posuerit. Quod uerò Cicero reprehendit, est istud, de ciuili oratore loquebatur Hermagoras, illi tamē quamcunque materiam subiecerat imprudenter. Cum enim multæ sint quæstiones philosophicæ illarum in generibus ciuiliū caussarū nullus est usus, nec eo loco negat Cicero in tradendis caussis esse in thesim excundum, sed duntaxat arguit quòd communem fecisset materiam eius facultatis, quam ad ciuiles usus idem adstrinxisset. Vnde uides, quod ad istud attinet, nec bene reprehendi Ciceronem, nec pugnare quod ex aliis libris affert Fabius qui si id diceret, oratoris ibi poni materiam ciuiles quæstiones

cum

cum alibi res omnes subiiceret, uideretur speciẽ iustæ reprehensionis attulisse. Sed audacius se reprehendere fatetur, quod sibi limam intendisse idem Cicero uideatur. Nã & in oratore ad Brutum, & in libro tertio de oratore ad Q. fratrem, & in Topicis ad Trebatium monet ut constituta caussa personis, de rebus latissime disputemus, quod ao repugnet, prius explicaui. Cur autem id præcipiat, duas reddit caussas, copiam, & probationem, illam, quòd eloquentiæ maior est campus in genere, quàm in specie, hoc est quæstione punctis temporum personarumque distincta. hanc quia uniuersum probatum, & specialius probat, nisi ex personæ ratione aliquid impedimenti inferatur, ut si omni homini ducenda est uxor, est certe & Catoni. Cur ergo non satis prius esse dixerat? quia obstant quædam in personis sita, cur prolata in genere, in specie non sint effecta.

Status autem in hoc genus materiæ iidem qui in caussam cadunt.] Breuiter indicato usu, nequid in tractando desideretur, statuum describit rationes, quos uult eosdem esse qui & in hypothesi, nempe coniecturam, finitionem, qualitatem, ut quemadmodum omnes controuersiæ in uno horum statuum sunt, ita & omnes consultationes in aliquo horum sint statuum. quod similitudine quadam in genere capiendum puto. Aliter enim coniectura est in caussa, aliter in thesi. In hac enim, an res sit in tota natura, quæritur, in illa an sit factum ab hoc, an ab illo. tantundem in cæteris dicendum. Sed ne sic quidem eximitur omnis scrupulus. Nam cum tres quæstiones, an sit, quid sit, quale sit, cognitioni tantum dederimus, quomodo in omne genus materiæ cadunt, etiam in actionem? Alio atque alio modo cognitionis dicuntur quæstiones, & status. Cognitionis quidem, ut attinguut rei naturam, status uerò, ut sunt quærendi formæ tam actioni quàm cognitioni communes. proinde non idem coniectura cognitionis, & status coniecturalis. Idem in aliis intelligendum.

Adhuc adiicitur.] Vltima est quæstionum partitio, qua distribuitur quæstio in quæstionem in rebus, & ad aliud relatam. In rebus quæstiones esse dicuntur, quæ statui decidique debent nulla ratione loci, temporis, aut personę habita, sed sola rei ipsius quæ proponitur, contemplatione, relatæ uero ad aliud, quarum ueritas circunstantiis æstimatur. Prioris exemplum, sit ne ducenda uxor. qua de re extat Biantis dilemma apud Gellium. posterioris, an seni ducenda. quæ quæstio non mera est, ut antè dixit, hypothesis. Item quęstio erit in re, an Hector fuerit fortis. non enim oportet aliò respicere. Ad aliud refertur, sit ne fortior Hector Achille, melior ne dux Scipio, an Hannibal.

Caussam Finit Apollodorus] Post uarias quęstionis diuisiones, & pręcipue uniuersalis, caussæ definitiones multas congerit partim ut proposito satisfaciat, partim ut caussæ uim ex diuersis collatam melius intelligamus. Caussæ ergo apud Apollodorum, cuius pręcepta latine reddidit Valgius, est hæc definitio, Caussa est negocium spectans ad quæstionem ciuilem omnibus suis partibus, nempe circunstantiis aut hæc, Caussa est negociũ in agendo positum, quod ad ciuilem controuersiam instituendam pertinet. Cæterum quia nomine negotii in definiendo erat usus, illud ipsum descriptione illustrat. Negotium, ait, est cumulus quidam circunstantiarum, ut personarum, temporum, locorum, caussarum, modorum, casuum, id est eorum quæ euenerunt alicui, factorum, instrumentorum, dictorum, siue quæ de ore sint elata, siue quæ literis mandata, ex quibus facta, dicta, casus attribuuntur personis, reliqua in gestione sunt negocii. Et ne interpretando uacillemus, caussam se dicere testatur quam Apollodorus ὑπόθεσιν uocant, negocium, quod ille περίστασιν, uulgo circunstantiam magis ad uerbum dicimus. sed tunc unam accipimus, ut locum aut tempus. Apollodorus circunstantiam appellat congregationem multorum. Nec desunt tamen qui nomen caussæ usurparunt pro circunstantiarum congregatione, quæ ab Apollodoro negotium nuncupatur. Isocratis definitio perspicua est. Ciceronis item, hoc dempto, quòd ad perfectam hypothesin uult aut omnes aut plurimas aut præcipuas esse circunstantias. In Topicis enim dicit propositum aut nullas habere, aut paucas, aut non potissimas, ut non desinat propositum dici, si modo circunstantiam habeat non maximam.

ARGVMENTVM.

Quia nulla caussa nisi prius cognito eius statu tractari potest: antequã caussarum genera singillatim describat, quorũ capite superiori facta fuerat mentio: tractationem statuum, qui in quoque genere caussarum sunt, aggreditur: quam omnem in tria capita summa deducit, quid sit status, unde ducatur, quot & qui sint. Et priusquam statum definiat, nominis diuersam appellationem (quæ obscuritatem gignere poterat) attingit. Inde qui statum primam caussarum constitutionem definierunt, recte sensisse sed non satis eloquutos ait, cum potius id quod ex prima caussarum constitutione nascitur, statum dici oporteat. Et hanc constitutionem aut quæstionem, non quamuis, quæ uel prima loco ponatur, aut extrinsecus adducatur, statum uocandum, sed quæ sit caussarum propria, de qua iudici sententia dicenda sit. Et simplices quidem caussas uno statu contentas esse, multiplices uero tot status habere, quot quæstiones. Statum ergo rectè dici concludit id quod in caussa sit potentissimum, in quo causa stet, & maximè res tota uertatur: quod ut primum cogitandum sit, ita non primum exequendum. Affert & aliam quorundam definitionem, statum esse primam depulsionem eius cum quo agitur. Ex qua noua quæstio oritur, quod secundum est partitionis iam factæ membrum. Vnde status ducatur, & utrum statum semper faciat qui respondet. Et primum Celsum refellit, qui semper statum nasci uoluit ab eo qui suam propositionem confirmaret, quod falsum esse ostendit: & eum quidem in coniecturalibus caussis ex propositione nasci uideri posse, quia magis coniecturatur qui agit: alioqui ex depulsione colligi, quæ modò a reo, modò etiã ab actore fiat, ut in qualitate, cum reus dicit se iure occidisse insidiatorem fuisse, depellit, ex quo nascatur status. Ergo ab utroque nasci, sed per depulsionem quam intentio præcedat. Tertio loco, qui huius diuisionis ultimus est, quot & qui status sint, docet. Profert uarietatem opinionum de numero statuum, obiterque decem elementa (quę nos prædicamenta dicimus) ab Aristotele constituta attingit, essentiam, qualitatem, quantitatem, ad aliquid, ubi, quando, facere, pati, habere, compositum esse. Ex quibus quatuor prima ad status, reliqua ad quosdam locos argumentorum pertinere uideantur. Quæ tamen alii neutro solum numero posuerint, personam, locum, tempus, opportunitatem, actum, numerum, caussam, modum, occasionem. Sed hæc sibi non placere, quia nec status omnes, nec argumentorum loci his elementis contineri possint. Deinde qui solum qualitatis statum aut coniecturę fecerint: & coniecturam a directione quadam rationis ad ueritatem, dictam ostendit. Hinc qui duos, qui tres, quatuor, quinque, sex, septem, octo, & qua diuersitate tradiderint: quique rursus omnes ad duo capita redegerint: nempe ut dicerent alios esse rationales, alios legales, & in rationalibus, ut Hermagoras, negocialem posuerint. tum quid negocialis status sit, & quo pacto Cicero in Rhetoricis præceptores secutus, non satis apta quædam de eo tradiderit: utque Hermagoras primum translationem addiderit, & legalem statum in quatuor partitus sit, in scriptum & sententiam, in ratiocinatiuum, ambiguitatem, & leges contrarias, subiungit. Qua opinionum uarietate de statibus prolata & commemorata, suam sententiam interponit, excusata prius & mutata quam usque ad illa tempora eadem de re habuerat, idque Ciceronis & Hippocratis exemplo tuetur, quos non puduerit male scripta retractare, & editos libros aliis postea scriptis damnare. Ergo se de statibus ita olim sensisse ait, ut rationales tres status faceret, coniecturam, finitionem, & qualitatem, unum legalem, quem in quinque partes subdiuideret, & scripti & uoluntatis, legum contrariarum, collectiuum, ambiguitatis, & translationis. Verum post aliquanto satius eandem partitionem fecisse. Primum, legalem non statum sed quæstionis genus uocasse, & è quinque specialibus sub legali comprehensis, translationem remouisse: quia etiam si personæ, tempora, & actiones transferantur, non sit tamen in translatione quæstio, sed in eo propter quod transferantur, ita si scripto uideatur succedere legitimis quæstionibus: si caussa extrinsecus allata, statibus rationalibus. Addit etiam errare eos qui translationem accipiunt pro remotione. tandem suam ex Ciceronis authoritate de statibus sententiam pronunciat, Tria esse quę in omni disputatione quærantur, an sit, quid sit, quale sit. Et idcirco tres solum status esse, finitionem, coniecturam, & qualitatem, quibus quæstiones finitę & infinitę contineantur. Neq; enim quidquam esse in rationali parte uel in legali, quod non his tribus explicetur, extra quos nihil quærendum sit. Attamen rudes instituentibus, non inutilem fore rationem latius fusam, ut doceamus quadruplicem tu iure rationem esse defendendi: aut factum negando, ut nomen facti: aut iure defendendo: aut si nos hæc omnia deficiant, ad actionem aut translationem, ut aliquo iuris adiutorio elabi possimus, confugiendo. Tradit insuper in caussis simplicibus unicum tantum statum, sed plures quæstiones: in coniunctis uero plures status uel eiusdem uel etiam diuersi generis esse posse: quod subiectis e iure pluribus exemplis patefacit. Postremo causę iudicationis, continentis tractationem, capite de iudicialibus caussis, quia in eo genere potissimum consistant, promittit.

Quid sit status: unde ducatur: reus an actor eum faciat: quot & qui sint. Cap. VI.

ERGO cum omnis caussa contineatur aliquo statu, prius quã dicere aggredior quo modo genus quodque caussæ sit tractandũ id quod commune est omnibus, quid sit status, & unde ducatur, & quot & qui sint, intuendum puto: quanquam id nonnulli ad iudiciales tantum pertinere materias putauerunt. Quorum inscitiam, cum omnia tria genera fuero executus, res ipsa deprehendet. Quod nos statum, id quidam constitutionem uocant, alii quæstionem, alii quod ex quæstione appareat. Status unde appellatio, & nominis origo.
Theodorus generale caput, id est κεφάλαιον γενικώτατον, ad quod referantur omnia. Quorum diuersa appellatio, uis eadem est: nec interest discentium, quibus quicque nominibus appelletur, dum res ipsa manifesta sit. Statũ Græci στάσιν uocant: quod nomen non primum ab Hermagora traditum putant, sed alii ab Naucrate Isocratis discipulo, alii à Zopyro Clazomenio: quanquam uidetur Aeschines quoque in oratione contra Ctesiphontem uti hoc uerbo cum à iudicibus petit ne Demosthenem permittant euagari, sed eum dicere de ipso caussæ statu cogant. Qua appellati-

pellatio dicitur ducta uel ex eo quod ibi sit primus caussæ congressus, uel quòd in hoc caussa consistat. Et nominis quidem hæc origo.

Status definitio.

Nunc quid sit. Statū quidam dixerunt primam caussarum conflictionem quos rectè sensisse, parū elocutos puto. Non est enim status prima conflictio, Fecisti, non feci: sed quod ex prima conflictione nascitur, id est genus quæstionis: Fecisti, non feci, an fecerit. Hoc fecisti, nō hoc feci. quid fecerit. quia ex his apparet illud coniectura, hoc finitione quærendum, atque in eo pars utraque insistit: erit quæstio coniecturalis, uel finitiui status. Quid si enim dicat quis, Sonus est duorum inter se corporum conflictio? Erret, ut opinor: non enim sonus est conflictio, sed ex conflictione. Et hoc leuius. intelligitur enim utcunque dictum.

Non ex quæstione prima uel secunda, sed ex caussa nascitur status.

Inde uerò ingens malè interpretantibus innatus est error, qui quia primam conflictionem legerant, credidere statum semper ex prima quæstione ducendum: quod est uitiosissimum. Nam quæstio nulla non habet utique statū. constat enim ex intentione, & depulsione: sed aliæ sunt propriæ caussarum de quibus ferenda sententia est: aliæ adductæ extrinsecus, aliquid tamen ad summam caussæ conferentes, uelut auxilia quædam: quo fit ut in cōtrouersia una plures quæstiones esse dicantur. Harum porro plerunque leuissima quæque primo loco fungitur. Nanque & illud frequens est, ut ea quibus minus confidimus, cū tractata sunt, omittamus: interim sponte nostra uelut donantes interim ad ea quæ sunt potentiora, gradum ex his fecisse contenti. Simplex autem caussa etiamsi uariè defendatur, non potest habere plus uno de quo pronuncietur: atque inde erit status caussæ, quod & Orator præcipuè sibi obtinendum, & iudex spectandum maximè intelligit. in hoc enim caussa consistet. Cæterum quæstionum possunt esse diuersi. Quod ut breuissimo pateat exemplo, cum dicit reus, Etiam si feci, rectè feci: qualitatis utitur statu. cum dicit, Non feci, coniecturam mouet. Semper autem firmius est non fecisse: ideoque in eo statum esse iudicabo, quod dicerem si mihi plus quàm unum dicere non liceret. Rectè igitur est appellata caussarum prima conflictio non quæstionum. Nam & pro Rabirio Posthumo Cicero prima parte orationis in hoc intendit, ut actionem competere in equitem Romanum neget: secunda, nullam ad eum pecuniam peruenisse confirmat. statum tamen in eo dicam fuisse, quod est potentius. Nec in caussa Milonis circa primas quæstiones, quæ sunt ante proœmium positæ, iudicabo cōflixisse caussam: sed ubi totis uiribus insidiator Clodius, ideoque iure interfectus, ostenditur. Et hoc est quod ante omnia constituere in animo suo debeat Orator, etiam si pro caussa plura dicturus est, quid maximè liquere iudici uelit. Quod tamen ut primum cogitandum, ita non utique primum dicendum erit.

Alij statum crediderunt primam eius cum quo agere- tur, deprecationem. Quam sententiam his uerbis Cicero complectitur, In quo primum insistit quasi ad repugnandam congressa defensio. Unde rursus alia quæstio, an eū semper is faciat qui respondet. Cui rei præcipuè repugnat Cornelius Celsus, dicens nō à depulsione sumi, sed ab eo qui propositionem suam cōfirmet: ut si hominem occisum reus negat, status ab accusatore nascatur, quia is uelit probare si iure occisum reus dicit, translata probationis necessitate idem à reo fiat, & sit eius intentio. Cui non accedo equidē. nam est uero propius quod contrà dicitur, nullam esse litē, si is cum quo agitur, nihil respondeat: ideoque fieri statum à respondente. Mea tamen sententia uarium id est, & accidit pro conditione caussarum: quia & uideri potest propositio aliquando statum facere, ut in coniecturalibus caussis utitur enim coniectura magis qui agit. Quo moti quidam, eundem à reo inficialem esse dixerunt: & in syllogismo tota ratiocinatio ab eo est qui intendit.

In Topicis. Unde status oriatur, nempe modo ab accusatore, modo à reo per depulsionē, quod tamen diuersa opinione subiectis exemplis docet.

In syllogismo, id est statu ratiocinatiuo, qui refertur inter legales.

Sed quia uidetur illis quoque necessitatem hos status exequendi facere qui negat (is enim si dicat, Non feci, coget aduersarium coniectura uti: & si dicat, Non habet legem, syllogismo) concedamus ex depulsione nasci statum. Nihilo minus enim res eo reuertetur, ut modò is qui agit, modò is cum quo agitur, statum faciat. Sit enim accusatoris intentio, Hominem occidisti: si neget reus, faciet statum qui negat. Quod si confitetur, sed iure à se adulterum dicit occisum (nempe legem esse certum est quæ permittat) nisi aliquid accusator respondeat, nulla lis est. Non fuit (inquit) adulter. Ergo depulsio incipit esse actoris: ille statum faciet. Ita erit quidem status ex prima depulsione, sed ea fiet ab accusatore, non à reo. Quid quòd eadem quæstio potest eundem uel accusatorem facere, uel reum? Qui artem ludicram exercuerit, in quatuordecim primis ordinibus ne sedeat. qui se Prætori in hortis ostenderat, neque erat productus, sedit in quatuordecim ordinibus. Nempe intentio est, Artem ludicram exercuisti. depulsio, Non exercui artem ludicram. quæstio, quid sit artem ludicram exercere. Si accusabitur theatrali lege, depulsio erit rei. si excitatus fuerit de spectaculis, & aget iniuriarum: depulsio erit accusatoris. Frequentius tamen illud accidet, quod est a pluribus traditum.

Status omnes ex intentione & depulsione, sed nō quiuis est caussæ status.

Effugerunt has quæstiones qui dixerunt statū esse id quod appareat ex intētione & depulsione: ut, fecisti, non feci: aut, rectè feci. Viderimus tamen utrum id sit status, an in eo status. Hermagoras statum uocat, per quem subiecta res intelligatur, & ad quē probationes etiā partium referantur. Nostra opinio semper hæc fuit, quum essent frequenter in caussa diuersi quæstionum status, in eo credere statum caussæ, quod esset in ea potentissimum, & in quo maximè res uerteretur. Id siquis generalem quæstionem, uel caput generale dicere malit, cum hoc mihi non erit pugna: non magis quàm si aliud adhuc, quo idem intelligatur, eius rei nomen inuenerit: quanquam tota uolumina in hanc disputationem impendisse multos sciā nobis statum dici placet.

Quot status & qui sunt.

Sed cum in alijs omnibus inter scriptores summa dissensio est, tum in hoc præcipuè uidetur mihi studium quoque diuersa tradendi fuisse: adeò nec qui sit numerus, nec quæ nomina, nec qui generales quiue speciales sint status, conuenit.

Lib. Categoriarum.

Ac primùm Aristoteles elementa decem constituit, circa quæ uersari uideatur omnis quæstio. Οὐσίαν, quam Plautus* essentiam uocat: neque sanè aliud, est eius nomen latinum: sed ea quæritur an sit. Qualitatem, cuius apertius intellectus est. Quantitatem, quæ dupliciter à posterioribus diuisa est, quàm magnum, & quàm multū sit. Ad aliquid, unde ducta translatio & comparatio. Post hæc, ubi, & quando: deinde facere, pati: habere, quod est quasi armatum esse, & uestitū esse. Nouissimè κεῖσθαι, quod est compositum esse quodam modo, ut* sedere, stare, iacere. Sed ex his omnibus prima quatuor ad status pertinere, cætera ad quosdam locos argumentorum uidentur. Alij nouem elementa posuerunt. Personam, qua de animo, corpore, extrà positis, quæratur: quod pertinere ad coniecturæ & qualitatis instrumenta uideo. Tempus, quod χρόνον uocant, ex quo quæstio, An is quem dum addicta est mater peperit, seruus sit natus. Locum, unde controuersia uidetur, An fas fuerit Tyrannum in templo occidere: an exulauerit qui domi latuit. Tempus iterum, quod καιρὸν appellant. Hanc autem uideri uolunt speciem illius temporis, ut æstatem, uel hyemem. Huic subijcitur ille in pestilentia comessator. Actum, id est πρᾶξιν: quod eo referunt, sciens commiserit, an insciens:

* Plautus.

* Calefacere, stare, irasci.

Thrasybulus. necessitate, an casu, & talia. Numerum, qui cadit in speciem quantitatis, An Thrasybulo triginta præmia debeantur, qui tot tyrannos sustulerit. Caussam, cui plurimæ subiacent lites, quoties factum non negatur, sed qua iusta ratione sit factum, defenditur. τρόπον, cum id quod alio modo fieri licet, alio dicitur factum: hinc est adulter loris cæsus, uel fame necatus. Occasionem factorum, quod est apertius, quàm ut uel interpretandum, uel exemplo sit demonstrandum: tamen ἀφορμὰς ἔργων uocant. Hi quoque nullam quæstionem extra hæc putant. Quidam detrahunt duas partes, numerum, & occasionem: & pro illo quem dixi actu subijciunt res, id est πράγματα. Quæ ne præterisse uiderer, satis habui attingere. Cæterum his nec status satis ostendi, nec omnes contineri locos credo: quod apparebit diligentius legentibus quæ de utraque re dicam. Erunt enim plura multo, quàm quæ his elementis comprehenduntur. Apud plures authores legi, placuisse quibusdam, unum omnino statum esse coniecturalem. Sed quibus placuerit, neque illi tradiderunt, neque ego usquam reperire potui. Ratione tamen hanc secuti dicuntur, quòd res omnis signis colligeretur: quo modo licet qualitatis quoque solum statum faciant: quia ubique qualis sit cuiusque rei natura, quæri potest. Sed utrocunque modo sequetur summa confusio. Neque interest unum quis statum faciat, an nullum, si omnes caussæ sint conditionis eiusdem. Coniectura dicta est à coniectu, id est directione quadam rationis ad ueritatem: unde etiam somniorum atque omnium interpretes coniectores uocantur. Appellatum tamen est hoc genus uariè, sicut in sequentibus apparabit. Fuerunt qui duos status facerent: Archidemus coniecturalem, & finitiuum, exclusa qualitate, quia sic de ea quæri existimabat, quid essent iniquum, quid iniustum, quid dicto audientem non esse: quod uocat, de eodem & alio. Huic diuersa sententia eorum fuit, qui duos quidem status esse uoluerunt, sed unum inficialem, alterum iuridicialem. Inficialis, quem nos dicimus coniecturalem, cui ab inficiando nomen alij in totum dederunt, alij in partem, qua accensatorem coniectura, reum inficiatione uti putauerunt. Iuridicialis ex qui. δικαιολογικὴ græcè dicitur. Sed quem admodum ab Archidemo qualitas exclusa est, sic ab his repudiata finitio. nam subijciunt eam iuridiciali: quærendumque arbitrantur, iustum ne sit sacrilegium appellari quod obijciatur, uel furtum, uel amentiam. Qua in opinione Pamphilus fuit: sed qualitatem in plura partitus est: plurimi deinceps, mutatis tantum nominibus, in rem de qua non constet, & in rem de qua constet. Nam est uerum, nec aliter fieri potest, quàm ut aut certum sit factum esse quid, aut non sit. Si non est certum, coniectura sit: si certum est, reliqui status. Nam idem dicit Apollodorus, quum quæstionem aut in rebus extra positis, quibus coniectura explicatur, aut in nostris opinionibus existimat positam: quorum illud πραγματικόν, hoc περὶ ἐννοίας uocat. Idem, qui ἄπορον & προλαμβανόμενον dicunt, quo dubium & præsumptum significatur: de quo liquet. Idem Theodorus, qui de eo an sit, & de accidentibus ei quod esse constat, id est περὶ οὐσίας καὶ συμβεβηκότων existimat quæri. Nam in bis omnibus prius genus coniecturam habet, sequens reliqua. Sed hæc reliqua Apollodorus duo uult esse, qualitatem, & de nomine, id est finitiuam: Theodorus, quid, quale, quantum, ad aliquid. Sunt & qui de eodem, & de alio, modò qualitatem esse, modò finitionem uelint. In duo & Posidonius diuidit, uocem & res. In uoce quæri putat an significet quid, quàm multa, quomodo: in rebus coniecturam, quod κατ' αἴσθησιν uocat: & qualitatem: & finitionem, cui nomen dat κατ' ἔννοιαν: & ad aliquid. Vnde & illa diuisio est, alia esse scripta, alia inscripta. Celsus Cornelius duos & ipse fecit status generales, an sit, quale sit. Priori subiecit finitionem, quia æquè quæratur an sit sacrilegus qui nihil se sustulisse de templo dicit, & qui priuatam pecuniam confitetur sustulisse. Qualitatem, in rem & scriptum diuidit. Scripto quatuor partes legales, exclusa translatione: quantitatem & mentis quæstionem, coniecturæ subiecit. Etiam alia in duos diuidendi status ratio, quæ docet aut de substantia controuersiam esse, aut de qualitate: ipsam porrò qualitatem aut in summo genere consistere, aut in succedentibus. De substantia est coniectura. Quæstio enim tractatur rei, an facta sit, an fiat, an futura sit. interdum etiam mentis: idque melius, quàm quod ij placuit qui statum eundem facti nominauerunt, tanquam de præterito tantum, & tantum de facto quæreretur. Pars qualitatis quæ est de summo genere, rarò in iudicium uenit: quale est, id ne sit honestum, quòd uulgo laudatur. Succedentium autem aliæ de communi appellatione, ut, sit ne sacrilegus, qui pecuniam priuatam ex templo furatus est. Aut de re denominata, ubi & factum esse certum est, nec dubitatur quid sit quod factum est. Cui subiacent omnes de honestis, iustis, utilibus, quæstiones. His etiam cæteri status contineri dicuntur, quia & quantitas modò ad coniecturam referatur, ut, maiór ne Sol quàm terra: modo ad qualitatem, quanta pœna quempiam, quantoúe præmio sit affici iustum: & translatio uersetur circa qualitatem, & definitio pars sit translationis. quin & contrariæ leges, & ratiocinatiuus status, id est syllogismus, & plerunque scripti & uoluntatis, æquo nitantur: nisi quòd hic tertius aliquando coniecturam accipit, quid senserit legis conditor: ambiguitatem uerò semper coniectura explicari necesse sit: quia cum sit manifestum uerborum intellectum esse duplicem, de sola quæritur uoluntate. A plurimis tres sunt facti generales status, quibus & Cicero in Oratore utitur, & omnia quæ aut in controuersiam aut in contentionem ueniant, contineri putat, Sit ne, quid sit, quale sit: quorum nomina apertiora sunt quàm ut dicenda sint. Idem patrocles sentis. Tres fecit & M. Antonius, his quidem uerbis, Paucæ res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur, factum non factum, ius iniuria, bonum malum. Sed quoniam quod iure dicimur fecisse, non hunc solum intellectum habet, ut lege, sed illum quoque, ut iuste fecisse uideamur: secuti Antonium apertius uoluerunt eosdem status distinguere. Itaque dixerunt coniecturalem legalem, iuridicialem: qui & Virginio placent. Horum deinde fecerunt species, ita ut legali subijcerent finitionem, & alios qui ex scripto dicuntur: legum contrariarum quæ ἀντινομία dicitur: & scripti, & sententiæ uel uoluntatis, id est κατὰ ῥητὸν καὶ διάνοιαν: & μετάληψιν, quam nos uariè translatiuam, transsumptiuam, transpositiuam uocamus: συλλογισμόν, quem accipimus ratiocinatiuum, uel collectiuum: ambiguitatis, quæ ἀμφιβολία nominatur: quos posui, quia & ipsi à plerisque status appellantur. quibusdam legales potius quæstiones eas dici placuit. Quatuor fecit Athenæus προτρεπτικὴν στάσιν uel παρορμητικήν, id est exhortatiuum, qui suasoriæ est proprius. συντελικόν, qua coniecturam significari, magis ex his quæ sequuntur, quàm ex ipso nomine apparet: ὑπαλλακτικόν, ea finitio est. mutatione enim nominis constat. Iuridicialem, eadem appellatione Græca, qua cæteri, usus. Nam est (ut dixi) multa in nominibus differentia. Sunt qui ὑπαλλακτικόν, translationem esse existiment, secuti hanc mutationis

Vnde Iustitiam.

Profert suam sententiam.

Qui unū statū fecerunt.

Coniectura.

Coniectores.

Qui duos.

Inficialis.

Iuridicialis.

Qui tres. Lib. 2.

Ibidem.

Qui quatuor.

lationis significationem. Fecerunt alij totidem status, sed alios, an sit, quid sit, quale sit, quantum sit: ut Cæcilius & Theon. Aristoteles in Rhetoricis etiam sic omne opus diuidit, in ueritatem, & petenda ac fugienda, quod est suasoriæ: & eodem atque alio partiendo ad hoc peruenit, ut, an sit, quid, quale, quantum, & quàm multum sit, quærendum putet. Quodam tamen loco finitionis quoq; uim intelligit, quo dicit quædam sic defendi, Sustuli, sed non furtum feci: Percussi, sed non iniuriam feci. Posuerat & Cicero in libris Rhetoricis, facti, nominis, generis, actionis: ut in facto coniectura, in nomine finitio, in genere qualitas, in actione ius intelligeretur. Iuri subiecerat translationem. Verum hic legales quoq; quæstiones alio loco tractat ut species actionis.

In partitio. Qui quinq.

Fuerunt qui facerent quinq;, coniecturam, finitionem, qualitatem, quantitatem, ad aliquid. Theodorus quoq; (ut dixi) iisdẽ generalibus capitibus utitur, an sit, quid sit, quale sit, quantum sit, ad aliquid. Hoc ultimum maxime in comparatiuo genere uersari putat: quoniam melius ac peius, maius & minus, nisi aliò relata non intelliguntur. Sed in illas quoque translatiuas, ut supra significaui, quæstiones incidũt, an huic ius agẽdi sit, uel facere aliquid conueniat, an contra hunc, an hoc tempore, an sic. Omnia enim ista referri ad aliquid necesse est.

Qui sex.

Alij sex status putant: coniecturam, quam γένεσιν uocant: & qualitatem: & proprietatẽ, id est ἰδιότητα, quo uerbo finitio ostenditur: & quantitatem, quam ἀξίαν dicunt, & comparationem: & translationem, cuius ab hoc nouum nomen inuentum est * μετάστασις, nouum inquã in statu, alioqui ab Hermagora inter species iuridiciales usitatum.

* μετάληψις

Qui septem

Alijs septẽ esse placuit: à quibus nec translatio, nec quãtitas, nec comparatio recepta est: sed in horum trium locũ subditæ quatuor legales, adiectæque tribus illis rationalibus.

Qui octo,

Alij peruenerunt usq; ad octo, translatione ad septem superiores adiecta. A quibusdam deinde diuisa ratio est, ut status rationales appellarent, quæstiones (quemadmodũ suprà dixi) legales. In illis de re in his de scripto quæreretur. Quidã in diuersum hos status esse, illas quæstiones maluerunt. Sed alij rationales tres putauerũt, an sit, quid sit, quale sit: Hermagoras solus, quatuor, coniecturã, proprietatem, translationem, qualitatẽ, quã per accidentia, id est κατὰ συμβεβηκότα uocat, hac interpretatione, an illi accidat uiro bono esse, uel malo. Hanc ita diuidit, de appetendis & fugiendis, quæ est pars deliberatiua. De persona, ea ostenditur laudatiua. Negocialem quã πραγματικὴν uocat, in qua de rebus ipsis quæritur remoto personarũ complexu, ut sit'ne liber qui est in assertione: an diuitiæ superbiam pariant: an iustũ sit, quid an bonũ sit. Iuridicialem, in qua ferè eadem, sed certis destinatisq; personis quærantur: an ille iustè hoc fecerit uel bene. Nec me fallit, in primo Ciceronis Rhetorico aliã esse * loci negocialis interpretationem, cũ ita scriptũ sit, Negocialis est, in qua quid iuris ex ciuili more & æquitate sit, consideratur: cui diligentiæ præesse apud Iurisconsulti existimantur.

* Vocem loci, quã tollunt.
Lib. 1. de inuent.
Negociali status.

Sed quod ipsius de his libris iudicium fuerit, supra dixi. Sunt enim uelut regesta in hos commentarios quæ adolescens deduxerat scholæ: & siqua est in his culpa, tradentis est: siue eum mouit, quod Hermagoras prima in hoc loco posuit exẽpla ex quæstionibus iuris, siue quod Græci πραγματικοὺς uocant iuris interpretes. Sed Cicero quidẽ his pulcherrimos illos de Oratore substituit, ideoq; culpari tanquam falsè præcipiat, non potest. Nos ad Hermagorã. Translationem hic primus omnium tradidit, quanquam semina eius quædam citra nomen ipsum apud Aristotelem reperiuntur.

Rhet. 3.

Legales autem quæstiones has fecit, scripti & uoluntatis, (quam ipse uocat κατὰ ῥητὸν καὶ ὑπεξαίρεσιν, id est dictum, & exceptionem: quorum prius ei cum omnibus commune est, exceptionis nomen minus usitatum) ratiocinatiuum, ambiguitatis, legum contrariarum. Albutius eadem diuisione usus, detrahit translationem, subijciens eam iuridiciali. In legalibus quoq; quæstionibus nullum putat esse qui dicatur ratiocinatiuus. Scio plura inuenturos adhuc qui legere antiquos studiosius uolẽt: sed ne hæc quoq; excesserint modum, uereor.

Opinionem suam de statibus mutat & excusat.

Ipse me paulùm in alia quàm prius habuerim opinione nunc esse confiteor. Et fortasse tutissimum erat famæ modo studenti, nihil ex eo mutare, quod multis annis non sensissem modò, uerumetiam approbassem. Sed non sustineo esse conscius mihi dissimulanti, in eo præsertim opere, quod ad bonorum iuuenum aliquam utilitatem componimus, in ulla parte iudicij mei. Nam & Hippocrates clarus arte medicinæ, uidetur honestissimè fecisse, qui quosdam errores suos, ne posteri errarent, confessus est. Et M. Tullius non dubitauit aliquos iam editos libros alijs postea scriptis ipse damnare, sicut Catulum atque Lucullum, & hos ipsos, de quibus modò sum locutus, artis Rhetoricæ.

Retractationes laudat.
Lib. epist. ad Atticum 13.

Etenim superuacuus foret in studijs longior labor, si nihil liceret melius inuenire præteritis. Neque tamen quicquam ex his quæ tum præcepi, superuacuum fuit: ad easdẽ enim particulas hæc quoque quæ nunc præcipiam, reuertentur. Ita neminem didicisse pœniteat. Colligere tantum eadem, ac disponere paulo significantius conor. Omnibus autem satisfactũ uolo, non me hæc serius demonstrare alijs, quàm mihi ipse persuaserim.

Rationales status tres.

Secundum plurimos authores seruabam treis rationales status, coniecturam, qualitatem, finitionem: unum legalem. Hi mihi status generales erant. Legalem in quinque species partiebar, scripti & uoluntatis, legum contrariarum, collectiuum, ambiguitatis, translationis: nunc quartum ex generalibus intelligo posse remoueri.

Legalis status e generalibus tollendus.

Sufficit enim prima diuisio, qua diximus alios rationales, alios legales esse. ita non erit status, sed quæstionum genus: alioqui & rationalis status esset.

Translationem non esse statum.

Ex his etiã quos speciales uocabam, remoui translationem: frequenter quidem, sicut omnes qui me secuti sunt, meminisse possunt, testatus, & in ipsis etiam illis sermonibus me nolente uulgatis, hoc tamen complexus, uix in ulla controuersia translationis statum posse reperiri, ut non & alius in eadem rectè dici uideretur: ideoq; à quibusdam eum exclusum. Neque ignoro multa transferri, cum in omnibus ferè caussis in quibus cecidisse quis formula dicitur, hæ sint quæstiones, an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere, & siqua sunt talia: sed personæ, tempora, actiones, cæteraq; propter aliquam caussam transferũtur. ita non est in translatione quæstio, sed in eo propter quod transferuntur. Non debes apud Prætorẽ petere fideicommissum, sed apud consules: maior enim prætoria cognitione summa est. quæritur an maior summa sit: facti controuersia est. Non licet tibi agere mecum: cognitor enim fieri nõ potuisti. iudicatio est, an potuerit. Non debuisti interdicere, sed petere: an rectè interdictum sit, ambigitur: Quę omnia succedunt legitimis quæstionibus. An non præscriptiones, etiam in quibus maximè uidetur manifesta translatio easdẽ omnes species habent, quas eæ leges quibus agitur ut aut de nomine, aut scripto & sententia uel ratiocinatione quęratur, deinde status ex quęstione oriatur? translatio nõ habeat quęstionem de qua contendit Orator, sed propter quã contendit? Hoc apertius: Occidisti hominẽ, non occidi: quęstio, an occiderit: status, cõiectura. Non est tale, Habeo ius actionis, non habes: ut sit quæstio, an habeat, & inde status. Accipiat enim actionem, nec'ne, ad euentum pertinet, non

net, non ad caussam: & ad id quod pronunciat Iudex, non id propter quod pronunciat. Hoc illi simile est, Puniẽdus es, non sum: uidebit Iudex an puniendus sit: sed non hic erit quæstio, nec hic status: Vbi ergo? puniendus es, hominem occidisti: non occidi an occiderit. Honorandus sum, non es: non statum habet? Non, ut puto. Honorandus sum, quia tyrannũ occidi: non occidisti: quæstio, & status. Similiter, non rectè agis, rectè ago: non habet statum. Vbi est ergo? non rectè agis, ignominiosus. quæritur an ignominiosus sit, aut an agere ignominioso liceat: & quæstio est, & status. Ergo translatiuum genus caussæ est, ut temparatiuum, & mutuæ accusationis. At enim simile est illi, habeo ius, nõ habes: occidisti, rectè occidi. Non nego: sed nec res hæc statum facit. nõ enim sunt hæ propositiones, alioqui caussa non explicabitur sed cum suis rationibus: Scelus commisit Horatius, sororem enim occidit: non commisit, debuit enim occidere eam, quæ hostis morte mœrebat. quæstio, an hæc iusta caussa. ita qualitas. Ac similiter in translatione, non habes ius abdicandi, quia ignominioso nõ est actio. habeo ius, quia abdicatio actio non est. quæritur quid sit actio. finiemus. non licet abdicere: syllogismus. Item cætera per omnes & rationales & legales status. Nec ignoro fuisse quosdam qui translationem in rationali quoq; genere ponerent hoc modo, Hominẽ occidi iussus ab Imperatore. dona templi cogenti tyrãno dedi. deserui, tempestatibus, fluminibus ualetudine impeditus: id est non per me stetit, sed per illa. A quibus etiã liberius dissentio. Non enim actio transfertur, sed caussa facti: quod accidit penè in omni defensione. Deinde is qui tali utitur patrocinio, non recedit a forma qualitatis. dicit enim se culpa uacare, ut magis qualitatis duplex ratio faciẽda sit, altera, qua & factum defenditur: altera, qua tantum reus.

Lib. de. 1. lib. 1.

Credendum est igitur iis, quorum authoritatem secutus est Cicero, tria esse quæ in omni disputatione quærantur, an sit, quid sit, quale sit: quod ipsa nobis etiam natura præscribit. nã primum oportet subesse aliquid de quo ambigitur. quod quid sit, & quale sit, certè non potest æstimari, nisi prius esse constiterit: ideoque ea prima quæstio. sed non statim quod esse manifestum est, etiam quid sit apparet. Hoc quoque constituto, nouissima qualitas superest: nec his exploratis aliud est ultra. His infinitæ quæstiones, his finitæ continentur. Horum aliqua in demonstratiua, deliberatiua, iudiciali materia utique tractantur. Hæc rursus iudiciales caussas & rationali parte & legali continet. Nec enim ulla iuris disceptatio, nisi finitione, qualitate, coniectura potest explicari. Sed instituentibus rudes, non erit inutilis latius primò fusa ratio, etsi nõ statim rectissima linea tensa, facilior tamẽ & apertior uia.

Tria quæ in omni disputatione quæruntur, ac proinde totidem status.

Quadripertita ratio agendi in caussis: quæ tamẽ tripliei statu cõtinetur.

Discant igitur ante omnia quadripertitam in omnibus caussis esse rationẽ, quam primam intueri debeat qui acturus est. Nam ut à defensore potissimum incipiã, longè fortissima tuendi se ratio est, si quod obiicitur, negari potest. Proxima, si non id quod obiicitur, factum esse dicitur: Tertia honestissima, qua rectè factum defenditur. Quibus si deficiamur, ultima quidem, sed iam sola superest salus, aliquo iuris aditorio elabendi ex crimine quod neque negari neque defendi potest, ut nõ uideatur iure actio intendi. Hinc illæ quæstiones siue actionis, siue translationis. Sunt enim quædã non laudabilia natura, sed iure concessa, ut in XII. tabulis, debitoris corpus inter creditores diuidi licuit: quã legem mos publicus repudiauit. Et aliquid æquum, sed prohibitum iure: ut libertas testamentorum. Accusatori nihilo plura intuẽda sunt, quàm ut probet factum esse, hoc esse factum, non rectè factum, iure se intendere. Ita circa species easdem lis omnis uersabitur, translatis tantum aliquando partibus: ut in caussis in quibus de præmio agitur, rectè factum petitor probat. Hæc quatuor uelut proposita formæque actionis, quæ tum generales status uocabam in duo (ut ostendi) genera discedunt, rationale, & legale. Rationale simplicius est, quia ipsius tantũ naturæ contemplatione constat. Itaq; in eo satis est ostendisse coniecturam, finitionem, qualitatem. Legalium plures sint species necesse est, propterea quòd multæ sunt leges, & uarias habent formas. Alia est cuius uerbis nitimur, alia cuius uoluntate: alias nobis, cum ipsi nullã habemus, adiungimus: alias inter se comparamus: alias in diuersum interpretamur. Sic nascuntur hæc uelut simulacra ex illis tribus, interim simplicia, interim & mixta, propriam tamen faciẽ ostendẽtia: ut scripti & uoluntatis, quæ sine dubio aut qualitate aut coniectura continentur: & syllogismus, qui est maximè qualitatis: & leges contrariæ, quæ iisdem quibus scriptum & uoluntas, constant: & ἀμφιβολία, quæ semper coniectura explicatur: Finitio quoque utrique generi, quodq; rerum, quodq; scripti contemplatione constat, communis est. Hæc omnia etiam si in illos tres status ueniunt, tamen quia (ut dixi) habent aliquid uelut propriũ, uidentur demonstranda discentibus: & permittendum ea dicere uel status legales, uel quæstiones, uel capita quædam minora: dum sciãt, nihil ne in his quidem præter tria quæ prædiximus, quæri. At quantũ, & quàm multũ, & ad aliquid, & (ut nonnulli putauerunt) comparatiuus, non eandem rationem habent. Sunt enim hæc non ad uarietatem iuris, sed ad solam rationẽ referenda: ideoq; semper in parte aut coniecturæ aut qualitatis ponenda sunt, ut qua mente, & quo tempore, & quo loco. Sed de singulis dicemus quæstionibus, cum tractare præcepta Diuisionis cœperimus.

Rationales status tres: legales quatuor, qui tamen ad coniecturam, finitionem & qualitatem [...]ntur.

Omnia [...] tres status [...]cidunt.

Hoc inter omnes cõuenit, in caussis simplicibus singulos status esse caussarum: quæstionum autẽ, quæ uelut subiacẽtes, ad illud quo iudicium continetur, referuntur, sæpe in unum cadere plures posse. Etiam credo aliquãdo dubitari, quo statu sit utendum cum aduersus unam intentionem plura opponuntur: & sicut in colore dicitur narrationis, eum esse optimum quem actor optimè tueatur: ita hic quoque posse dici, eum statum esse faciendum, in quo tuendo plurimum adhibere uirium possit Orator. Ideoq; pro Milone, aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto cum exercitationis gratia componeret orationem: cum ille iure tanquã insidiatorem occisum, & tamen non Milonis consilio, dixerit: hic etiam gloriatus sit occiso malo ciue. In cõiunctis uerò posse duos uel tres inueniri, uel diuersos: ut si quis aliud se non fecisse, aliud rectè fecisse defendat: uel generis eiusdem, ut siquis duo crimina uel omnia neget. Quod accidit etiam si de una re quæratur aliqua, sed eam plures petant, uel eodem iure, ut proximitatis: uel diuerso, ut cum hic testamento, ille proximitate nitatur. Quoties autem aliud alii petitori opponitur, dissimiles esse status necesse est: ut in illa cõtrouersia. Testamenta legibus facta, rata sint. Intestatorũ parentum liberi hæredes sint. Abdicatus, ne quid de bonis patris capiat. Nothus ante legitimum natus, legitimus filius sit: post legitimũ natus, tãtùm ciuis. In adoptionẽ dare liceat. In adoptionẽ dato redire in familiam liceat, si pater naturalis sine liberis decesserit. Qui ex duobus legitimis alterũ in adoptionẽ dederat, alterũ abdicauerat, sustulit nothum: instituto hærede abdicato decessit. Omnes tres de bonis contẽdunt. Νόθον, qui non sit legitimus, Græci uocant: Latinum rei nomen, ut Cato quoq; in oratione quadã testatus est, nõ habemus ideoq; utimur peregrino. Sed ad propositum. Hæredi scripto opponitur lex, Abdicatus ne quid de bonis patris capiat: fit status scripti & uoluntatis, an

Lib. 7. Caussæ simplices unum tantum statum habent, sed plures quæstiones habere possunt.

Bruti oratio pro Milone.

Caussæ coniunctæ plures status uel eiusdẽ uel diuersi generis habere possunt.

Nothus.

ullo

nullo modo capere possit, an ex uolũtate patris, an hæres scriptus. Notho duplex fit quæstio, quòd post legitimos natus sit, & quòd non sit ante legitimum natus. Prior syllogismum habet, an pro non natis sint habendi, qui à familia sunt alienati. Altera scripti & uoluntatis, Non enim esse hunc natum ante legitimum conuenit: sed uoluntate legis se tuebitur, quam dicet talem fuisse, ut legitimus esset nothus tum natus, cum alius legitimus in domo non esset. Scriptum quoque legis excludet, dicens, non utique, si postea legitimus natus non sit, notho nocere: utetúrque hoc argumento, finge solum natum nothum, cuius conditionis erit? tantum ciuis? atqui non erit post legitimum natus. filius? atqui non erit ante legitimos natus. quare si uerbis legis stari non potest, uoluntate standum est. Nec quenquam turbet, quòd ex una lege duo status fiant. duplex est, ita uim duarum habet. Redire in familiam uolenti, dicitur ab altero, Primum, ut tibi redire liceat, hæres sum. idem status, qui in petitione abdicati. quæretur enim an possit esse hæres abdicatus. Adijcitur communiter à duobus, redire tibi in familiam non licet: non enim pater sine liberis decessit. Sed in hoc propria quisque eorum quæstione nitetur. Alter enim dicet abdicatum quoque inter liberos esse: & argumentum ducet ex ipsa qua repellitur lege. Superuacuum enim fuisse prohiberi patris bonis abdicatum, si esset numero alienorum: nunc quia filij iure futurus fuerit intestati hæres, oppositam esse legem, quæ tamen non id efficiat ne filius sit, sed ne hæres sit. Status finitiuus, quid sit filius. Rursus nothus eisdem colligit argumentis, non sine liberis patrem decessisse. quibus in petitione usus est ut probaret esse se filium: nisi forte & hic finitionem mouet, an liberi sint etiam non legitimi. Cadent igitur in unam controuersiam uel specialiter duo legitimi status, scripti & uoluntatis, & syllogismus, & præterea finitio: uel tres illi, qui natura soli sunt, coniectura in scripto & uoluntate, qualitas in syllogismo, & quæ per se est aperta finitio. Caussa quoque, & iudicatio & continens est in omni genere caussarum. Nihil enim dicitur cui nõ insit ratio, & quo iudicium referatur, & quod rem maximè contineat. Sed quia magis hæc uariantur in litibus, & fere tradita sunt ab ijs qui de iudicialibus caussis aliqua composuerunt, in illam partem differantur. Nunc quia in tria genera caussas diuisi, ordinem sequar.

Cap. huius lib 12.

MOSELLANI.

ALiquo statu } quasi cardine aliquo. Omnibus } generibus. Ducatur } Eliciatur. Id } Disputare de statu. Materias } Caussas. Res } progressus, ueritas. Quidam } Vt Cicero libro primo Rhet. Appareat } Eluceat, eliciatur. Κεφάλαιον γενικώτατον } Generalissimum caput.

Interest discentium } non debet turbare discentes. Nomẽ } scilicet στάσις Non primum } Multo malim legere nonnulli

Ab Eucrate } Naucrate legendum est, quem cõstat & ex Gellio. & Suidæ collectaneis, insignẽ inter Isocratis discipulos fuisse. Verum quod ipse sciam, nulla usquam mentio Eucratis alicuius sit. Clazomenio } Putant primum traditum. Euagari } Expatiari orando. Consistat } quasi pedẽ figat Status est quod summum orator intendit, ac iudex discernit Caussarum } duarum Parum elocutos } puto parũ expressisse quod senserunt.

Status } in quo tota caussa occupatur. Genus quæstionis } id est status. Ex his } duobus, quid, & quis fecerit. Vtraque pars } quis & quid fecerit. Conflictio } Concussio. Conflictione } Nascitur. Leuius } Scilicet est peccatum. Intelligitur } Quid sit status. Inde } ex definitione status qui est conflictio duorum. Conflictionem } Caussarum. Ducendum } Eliciendum. Aliæ } quæstiones. Harum } quæstionum conferentium ad summam caussæ. Porrò } Deinde, sed. Constat } quæstio. Interim } Aliquando, partim. Simplex } in qua unius tantum est status quæstio. Inde } Ex quo Orator præcipuè spectandum putat. Quæstionum } Scilicet status earundem. Posthumo } Reo de repetundis pecunijs. Actionem } petundarum. Competere } ex Iulia lege. Pecuniam } Regiam, publicam. Potentius } Nullam pecuniam peruenisse ad Posthumum. Milonis } qui Clodium occiderat. Insidiator } In uia Appia scilicet. Liquere } Ostensum esse. Deprecationem } Refutationem. Cicero } in Topicis. Congressa } Commissa. Vnde } Ex quibus Ciceronis uerbis statuentis statum in depulsione criminis Rei } Opinioni. A depulsione } Abiectione criminis. Sumi } Duci. Ab eo } Actore. Propositionem } Intentionem, obiectionem suam. Negat } A se.

Probare } hominem occisum esse à reo. Dici } Respondendo. Idem } probatio quòd iure fecerit. Eius } Rei. Intentio } status ipsius. Accedo } assentior, quòd uidelicet status oriatur ab accusatore. Vero proprius } Est uerisimilius. Respondere } Ex ui responsionis Varium } Iam uerum, iam non uerum. Eum faciat } Det ansam statui In coniecturalibus caussis } In quibus crimen obiectum reo actor ipse coniecturis probare cogitur. Eundem } statum. A reo] propter reum. Inficialem] Negatiuum. Syllogismo] Collectione argumentorum. illis] Scriptoribus qui ex depulsione statum ducunt.

Status] Factos ab ipso accusatore. Negat] Reus. Is] qui negat. Coniectura] Ad comprobandum. Legem] accusandi. Syllogismo] scilicet coget nil aduersarium: cuius syllogismi propositio maior legem, ut uocant, habeat. Minor autẽ assumptio adhibeat crimen aduersarij, sicque inferatur legem latam esse de crimine. & si credimus Aristoteli Rhetoricorum primo, leges in uniuersum te. untur, quibus particularia subsumere licet. Verbi gratia: Si is quem adulterũ commisisse accusamus, dicas actorem legem non habere, coget actorem eiusmodi uti syllogismo: ius est in adulterio necare deprehensum: tu es in adulterio deprehensus: ergo iure lege necandus eras & ex consequẽti licet tecum iure agere Nihilominus] Nihil priori impediente. Permittat] Adulterũ deprehensum occidere. Qui artem ludicram exercuerit } Extat hodie edictum Prætoris Pandectarum lib 3. titu. De ijs qui infamia notantur, quod referẽte Iuliano Iurisconsulto sic statuit: Qui artis ludicræ, pronunciandive caussa in scenam prodierit, infamia notatur Porrò scenã Labeo Iurisconsultus ibidem interpretatur locũ uel publicũ uel priuatum in urbe aut uico, quò homines ad spectaculum confluant. Iam qui se in hortis tantũ exercendo Prætori ostenderet, haudquaquã hac interpretatione tenetur. id quod eodẽ titulo Caius Iurisconsultus apertius indicat, his uerbis, Qui autẽ operas suas locauit ut prodiret artis ludicræ caussa, neq; prodit, non notatur, quia non est res adeò turpis, ut etiam consilium puniri debeat.

Theatrali lege } Qua negabitur locus in quatuordecim primis ordinibus ei qui uel ludicram artem exercuisset, uel censum equestrem nõ haberet, id est quadringenta sestertia. Ludicra } Vt qui prodieris in scenã. Primis ordinibus } Theatri. Ostenderat } Periculum suæ artis fecerat. Prætori } Prætore conspiciente. Intentio } Obiectio Quæstio } Scilicet oritur. Excitatus } ab aliquo. Iniuriarũ } Sibi illatarum. Depulsio } Responsio accusatoris. Frequentius illud } Vt scilicet intẽtio sit actoris, depulsio rei, & ex depulsione nascatur status. Appareat } emineat, emergat, exoriatur. Status } uere. Subiecta res } Materia, caussa Diuersi status } Particulares. Res } Lis.

Id } In quo res maxime uerteretur. Magis] Mihi pugna erit cum eo. Eius rei] Status. Quanquã] Etsi. Disputationem] De appellatione status. Numerus] Statuũ. Conuenit] Consentitur inter authores. Decem elementa] summa genera in quibus status uersantur. Coniecturis aliquot in suspicionem uenio, locum hunc ab oscitante aliquo scriptore confusum, quòd exempla adducta in elemento ipsius situs, parum cũ Aristotelis mente cohæreãt, qui certè calefacere exemplum ponit elementi facere, & irasci quoque, cum nulla ratione ad sententiam quadret, & cõmodius referatur ad passionis genus. Est autem, authoribus Philosophis, ira passio, & qui irascitur, patitur. Neque dubito quin docti, qui uel per transennam Aristotelem inspexerint, nobis sint suffragaturi. Translatio] Probationis nomen. Tempus quod χρόνον] Ammonius Græcus author differentiam facit inter χρόνον & καιρόν. χρόνον dicit simpliciter significare tempus infinitum, sed καιρὸν partem aliquam temporis alicui negocio opportunè uel tempestiuè adhibitam, id quod Fabij uerba penè exponunt. Addicta] Dum fuerat tradita in seruitutem creditori ad tempus, nam addicere est se tradere creditori in seruitutem ad tempus, donec soluat, qua de re est titulus in Pandectis de addictione in certum diem.

Videtur } Sumi. Iterum } Secundo modo acceptum. Speciem } Partem. Temporis } Superius dicti. Huic } Elemento. In pestilentia comessator } Dubiũ non est quin in de-

clamationibus hoc celebre fuerit argumentum nimirum cum ac cusare,qui grauissimo Reipub. tempore, hoc est pestilenti, comessationibus compotationibusque indulserit,nec magni pendent publicum ciuitatis malum. Quod] Elementum. Debentur] A Republica scilicet. Tyrannos] Malos principes. Tot tyrannos sustulerit] Athenienses cum aliquoties infeliciter cũ Lacedæmoniis pugnassent, tandem uicti sunt. at Lacedæmonii uictis,ne per occasionem rebellionem pararent, 30. præposuere uiros,qui Reipub. summæ præessent hos 30.sustulit Thrasybulus,unde declamandi materia olim fuit in scholis,tot ne præmia deberẽtur Thrasybulo,quot tyrannos occidisset. Porrò hæc materia in elemento numeri uersatur. Τρόπον] Modum, rationem. Alio modo] quàm licuerat. Hinc] ex hoc elemento proficiscitur. Adulter loris cæsus] Cum tamẽ lege Iulia alius ulciscendi modus præscribatur, nempe occidendi deprehensum in adulterio. Porrò quod hic de adultero loris cæso adducitur, opinor ex historiis sumptum esse quæ refert Crispum Sallustium deprehensum in adulterio,loris bene cæsum à Tito Annio Milone,& sic dimissum. ἀφορμὰς ἔργων] Occasiones operum.

Hi] qui nouem elementa statuunt. Quidam] Vt Hermagoras. Detrahunt] Superiori numero elemẽtorum. Quæ] dicta Græcorum curiosa. Tam ociosi Græci fuere illi prisci, ut Cicero græcum ocium pro summo in Bruto dicat. His] Iam dictis. Ostendi] Declarari Locos] Quæstionum. Vtraque re] Et statibus, & locis. Elementis] Principiis nouem.

Authores] Græcos. Colligeret] Comprobaret. Quoque] Scilicet hac ratione Vtrocunque] Vtrolibet. Coniectura] Diligens rei inuestigatio per signa. Coniectura à coniectu] Est enim coniectura,incertæ rei indicium ab aliquo manifesto signo, aut suspicione,aut ex uultu eius de quo agitur, ut deprehensus est quispiam corpus recens mortuum in solitudine sepelire,hic cædis reus fit. à sepeliendo,& ea sepultura quæ manifesta est,inuestigamus incertum,hoc est qui author cædis fuerit. Hermogenes Rhetoricorum lib. 1.cap 3. Genus] statuum.

Archidemus] Scriptor Græcus, cuius tamen Suidas non meminit Quod] genus status. Et hæ quæstiones] In definitionem cadunt, quare sub finitiuo statu sunt comprehendendæ.

Inficialem] Negatiuum,quando reus negat factum Coniectura] quia coniecturis probare oportet quod reus inficiatur,id est negat. Nomen] Inficialis. Alii in partem] dederunt.

Furtum rei priuatæ. In rem] scilicet diuiserunt statum. Reliqui status] Scilicet oriuntur.finitiuus,qualitatis. Idem] Hoc de statibus. Quæstionem] Litem. Illud] Genus positum in externis. Hoc] Positum in opinionibus nostris. περὶ ἐννοίας] Circa cogitationem,mentis conceptum. Idem] Aliter dictum ab Apollodoro. ἄπορον] Dubium, præsumptum.

Quo dubium] Dictum. Præsumptum] De coniecturis. Idem] Dicit de statibus. περὶ οὐσίας] De essentia rei,& accidentibus. Prius genus] quæstionis. Sequens] Genus accusantium. Reliqua] Reliquos status habet. Ad aliquid] Scriptum uel non scriptum. De eodem] Essentia. De alio] Accusante. Posidonius] Rhetor,cuius Cicero frequenter meminit coniecturam] Exhibet. Quod] Genus. Κατ' αἴσθησιν] Iuxta constitutionem. Κατ' ἐννοίας] Iuxta notionem, sententiam animi. notio uerò est,quamdiu species in animo concepta manet: definitio,cum uerbis exprimitur. Partes] Species. Legales] E legibus exorientes status. Mentis] Cogitationis, opinionis nostræ. Summo genere] Altissimo,ut honestũ esse.

Succedentibus] Posterioribus generibus. Interdum] Tractatur quæstio. Melius] Est dictum de statu substãtiæ. Pars] Species. Succedentium] Partium,particularium magis subiectarum & subalternarum Aut] Tractatur. De re nominata] nomine expressa. Vbi] In quo genere quæstionis His] Statibus. Et translatio] Et quia. Quin &] Et,quia. Scripti & uoluntatis] Scilicet quæritur. Ambiguitatem] Scilicet quia est. Ambiguitas autem hoc loco dubitatio est quæ ex uario uerborum accentu, aut distinctione diuersa syllabarum oritur uerbi gratia. Duo erant cuidam filij,alter Leon,alter Pantaleon dictus. pater moriens sic testamento scripsit, Habeat mea Pantaleon. Ex his uerbis uterque filius contendit paterna bona ad se attinere,alter legit, habeat mea πάντα,id est omnia, Leon: alter coniungendum censet. κατὰ ῥητὸν] Id est iuxta dictum & sententiam,siue mentem: ut sunt testamenta,decreta, abdicationes certo tenore uerborum comprehensæ,id est exheredationes: & omnia quæ uerbis concepta continentur. μετάληψιν] Is status est quoties crimen ipsi cõfitemur quidẽ, sed à nobis transferimus uel in ipsum actorem,uel in quam aliam caussam, ita ut factum quidem ipsum concedamus,culpam autem in alium reijciamus:quanquam hac de re paulo aliter Hermogenes,qui tum putat μετάληψιν esse,quando crimen ipsum scilicet in totũ à nobis reijcimus, quasi ad nos nihil pertineat, nimirum quòd nulla ea caussa negetur ansa aduersario nos accusandi: uel si quispiam cædis damnatus,casu aliquo carnificis ossum frustratus, dicat nõ bis supplicium de uno crimine sumendum. id quod partim ex Hermogene colligimus, qui iuridicialem statũ sic uocat: partim ex ipso Fabio,cuius uerba paulo supra hæc fuerunt: Iuridicialis est,qui δικαιολογικὸς græce dicitur δίκαιος iustus,δίκη iudicium λόγος dictio,sermo. Συλλογισμὸν] Est enim Hermogene authore syllogismus apud Rhetores, applicatio alicuius facti non scripti particularis ad scriptum ipsum, hoc est legem uel testamentum,ita ut ex hac coagmentatione existat forma syllogismi dialectici. uerbi gratia negatur alicui facultas orandi per syllogismum hoc modo: Meretricis filius ne dicat apud Iudices: hic est meretricis filius,negabitur ergo ei locus orãdi. Προτρεπτικὸν] à προτρέπω exhortor. Συντελικὸν] Expletiuum statũ,& perfectiuum. ἐπαλλακτικὸν] Subiunctiuum. ἀλλάττω nanque muto sonat,quia in translatione actor uel iudex mutatur. Mutatione] Definitione,In qua mutatis uocabulis una res per definitum & per definitionem explicatur. Comparatiuo genere Caussarum,in quibus comparamus crimini cuius res agitur, aliquod egregium factum,quod plus in se habuerit cõmodi, quàm crimen obiectum detrimenti. Μετάστασις] Antiquum enim erat,& iam antè uulgatum μετάληψις. Ab Hermagora] Similiter & ab Hermagene, qui mihi Hermagoræ rationem uelut referre uidetur. eius hæc sunt uerba eo loco ubi de iuridicialibus statibus agitur. Fit autem,inquit,contraria accusatio, quando reus confitetur se crimen commisisse.& peccasse,uerum culpam transfert in aliquod aliud, ut in actorem, qui eo nomine meritò pœnas dare debeat. quod si,inquit,in aliud transfert culpam,tũ rursus fit diuisio. aut enim in aliquod culpabile meritò transfert crimen confessum,& facit μετάστασιν, aut si hoc non possit, precatur & contendit sibi ueniam dari, caussa extrinsecus adducta.

Omnia] Ista quæsita scilicet. Referri] Relationem aliquam mutuam fieri statuum caussarum. ἀξίας] Dignitatem,æstimationem,precium. Hoc] Scriptore. Tribus illis rationalibus] coniecturæ finitionis,qualitatis. Ratio] Statuum. In illis] Rationalibus statibus. In his] quæstionibus legalibus. Hos] Legales status, Illas] Quæstiones. Proprietatem] Finitionem. Hanc qualitatem] Secundũ accidens. Quæ] Species qualitatis. Laudatiua] Pars caussarum. Siue ne liber] existimandus, perinde ac si esset liber aliquis tantisper dum uindicatur apud iudices ab aliquo in libertatem. Asserere enim apud ueteres Iurisconsul. significat, homines quoquo modo pro seruis æstimatos, in libertatem ui iuris restituere. Eadem] quæ in negociali. Destinatis] In animo conceptia. Negocialis] Scilicet est pars. Iudicium] Censura. Regestæ] Repositæ.

Deduxerat] Conscripserat. Scholæ] Disputationes. Tradentis] Eius qui Ciceronis præceptor fuit. Hoc loco] De negociali statu. Nos ad Hermagoram] Scilicet redeamus. Hic] Theon Rhetoricæ traditor. Semina] Fontes. Citra nomen] Sine nominis translatione. Reperiuntur] Apud Aristotelem 3.Rhetoric. ad Theodecten. Has] Sequentes. Voluntaris] Legumlatoris. Quam] Quæstionem legalem. Ipse] Hermagoras. κατὰ ῥητὸν] Id est iuxta uerbum, siue dictum sub exceptione. Quorum] Nominum. Prius] Dictũ.

Ei] Hermagoræ. Omnibus] Scriptoribus Græcis artis Rhetoricæ. Exceptionis] uoluntatis. Legum] Contrariorum. Albutius] Rhetor Latinus. Eadem] Diuisione qua usus est Hermagoras. Detrahit] Ab aceruo legalium quæstionum. Nullum] Statum. Excesserint modum] Veniam petit,quòd tam uarias uariorum sententias congesserit, id quod certè opus fuerat, est enim modus in rebus,sunt certi denique fines, ut Horatius inquit. Et fortasse tutissimum erat] Palinodiam modestè incinit, quòd post XX. annos nunc demum secus incipiat sentire. Hoc Hieronymus, Augustinus,item Origenes fecerunt, & Cicero quoque facit in præfatione libri de Oratore, ubi dicit sibi quædam rudia excidisse, Rhetoricam scilicet ad Herennium conscriptam, ut Hieronymus uult, & approbat. Id quod fecisse pro tempore præceptor existimatur,hoc quoque faciunt doctissimi quique homines nostri seculi.

Hippocrates] Cous fuit ex Asclepiadarum genere. Catulum] Ciuem Romanum, alii Catulum. Aldus legit Lucullum, alii Lucilium. Particulas] Præceptionum priorum. Didicisse] Priora. Satisfactum uolo] Dicit propter suos discipulos sui temporis. Persuaserim] Vera scilicet esse ea. Hi] quatuor. Quartum] Legalem. Diximus] In duobus prioribus Rhetoricæ libris. Quæstionum] Ciuilium. Cecidisse] Non rectam iuris formam seruasse. Quæstiones] quæ sequuntur.

quuntur. Actiones] Iura persequendi quod alicui debetur. Quæstio] Principalis status. Maior summa] Scilicet fideicommissi, uel hæreditatis, quibus non poterant hæreditatem uel legata relinquere. si relinquebant, eorum fidei committebant, qui capere ex testamento poterant hæreditatem: & ideo fideicommissa appellata sunt, quia nullo uinculo iuris, sed tantùm pudore eorum qui rogabantur, continebantur. Verba autem fideicommissorum hæc maximè in usu habentur, Peto, rogo, uolo, mando, fidei tuæ committo: quæ perinde firma singula sunt, ac si in unum congesta forent. Controuersia facti] Id est coniecturalis status. Cognitor enim fieri] Tria genera sunt eorũ qui nobis in caussa nostra apud iudicem adesse possunt: patronus, qui propriè erit Orator: Aduocatus, hoc est Iurisconsultus, qui ius ipsum suggerit: & cognitor, qui omnem rei caussam cognitam habet, & propterea tuetur ut suam absente uero reo. Iudicatio] Controuersia. Interdicere] Mihi usu huius rei. Petere] ut tibi crederem. Interdictum] Mihi. Omnia] Exempla iam dicta de translationibus. Legitimia] Veris statibus.

Præscriptiones] Iure ciuili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo qui dominus non erat, cum crederet eum dominum esse, rem emerit, uel ex donatione, aliaue caussa quauis acceperit is eam rem, si mobilis erat, anno ubique uno: si immobilis, biennio tantùm in Italico solo usu caperet, ne rerum dominia in incerto essent. Verum Iustiniano imperatori legum instauratori, melior uisa est sententia, ne domini maturius suis rebus defraudarentur. Ideoque cauit, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles uerò per longi temporis possessionem, id est inter præsentes decennio, inter absentes uiginti annis usucapiantur. Prius illud de mobilibus usucapionem, posterius uerò præscriptionem uocant. Leges quibus agitur] Actio nihil aliud est, quàm ius persequendi in iudicio quod sibi debetur.

Species] Legalis status. Leges] Habent. Status] Principale caput caussæ. De qua] Caussa. Sed] Scilicet ea quæ quæstio habet caput litis. Apertius] Erit exemplis. Non est tale] Non est huiusmodi exemplum, ut statim ea intentione & depulsione oriatur status. Caussam] Principalem.

Ad id] Pertinet. Pronunciat] In uera caussa. Quæstio] Principalis. Vt puto] statum habet. Quæstio & status] hinc oriuntur. Ergo?] Status hic. Agis] Persequeris ius tuũ. Ignominiosus] Infamis. Illi] Superiori exemplo. Non nego] Simile. Hæc res] Hæc conflictatio. Propositiones] Obiectiones plenæ. Sed cum.] In hunc modum statum faciet. Hæc] Morte hostis mereri. Deserui] Desertor imperatoris factus sum. Non stetit per me] Non fuit culpa mea factum. Cætera] Omnia exempla litium. Status] Sic se habent. A quibus] Scriptoribus. Ea prima quæstio] An res sit. Hoc] Quod sit res. Rationali parte] Admisso statu rationali. Tensa] Scilicet est, quæ & breuissima. Nam geometræ lineam definiunt extensionem esse à puncto ad punctum, aut fluxum puncti in longum. Porrò rectam lineam esse dicunt extensionem à puncto ad punctum. Apertior uia] Breuissimam hanc uiarum rationem quantum licet sectamur, sed si montes interponantur, aut paludes, aut flumen, aliquoties compendio neglecto commoditatem inspicimus. Ad hunc modum Fabius tametsi breuissimo præcepto statuũ doctrinam absoluere queat, maluit tamen commodiorem rationem & tutiorem uiam sequi. Illæ quæstiones] Scilicet uersantur.

Vt XII. tabulis] Sextum Cæcilium Iurisconsultum apud A. Gellium lib. 20. cap. 1. de legibus XII. tabularum disserentem uide & consule, si uidebitur. Libertas testamentorum] Omnia per testamentum facere, & ab hæredibus alienare. Sed lege Falcidia cautum est, ne supra dodrantem, id est tres partes bonorum legando exhauriantur. Porrò iurisconsulti hæreditatem uniuersam per assem intelligunt. Vide titulum de lege Falcidia libro primo Pandectarum. Præmio] Quod quis promeruerit. Quatuor] Coniectura, Finitio, Qualitas, Legalis.

Proposita formæq;] Themata & exemplaria caussarum quædam. Tum] In duobus libris prioribus emissis per incuriam.

Simplicius] Magis peruium intellectui. Cõtemplatione] Respectu. Legalium] quæstionum. Nitimur] Fulcimur.

Voluntate] Aequa interpretatione, quam limitationem hodie Iurisperiti uocant. Comparamus] Vtra sit nobis accommoda & conueniens, efficacior & potentior. Diuersum] Vario sensu aduersarii. Simplicia] quòd tantum unum statum præ se ferunt. Faciem] Speciem. Scripti] Verborum.

Voluntatis] Rerum. Syllogismus] Nascitur hinc. Leges] Contrarietas legum: quæ ἀντινομία græcis dicitur. Iisdem] Statibus. ἀμφιβολία] Ambiguitas. Generi] Statum legalium. Rerum] Voluntatis. Scripti] Verborũ. Hæc omnia] Specialia. Rationem] Naturam, modum. Varietatem] Varium sensum. Rationem referenda] quam obiter adhibemus caussæ nostræ. Qua mente] Aliquid factum sit.

Singulis] Legalibus, & rationalibus. Illud] Caput principale. Quo statu sit utendum] In qua parte caussæ pes sit figendus. Colore] Figura, habitu. Virium] Argumentorũ, roboris. Pro Milone] qui in Appia uia Clodium occidit.

Componeret] In defensionem Milonis. In coniunctis] Caussis. Generis] Naturæ. Re] Vel hæreditate. Legibus] Ex formula legum. Ciuis tãtum] Sic in urbe. Liceat] Per leges. Adoptionem] Vt adoptentur ab aliis in locum filiorum. Familiam] Naturalem. Sustulit] Procreauit, genuit. Instituto] Per testamentum. Abdicato] Filio. Lex] Ab aduersariis. Fit] Obiicitur. Prior status] quæstio.

Habet] Statum. Altera] quæstio. Ante legitimũ] Cum nullus nothus secutus sit, sed natus filius. Conuenit] Inter scriptores. Voluntate] Sentententia. Notho nocere] Tanquam non ante legitimum nato. Argumento] quod sequitur.

Tantum ciuis] qui non ante legitimos est. Natus] post.

Filius?] Scilicet ne erit ante legitimos natos, quia nullus secutus est? Legis] Ob contrarietatem scilicet. Voluntate] Legis. Duo status] Scripti & uoluntatis, atque etiam syllogismi. Duplex] Lex ipsa. Volenti] Filio adoptato.

Redire liceat] Vt demus tibi quod maxime tibi liceat redire.

Idem status] Oritur. Duobus] Nato, atque abdicato.

Eorum] Duorum. Alter] Nothus. Repellitur] Ab hæreditate, per adoptatum scilicet, abdicatus ne quid de bonis paternis capiat: hic quia pater adhuc dicitur abdicati? certum est abdicatum inter liberos esse, cum pater & filius mutuam relationem habeant. Intestati] Præsentis. Legem] Scilicet sibi. Status] Oritur hic. Colligit] Comprobat. Petitione] Hæreditatis. Filium] Scilicet legitimum. Legitimi] Filii.

Legitimi] Ex legibus profecti. Tres illi] status scilicet cadunt in controuersiam.

ANTONII PINI.

Ergo cum omnis caussa.] In iis quæ sequuntur, ut summa est difficultas, sic confusus usque adeo uidetur Fabius, ut multi aut parum constare sibi putent; aut certe eius sententiã non multis esse peruiã. quod ideo sum præfatus, ut studio meo habeatur gratia, qui rem obscuram explicare sum aggressus & uelut ex inferis Cerberũ educere. Errori detur uenia, si in re tam perplexa quorundã iudicio non satisfecero. Principio igitur Fabius ordinẽ cohærere docens, indicat & quo hæc superioribus conueniant, quo item sequentibus recte præferantur. Ille. n. constans ordo est, cum tã antegressis quàm subsequentibus, id est & primis & imis respõdent media. Quia uerò superius caput occasione fuit interpositum magis quàm necessitate, repetit eam partẽ quæstionis, in qua apertius status extat. Cũ omnis, inquit, caussa in aliquo sit statu. Antequã singulorũ genera doceat, tractationem tradit eorũ statuum, qui in unoquoq; genere caussarum uersantur. Nisi enim communia præponantur, aut sæpius erunt iteranda, aut inopportuno loco tradẽda. Proinde quia cõmune est omnibus habere statũ, de illo præcipit priusquã singula genera incipiat explicare. Capita uero summa totius hac de re disputationis attingit. dicens quid sit status, ut hoc loco: unde ducatur, ut capite sequẽti: ubi quæ sit origo status, monet. quot sint, & quales, id explicat capite ab hoc tertio. Nec uerò mirari debes non ab omnibus seruatũ hunc ordinẽ. Cicero. n. de statu egit, de genere iudiciali loquẽs, quòd ibi facilius cernatur. Alij post omnia genera aliud secuti. quæ omnia bene possunt immutari, modò possit consilij probabilis ratio reddi. Quia uerò communem esse statũ omnibus caussis dixerat, contrariã refellit opinionem. Tuentur enim quidam statuũ in genere demum iudiciali aperire: quorũ sententia tũ re ipsa refelletur, cum cognita generũ tractatione, omnes intelligent singula caussarũ genera suo statu contineri. proinde longiore reprehensione supersedet. Initio dicturum se promiserat quid esset status. prius tamen quàm definiat, nominis diuersitatẽ attingit. Varietas enim appellationũ sæpe obest quo minus res bene percipiatur. Nec uerò à proposita partitione discedit. Cum. n. quid sit quæritur, nominis etiã quæstio uidetur includi. Fabius igitur uocat statum in quo stet nitaturq; caussa. Cicero cõstitutionem appellat, idem quæstionẽ, ut in Topicis, & Partitionibus. Nam cum statũ uocasset depulsionem defensionis, quòd eum caperet locum, & in eo staret defensor, id quod Fabius statum uocat, nomine quæstionis intellexit. Alij nõ quæstionem ipsam, sed quod ex illa appareatur sit quæstio an insidias struxerit, huius facies est coniecturalis. Illi ergo quod ex quæstionis facie apparet, nomen status accommodant. Theo-

dorus generale caput græce dixit κεφάλαιον γενικώτατον, quasi inter quæstiones maxima & potissima status dici debeat. Quæ omnes appellationes uoce discrepant, re consentiunt. Volunt enim omnes eandem rem dicere, in qua tamen definienda non mediocris pugna est. At uerò nominum diuersitas memoriam confundit, & fructum nullum affert discentibus, quorum non interest quàm uarie res dicatur, modo & rem ipsam norint, & bene simpliciterque efferant. Quam multiplex sit appellatio, uides, nunc græci nominis quæ sit origo, accipe. Quod latini statum, à græci στάσιν uocant, eadem prorsus uerbi deflexione. Latius tamen græcis sonat. Nam & στάσιν seditionem dicunt, & quietis stationem per hoc nomen intelligunt, & certam chori partem, ut notat Aristophanis interpres. Huic ergo arte tractandæ quæstioni nomen fecisse στάσιν Hermagoras dicitur, uel Naucrates Socratis discipulus, ut in tertio de oratore uocat Cicero, licet in Suidæ collectaneis sit Σωκράτης mẽdose. Sunt qui à Zopyro Clazomenio Clazomenis Aliæ oppido orto quod si diligentius sciuteris, Aeschines ea oratione qua reum fecit Ctesiphontem, qui rationibus non relatis Demosthenem in theatro coronasset, nomine στάσεως uidetur uti. Petit enim à iudicibus, ut memores legum in quarum uerba iurarunt, non patiantur extra rem multa dicere Demosthenem, sed cogant de summa accusationis, id est lege qua tenetur Ctesiphon, disputare. Legis autem tractatum consultò fugiebat Demosthenes, quòd eius uerbis premeretur. Verba sic habẽt ὥσπερ ἂν ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν ὁρᾶτε τοὺς πύκτας περὶ τῆς στάσεως πρὸς ἀλλήλους διαγωνιζομένους, οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅλην τὴν ἡμέραν ὑπὲρ τῆς πόλεως καὶ περὶ τῆς τάξεως αὐτῷ λόγῳ μάχεσθε, καὶ μὴ ἐᾶτε αὐτὸν ἔξω τοῦ παρανόμου λόγους περιίστασθαι. Vbi στάσιν uocat locum de quo capiendo pugiles contendunt: ad quorum similitudinem uult de statu, id est de loco accusationis potissimo dicere Demosthenem. Non satis esse putat authorem nominis inquisisse, unde declinetur subiungit. Hæc inquit, appellatio uel ex eo ducta est, quia ibi stat defensor, eiumque locum ubi consistat capit, uel quia caussa in eo stat, ut si est præcipua quæstio illa transacta, decisaque, de re tota pronuncietur. Et hæc quidem de nomine annotauit, ut illi uia rationeque omnis disputatio procederet.

Statum dixerunt primam caussarum conflictionem] More suo Fabius aliorum definitiones ad examen trahit, priusquam ea de re quid sentiat proferat. Primum ergo omnium quæ sit uis naturaque status, ubicunque sit, & undecunque oriatur, exponit. Sic enim omnem tibi exemeris molestiam, si principio status uim naturamque constituas, deinde exquiras diligentius unde reperiatur existatque illa quæstio: ut si de constituenda hominis definitione prius ageres, deinde in quo demum illud nomen esset ponendum, noua controuersiæ exoriretur quod qui non uidẽt, hærent sæpe in uado, nec ex difficultatibus possunt pedem proferre. Statum igitur, ubi ubi ille sit, & à quocunq; gignatur, quidam definiunt ad hunc modum, ut sit caussarum prima cõflictio. Accusator enim litem intendit, defensor repellit, unde nascitur utriusque litis conflictio. Illam uidentur hi status definitione complecti qui fortasse recte senserunt, quia non conflictionem, sed quod ex conflictione oritur, statum esse intellexerunt, parum tamen sunt elocuti. Non enim eum sensum abunde expresserunt, sed ut bene intellexerunt, ea angusta interpretatione arcti locum fecerunt, dum multi hominum magis quàm rationem uicti pondere, uerba consectantes, eò sententiæ sunt prolapsi, ut aduersam litis contestationem statum uocarent. At uerò prima illa conflictio, ut uerbi caussa in coniectura, fecisti, non feci, status dici non potest, sed id genus quæstionis, quod ex prima conflictione oritur, status dici debet, tale est in hoc exemplo coniecturali, an fecerit. ita in finitione intentio est, fecisti hoc nempe sacrilegium, aut tale quippiam. depulsio, non feci hoc. Id est, nomen quod adfert, meo facto non conuenit. quæstio est quid fecerit. hoc est, feceritne is illud quod suo nomine innuit aduersarius. ubi quia rei adferri debet definitio, quæstio exoriens ad finitionis statum reducenda est. Esse uerò statum eam quæstionem quæ ea conflictu intentionis depulsionisque nascitur, probat hac usus ratione, quia in ea quæstione status est collocandus, unde colligitur quo res genere sit tractanda. at facies exortæ quæstionis indicat, cum quæritur an fecerit, esse coniecturam adhibendam. Cum uero an hoc fecerit, & an quod fatetur factum, tali nomine signandum sit, esse admouẽdam finitionem ideo hoc status requirit natura, ut in ea sit quæstione, quæ ex actionis depricationisque disceptatione emergit. Illa enim est in qua utraque pars uel confirmanda uel infirmanda insistit. Cæterùm ut commodius intelligamus hãc esse uim & propè ἐνέργειαν status, ut sit genus quæstionis ex partium contentione exortũ, cum comparas sono, cuius si hanc redderes definitionem, sonus est collisio corporum sonantium, materiam quidẽ certe soni exponeres quodammodo uerius & caussam, quàm sonum. Non enim sonus illa ipsa est sonori corporis contactio, sed qualitas aure percepta, cuius ea sonori corporis collisio est initium, ita status ex conflictione prima caussarum nascitur, ipsa uerò ea aduerso conserta conflictio, earum status nullo modo dici potest. Nec abs re est quod Trapezuntius aliòqui non grauis author partitur statum in primum origine, & uiribus. Primum uocat origine, eam quæstionem quæ prima ex aduersa contestatione oritur, ut in Miloniana, interfecisti, reus ait, interfeci, sed iure. Prima quæstio est, an iure interfecerit. In ea statum primum origine collocat. et defensio non stat nisi rationem adiungas. Erat, inquit, insidiator. at accusator resistit, & firmamenta sua exponit. Non erat, inquit. rursum noua est quæstio, an insidias struxerit, quæ prima uiribus ab illo uocatur. Quorsum hæc? dices: Vt doceam, in hoc capite non id agere Fabium, ut ubinam sit status, apertè doceat, quæ de statu hic ait, in commune ait, ab utraque parte in quacunque quæstione statum dixeris, certe hanc esse naturam status, ut quæstionem desideret de qua litigatur. In qua uerò quæstione status caussæ sit ponendus, & utra pars status originem præbeat, ordine docebit. Quod si diligenter excussisti quæ diximus, habes initia ut ad Fabij uiam de ratione statuum sine errore peruenias.

Et hoc leuius. intelligitur enim utcunque.] Hactenus an esset conflictio disseruit, nunc aliam definitionis particulam attingit, quæ male intellecta, à uia plerosque abduxit, & in errorem præcipites dedit. Legerant enim statum esse primam conflictionem, hoc est eam esse quæstionem, quæ ex primo conflictu nascitur. at illi primam ordine quantumuis leuem friuolamque controuersiolam statum non modò, sed quod deterius est multo, statum caussæ principem uocabant. Etenim si dixissent, in prima illa disceptatione statum esse, non fuisset magnopere uitiosum. Nam si statum communiter æstimes, omnis quæstio ut controuersiam, sic & statum habet, id est aliquid de quo ambigatur. sed, quod est uitiosissimum, ex ea quæstione quæ ordine dicendi prima occurrebat, statum non quemuis, sed caussæ totius eruebant. Probat autem Fabius ridiculum planè fore, si statum cardinemque litis in eo ponas, quod, ut uelitum mos est, primo incurrit, ac non potius expectes ultimam ordine, uiribus principem quæstionem, quæ triariorum instar cum graui argumentorum armatura defixo manet pede, quæ cæteræ quæstionum acies fortiantur euentum expectans. argumentatur primum a partitione earum quæstionum quæ in caussam incidunt. Aliæ, inquit, quæstiones rem eam de qua est constitutum iudicium, attingunt, ut in Miloniana, struxeritne insidias Clodius, & ideo iure necari potuerit. Aliæ extrinsecus adducuntur, ut præiudicia Senatus & Pompei pro Milone, & quæcunque lege quadam accusatoria in reos de uita anteacta dici solent. Illæ enim ut ad summam aliquid conferunt, id est præcipuæ quæstionis uires fidemque adiuuant, ut legiones Latini nominis, sociorum auxilia, ita spem uictoriæ non promittunt, nec aut in acie stare aut uincere solæ possunt. Ergo diuersorum generum quæstiones in communes incurrunt. Aliæ enim sunt caussæ propriæ, aliæ incidentes, quæ primæ ordine solent esse, quare si statum caussæ inde petas, incides in id absurdi, ut statum caussæ proprium in eo situm dicas, quod caussæ proprium non est. quo quid ineptius dici singiue potest? Adde quod non tantum id accidet, sed quia incidentium ut quæque leuissima est, ita primo loco fungitur, eueniet ut in leuissima, eaque non præcipua quæstione, statum esse fatearis. Altero utitur argumento in hanc sententiam, frequens est in caussarum omni genere, ut primas quæstiones tractatas simulemus relinquere, & aduersariis ex abundanti concedere, interim quasi aliis nitamur, illa liberaliter donantes, interim ut per hæc leuiora, ad ea quę sunt grauiora transeamus. Prioris exemplum sit disputatio de lege pro Cluentio, de iure populi Romani pro Planco. posterioris sit, ut si Catoni suadeas ne ducat Martiam, principio dispures non illi ducendam uxorem, deinde ut aliò pergas, quòd ne fateamur contrahendas esse nuptias, homini seni & moroso matrimonium non esse celebrandum Cum igitur quæ prima sunt uel donemus, uel aliò transeuntes, concedamus, si in illis statum esse dixeris, fateberis præcipuum caussæ statum uel ultro donari, uel simulate concedi, quorum prius perfidiæ est, posterius autem stultitiæ.

Simplex autem caussa] Refutauit eorum errorem, qui ex prima quæstionum contentione educi statum caussæ credebant, nunc ut in errorem ne delabamur, quæ sit status in caussa habenda ratio, breuiter exponit. Duplex enim & coniuncta diuersis criminibus caussa tot status habet, quot simplices in illa essent controuersiæ si separatim acciperentur

rentur. Simplex autem caussa est, quæ unius rei disceptationem habet, quam etsi uariis rationibus muniatas, quarum singulæ suos habent status cum ex aduerso refelluntur, tamen una est in qua totius defensionis summa conijcitur, in qua uictoriæ prima spes est, in qua obtinenda neruos omnes intendit orator, & in eius probationem, quia euentum iudicii ex ea pendere nouit, intentus est iudex maxime. Prout enim illa uel steterit, uel loco mota fuerit, sic aut secundum nos, aut contra pronunciabitur. In illa ergo quæstione status erit caussæ, reliquæ subsidiariæ rationes. & ut sic loquar, auxiliares copiæ, quæstionum status habent, id est eiusmodi contentiones, quales in singulis quæstionibus esse possunt. Obscurum uerò fuerit, nisi appositione illustretur exemplorum. Accusatur Rabirius quòd Saturninum interfecerit. negat se cædem intulisse, quod si fateretur, iure se potuisse facere. crimen est unum. perduellionis fit reus. uarie defenditur. Coniecturæ enim & qualitatis uiribus nititur defensor. defendi tamen uarie eodem statu res potest, cum eiusdem generis plures caussas adducimus. Sed quia minus expugnabitur coniectura, eam præstat occupare. firmius est enim, si modo non urgetur confessio, non fecisse, unde tuta defensio coniecturalis, quia obscurius probatur, honestior qualitatis, qua detecta fronte licuisse contendimus, ergo ibi iudicabo esse statum caussæ. Etenim si cogeret altero uti, firmius utiq; deligerem, utpote inficiari. proinde quia id dicerem, si ad unum adstringeret, fit ut ibi statum esse caussæ iudicem, qualitatem uerò in secunda acie constituam. (de hoc mixto genere defensionis plura lib. 4. cap. ultimo) Quare qui statum conflictionem primam uocarũt, ut alia condonemus, certe hoc bene explicarunt, quòd cum de statu loquerentur, non ex prima quæstionum primarum conflictione oriri. sed caussarum, id est earum quæstionum quarum fulturis caussa sustentaretur. adiungit exempla orationum quarum status ex quæstionum primarum collisione, sed ex intima caussarum disceptatione est æstimandus, ut in caussa Rabirii posthumi prima est trãslationis quæstio. Repellit enim actionem à sua persona, & in equitem Romanum ex lege competere negat, si quidem ea lege non teneantur omnes, sed admissa tamẽ actione, & illa omissa disputatione, caput rei adoritur, & pecuniam cuius suspicio permanarat, negat ad Posthumum peruenisse. oratio est in manibus. lege. non committam ut recensendo argumẽto longior sim Cum igitur duplex sit quæstio, in potẽtiore, quæ ordine succedit, robore princeps est, statum caussæ ponemus. Itẽ in Miloniana quam scripsit Cicero, statim ab exordio subtexit præiudicia quæ uidebantur obesse defensioni Milonis, ut Pompeij qui ea de re decernendam nouam quæstionem censuit. Senatus, qui cædem factam in Appia uia, contra Rempublicam factã iudicabat. Non enim caussæ in his conflictio est ulla, unde nec in illis status caussæ collocandus, sed defensionis summa in hanc rationem collata est, iure cæsum Clodium, ut qui insidias fecerit. quod si probarit, magnum facit ad salutem suam gradũ, unde in illa quæstione, struxerit ne insidias, ac ideo iure sit interfectus, statum caussæ bono iudicio dixeris. Vides autem status hanc esse, ut sæpe iam dixi, meram uim, ut sit quæstio ex prima caussæ conflictione orta, quibus particulis status natura describitur, undecunque eruatur, & ab utriusuis partis firmamentis originem ducat. Addit proprietates status, hoc est, inquit, quod orator ut efficiat, primum omnium debet eniti, & ut eius probatio iudici constet in primis, etiam si subsidiis eam pluribus adiuuet. At quia alius cogitandi est, alius scribendi ordo, fit ut quod cogitatione debet esse primum, id scribendo aut sit postremum, aut certe non primum, id quod & Dialectici de methodo resolutionis, qua rem excogitamus, & compositionis, qua res aggredimur, aiunt. Habes hucusq; quæ sit status uis & cõditio in uniuersum. status caussæ inquam. Nam quæstionum status in iis quæ sequuntur, locum non habet. deinceps habita definitione, & illustrata, quomodo inueniendus sit, & ex rationum cumulo in apertum proferendus, audiamus.

ARGVMENTVM.

Propositis tribus caussarum generibus, à demonstratiuo (quod dignitate & facilitate cætera præcedit) orditur. Id ab Aristotele à parte negocialis remotum esse ait, & ad solam delectationem translatum, at Romæ etiam forensibus negocijs insertum, & ex publico officio uel senatusconsulto magistratibus sæpe demandari solitum. Esse tamen quasdã materias concedit ad solam delectationem comparatas, ut laudes deorũ, quæ certæ sunt, quæ ut non desiderent probationem, quemadmodũ quæ negocijs adhibentur, speciem tamen aliquam probationis habeant, ut si quis ad probandam diuinitatem Romuli, adferat, quod proiectus in profluentem, nõ potuerit extingui. Ornare & amplificare, laudis proprium esse ostendit, & laudari primum deos, deinde homines, bruta quoq; animantia, & carentia anima, ut urbes, flumina. Facta quoque, & dicta, & res omnis generis, ut mortem, & somnum. Tum quomodo quæque laudanda sint, sigillatim subtilsime docet. hoc tamen unum ex arte admonet, habendam esse loci ubi quis laudet aut uituperet, magnam discretionem, cum non iidem sint apud omnes mores, & persuasio publice recepta, diuersa. Postremo circa solam qualitatis quæstionem non uersari hoc genus, atque in illud omnes status cadere posse, quamuis maxime qualitate contineatur, concludit.

De demonstratiuo, quod constat laude & uituperatione. Cap. VII.



C potissimùm incipiam ab ea quæ constat laude ac uituperatione. Quod genus uidetur Aristoteles, atq; eum secutus Theophrastus, à parte negocialis, hoc est πραγματικῆς remouisse, totamq; ad solos auditores relegasse: & id eius nominis, quod ab ostentatione ducitur, proprium est. Sed mos Romanus etiam negocijs hoc munus inseruit. Nam & funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atq; ex senatusconsulto magistratibus sæpe mandantur: & laudare testem, uel contra, pertinet ad momentum iudiciorum: & ipsis etiam reis dare laudatores licet: & editi in competitores, in L. Pisonem, in Clodium & Curionem libri, uituperationem continent, & tamen in Senatu loco sunt habiti sententiæ. Neque inficias eo, quasdam esse ex hoc genere materias ad solam compositas ostentationem, ut laudes deorum, uirorumq; quos priora tempora tulerunt. Quo soluitur quæstio suprà tractata, manifestumque est errare eos qui nunquam Oratorem dicturum nisi de re dubia putauerunt. An laudes Capitolini Iouis, perpetua sacri certaminis materia, uel dubia sunt, uel non oratorio genere tractantur? Vt desiderat autem laus quæ negocijs adhibetur, probationem: sic etiam illa quæ ostentationi componitur, habet interim aliquam speciem probationis: ut qui Romulum Martis filium, educatumque à lupa dicat, in argumentum cælestis ortus utatur his, quòd abiectus in profluentem, non potuerit extingui: quòd omnia sic egerit, ut genitum præside bellorum deo, incredibile non esset: quòd ipsum quoque cælo receptum temporis eius homines non dubitauerint. Quædam uero etiam in defensionis speciem cadent: ut si in laude Herculis, permutatum cum Regina Lydiæ habitum, & imperata (ut traditur) pensa Orator excuset. Sed proprium laudis est, res amplificare, & ornare. Quæ materia præcipuè quidem in deos & homines cadit: est tamen & aliorum animalium, & carentium anima. Verum in Deis generaliter primùm maiestatem ipsius eorum naturæ uenerabimur: deinde propriam uim cuiusque, & inuenta, quæ utile aliquid hominibus attulerint. Vis ostenditur, ut in Ioue, regendorum omnium: in Marte, belli: in Neptuno, maris. Inuenta, ut artium, in Minerua: Mercurio, literarum: medicinæ, Apolline: Cerere, frugum. Libero, uini. Tum siqua ab his acta uetustas tradidit, commemoranda. Addunt etiam dijs honorem parentes, ut siquis sit filius Iouis. Addit antiquitas, ut ijs qui sunt ex Chao. Progenies quoque, ut Apollo ac Diana Latonæ. Laudandum in quibusdam, quòd geniti immortales: in quibusdam, quòd immortalitatem uirtute sunt consecuti: quod pietas principis nostri, præsentium quoque temporum decus fecit. Magis est uaria laus hominum. Nam primùm diuiditur in tempora, quodq; ante eos fuit, quoque ipsi uixerunt. In ijs autem qui fato sunt functi, etiam quod est insecutum. Ante hominem, patria, ac parentes, maioresque erunt. quorum duplex tractatus est. aut enim respondisse nobilitati, pulchrum erit: aut humilius genus illustrasse factis. Illa quoque interim ex eo quod ante ipsum fuit tempore trahentur,

Laudes quędam ad solā ostentationē compositæ.

Quid laudis proprium.

Laus deorū.

Domitianū intelligit.

Laus hominum à tempore.

trahentur, quæ responsis uel augurijs futuram claritatem promiserint: ut eum qui ex Thetide natus esset, maiorem patre suo futurum cecinisse dicuntur oracula.

Achillē intelligit ex Ouidij Netam.

A corpore.

Ipsius uero laus hominis, ex animo, & corpore, & extra positis peti debet. Et corporis quidem fortuitorumque cum leuior, tum non uno modo tractanda est. Nam & pulchritudinem interim roburque prosequimur honore uerborum, ut Homerus in Agamemnone atque Achille.

Iliad. 2. Iliad 3.

A fortuna.

Interim confert admirationi multum etiam infirmitas, ut cum idem Tydea paruum, sed bellatorem dicit fuisse. Fortuna uero cum dignitatem affert, ut in regibus principibusque (namque est hæc materia ostendendæ uirtutis uberior) tum quo minores opes fuerunt, eo maiorem benefactis gloriam parit. Sed omnia quæ extra nos bona sunt, quæque hominibus forte obtigerunt, non ideo laudantur, quòd habuerit quis ea, sed quòd his honeste sit usus.

Bonorū externorum usus honestus laudatur.

Nam diuitiæ, & potentia, & gratia, cum plurimum uirium dent in utranque partem, certissimum faciunt morum experimentum, aut enim meliores propter hæc, aut peiores sumus.

Ab animo. Cicero in partit.

Animi semper uera laus: sed non una per hoc opus uia ducitur. Namque aliàs ætatis gradus, gestarumque rerum ordinem sequi speciosius fuit: ut in primis annis laudaretur indoles, tum disciplinæ, post hoc operum, id est factorum dictorumque contextus: aliàs in species uirtutum diuidere laudem, fortitudinis, iustitiæ, continentiæ, cæterarumque, ac singulis assignare quæ secundum quanque earum gesta erunt. Utra sit autem harum uia utilior, cum materia deliberabimus: dum sciamus gratiora esse audientibus, quæ solus quis, aut primus, aut certè cum paucis fecisse dicetur: siquid præterea supra spem aut expectationem, præcipuè quod aliena potius caussa, quàm sua.

A tempore.

Tempus quod finem hominis insequitur, non semper tractare contingit: non solùm quòd uiuentes aliquando laudamus, sed quòd rara hæc occasio est, ut referri possint diuini honores, & decreta, ut publicè statuæ constitutæ. Inter quæ numerauerim ingeniorum monumenta, quæ seculis probarentur. Nam quidam, sicut Menander, iustiora posterorum quàm suæ ætatis iudicia sunt consecuti. Afferunt laudem liberi parentibus, urbes conditoribus, leges latoribus, artes inuentoribus, necnon instituta quoque autoribus, ut à Numa traditum deos colere, & à Publicola fasces populo summittere.

Liui. 1 & 2.

Vituperatio hominum.

*Qui omnis etiam in uituperatione ordo constabit, tantum in diuersum. Nam & turpitudo generis opprobrio multis fuit: & quosdam claritas ipsa notiores circa uitia, & inuisos magis fecit: & in quibusdam, ut in Paride traditum est, prædicta perniciès: & corporis ac fortunæ * quibusdam mala contemptum, ut Thersitæ: at uerò quibusdam bona uitijs corrupta, odium attulerunt, ut Nirea imbellem, * Plisthenem impudicum, à poetis accepimus.*

* formæ. Iliad. 6. Iliad. 2.

* Clisthenem. Animorum uitia.

Liui., deca. 1. lib. 4. & li. 6.

Et animi totidem uitia, quot uirtutes sunt; nec minus quàm in laudibus, duplici ratione tractantur. Et post mortem adiecta quibusdam ignominia est: ut Melio, cuius domus solo æquata: Marcoq; Manlio, cuius prænomen è familia in posterum exemptum est. Et parentes malorum odimus. Et est conditoribus urbium infame, contraxisse aliquam perniciosam cæteris gentem, qualis est primus Iudaicæ superstitionis author, & Gracchorum leges inuisæ, & siquod est exemplum deforme posteris traditum, quale libidinis uir Perses in muliere Samia instituere ausus dicitur primus.

Gracchorū leges agrariæ.

Vide Cœliū lib. 10. ca. 18

Sed in uiuentibus quoque iudicia hominum uelut argumenta sunt morum, & honos aut ignominia ueram esse laudem uel uituperationem probat. Interesse tamen Aristoteles putat ubi quidque laudetur, aut uituperetur. Nam plurimum refert qui sint audientium mores, quæ publicè recepta persuasio: ut illa maximè quæ probant, esse in eo qui laudabitur, credant: aut in eo contra quem dicemus, ea quæ oderint. Ita non dubium erit iudicium, quod orationem præcesserit. Ipsorum etiam iudicum permiscenda laus semper, nam id beneuolos facit. quoties autem fieri poterit, cum materia utilitate iungenda.

Lib. 1. Rh. ad Theo.

*Minus Lacedæmone studia literarum, quàm Athenis, honoris merebuntur: plus patientia, fortitudo. Rapto uiuere quibusdam honestum, alijs cura legum. Frugalitas apud * Sybaritas forsitan odio foret, ueteribus Romanis summum luxuria crimen. Eadem in singulis differentia. Maximè fauet iudex, qui sibi dicentem * assentiri putat. * Idem præcepit illud quoque, quod mox Cornelius Celsus propè supra modum inuasit: quia, sit quædam uirtutibus, ac uicijs uicinitas, utendum proxima deriuatione uerborum, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro auaro parcum uocemus, quæ eadem etiam contra ualent. Quod quidem Orator, id est uir bonus, nunquam faciet, nisi forte communi utilitate ducatur.*

Xenophon de statu. ced.

* Vide Prouerb. ca. 15 Miscel. & Erasm. in prouerb. Sybaritica mensa.

* assentari.

* Aristot. Rhetor. ad Theodect.

Urbium laudes.

Laudantur autem urbes similiter atque homines. Nam pro parente est conditor: & multum authoritatis affert uetustas, ut ijs qui terra dicuntur orti: & uirtutes ac uitia circa res gestas: eademque in singulis. Illa propria, quæ ex loci positione ac munitione sunt. Ciues illis, ut hominibus liberi, decori. Est laus & operum, in quibus honor, utilitas, pulchritudo, author spectari solet. Honor, ut in templis: utilitas, ut in muris: pulchritudo uel author utrobique. Est & locorum, qualis Siciliæ apud Ciceronem. in quibus similiter speciem & utilitatem intuemur: speciem, maritimis, planis, amœnis: utilitatem, salubribus, fertilibus.

Act. 4. Ve.

Erit etiam dictorum factorumque laus generalis. Erit & serum omnis modi. Nam & somni & mortis scriptæ laudes, & quorundam à medicis ciborum. Itaque ut non consensi hoc laudatiuum genus circa solam uersari honesti quæstionem, sic qualitate maximè contineri puto: quanquam omnes tres status cadere in hoc opus possint, hisq; usum C. Cæsarem in uituperando Catone, notauerit Cicero. Totum autem habet aliquid simile suasorijs, quia plerunque eadem illic suaderi, hic laudari solent.

In Topic.

MOSELLANI.

AB eo] Parte iudicialium caussarum. Ab negociali parte] seu statu. Quod ab ostentatione] Est autem hoc nomen ἐπιδεικτικόν, ut Fabius ipse indicat supra in capite quodam, Tria esse genera caussarum. Negocijs] Ciuilibus. Munus] Laudandi & uituperandi. Momentū] Censura. Iudiciorum] Aestimationum. Quo] More Romano. Quæstio] Celsi, cuius supra capite quodam meminit.

Sacri certaminis] Menander à Philemone nequaquam pari scriptore, in certaminibus comœdiarum ambitu numeroq; & factionibus sæpenumero uincebatur, quem cum forte obuium habuisset, quæso, inquit, Philemo, bona uenia dic mihi, cum me uincis, non erubescis? Euripidem quoq; Marcus Varro, ait, cum quinq; & septuaginta Tragœdias scripserit, in quinq; solis uicisse, cum eum uincerent aliquot poetæ ignauissimi. Gellius lib. 16. cap. 4. Propterea uidelicet, quòd quemadmodū ait Pindarus in Olympiis. Gratia, quæ omnia dulcia facit mortalibus, sæpe falsa ostendit, dies autem posteri testes sunt sapientissimi, &c. Maius ab exequijs nomē in ora uenit, ut Ouidius dicit. Cum regina Lydiæ habitum] Herculem, gigantum, monstrorum, ac leonum uictorem, usque adeo in Lydia emolliuit amor Omphales reginæ, ut non ueretur etiam habitum suum, hoc est leonis à se interfecti exuuium, cum reginæ monilibus commutare, tremereq; haud aliter ac timidus canis ad scuticas dominæ, statoq; tempore certum fili nodum à se ductum amicæ persoluere.

Pensa enim certa pondera sunt, quæ stato tempore ancillis conficienda attribuere solebant ueteres matresfamilias, qui mos & hodie apud plerasq; durat. Historiam scribit Ouidius pulcherrimè in epistola Deianiræ ad Herculem. Pietas principis nostri] Nam authore Suetonio impotentia tyrannidis prouectus Domitianus in capite edictorũ sic dictauit, Dominus deusq; noster, id quod & Martialis indicat hoc uersu de Domitiano scribẽs, Edictum domini deique nostri. Eum qui ex Thetide) Id est Achillem. Fortuna] Nam talis quoq; est, qualis est in fortunis. His] Dispensandis hic enim uel sordidus animus auaritia uincitur, uel generosus liberalis & magnificus apparet. Decreta] Senatusconsulta. Inter quæ] Scilicet mortuis decreta. Monumenta] Lucubrationes. Menander] Poeta comicus. Vt iu Paride] Nam cum Hecuba Paridis mater somniasset se flammam parere quæ Troiam succenderet, adhibiti coniectores interpretati sunt, Paridem filium recens natũ, Troiani regni, & sui ipsius excidium fore, quod ob raptam Helenam Menelai uxorem postea usu uenit, uelut narrant poetæ Homerus & Virgilius. Vt Thersitæ] Quem Homerus ad portentum usq; deformem facit, capite acuminato, eoq; raris capillis consperso, tum oculis strabis, humeris contractioribus ad caput, altero pede claudum, postremò graculorum instar bonis sententijs obstrepentem. Vnde ob contemptum ab Vlysse uerberibus coercetur. Nirea Homerus in nauium catalogo omnium principum qui ad Troiam uenerint, formosissimum scribit, sed tamẽ imbellem. Plisthenem impudicum] Hunc Plisthenem tradunt adulterino concubitu sustulisse Agamemnonem & Menelaum, cum alias Atreus legitimus pater dicatur, porro forma egregia Plisthenes adiutus, obrepsit uxori Atrei. Vt Melio] Spurius Melius eques Romanus frumentum populo sua impensa largitus est, & ob id factum conciliata sibi plebe, regnum affectans à Caio Seruilio Hala magistro equitũ occisus est, ac domus eius solo æquata, author est Liuius. Marcoq; Manlio] Qui Capitolium à Gallis defenderat, cum obstrictos ære alieno liberaret nexos, crimine affectati regni damnatus, de saxio Tarpeio deiectus est: in cuius notam senatusconsultum factum est, ne cui de gente Manlia Marco cognomen esset. Persea] Persen hunc uel regem Persarum, à quo Persæ nominati sunt, intelligo, uel quempiam nomine Persen, qui author fuerit Persis eius legis, qua sciebant matres & sorores in connubium adducere, id quod Catullus Epigrammate quodam insectatur. Porrò quod Ludouicus Cælius hunc locum correctiorem ferè in totum mutare conatur, non placet, etiam si doctissima sint quæ ad locum hunc cõgerit, lib 10. cap. 18. Lacedæmone] De differentia gentiũ uide Chiliadas Erasmi. Rapto uiuere) Xenophon in libro quẽ scripsit de Repub Lacedæmoniorum, inter alia complura, & maxime potentiam eorum commendantia, recenset legum, fortitudinis, & patientiæ uelut specimen fuisse. unde & Horatius sic ait in Odis: Me non tam patiens Lacedæmon. Et Lycurgus Lacedæmoniorum princeps, masculis pueris uictus rationem tenuissimam præscripsit, & concessit, ut si quæ insuper desiderarent ad famem restinguendam, furarentur & raperent, modo non deprehenderentur: nam deprehensis pœna statuta erat, nimirum ut hac ratione bellicosiores, & in hostem ferociores euaderent.

Frugalitas apud Sybaritas] Populos Calabriæ, qui ob luxum nimium & uestium & ciborũ, de se prouerbia dedere. Nam Sybaritica mensa prouerbialiter pro lautissima uiuendi ratione dicitur. Tum & Martialis Sybariticos libellos uocat amatorios, & obscœnos. Vide Erasmum. Veteribus Romanis] Vnde summouit senatu Cato Censor eum qui decem argenti pondo domi haberet, ut refert Florus. Et Fabritius, ut est apud Gelliũ, ingens auri pondus a Samnitibus oblatum recipere noluit, malens in fictilium uasorum usu ipse uiuens, aurea habentibus imperare. Laudantur autem urbes] Sic Ausonius Treueros, & Mosellæ fluuium, Romam, Mediolanum, Viennam Galliæ urbem.

Factorum laus generalis) Apud Laertium philosophus quispiam, opinor Carneades, in fragilitatem humanæ conditionis disserens, mortem adeo plausibilem auditoribus fecit, ut plerique domum regressi, uitæ tædio mortem sua sibique consciuerint.

Quorundam à medicis ciborum] Vt Cato & Chrysippus Brassicę laudes peculiari uolumine persecuti sunt, uelut testatur Plinius lib 20. In uituperando Catone] Author Suetonius à Iulio Cæsare duos libros quos contra Catonem scriptos reliquit, Anticatones inscripsisse.

ANTONII PINI.

Alij statum crediderunt primam eius cum quo ageretur, deprecationẽ.] Superius explicauit qua definitione utantur, plerique qui statum primam cõflictionem esse existimant, hic & aliam opinionem congerit, & ad originem status, de qua acturum se proxime post definitionem promiserat, transit. Satis enim superq; monuimus, Fabium quid sit status primum inquirere, deinde cum esse quæstionem in confesso fuerit, unde ea sumenda sit docere. Alij ergo statum definiunt esse primam defensionis depulsionem, deprecari siquidem est auertere. unde pro depulsione accipi deprecatio potest, ut in coniectura intentio sit, prouinciam expilasti, non expilaui: est deprecatio, quæ à nonnullis status dicitur. Hanc sententiam in Topicis ad Trebatium tuetur Cicero, qui statum uocari dicit, in quo stat ad repugnandum congressa defensio. Illud uerò quod idem refutationẽ ibi, alibi depulsionem deprecationemq; appellat. Quòd si hanc litem dirimere uoles, repete quod ante dixi, duplicem esse inflexionem huius nominis status, uel pro eo ubi caussa stet, atq; ita Fabius in quæstione statum uult esse, uel pro eo ubi stet defensor, & hoc intellectu à Cicerone uerborum studioso criminis refutatio status appellatur. Cæterùm nil prohibet in diuersos intellectus spargi nomen, & alio atque alio ab utroq; in usum trahi, ut hinc facilè colligas, nullam inter Fabium & Ciceronẽ, prę terquam in uerborum diuersitate, subesse dissensionem.

Vnde exoritur alia quæstio] Hic uerius initium alterius foret capitis, ubi de origine status disputatur, nec ambigo quin Fabius continenter scripserit. Superiori memoria factum est ut notarentur spatia, & authorum perpetuus alioqui sermo distraheretur interuallis, & inepta distinctione conturbaretur. Porrò siquid imperite sectũ est, certe hæc de statu disputatio usq; adeo luxata, & loco est mota, ut utrósne magis mirer, professores, an chalcographos, sæpe dubitem. Sed ut ad rem redeam, commode post definitum statum, unde colligi debeat subiũgit, cui rei quęrendæ præbet occasionem Ciceronis definitio, quæ cum statum in depulsione constituat defensoris, sanè ex deprecatione rei uidetur originem status trahere, perinde ac superiores eum statũ definissent esse conflictionem caussarum, ex conflictione nasci statum credebant, sic qui ait, in eo quo repugnat defensor, statũ esse, ex defensionis utiq; depulsione statum oriri putabit. Vnde statuendum est, an is qui respondet, nimirum defensor, semper statum faciat, & ex sua refutatione statum designet. Nec enim omnino consensum habet ea pars quæ à respondente sumendum esse contendit. Etenim Celsus ab eo dicit maxime statum pendere, qui suam probet propositionem, ut in coniectura accusator factum intendit, reus negat, quia suspicionibus rẽ arguere debet accusator, defensor repellit tantum suspiciones, aut deflectit aut infirmat, nec ex professo quicquam probat. ideo coniecturalem statũ iuxta Celsum dicimus præcipue educi ab actore in coniectura, at in qualitate intentio est. Renunciatus es per ambitum, non, sed bono iure, inquit defensor, hic quia defensoris est planum facere iure se renunciatum, cum accusator ius tantum refellat, statum dicemus oriri magis colligiq; ex defensione. Propone uero tibi hanc legem eius esse probationem, qui prior aliquid de suo addit. In coniectura defensor reijcit modo, nihil intentat. ita probandi nullam habet necessitatẽ, in qualitate prior adijcit præter factum, ius. Ergo in eo probando ut elaboret oportet, sic translata necessitate probandi ad defensorem, quæ in coniectura erat in actore, ab illo ait Celsus nasci statum, qui non depellit modo, sed quadantenus intendit, ut cum dicit Milo se interfecisse quidem, sed iure, nempe insidiatorem, illa relatio, criminis intentio quædam uidetur esse.

Cui non accedo equidem] Hic Fabius sic est lubricus, & incomprehẽsibilis, ut elabatur ex manibus, nec inepte ei illud accommodes, Quo teneam uultum mutantem Protea nodo? Ergo sequamur Cyrenes consilium, & se in omnia uertenti, tenacia uincula, si possumus, contendamus. Iniquum uidetur petere, ut æquum obtineat. Censet enim Fabius nasci statum tam ex intentione, quæ materiæ uicem præbeat, quàm depulsione, quæ caussæ efficientia speciem sortiatur, sed intentionem nõ semper esse eius qui prima fronte uideatur accusator, nec depulsionem eius quem defensorem in speciem dixeris. Fabio enim, præterquam in coniectura, quæ ab alijs ratio dicitur depulsionis, cum depulsione uocatur intentio, quod ab alijs firmamentum siue continens, id depulsio nuncupatur, quamobrem statum quo de agitur, fatetur ex depulsione intentioneq; erui, sed intendendi munus atq; depellendi, non idem cum uulgo facit, ut in caussa Milonis (docendi enim caussam exemplo peruulgato consistã) primum intenditur, occidisti Clodium, quia id fatetur Milo, & iure factum dicit, transeundum ad rationem putat Fabius, nec in ociosa quæstione hærendum, nempe an iure, ut quæ caussam non contineat, nec aperiat. Erat, inquit, insidiator, ecce intentio esse incipit à parte defensoris, cui ita occurrit accusator, atqui non erat, proinde iniuria. Status hic erit Fabio struxeritne insidias,

ut pro-

ut probatę iustam cædem faciant, non ostensæ, cum iniuria. Hác Fabij opinionem uerbosius sum exequutus, ut ne breuitatis essem compendio obscurus. Istuc igitur tandem collecturus, Celsi opinionem refutat ea parte prius qua statum aliquando fatetur à sola intentione proficisci. Statum, inquit, si ab altero solo esse ducendum crederem, satius esset dicere cum aliis, sæpe à solo respondente nasci, cum nulla sit caussa, si nihil respondetur, & tum demum sit lis, cum à respondente aliquid opponitur, quasi tolerabilius esset eum dicere à depulsione sola semper nasci, quàm aliquando à sola intentione. quod etsi in totum falsum est, ea tamen parte uerum, qua depulsionem innuit esse necessariam. Colligit subinde intentionem esse adhibēdam, & hoc utitur argumento, tātum esse intentionis usum, ut propè sola statum facere uideatur, quod etsi uerum non est omnino, id tamen fatendum, multum conferre intentionem, si interim sola uideatur ea se statum gignere. Ergo, inquit, mea sentētia id est uarium, id est nonnunquam ab accusatore magis quàm à defensore elucescit status, interim à defensore magis, semper tamen ab utroq;. Vbi dillat à Celso, qui ita aiebat conducere unum, ut alterum prorsus excluderet. Accedit certe pro conditione caussarum, nam in coniectura uidetur actoris illa esse potius. Quæ omnia suspendere debes, & eatenus uera putare, quatenus ostendunt ex utroque statum emergere, quia uideri modo potest, inquit, propositio id est intentio statum facere, siquidem intendens probat, idque suspicionibus in quibus expressa est coniectura, quod cū uiderent quidam, nimirum actorem suspiciones coniecturales in unum cogere sæpius, quæstioni facti duo nomina indiderunt. ex parte actoris uocarunt coniecturam, quia suspicionibus rem credibilem facit, à parte rei inficialem & negatorium, quia reus totam defensionem negatione cōficiat, quare multum actoris intentio ad coniecturam habet momenti, cum ea potissimum coniecturalis appelletur, sic in syllogismo summa probationis incumbit in eum qui rem lege quidem non cōprehensam perinde æstimandam ait, ac si lege cauta esset. Est autem syllogismus, quarta species legitimarum quæstionum, per quam rem lege nō præscriptam, ratiocinando uolumus ad legem accommodare, ubi qui id negat, non multum, qui intendit ad legem rem aptandam, ille totam ferme ratiocinationis probationē sustinet, quapropter satis ea eo quòd penè totum potest, probatur necessaria intentio ad status originem.

Sed quia uidetur] Satis probasse uisus est necessariam esse in eruendo statu intentionem, nunc denuo confirmat multum in depulsione quoq; esse momenti, quod & antea docuit, uerùm tū ex falso collegisse potest uideri. nam eo efficiebat necessarium esse depulsionis concursum, q̄ à depulsione sola plerisq; statum nasci contenderent. At uerò certis adducit rationibus multum depulsioni in omni status inquisitione deberi. Etenim qui depellit, non caussam modo constituit, quæ sine ipso nulla esset, sed ut hoc aut illo utatur statu accusator, efficit. Cum enim actorem intendat, eadem manente intentione, uaria deprecatio necessitatem inducit accusatori uarios status persequendi, id quod exemplo illustrat nam sit intentio, matrem occidisti, & parricidarum lege teneris, si respondeat defensor, non feci, uelit nolit accusator factum debet probare, ad cuius coniecturam plerasq; suspiciones aduocabit, at si ita depellat, lex nulla est qua matricidæ infligatur pœna, incumbit necessitas alteri, ut colligat planūque faciat ea lege plectendam matris cædem, qua parricidæ insui in culleum cum simia iubentur & gallo, ita coget uti syllogismo, eo quo exposui prius intellectu, qua in re nil audeo mihi tribuere, cum tantopere desipiat in explicatione huius loci Mosellanus. Nectit ergo in hanc formam argumentum, si statum facit is qui depellit, concedamus, inquit, in statu peruestigando depulsionis habēdam uel præcipuam rationem. semper certe uarium est, & illo res reuertitur, ut quia depulsio nunc est actoris, qui defensoria subit tunc partes, nunc defensoris, qui in morem latini tibicinis in contrarium transit, ut statim est dicturus, statum peti ea intentione & depulsione fateamur. Sed nec intentio nec depulsio unius eiusdē partis, nunc is qui agit, depellit, nunc is qui cum agitur, id est reus. quod etiam exercitato offunderet tenebras, nisi difficultatis nubecula, exemplorum luce detergeretur. Intentio est accusatoris in coniectura, hominem occidisti, unū nimirum certum, si statim repugnet negando defensor, ea eius depulsione intentioni comparata nascetur status, quem faciet qui negat, id est reus statim negando efficiet ut nōa emergat quæstio cōiecturalis. In coniectura igitur idem status Fabio est, qui & uulgo creditur, quia ibi eadem prima est contentio, & ultima disceptatio, ut ait Cicero. At in qualitate quo modo res habeat audiamus sit intentio, occidisti Messalam Lepide. tueatur se respondens, occidi, & iure. ubi nec uera est contentio, & ociosa, ut supra dicebam, quæstio. Contineri adiungi uult Fabius, & in primo illo congressu nullam eijciendam quæstionem, quam tamen in ore uersant omnes, & ex Fabij se putant loqui sententia. Occidi, inquit, iure adulter enim erat, quem lex permittit deprehensum necare, qui reus erat, in hac defensione actoris aget partes, & eius hæc putanda est intentio defensorie, quæ à plerisq; omnibus ratio dicitur. Huic igitur intentioni nisi accusator aliquid opponat, caussa excidit, obfirmat se, & ait non fuisse. Hoc quod ex Cicerone firmamētum diceres, in Fabij depulsionem uocabis, quæ lis eius esse incipit, qui in prima illa cōflictione accusatoris personam agebat. Ea hac depulsione collata intētioni defensoris educetur status, an esset adulter. ita erit quidem status ex depulsione intentioni comparata, sed intentio eo modo quo Fabius accipit, interim actoris est, ut in primaria coniectura, interim defensoris, ut statu siue qualitatis primæ, siue definitionis. Nouis fortasse uideor rem appellationibus inuoluisse cum primam coniecturam uocaui. Sed si primis cōiungas, hæc postrema incredibili consensu cohærebunt. Quid Cicero iudicationem uocet, non ignoras, id ipsum Fabio est status. Ergo in coniectura prima quæstio ab ultima non differt. utrobiq; agitur an feceris, in hac prima coniectura semper intēdit actor, depellit defensor. Sed si respondeas, iure interfeci adulterum. Cicero quærendum putat an iure interfecerit. Hanc qualitatem origine primam antea uocabam. docendi caussa dico in his defensionibus, in quibus tuemur iure factum, intentionem esse defensoris. non ambigis rationem reddi à defensore. ea, præcipue si crimen in aduersarium retorquet, intentio nuncupatur, quam si neget defensor, oritur coniecturalis iudicatio, quā Fabius (id quod iniculco sæpius) uocat statum. At si dicas, fuit adulter, sed quia nō deprehendisti, fecisti iniuria, quæstio est an cum adulter fuerit, non tamen cum uxore deprehensus, iure occiderit, qualitatem habet iudicatio, & status erit qualitatis, in quo depulsio actoris fuit. Idem cogita in definitione. Quæ, ita me deus amet, usque adeo in uulgus non uidentur, ut uerear ne παράδοξα uideantur. Nec ego assentiri mihi uolo quenquam, nisi hæc talia sunt, ut nō intellectis illis te expedire ab hoc Fabij labyrintho non possis.

Quid quòd eadem quæstio.] Exhausta est bona pars difficultatis, reliquum est ut feliciter hos scopulos prætereuehamur. Dicebat paulo antea, in diuersis caussis nunc actoris intentionem esse, nunc depulsionem à maiori probat. Etenim si in eadē caussa, multiplicis tamen argumenti, eiusdem est & intentio, & depulsio, pro conditione caussarum quæ sunt inter se dispares, fiet ut in una depulsione utatur defensor, in alia idem intentione, cū eadem caussa penes diuersas partes & actorem faciat intendentem, & eum depellentem. Huius rei sit hoc exemplum, Legem tulit Roscius Otho theatralem, ne quis in primis quatuordecim theatri gradibus sederet, qui scenicam artem exercuerit. quidam histrionem ludionemq; egerat in ortis suburbanis, nunquam tamen in publicum prodiit, aut palam spectaculo fuit. is sedit in quatuordecim ordinibus, unde excitatus est, & per uim ignominiose coactus surgere, ergo eius qui excitauit, intentio est, artem ludicram exercuisti, dum te prætori in ortis ostendisti, ideoque eijci debuisti ab ordinibus in quibus contra legem sedisti. depulsio, non exercui artem ludicram, priuatim me ostendens prætori. Artem quippe ludicram exercere, est publicè histrionicā agere. quæstio est definitione explicanda. Venit enim in dubium, quid sit artem ludicram exercere. Porro de lege Roscia scripta sunt plurima. legis huius lator fuit Q. Roscius Otho, eques Romanus lex initio iniquis animis est accepta, & suasu Ciceronis tandem perlata est. Ars autem ludicra, quæ scenico artificio ad uoluptatem spectatorum exercetur. aliòqui ludicrum leue dicimus, ut Virgilius ludicra dixit præmia. Plura notauit Laurētius Valla. At si loco motus fuerit cum ludis interesset, & iniuriæ sibi factæ reum faciet eum qui excitauit de spectaculis, ille ipse qui prius depellebat, iam intendet, in hunc modum, Iniuriam mihi fecisti, loco pellendo, & de spectaculis excitando, & qui prius accusabat, depellit, non feci iniuriam, si ea lege tibi edixi ne sederes, & locum occupanti præter ius, ademi. Vides in hac controuersia priorem intentionem esse actoris, defensoria deprecationem, posteriore intentionem à defensore fieri, sed qui ad accusandum mutata uoluntate descendat. frequentius tamen eueniet, quod à pluribus est traditum, ut is qui intendit, accuset, qui depellit, defendat. Nam ut non utamur tot subductionibus, accusator intendet, & intentionem confirmabit, defensor etiam depellet, & depulsionem muniet. Vnde accusatoris intentio, defensoris sæpe erit depulsio, eius certè qui defensoris agit partes, cum depellit, id quod à pluribus est traditum.

Effugerunt has quæstiones] Vulgarem intelligit opinionē, quæ si uera esset, in pauciores calumnias incidit. Aiūt enim non-

nulla

nulli statum esse eam quæstionem quæ ex prima intentione depulsioneq; oriatur, ut, fecisti, feci, sed iure, an iure fecerit. Nec est ambiguum, primam hanc depulsionem semper esse defensoris, unde effugerant has quæstiones, in quibus nempe caussis intenderet actor, in quibus intentionis munus obiret defensor. Adde quòd qui ex utroq; nasci affirmant, effugiunt quæstiones molestas, an ab intentione, an à refutatione existat. Sed satisfacit ea res Fabio, qui illam primam quæstionem statum non putat, sed in ea esse statum, quod bifariam potest accipi, aut ut dicat statũ esse illum qui in quæstione apparet uultum, non autem ipsam quæstionem, aut ut uelit illam quam origine primã uoco quæstionem, statum dici non posse, sed in ea adhibitis continentibus statum reperiri, perfecta enim est contro uersia, cum prima illa quæstio postremæ indicationi coniungitur.

Hermagoras] Claudit hanc disputationem comparata Hermagoræ opinione cum sua. Hermagoras, inquit, statum uocat, quo exposito, quid sit in controuersia intelligitur, per quam subiecta res intelligitur, & quo omnes probationes ut in scopum tela diriguntur. Fabius ut breuiter aliquid hac de re statuat, sentit in hũc modum, quæstiones singulas suum statum habere, qui ad præcipui capitalisq; status discrimen quæstionum uocentur, uerùm in eius quæstionis controuersia statum caussæ constituendum, ubi tanquam in cardine uertatur lis, quæ potentissimã habebit uel accusationem, uel defensionem, id quod abunde suffecerit, nisi subducendi subtilitate plerique; nellent uti, qui concidũt ingenia, & siquid est generosum, perplexa morosaq; partitione deijciunt. Descripto enim omnium quæstionum apparatu, considerate circunspice si accusas, quid reum premat maxime, si defendis, quid in primis subleuet. In illo hære, sta, habita, commorare, probationum castra fige, nec inde uelut à statiuis nisi magna caussa excieris, siue statario pugnæ utaris genere, id est pondere argumentorum, siue motorio, hoc est turbulẽtis affectibus. Hoc igitur est in cuius uigilia semper esse debes, nec ab eius unquam statione deijci, siue generale caput, ut Theodorus, siue quæstionem generalem, ut Apollodorus, appellet quis, non ab illo dissentiet Fabius, etiam si nomine quouis alio asperiore duriore quem significaret. certe, inquit, prolixam de nomine uitabo contentionem, nec imitabor eos qui libris totis de status appellatione disputarunt. Vt aliis aliud placet nomen, ita Fabio nomen status probatur, de quo superius diximus.

ARGVMENTVM.

Suasoriæ finem solum non esse utilitatem contendit, & mentem eorum qui hoc genus ita finierunt, interpretatur: docetq; apud imperitos aliquando honestum ab utili separandum, quod apud sapientes nullo modo fiat. Eius esse duas partes, suadendi & dissuadendi, quarũ utraque uel priuata sit, uel publica. Procemio, quale est in iudicialibus, non egere, maximè si priuata sit. publicam uero esse liberiorem, breuiore tamen, & uelut quodam capite & initio contentam. Narrationem in priuata non esse necessariam, extrinsecus tamen posse multa narrari. In cõcionibus esse illam sæpe necessariam ad affectus mouendos, quæ ordinẽt decet. Tria esse in suasorijs spectanda: Quid sit de quo deliberetur: Qui sint qui deliberent: Quis sit qui suadeat. Rem de qua deliberatur, certum esse fieri posse, aut non posse, si incertum, dictu duplici pugnandum, primum qualitate, si fieri posset, faciendum non esse. deinde coniectura, quæ potentissima est, fieri non posse. Omnia consultari aut propter ipsa, aut propter aliud, propter ipsa, an militi stipendium constitui oporteat propter aliud, an Romani Fabios dedant Gallis bellum minitantibus. Partes suadendi, honestum, utile (sub necessarium) & possibile, ad quæ fas, iustum, pium, magnum, facile, æquum, referantur, quæ in omnem consultationem non cadant. Omnem consultationem esse de dubijs. Nullam esse consultationem de sola iucunditate. Vtilitatem aliquando collidi cum honestate, & contra, periculaq; maiora maioribus opponi. Vtilia etiam ipsa inter se nonnunquam comparari. Videndum esse diligenter, quid consequuturi simus, & per quid, ut commoda & incommoda inter se conferamus. Personam aut deliberantium aut nostram diligenter spectandam, nam in consilijs authoritatem ualere plurimum, ut etiam exempla & experimenta. Consultare aut plures, aut singulos, plures, aut Senatum, aut populum, aut Romanos, aut Fidenates: Singulos, aut Catonem, aut Marium, aut Scipionem, aut senem, aut iuuenem, quorum omnium maxima sit habenda ratio. Turpibus honesta aliquando suaderi, & quo pacto, contra, bonis parum decora, ita tamen inhonesta suadenda esse, quasi inhonesta non sint, nam turpibus colorem esse dandum. In persona suadentis multum referre, qui, qua uita, genere, ætate, fortuna, prouidendumq; esse, ne quæ dicimus, ab eo dissentiant, qui suadet, quod factu non est facile, unde fit ut Prosopopœiæ sint difficillimæ, in quibus ad reliquum suasoriæ laborem personæ difficultas accedat. In scholis etiam materias fingi ad deliberãdum, ex genere iudiciali & suasorio commixtas, iudicialibus similiores quam suasionibus, ut consultatio de pœna Theodoti apud Caium Cæsarem. Vltimo loco inuentione & dispositione suasoriæ tractata, quæ illi elocutio conueniat, præscribit. Grauiter primum declamatores accusat, qui dicẽdi genus in totum diuersum in hoc à iudiciali putabant, abrupta initia, concitatam orationem, breuitatem & uerborum magnificentiam illi tribuentes. Exordia ut non sint tam longa, negat tamen abrupta esse oportere, nec orationem torrentem & concitatam admittit, cum moderatione consilia maximè constent, magnificentiam non affectari, sed cõtingere, quia res grauissimæ in suasorias incidant. Porro breuitatem, & aliquanto maiorem, inesse, propterea quod quæstio simplicior sit, & membra habeat pauciora, ergo illis ut iudicialibus accommodandam secundum conditionem ipsius quæ tractabitur rei, dicendi rationem iubet.

De Suasoria seu Deliberatiua, & Prosopopœia. Cap. VIII.

DEliberatiuas quoque miror à quibusdam sola utilitate finitas. Ac siquid in his unum sequi oporteret, potior fuisset apud me Ciceronis sententia, qui hoc materiæ genus dignitate maximè contineri putat. Vtilitas nõ est solus finis suasoriæ, 2. de Orat. *Nec dubito quin hi qui sunt in illa priore sententia, secundum opinionem pulcherrimam, ne utile quidem, nisi quod honestum esset, existimarint. Et est hæc ratio uerissima, si consilium contingat semper bonorum atque sapientum. Verùm apud imperitos, apud quos frequenter dicenda sententia est, populumq; præcipuè, qui ex pluribus constat indoctis, discernenda sunt hæc, & secundum communes magis intellectus loquendum. Sunt enim multi qui etiam quæ credunt honesta, non tamen satis eadem utilia quoque existiment: quæ turpia esse dubitare non possunt, utilitatis specie ducti probent: ut fœdus Numantinum, iugumque Caudinum.* De fœdere Numantino Cic. lib. 3. of. & Plutar. in uita Tib. & C. Grac. De iugo Caudino Liu. deca. 1. lib. 9. *Ne qualitatis quidem statu, in quo & honestorum & utilium quæstio est, complecti eas satis est. Nam frequenter in his etiam coniectura locus est: nonnunquam tractatur aliqua finitio: aliquando etiam legales possunt incidere tractatus, in priuata maximè cõsilia, siquando ambigitur an liceat. De coniectura paulo post pluribus: interim, est ue finitio apud Demosthenẽ, det Halonnesum Philippus, an reddat? apud Ciceronem in Philippicis, quid sit tumultus? Quid? non illa similis iudicialium quæstio, de statua Seruij Sulpitij, an ijs demum ponenda sit, qui in legatione ferro sunt interempti? Ergo pars deliberatiua (quæ eadem suasoria dicitur) de tempore futuro consultans, quærit etiam de præterito: officijs constat duobus, suadendi, ac dissuadendi.* In Olynth. Philip. 8. Philip. 9. *Procemio, quale est in iudicialibus, non ubiq; eget, quia conciliatus est ei quisque, quem consulit. Initium tamen quodcunque debet habere aliquam procemij speciẽ: nec enim abruptè, nec unde libuit, incipiendum: quia est aliquid in omni materia naturaliter primum.* Deliberatiuæ officia duo. *In Senatu, & utique in concionibus, eadem ratio quæ apud iudices, acquirenda sibi plerunque eorum apud quos dicendum sit, beneuolentiæ. Nec mirum, cum etiam in Panegyricis petatur audientium fauor, ubi emolumentum non in utilitate aliqua, sed in sola laude consistit. Aristoteles quidem, nec sine caussa, putat & à nostra, & ab eius qui dissentiet, persona, duci frequenter in consilijs exordium, quasi mutuantibus hoc nobis à iudiciali genere: nonnunquam etiam ut minor res maior ue uideatur.* Rheto. 3. *In demonstratiuis uerò procemia esse maximè libera existimat. Nam & longè à materia duci, ut in Helenes laude Isocrates fecerit: & ex aliqua rei uicinia, ut idem in Panegyrico conqueritur plus honoris corporum quàm animorum uirtutibus dari: & Gorgias in Olympico laudans eos qui primi tales instituerunt conuentus. Quos secutus uidelicet Crispus Sallustius, in bello Iugurthino et Catilinario nihil ad historiam pertinentibus principijs orsus est.* Salustij procemia nihil ad historiã pertinentia. *Sed nunc ad Suasoriam, in qua etiam quum procemio utemur, breuiore tamen & uelut quodam capite tantum & initio debebimus esse contenti. Narrationem uerò nunquam exiget priuata deliberatio, eius duntaxat rei, de qua dicenda sententia est, quia nemo ignorat id de quo consulit.* Narratio. *Extrinsecus possunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In concionibus sæpe est etiam illa quæ*

*In scriptis codicibus legitur, affectus, ut quae maxime, postulanda. Impressi fere habent, ad (sine) & affectus, ut quâque maxime postulabit.

*la quę ordinem rei docet, necessaria, affectus, ut quæ maximè, impẽnda. Nam & concitanda & lenienda frequenter est ira, & ad metum, cupiditatem, odium, conciliationem, impellendi animi. Nonnunquam etiam mouenda miseratio est, siue ut auxilium obsessis feratur, suadere oportebit, siue sociæ ciuitatis euersionem deflebimus. Valet autem in consilijs authoritas plurimum. Nam & prudentissimus esse haberiq; & optimus is debet, qui sententiæ suæ de utilibus atque honestis credere omnes uelit. In iudicijs enim uulgò fas habetur indulgere aliquid studio suo: Consilia nemo est qui neges secundum mores dari. Græcorum quidem plurimi omne hoc officium concionale esse iudicauerunt, & in sola Reipublicæ administratione posuerunt. Quin & Cicero in hac maximè parte uersatur. Ideoq; suasuris de pace, bello, copijs, operibus, uectigalibus, hæc duo præcipuè nota esse uoluit, uires ciuitatis, & mores: ut ex natura cum ipsarũ rerum, tum audientium, ratio suadendi duceretur. Nobis maior in re uidetur uarietas. nam & consultantium & consiliorum plurima sunt genera. Quare in suadendo & dissuadendo tria primùm spectanda erunt, Quid sit de quo deliberetur, Qui sint qui deliberent, Qui sit qui suadeat.

Aristotel. 2. Rhetoric. 2. de Orat.

Tria in Suasoriis spectanda.

Rem de qua deliberatur, aut certum est posse fieri, aut incertum. Si incertum, hæc erit quæstio sola, aut potentissima. Sæpe enim accidet ut prius dicamus, ne si possit quidem fieri, esse faciendum: deinde fieri non posse. Cum autem de hoc quæritur, coniectura est, an Isthmos intercidi, an siccari palus Pontina, an portus fieri Hostiæ possit, an Alexander terras ultra Oceanum sit inuenturus. Sed in ijs quoque quæ constabit posse fieri, coniectura aliquando erit: ut si quæratur an utique futurum sit ut Carthaginem superent Romani, ut redeat Hannibal, si Scipio exercitum in Africam transtulerit. Vt seruent fidem Samnites, si Romani arma deposuerint. Quædam & fieri posse, & futura esse credibile est: sed aut alio tempore, aut alio loco, aut alio modo. Vbi coniecturæ non erit locus, alia sunt intuenda. Et primum, aut propter ipsam rem de qua sententiæ rogantur, consultabitur: aut propter alias interuenientes extrinsecus caussas. Propter ipsam deliberant Patres conscripti, an stipendium militi constituant. Hæc materia simplex erit. Accedunt caussæ aut faciendi, ut deliberant P. C. an Fabios dedant Gallis bellum minitantibus. Aut non faciendi, ut deliberat C. Cæsar an perseueret in Germaniam ire, cum milites passim testamenta facerent. Hæ suasoriæ duplices sunt. Nam & illic caussa deliberandi est, quòd bellum Galli minitentur: esse tamen quæstio potest, dedendi ne fuerint etiam citra hanc denunciationem, qui contra fas, cum Legati missi essent, prælium inierint, regemq; ad quem mandata acceperant, trucidarint. Et hic nihil Cæsar sine dubio deliberet, nisi propter hanc militum perturbationem: est tamen locus quærendi, an citra hunc quoque casum penetrandum in Germaniam fuerit. Semper autem de eo prius loquemur, de quo deliberari etiam detractis sequentibus posset. Partes suadendi quidam putauerunt honestum, utile, necessarium. Ego non inuenio huic tertiæ locum. Quantalibet enim uis ingruat, aliquid fortasse pati necesse sit, nihil facere: de faciendo autem deliberatur. Quòd si hanc uocant necessitatem, in quam homines grauiorum metu coguntur, utilitatis erit quæstio: ut si obsessi, & impares, & aquaciboq; defecti, de facienda ad hostem deditione deliberent, & dicatur, necesse est: nempe sequitur ut hoc subijciatur, alioqui pereundum est. ita propter id ipsum non est

Sueto. in Cæsare. Vide Iustinũ

Liuius Decad. 3. lib. 8.

Liuius Decad. 1. lib. 4.

Deca. 1. li. 5.

Comm. li. 1.

Partes suadendi. Necessariũ non cadit in deliberationem.

Vt Casilinenses Deca. 3. lib. 3.

necesse, quia perire potius licet. denique non fecerunt Saguntini, nec in rate Opitergina circumuenti. Igitur in his quoque caussis aut de sola utilitate ambigetur, aut quæstio inter utile atque honestum consistet. Atenim si quis liberos procreare uolet, necesse habeat uxorem ducere. quis dubitat? sed ei qui pater uult fieri, liqueat necesse est uxorem esse ducendam. Itaque mihi ne consilium quidem uidetur, ubi necessitas est: non magis quàm ubi constat quid fieri non posse. Omnis enim deliberatio de dubijs est. Melius igitur, qui tertiam partem dixerunt δυνατὸν, quod nostri possibile nominant: quæ ut dura uideatur appellatio, tamen sola est. Quas partes non omnes in omnem cadere Suasoriam, manifestius est quàm ut docendũ sit. Tamen apud plerosque earum numerus augetur, à quibus ponuntur ut partes, quæ species sunt partium. Nam fas, iustum, pium, æquum, mansuetum quoque (sic enim sunt interpretati τὸ ἥμερον) & siqua adhuc adijcere quis eiusdem generis uelit, subijci possunt honestati. An sit autem facile, magnum, iucundum, sine periculo, ad quæstionem pertinet utilitatis: qui loci oriuntur ex contradictione, Est quidem utile, sed difficile, paruum, iniucundum, periculosum. Tamen quibusdam uidetur esse nonnunquam de iucunditate sola consultatio, ut si de ædificando theatro, instituendis ludis, deliberetur. Sed neminem adeò solutum luxu puto, ut nihil caussæ suadendi sequatur præter uoluptatem. Præcedat enim semper aliquid necesse est, ut in ludis honor deorum, in theatro non inutilis laborum remissio, deformis & incommoda turba, si id non sit, conflictatio: & nihilominus eadem illa religio, cum theatrum ueluti quoddam illius sacri templum uocabimus. Sæpe uerò & utilitatem despiciẽdam esse dicimus ut honesta faciamus: ut cum illis Opiterginis damus consilium, ne se hostibus dedant, quanquam perituri sint nisi fecerint. Et utilia honestis præferimus: ut cum suademus ut bello Punico serui armentur. Sed tamen neque hic planè concedendum est esse id inhonestum: liberos enim natura omnes, & eisdem constare elementis, & fortasse antiquis etiam nobilibus ortos, dici potest, & illic ubi manifestum periculum est, opponenda alia: ut crudelius etiam perituros affirmemus si se dediderint, siue hostis non seruauerit fidem, siue Cęsar uicerit, quod esse uero similius. Hæc autem, quæ tantum inter se pugnant, plerunque nominibus deflecti solent. Nam & utilitas ipsa expugnatur ab ijs qui dicunt non solùm potiora esse honesta quàm utilia, sed ne utilia quidem esse quæ non sint honesta: & contrà quod nos honestum, illi uanum, ambitiosum, stolidum, uerbis quàm re probabilius uocant. Nec tantùm inutilibus comparantur utilia, sed inter se quoque ipsa: ut ex duobus eligamus, in altero quid sit magis, in altero quid sit minus. Crescit hoc adhuc. Nam interim triplices etiam suasoriæ incidunt: ut cum Pompeius deliberauit, Parthos, an Aphricam, an Aegyptum peteret. Ita non tantum utrum sit melius, sed quid sit optimum, quæritur. Itemq; contra. Nec unquam incidet in hoc genere materia dubitatio rei quæ undique secundum nos sit. Nam ubi contradictioni locus non est, quæ potest esse caussa dubitãdi? Ita ferè omnis Suasoria nihil est aliud quàm comparatio. Videndumq;, quid consecuturi simus, & per quid: ut æstimari possit, plus in eo quod petimus sit commodi: an uerò in eo per quod petimus, incommodi. Est utilitatis & in tempore quæstio, Expedit, sed non nunc. Et in loco, Non hic. Et in persona, Non nobis, non contra hos. Et in genere agendi. Non sic. Et in modo, Non in tantum. Sed personam sæpius decoris gratia intuemur, quę

Deca. 3. lib. 1. Florus epit. lib. ...

Aristot. ... Ethic. ... toric. 1.

Possibile.

Aristot. ... Rhetor. ... Alexan...

Non est sola iucundi...te.

Honesta quando cum utili collid... Florus epitome lib. ... Liu. Dec. ... lib. 4.

Vtilia inter se comparantur.

Plutar. in Pompeio.

Persona decoris caussa intuenda.

mur, quæ & in nobis & in ijs qui deliberant, spectanda est. Itaq; quanuis exempla plurimum in consilijs possunt, quia facillimè ad consentiendum homines ducuntur experimentis: refert tamen quorum authoritas, & quibus adhibeatur. Diuersi sunt enim deliberantium animi, duplex conditio. Nam consultant aut plures, aut singuli: sed in utrisque differentia: quia & in pluribus multum interest Senatus sit, an populus: Romani, an Fidenates: Græci, an Barbari, & in singulis, Catoni petendos honores suadeamus, an C. Mario, de ratione belli Scipio prior, an Fabius deliberet. Proinde intuenda, sexus, dignitas, ætas. Sed mores præcipuè discrimen dabunt. Et honesta quidem honestis suadere facillimum est: si uero apud turpes recta obtinere conabimur, ne uideamur exprobrare diuersam uitæ sectam, cauendum est. Et animus deliberantis, non ipsa honesti natura, quam ille non respicit, permouendus: sed laude, uulgi opinione, & si parum proficiet hæc uanitas, secutura ex his utilitate: aliquanto uerò magis obijciendo aliquos, si diuersa fecerint, metus. Nam præter id quòd his leuissimi cuiusque animus facillimè terretur, nescio an etiam naturaliter apud plurimos plus ualeat malorum timor, quàm spes bonorum: sicut facilior eisdem turpium quàm honestorum intellectus est. Aliquando bonis quoque suadentur parum decora, dantur parum bonis consilia: in quibus ipsorum qui consulunt, spectatur utilitas. Nec me fallit quæ statim cogitatio subire possit legentem: Hoc ergo præcipis? & hoc fas putas? Poterat me liberare M. Cicero, qui ita scribit ad Brutum, Propositis plurimis quæ honestè suaderi Cæsari possent, simne bonus uir si hæc suadeam? Minimè. Suasoris enim finis est utilitas eius cui quisque suadet. At recta sunt: quis negat? sed non est semper rectis in suadendo locus. Sed quia est altior quæstio, nec tantùm ad Suasorias pertinet, destinatus est mihi hic locus duodecimo (qui summus futurus est) libro. Nec ego quicquam fieri turpiter uelim, uerùm interim hæc uel ad scholarum exercitationes pertinere credantur. nam & iniquorum ratio noscenda est, ut melius æqua tueamur. Interim si quis bono inhonesta suadebit, meminerit non suadere tanquam inhonesta, ut quidam declamatores Sextum Pompeium ad piraticam, propter hoc ipsum quòd turpis & crudelis sit, impellunt: sed dandus illis deformibus color, idque etiam apud malos. Nec enim est quisquam tam malus, ut malus uideri uelit. Sic Catilina apud Sallustium loquitur, ut rem sceleratissimam non malitia, sed indignatione uideatur audere. Sic Atreus apud Varium,

Iam fero (inquit) infandissima, iam facere cogor.

Quanto magis eis quibus cura famæ fuit, conseruandus est hic uel ambitus? Quare & cum Ciceroni dabimus consilium ut Antonium roget, uel etiam ut Philippicas (ita uitam pollicente eo) exurat, non cupiditatem lucis allegabimus (hæc enim si ualet in animo eius, tacentibus quoque nobis ualet) sed ut se Reipublicæ seruet, hortabimur. Hac illi opus est occasione, ne eum talium precum pudeat. Et Caio Cæsari suadentes regnum, affirmabimus stare iam Rempublicam nisi uno regente non posse. Nam qui de re nefaria deliberat, id solùm quærit, quomodo quàm minimum peccare uideatur. Multum refert etiam quæ sit persona suadentis: quia anteacta uita, si illustris fuit, aut clarius genus, aut ætas, aut fortuna, affert expectationem. Prouidendum est, ne quæ dicuntur, ab eo qui dicit, dissentiant. At his contraria summissiorem quendam modum postulant. Nam quæ in alijs libertas est, in alijs licentia uocatur. Et quibusdam sufficit authoritas, quosdam ratio ipsa ægrè tuetur. Ideoque longè mihi difficillima uidentur Prosopopœiæ, in quibus ad reliquum Suasoriæ laborem accedit etiam personæ difficultas. Nanque idem illud aliter Cæsar, aliter Cicero, aliter Cato suadere debebit. Vtilissima uerò hæc exercitatio, uel quòd duplicis est operis, uel quòd Poetis quoque, aut Historiarum futuris scriptoribus plurimum confert: uerùm & Oratoribus necessaria. Nam sunt multæ à Græcis Latinisq; compositæ orationes quibus alij uterentur, ad quorum conditionem uitamq; aptanda quæ dicebantur fuerunt. An eodem modo cogitauit, aut eandem personam induit Cicero cũ scriberet Cn. Pompeio, & cum C. Appio, cæterisúe: ac non uniuscuiusque eorum fortunam, dignitatem, res gestas intuitus, omnium quibus uocem dabat, etiam imaginem expressit? ut melius quidem, sed tamen ipsi dicere uiderentur. Neq; enim minus uitiosa est oratio si ab homine, quàm si à re cui accommodari debuit, dissidet: ideoque Lysias optimè uidetur in ijs quæ scribebat indoctis, seruasse ueritatis fidem. Enimuero præcipuè declamatoribus considerandum est, quid cuique personæ conueniat: qui paucissimas controuersias ita dicunt ut aduocati: plerunque filij, patres, diuites, senes, asperi, lenes, auari denique superstitiosi, timidi, derisores fiunt: ut uix comœdiarum actoribus plures habitus in pronunciando concipiendi sint, quàm his in dicendo. Quæ omnia uideri possunt prosopopœiæ, quas ego suasorijs subieci, quia nullo alio ab his quàm persona distant. Quanquam hæc aliquando etiam in controuersias ducitur, quæ ex historijs compositæ, certis agentium nominibus continentur. Neque ignoro plerunque exercitationis gratia poni & poeticas & historicas, ut Priami uerba apud Achillem, aut Syllæ dictaturam deponentis in concione. Sed hæc in partes cedunt trium generum in quæ caussas diuisimus. Nam & rogare, indicare, rationem reddere, & alia de quibus supra dictum est, uariè, atque ut res uult, in materia iudiciali, deliberatiua, demonstratiua subijcere solemus. Frequentissimè uerò in his utimur ficta personarum quas ipsi substituimus, oratione, ut apud Ciceronem pro Cælio, Clodiam & cæcus Appius, & Clodius frater, ille in castigationem, hic in rationem amorum compositus alloquitur. Solent in scholis fingi materiæ ad deliberandum similiores controuersiis, ex utroque genere commistæ: ut cum apud C. Cæsarem consultatio de pœna Theodoti ponitur. Constat enim accusatione et defensione caussæ, quod est iudicialium proprium. Permista autem est & utilitatis ratio, an pro Cæsare fuerit occidi Pompeium: an timendum à Rege bellum si Theodotus sit occisus: an id minimè opportunum hoc tempore, & periculosum, & certè longum sit futurum. Quæritur & de honesto, deceat ne Cæsarem ultio Pompeij: an sit uerendum ue peiorem faciat suarum partium caussam, si Pompeium indignum morte fateatur. Quod genus accidere etiam ueritati potest. Non simplex autem circa Suasorias error in plerisque declamatoribus fuit, qui dicendi genus in his diuersum, atque in totum illi iudiciali contrarium esse existimarunt. Nam & principia abrupta, & concitatam semper orationem, & in uerbis effusiorem (ut ipsi uocant) cultum affectauerunt, & earum breuiores usique commentarios quàm * iudicialis materiæ facere elaborarunt. Ego porrò ut proœmio uideo non utique opus esse Suasorijs, propter quas dixi suprà caussas, ita cur initio furioso sit exclamandum, non intelligo: cum

propositа

Margin notes (left column):
...o pacto turpibus honesta suadenda sint.
Parum decora aliquando suadētur bonis.
Remouet obiectionē.
Cap. 2.
Color deformibus dandus.
Persona suadentis.

Margin notes (right column):
Prosopopœiæ.
Vitiosa oratio quæ ab homine dissidet.
Iliad. 24. Vide Plutar. in Sylla.
Materiæ suasoriæ mistæ cōtrouersiis, & ijs similiores quā suasionibus.
Quæ elocutio Suasoriis conueniat, cōtra declamatores ineptos.
* legalis. Dicendi genus in Suasorijs.

Quiritare, deos hominesq; inclamare.

proposita consultatione rogatus sententiam, si modò est sanus, non quiritet, sed quam maximè potest ciuili & humano ingressu mereri assensum deliberantis uelit. Cur autem torrens, & utique æqualiter concitata sit in ea dicentis oratio, cum uel præcipuè moderationem rationemque consilia desiderent? Neque ego negauerim sæpius subsidere in controuersijs impetum dicendi proœmio, narratione, argumentis: quem si detrahas, id ferè supererit, quo Suasoriæ constant: uerùm id quoq; æqualius erit, non tumultuosius atque turbidius. Verborum

Verborū magnificētia in Suasorijs crebrior propter rerū & personarum grauitatem.

autem magnificentia non ualidius est affectanda Suasorias declamantibus, sed contingit magis. Nam & personæ ferè magnæ fingentibus placent, Regum, Principum, Populi, Senatus, & res ampliores. ita cum uerba rebus aptentur, ipso materiæ nitore clarescunt. Alia ueris consilijs ratio est: ideoque Theophrastus quam maximè remotum ab omni affectatione in deliberatiuo genere uoluit esse sermonem, secutus in hoc authoritatem præceptoris sui, quanquam dissentire ab eo non timidè solet. Nanque Aristoteles idoneam maximè ad scribēdum demonstratiuam, proximamque ab ea iudicialem putauit, uidelicet quoniam prior illa tota esset ostentationis, hæc secunda egeret artis, uel ad fallendum, si ita poposcisset utilitas: consilia fide prudentiaque constarent. Quibus in demonstratiuis consentio. Nam & omnes alij scriptores idem tradiderunt. In iudicijs autem consilijsque secundum conditionem ipsius quæ tractabitur rei, accommodandam dicendi credo rationem. Nam & Philippicas Demosthenis eisdem quibus habitas in iudicijs orationes, uideo eminere uirtutibus. Et Ciceronis sententiæ & conciones, non minus clarum quàm est in accusationibus ac defensionibus, eloquentiæ lumen ostendunt. Dicit tamen idem de Suasoria, hoc modo, Tota autem oratio simplex & grauis, & sententijs debet ornatior esse quàm uerbis. Vsum exemplorum nulli materiæ magis conuenire merito ferè omnes consentiunt, cum plerunque uideantur respondere futura præteritis, habeaturque experimentum uelut quoddam rationis testimonium. Breuitas quoque aut copia non genere materiæ, sed modo constant. Nam ut in consilijs plerunque simplicior quæstio est, ita sæpe in caussis minor. Quæ omnia uera esse sciet, siquis non orationes modò, sed historias etiam (nanque in his conciones atque sententiæ plerunque suadendi, ac dissuadendi funguntur officio) legere maluerit, quàm in commentarijs Rhetorum consenescere. Inueniet enim nec in consilijs abrupta initia, & concitatius sæpe in iudicijs dictum, & uerba aptata rebus in utroque genere, & breuiores aliquanto caussarum orationes quàm sentētiarum. Ne illa quidem in his uitia deprehendet, quibus quidam declamatores laborant, quòd & contra sentientibus inhumanè conuiciantur, & ita plerunque dicunt, tanquam ab ijs qui deliberant, utique dissentiant, ideoque obiurgantibus similiores sunt, quàm suadentibus. Hæc adolescentes sibi scripta sciant, ne aliter quàm dicturi sint, exerceri uelint, & in desuescendis morentur. Cæterùm cum aduocari cœperint in consilia amicorum, dicere sententiam in Senatu, suadere siquid consulet Princeps, quod præceptis fortasse non credunt, usu docebuntur.

In partitio. Exēpla conueniunt maximè deliberantibus.

MOSELLANI.

NE utile quidem, nisi quod honestum, &c.] Opinio est Stoicorum præcipuè philosophorum, qui omne utile honestum statuunt, quorum sententiam Marcus Tullius fusissimè tractat lib 3. Offic. & etiam in Paradoxis. Hæc est ratio uerissima] Quòd scilicet non sint utilia nisi honesta. Cōmunes magis intellectus] Iuxta uulgi sensum loquendum est apud imperitos. Iugumq; Caudinum] At uero T. Veturius, & Spurius Posthumius, cum iterum Consules essent, quia cum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub iugum missis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti sunt his, iniussu enim populi senatusq; fecerant. Eodem tempore T Minutius & Q. Aemilius, qui tum Tribuni plebis erant, quòd eorum authoritate pax erat facta, dediti sunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque huius deditionis ipse Posthumius qui dedebatur, suasor & author fuit. Quod idem multis annis post C. Mancinus, qui ut Numantinis, quibus cum sine senatus authoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam Lucius Furius & Sextus Attilius ex senatusconsulto ferebant, qua accepta, est hostibus deditus. Hæc Cicero lib 3. Officiorum Hi e utilius certe fuisset præclaros illos uiros in Repub adseruare, uerū quia honestas dissuasit, dediti sunt hostibus. Eas] Deliberationes. Legales tractatus] Controuersiæ legales, an liceat, an sit permissum legibus. Interim] Dum eo perueniamus. De Halonnesum] Insulā, cuius titulus est hodie in codicibus Græcis περὶ ἁλοννήσου. Est autem Halonnesos insula, quæ cum antè Atheniensium ditionis esset, capta a piratis, & hinc à Philippo Macedonum rege recepta, diu in ambiguo erat utrius esset, Atheniēsis ne populi, an Philippi. Quare cum Athenienses ipsi repetundarum agerent, Philippus reddere eam quidem Atheniensibus recusauit, quòd uidelicet ipse eis non extorsisset, sed à latronibus redemisset, uerum doni & muneris titulo se daturum hanc uelut in gratiam Atheniensium populo, id quod ignominiosum uidebatur Atheniensibus, res bello agi cœpta est, idq; ex cōsilio Demosthenis. Apud Ciceronem in Philippicis] Nona Antoniana. De statua] Erigenda. Panegyricis] Orationibus laudatoriis. Libera] Arbitrio dicentis exposita. Isocrates fecerit] Nam à laudibus eloquentiæ exorditur. Vicinia] Cognatione quasi. Gorgias] Eodem modo fecit. Olympico] Laude Olympicorum ludorum. Conuentus] Scilicet uniuersæ Græciæ, ut quinto quoque anno essent celebres. Crispus Sallustius] Nam Catilinarium auspicatur à collatione animi ad corpus, & utriusque uirtutum. Et Iugurthinum bellum incipit à refutatione opinionis quæ fragilitatem humanæ naturæ querebatur. Extrinsecus] Aduenientis obiter. Concitanda] Commouenda est aduersus hostem. Conciliationem] Ad amicitiam restaurandam. Fas habetur] Permissum est. Studio] Gratiæ. Mores] Eius qui consulit. Operibus] Aedificiis. Voluit] Cicero ex sententia Aristotelis. Vires] Facultates. Mores] Leges, constituta. Rerum] Facultatum & morum. Re] Ipso argumento. Plurima] Diuersæ species. An Isthmos intercidi] Isthmos græcis terræ angustiam inter duo maria sitam significat, cuiusmodi est in Achaia, ubi Corinthus oppidum, tum & in Thracia. Porrò destinauit Iulius Cæsar Achaiæ Isthmum perfodere, ut maria confluerent, itemq; exiccare paludes Ponticas, author Suetonius, sed morte præuentus non perfecit. Portum autem Hostiæ extruxit ingentibus impendijs Claudius Cæsar, ut eius uita refert Suetonius. Alexander terras] Alexander magnus cum ex authoritate Democriti Philosophi accepisset plures esse mundos, statuit Oceano pernauigato eos uincendos inquirere. Vnde declamationum argumenta antiquitas duxit. Innuit hoc Iuuenalis. Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis. Sententiæ rogantur] quæruntur consilia. Stipendium] Apud Liuiū lib 5.

Simplex] unum statum tantum facit. Accedunt caussæ] Aliquoties ad materias. Gallis bellum minitantibus] Gallorum rex Brenno in Hetruriæ finibus Clusinos adortus, magna affecit clade. A Romanis ergo missi sunt legati ad pacem faciendam inter Clusinos & Gallos, qui exorta ira regem ipsum trucidarunt. Vnde Galli communiter Romanis indixerunt bellum. Hinc deliberatio quam proponit Fabius. Deliberat Cæsar] Vide Cæsarem in commentariis. Milites] Deterriti ferocia Germanorum. Hæ] Materiæ. Quæstio] Simplex. Fas] Ius gentium. Locus] Occasio. Hunc casum] Hanc consternationem militum. Defecti] Destituti. Necesse est] Deditionem facere. Idipsum] quod subiicitur. Non fecerunt Saguntini] Saguntum Hispaniæ oppidum munitissimum, cum diu frustra oppugnationē Hannibalis sustinuissent, ut quiduis potius facerent, quam fidē populo Romano datā deditione facta laederent, ad extrema adacti, sese una cum domicilijs concremarunt. In rate Opitergina] Opitergium oppidum est Italiæ non procul à Venetiis, uelut indicat Plinius libro. 13. cap. 19. Eius ciues pugna naualí ab hostibus circumuenti, potius quàm se hosti trucidandos relinquerent, mutuis cædibus sese confecerunt.

consecerant. Circunuenti] ab hostibus. Non magis] Mihi uidetur esse consilium. Dubijs] quorum euentus est incertus. Tertiam partem] suadendi. Quas partes] Vtilitatis.

Partes] Suadendi & dissuadendi. Honor deorum] Vnde ludi Apollinares in honorem Apollinis instituti sunt, & Megalenses ludi in honorem magnæ deum matris Cybeles. Illic] in exemplo Opiterginorum. Serui armentur] Nam cũ multis cladibus exhausta esset Romana ciuitas, ita ut iuuentus libera ad exercitus reparandos non suppeteret, consilium factum est, & senatusconsultum, quo permittebatur seruos armari contra hostem, quando lege statuebatur capitalis pœna seruo militanti. Cæsar uicerit] Pompeianos, & ex sequenti fidem non seruatam auxiliarium ulciscetur. Quod esse uero similius] Posterius scilicet, Cæsarem uincere. Vtriusq; differentia] hoc est pluribus & singulis consultantibus. Senatus] Concio omnium ciuium. Catoni] Maximæ seueritatis uiro, & ab omni ambitione alieno. An Caio Mario] Nouarum rerum studiosissimo, & ex altera parte ciuilis belli authori. arma enim contra Syllanam factionem cepit, uelut refert Lucius Florus. Scipio prior] Vehementis & ferocis ingenij uir. Fabius deliberet] Lentissimi alioqui & mansuetissimi ingenij homo, qui quemadmodum ais Ennius apud Ciceronem de senectute. Vnus cunctãdo Romanis restituit rem. nam Hannibalem iuueniliter exultantem sua patientia fregit. Proficiet] Mouebit. Vanitas] Pro qua grauitas. Aliquanto uerò magis] Scilicet permouendus est animus eius. Præter id] Id est hoc argumentum. Malorum] Scilicet ex uitijs. Bonorum] Ex uirtutibus. Liberare] Occasione responsionis. Cæsari] Sed citra utilitatem eius. Recta sunt] quæ proposui honeste persuaderi Cæsar. Suasorias] Materias. Hæc consilia] Parum decora. Suadere] Scilicet sese, sed tanquam eius persona qui consilium petit, digna. Impellunt] Suadendi ratione. Color] Scilicet quidam honestatis. Loquitur] Ad milites. Indignatione] Quòd uidelicet indignissimum ei uideretur, reipublicæ administrandæ gubernacula paucis quibusdam præpotẽtibus & nouis hominibus in manus dari, per quorum factionem nobilitas non admodum diues, & plebis paupertas opprimeretur. Sic Atreus] Qui propinna liberos occidit. Ambitus] Studiũ honoris conseruandi etiam per scelus. Hæc] Consultatio. Quæ dicuntur] Per consilium. Summissiorem] Mensuram quandam minorem. Ratio ipsa] Argumentatio. Prosopopœia] Id est quando introducimus in oratione deliberatiua consilium ad imitationem alicuius personæ compositum. Vocabulum certã ipsarum personarum fictionem sonat, πρόσωπον personam significat, & ποιῶ fingo. Aliter Cæsar, aliter Cicero] Cæsari enim tribuit Sallustius orationem mitem, & supra modum indulgentem, dum uidelicet uel sic in Catilinaria coniuratione negat animaduertendum in coniurationis anthores, idq; facit callide, nimirum quo per clementiam audacissimi cuiusq; fauorem conciliet, sicq; aditum ad imperium occupãdum præparet. Rursum Cicero dum gloriam ueram ex patriæ libertate omnibus uiribus sectatur, mauult mortem subire, quam nõ uel ingenij artibus Rempublicam tueri. At Cato seuerissimè animaduertendum in coniuratos, uelut patriæ honestas suadet, censet. Duplicis est operæ] Alterius suadendi, alterius seruandi decorem. Vocem dabat] Quibus accommodabat orationem suam. Indoctis] Hominibus. Nam si indoctus esset cui scribebat, indoctam quoq; & eo dignam orationem meditabatur. Habitus] Gestus. Alio] Discrimine. Hoc] Personis distare, alias hæc, scilicet persona, hoc est personæ fictio. Controuersias] Contentiones iudiciales. Poni] Proponi in declamando. Priami uerba] Quibus exorat animum Achillis ferocem, ut Hectoris filii occisi corpus reddat honorifice sepeliendum. Est autem locus apud Homerum ultimo lib. Iliad. Syllæ dictaturam] Cum eam seruare licuisset, unde & Iulius Cæsar dixit Syllam literas nesciuisse, quòd dictaturam deposuisset, cuius occasione potuisset imperium inuadere. Hæc] Themata. Substituimus] Introduximus pro nobis loquentes. Pro Cœlio] Cœlius adolescens hac caussa suspectus erat iudicibus quibusdam q̃ Clodiæ uenenũ parasse diceretur. Verùm Cicero hanc caussam Cœlij sic tuetur, ut substitutis personis Appii Cæci, quẽ non pudeat de libidine uerba facere, & Clodij fratris minoris ipsius Clodiæ, qui q̃ una cũ sorore concubuerit, faclè promere queat quæ se conscio soror libidinosa commiserit, atq; hac arte eludit iudicium Cicero, quodq; Cœlius spreuerit Clodiæ blãditias, ab ius ab aliis adulteris noceatur. De pœna Theodoti] Qui cum præceptor esset Ptolemæi regis Aegypti, author fuit discipulo pupillo, ut Pompeium Magnum illuc ad littus appellentem in fuga iuberet interfici, & caput eius ad Caium Cæsarem hostem deferri, Cæsar autem uiso Pompeii capite, illachrymauit eum uirum interfectum, cuius uita uictoriam suam clariorem reddidisset, quare deliberat an supplicio afficiat Theodotũ eius cædis authorem, uide Florum. Permista autem est & utilitatis ratio] quæ propria est suasoriæ materiæ. Quæritur & de honesto] Vt nonnihil etiam demonstratiui generis accedat.

Abrupta] Nihil auditorem præparantia. Concitatam] Vehementem, hoc est affectibus plenam. Non quiritet] Id est non quæstionibus obturbet, quæ omnium maximè declamationes desiderant. Torrens] Impetuosa oratio. Cur] quasi dicat, nullam ob caussam. Nam & Philippicas] Constant Philippicæ deliberatiuo genere. suadet n Demosthenes Atheniensibus bellum suscipere contra Philippum. Breuitas quoque] quæ semper generale quiddam habet. Porrò hoc demum generale est, quod in singularibus similiter contingere est deprehensum. Namq; in his] Historiis. Conciones] Habitæ ad populum, siue milites. Sententiæ] In senatu habitæ.

ANTONII PINI.

TRibus cõcluserat uniuersam de statu disputationem, quid sit, unde dicatur, quot & qui sint. Confectis igitur duobus, ad postremum accedit, in quo longe maior quàm in prioribus dissensio. Nam cum in aliis mediocris quædam sit uarietas, hac in re sic uarietate certasse uidẽtur, ut nec de numero nec de nomine satis apud illos usquam constet, nec ulla distinctio certum locum habeat. Non enim uel qui speciales sint, uel qui generales, in tanta diuersitate satis cõuenit, Porro in opinionibus recensendis hunc ordinem tenet, ut eos anteponat, qui ad capita quædam omnia quæstionum genera, non tamen uelut ad rhetorum ciuiles status redegerunt, inter quos est Aristoteles, qui Architam secutus, uoces numero infinitas, decẽ generalissimis appellationibus est complexus, quæ ab illo κατηγορίαι dicũtur, nobis, si liceat uerbum uerbo reddere, prædicamenta græcũ nomen & significationem continet, &, ut illi aiunt, prędicationem. Prima enim genera & significandi uiribus ambiunt omnia, & omnia inferiora ita despiciunt, ut supra se nulla suspiciant, de quibus plura dicere nil attinet, cum præter ridiculam ostẽtationem fructus legentibus nullus subsit. Hoc tamen est obseruatione non indignum, alium illis generibus scopum à Fabio nostro pręfigi, quàm uulgo soleat. Etenim in ore habent omnes, in hoc illa elementa comparata, ut immensa rerum uocumq; turba in illos ordines descripta, non amplius tumultuaretur; ut olim libertini in tribus distributi, ne comitiorum ratio conturbaretur. At Fabius altius cernens consilium, id egisse Aristotelem confirmat, ut prima omnium quæstionum genera proponeret, & de horum aliquo in omni disputatione quæri uellet. Principe loco est οὐσία, quã Flauius (sic enim leges lib. 2. cap. 15. & lib. 8 cap. 3.) retulit essentiam, dura quidem usus, sed penè sola appellatione. namq; substantia οὐσίαν non exprimit, cum aliud esse intelligamus, quod εἶναι, aliud substare, & subsistere, quod ὑπάρχειν græci aiunt. Eius quæstio esset, si ne res, & subsistat, quod in coniecturæ speciem uenit. Porro οὐσίαν describit Aristoteles ut sit quæ maxime subsistit, & τῷ εἶναι principium reliquis præbeat, illam in singularem distribuit, utpote Socratem, Ciceronem, & communem, quam secundam dicit, ut hominem. Vtcunq; sit, eius cõiectura in eo demum sita est, an res sit. Illi succedit, non naturæ quidem ordine, sed uicinia enumerandi, qualitas ποιότης ab Aristotele dicitur ea quid significet, & cuiusmodi gignat quæstionẽ, cernere peruium est. Ea enim est per quam dicimur quales, id est certa quadã affectione præditi. In ea uero qualis sit res quæritur. Tertia in recensendo est quantitas, quæ in duas est diuisa partes, quàm magna res sit, & quam multa. Prius genus continuam quantitatem appellant, posterius discretam & disiũctam. Illa ad communem iuncturam cohæret, hæc sibi nulla uinctione copulatur. Quid q̃ à posterioribus diuisam ait? nunquid eadem non utitur distributione Aristoteles? sic statuo diuisam quãtitatem ab Aristotele, sed à posterioribus in has digestam quæstiones. Quartum genus est relatorum, quæ πρός τι, hoc est ad aliquid uocantur; Omnia siquidem aut posita sunt, aut alio referri nata sunt. Illa uerò relata dixeris, quæ sua habent natura cõparatum, ut alio trahantur. Ex hoc genere duplex emanat quæstio, comparatiua, ut uter dux melior, Scipio, an Hannibal, siquidem collatio omnis alio sensum rapit, & translatiua: Nec enim est dubium quin ubi de trãsferẽda actione lis est, referatur caussa ad aliquid, & in illa relatione consistat, ut an huic in hunc sit ius agendi. Hæc sunt quatuor genera luculentius ab Aristotele in ratione disserendi explicata, reliqua sex cursim attigit, q̃ & usum habeant in disserendo minorem, & obscuriorem inter-

pretationem, ut πῶ, siue ubi, quo uocabulo omnia uerba quæ in loco esse quempiam indicant, continentur, & πότε, quando: in quem ordinem redigenda sunt omnia quæ temporis spatio circunscribi aliquem notant, deinde facere & pati, huc refer agentia omnia & patientia, quæque illa enunciant uerba. Habere, cuius sit exemplum, esse armatum, habere uestem circumpositam, omnia id genus hoc includes elemento. Vltimum ex decem κεῖσθαι, quod situm esse, & quodammodo compositum significat, ut stare, sedere, duo calefacere & irasci, situ non uidentur habere ullum, proinde expungunt eruditi, & alia substituunt. Mouent exemplarium consensu. Quid ergo? si qua est excusandi ratio, fuerit nimirum ista, calefacere accipi posse calefaciendi situ, & irasci pro eo situ partium, quo excandescentes utuntur, aut certa coniiciemus esse mixta exempla actionis & situs. Quæ ita disputo, ut non omnino displiceant qui eo loco mouent hæc uelut spuria & adulterina. Verum, inquit Fabius, quatuor prima genera dignas habent quæstiones statu, substantia & quantitas ad coniecturam referuntur. Esto sit in quantitate quoddam status finitiui simulacrum, qualitas suo statui coniuncta est, ad aliquid duos habet status speciales, at locus, tempus, habitus, situs, facta, & alia inter negociorum comites circunstantias numerantur, ex quibus præsertim coniecturæ apta petuntur argumenta. Alij nouem elementa posuerunt, id est nouem simplicissimis quæstionũ generibus omnem de qua posset quæri rem sunt complexi. Primum uerò elementum faciunt personam, cuius tripartitam uolunt esse controuersiam. Cum enim bonorum genera sint tria, fortuita, corpori insita, & animo, de quocunque genere instituat quæstionem, de persona esse dicent, & ad primum elementum referri, quod ad instrumenta probationesq; tum coniecturæ tũ qualitatis pertinet, & coniecturam quidem iuuat, dum personarum attributa rei factæ aut fidem afferunt, aut detrahunt. Qualitatem uero, quòd & animus sæpe excuset iniuriam, & tã corporis dotes quàm fortunæ præsidia & adiumenta in utranque partem qualitatis ualent plurimum. Secundum elementum statuunt tempus, quo includunt omnes quæstiones quæ temporis habent controuersiam, ut si ageretur, esset'ne seruus putandus is quem mater peperit cum addicta esset. Porro addicti uocantur, qui obstricti ære alieno, cum soluendo non sint, addicuntur à prætore ad corporis seruitutem, donec opera parta faciant cum accepta pecunia, & quia uidetur mater addicta tantisper quidem dum seruili officio fungitur, seruitutem seruire, hinc controuersia oritur, sit'ne seruus eo natus tempore, nec attinet in utrãuis partem disputare, si modò intelligimus, si qua est, eam ea tempore sumi difficultatem. Tertium elementum locum uocant, hoc enim casu legis ordo exigit, qui ut in coniectura probationum, sic in qualitate materiam præbet quæstionum, authore Fabio lib. 5. Ex loco uero huiusmodi exoritur quæstio, sit'ne ius tyrannum interficere in templo, dum uel ipse dijs facit, uel sacra suæ uicis obeuntibus interest, uel dum eo confugit, detrahe loca, quæstionum nulla manet ambiguitas quin tyrannum occidere liceat, cum tyrannicidis præmia sint cõstituta, hinc tantum res euadit anceps, q̄ ut uitam illi ui adimere fas & iura sinunt, ita in quemcunque locum cædis faciendæ gratia irrumpere religio prohibet. Eodem pertinet illa quæstio: exilio adiudicatus est quispiam, & urbe non egreditur, domi se continet, & publico abstinet. Non dubium quin urbem incolere non sit exulare, hinc res accipit controuersiam, q̄ domi latuerit, nec in uultum hominum, ludos, & forum prodierit, non aliter quàm si solùm uertẽs urbe cessisset. habitum uera esse exilii quoddam genus, recipere se demum, & oculis hominum se non credere, Cicero docet in Pisonem, Atenim nec exilium ipsum pœna fuit, immo uerius quædam pœnæ remissio, ut ex Cicerone satis liquet. Taceo loca iuris eo pertinentia, nolo esse mei in re non necessaria immodicus ostentator. Quartum elementum enumerat, speciale quoddam tempus, καιρὸν appellant, id occasionem. In priore, tẽporis, id est spatii subest quæstio, hinc commoditatis ad agendũ opportunæ ratio habetur. At uerò occasio multiplex est, generalis & stata, ut æstas, & hyems, quædam enim æstate geruntur melius, ut messes, ut bella, quædam hyeme, quæ in Georgicis late describit Virgilius. Alia est fortuita, ut pestis, inediæq; occasio. unde trahitur nobile declamationis argumentum de eo qui inualescente peste epulas celebrabat, & passim desertis ædibus, se uino ciboq; explebat. crimen illi totum ex eo conflatur, quòd per occasionem alienæ calamitatis ipse lautis difflueret, ita ut pestem inuexisse & auxisse crederetur. Quintum faciunt actum, id est πρᾶξιν. In actu uero aiunt omnes uoluntatis quæstiones comprehendi, ut cum agitur, sciens, an per imprudentiam egerit, fortitone concursu, an inexpugnabili necessitate, cuius sæpe ueniunt in usum quæstiones. Sextum collocant numerum, qui quantitatis est species, dupliciter enim diuidebant quantitatem, in magnam, & multam. hac posteriore concluditur numerus, ut cum quæritur, debeantur'ne Thrasybulo triginta præmia. nam si ei qui unum sustulit, unum præmium decernitur, triginta deferri illi par est, qui triginta à Lysandro datos rectores, & dominatu tyrannorum more abutentes, aut interemerit, aut à reipub. peste oppressioneque deiecerit. historiam attigit. latius prosequitur Iustinus, à quo petas licet.

Septimum elementum caussam faciunt. huc pertinent omnes quæstiones caussarum, in quibus iure factum proposita ratione defendimus, ut fit in qualitate præsertim absoluta.

Octauum constituunt τρόπον, hoc est modum, cum res non aliò in quæstionem, quàm propter modũ adducitur, ut cum aliter factũ dicimus, quàm lege præscribatur. hinc dicuntur scholasticæ cõtrouersiæ permittitur lex ut adulterũ occidamus deprehẽsum at si quis nõ gladio transfixit, sed uerberibus necauit, aut inedia lenta morte confecit, in ius rapi eo modo potest. Vltimũ enumerant elementum occasiones factorum, quod tam facile putat Fabius, ut nec descriptione egeat, nec exemplo. & ne fallat interpretatio latina, græco utitur. adijciunt inquit, ἀφορμὰς τῶν ἔργων. Mihi hoc elemento uidentur significari proximæ factorum caussæ, ut cum quæritur, quando ansam arripuerit faciendi. ita ab illa temporis occasione distat, & a caussa. Vtor coniectura græci nominis. ἀφορμὴ enim ansam & incitationem quandam sonat. & non aliter, quàm cum tres status dicimus, hoc intelligimus, omnes quæstionum uarietates his tribus generibus contineri, sic cum elementa nouem constituunt hoc numerum uolunt, nullam esse quæstionem quę non ad hæc capita redigatur. Sed in hac ipsa elementorum enumeratione dissensio, quædam est. Cum enim isti nouem ponant, alii duo excerpunt numero, ac si aliis satis his duobus sit prospectum, nempe numerum, & occasionem, illam priorem, quòd in tempore sita sit, & pro illa quæstione, uoluntatis nempe actu, substituunt aliud genus, in quo de rebus ipsis quæstio uideatur instituta, & appellant πράγματα. Quod si fortasse requiras, quis tandem sit horum usus, satis, inquit, fuit breuiter recensere, non quòd in scribendo adiuuent, sed ne prætereundo, instituto operi satis non facerem, cum inquisitionem opinionum sim pollicitus.

Cæterum his nec status satis] Communi utitur reprehensione, eamque breuiter concludit. Etenim cum in elementa omnes quæstiones digerant, statuum uim naturamq; nulla propè parte aperiunt. Nam quid callidæ discernas, ubi sic confusa sunt genera, ut in persona, & propè eorum singulis omnes includantur status. Adde quòd locos omnes ista non continent, ut hoc uelit, elementa ista, nec statuum uice posse fungi, quippe quæ sint indigesta, nec rursum locorum uice habere nomen, cũ multo plures singulorum statuum sint loci, quàm ut his elementis includi possint. utrũque cernetur magis ubi statuum naturam hoc libro, locorum septimo explicauerit. ita cum audiuerimus, quæ utraque de re, id est statu & locis dicet uterque diligentius error apparebit.

Apud plures authores legi] Accedit ad enumerandas illorum opiniones, qui nomine statuum sunt usi, ad quos ciuiles res potissimum accommodarint, inter quos à pluribus assertum est authoribus, non defuisse qui omnes quæstiones uno statu concluserunt, nempe coniecturæ. Authores ignorantur librorum penuria. qui ne omni ex parte carere uiderentur ratione, sententiam ita adstruebant, signa coniecturæ tantum esse utilia. In omni quæstione signis utimur, uel facti, uel æquitatis. Signum autem latius accipiebant pro credibili probatione. quo sensu falsum erat signa coniecturæ tantum esse utilia. Refellit eam opinionem, cum elicit quid ex illa sequatur absurdi. Quo modo licet, inquit, i. si q̄ signis utamur quibusdam in omni quæstione, ideo omnis quæstio ad coniecturam referenda est, ita si quis generalius accipiat quale sit, etiam in coniectura quærimus quale sit negocium, id est fecerit, necne: & in finitione quale sit quod fatetur, furtum, an sacrilegium. ita unus esset status eadem ratione, nimirum qualitas, quasi ita dicat, non effici priore ratione, ut nec ista efficitur. siquidem ut antea nomine signi usi sunt generalius, sic nos qualitatis intellectu liberiore sumus usi. Atqui siue qualitatem dixeris solam, siue coniecturam, immẽsa quædam orietur obscuritas: quia distingui sola qualitas sine magna confusione in tot species quæstionum non potest.

Nec uerò interest, unum an nullum faciant.] Dij boni, quàm scrupulosius in specie uideri potest hic locus, Quis non admiretur tantundem esse unum, ac si nullum dicas? Audi, mirari desines. quemadmodum si nullus esset status definitus, labi nemo posset in eligẽdo statu, cum enim haberet qui fortuito obti-

gisset,

gisset, ita si unum esse dicis, omnes facis similes caussas, & proinde errari non posse. Adde quòd non minor est confusio in tractando omnes caussas per locos unius status, ac si nullis uteris locis, sed naturam ducem sequereris. & hoc sensu dicitur quod ad perturbationem præceptorum attinet, & scribendo nó perinde referre, unum dicas tantum, an omnino nullum. Et quia hic status princeps est coniectura, unde eius trahatur nomen, exponit. Coniectura à coniectu dicta. Coniectus autem est agitatio mentis solers ad ueritatem signis eliciendam. Vnde qui somnia interpretantur, ut in sacris de Iosepho refertur, & Daniele, coniectores uocantur. Græci non diuersa admodum notatione στοχασμὸν dicunt, παρὰ τὸ στοχάζεσθαι, quod scopum attingere, &, ut aiunt, collimare significat. Sed ut hæc communis est appellatio, ita diuersis nominibus idem notatur status, ut liquebit dum aliorum de numero statuum recensebit opiniones.

Fuerunt qui duos] Nihil omnino caussæ est cur hinc initium facias, pergit enim constanter ordine enumerare quanta in ordine statuum fuerit excitata dissensio. Fuerunt enim, inquit, qui ad superiorem unius status facerent accessionem, ut Archidemus, qui ad coniecturam adiecit finitionem, cur qualitatem excluserit, rationem subnectit. Putabat ille qualitatem definitionis quæstione comprehendi. Cum enim an res sit æqua, an iusta, quæritur, utendum putabat hac forma, quid esset æquum, iniustum'ue. atqui ubi quid est præfigitur, nemo ambigit definitionem appellari. Enimuero ubicunque de qualitate disputaretur, perinde æstimabat ac si de eodem alioq́ue diceretur. Eodem enim loco habebat, percontari an res esset æqua, & an eadem esset cum æquitate, an ab illa diuersa, quibus opinabatur effici, qualitatis quæstionem definitione suppleri, atque ita duorum statuum ambitu omnes claudi quæstiones. Alij duos & ipsi uoluerunt esse, sed longe alios, nam coniecturam loco non mouerunt, antiquitate ducti. In definitionis locum suffecerunt qualitatem, quam, utpote de iure agentem, iuridicialem nominarunt, priorem inficialem dixerunt, ab inficiando, id est negando facta: quod nomen alij in totum dederunt, id est, ita hoc nomine usi sunt, ut aliud huic statui non facerent nomen: alij, quòd eo statu utraque pars utitur, qua illum adhibet defensor, inficialem appellarunt, quòd in negationem spem coniiciat totius uictoriæ, qua uero accusator, coniecturalem. Plures enim suspiciones & coniecturas mouet is qui agit, ut superiore capite à nobis est explicatum.

Pamphilus] Porro iuridicialem cum aiunt, δικαιολογικὸν significant, à defensione iuris fundamento subnexa, comparat utranque opinionem facili sensu, quemadmodum, inquit, ab Archidemo qualitas exclusa est, quòd in definitionis partes cederet, ita à Pamphilo mota est finitio, & in eius uices subrogata qualitas, & huic definitionem ea caussa subiicit, ut ille finitioni subnectebat qualitatem, nec sua caret ratione. quid enim aliud est quærere, furtum'ne dici an sacrilegium debeat, quàm addubitare, ius ne sit ut furti nomen subeat, an sacrilegii? in quo genere qualitas uel ipsa fronte dominatur. Hanc sententiam Pamphilus est secutus, sed ita secutus, ut qualitati plurimas species subiecerit, quas? non constat, eo quòd eius insulæ in quibus præcepta, ut ait Cicero libro tertio de Oratore, scripserat, uetustate consumptæ sunt. Sunt & qui duos fecerunt status: rem de qua non constat, hoc est coniecturam, & de qua constat, id est qualitatem, eandem sententiam diuersis nominibus intelligentes, quæ partitio uera est, si modo secundam partem, cum res certa est, in duo descripseris, finitionem, & qualitatem: qui duo reliqui sunt post coniecturam status. Apollodorus, etsi obscurior propter nominum insolentiam, in eandem partitionem statuum reuoluitur. Omnem enim quæstionem constituit in rebus extra positis, id est signis, quæ primas habent in omni coniectura. Quæ ideo extra posita dici puto, quòd sint sensilium rerum sub sensum cadentium uestigia, quibus omnis tractatur coniectura, & in nostris opinionibus, id est in eo de quo cum factis constet, nostris opinionibus dein quæritur eò, ut uel æquum uel iniquum, rectum uel prauum, hoc nomine an illo uideatur notandum, prius genus, quod de re an facta sit, & à quo, agit, πραγματικὸν appellat, posterius de opinione, quòd, ut dixi, fas & ius hominum maxime constent opinione. Nec tamen ignoro enarrari à multis aliter hunc locum. Ego dissensuros non puto, qui nulla imbuti religione prioris sententiæ, de hac posito affectus æstu iudicabunt.

Idemq́; ἄπορον & προληπτικὸν] Eodem, inquit, recidunt, qui omne quærendi genus aut dubium uocant, ut est in coniectura, aut præsumptum, quòd cum confessum sumptum sit, de eo iam liquet, & ob id in duos status diffunditur, finitionem, & qualitatem. Litera tamen huius loci uaria est, & uno aut altero uerbo defraudata uideri potest. Illud enim, dicunt, facit ut alios esse intelligamus qui in hæc duo capita omnem descripserunt quæstionem, ut plena dictio in hunc modum uideatur fuisse: Idemq́;, supple sentiunt, qui dubium, & præsumptum, id est de quo constat, græce ἄπορον καὶ προληπτικὸν, faciũt quæstionum capita, quibus dubium præsumptumq́ue significatur. Mihi sensum aperire satis est uisum. Restituere germanæ lectioni, fortunæ erit magis, si quis in uetustum codicem inciderit, quàm coniecturæ, qua uti possum si repetas ordinem. Inde plurimi deinceps, mutatis tantum nominibus, in rem dubiam, & de qua constet. Idem Apollodorus, dicit subaudi, sic idem accipe extrinsecus sentiunt qui, &c. Ego, quod sæpe faciam, cum meam sententiam dixero, suam lectori relinquam. Idem Theodorus Gadareus uidetur sensisse, qui duas instituit quæstiones, unam, an sit. alteram de accidentibus eius rei quam esse pro certo sit. Græci sic habent, περὶ οὐσίας καὶ συμβεβηκότων. Cur idem intellexerint omnes hi, docet. Etenim primum statum omnes quanuis diuersis appellationibus intelligunt coniecturalem, proximum bipertitum esse uolunt, finitionem uidelicet, & qualitatem, propè omnes Apollodorũ secuti, qui de nomine quæri cum dicit, nõ dubium quin accipi uelit definitionẽ, in qua de nomine rei ideo quæstio ponitur, quòd nominis diuersitas, & genus mutet criminis, & supplicij conditionem. Theodorum sequi malunt alij, qui præter coniecturam, in qua consentiunt omnes, quatuor secundo genere complectitur quæstiones, quid sit, quod definitioni attribuit, quale sit cuius satis patet genus. quantum sit, & quò referatur quæ quò reduci debeant, antea exposui, cum de Aristotelis opinione loquerer. Sed enim Archidemus qui in duos, & ipse status omnẽ cõsumpserat, quæstionem, secundum fecit de eodem, & diuerso quo uidetur non finitionem modò, de qua uidetur agere, sed qualitatem quoque intellexisse. Si enim diligenter excutias, satis constat, quod superius dixi, rem eandem colligi aut diuersam nũc definitione, nũc accidentibus, ut admiratio nulla subire debeat, si cum de eodem atque diuerso existimauit quæri, etiam qualitatis occultam fecit mentionem. Iam opinio Posidonij statuum non meminit, in duo tamen genera omnem trahit cõtrouersiam, uocem, & res, ita ut aut de uocabulo sit disputatio suscepta, aut de re. Voci eiusmodi attribuit quæstiones, significet'ne res, & si cassa non est, quid tandem significet. tertio in quã multos spargatur intellectus tum demum quomodo, una'ne ratione omnibus communicetur, an disparibus sola nominis cõmunione coniugatis. Nec uero in uocis quæstione ambigi de pluribus posse satis uidebit, qui in omnem uim uocis animo se ac cogitatione conuertet. In rebus tria quæri uult, coniecturã, quam uocat κατ' αἴσθησιν, fortasse (lectio enim constans nõ est) quòd facti probatio signis in sensum uenientibus peragatur. unde secundum sensum status dicetur coniecturalis. Deinde qualitatem, quam eo quo cæteri uocat nomine, & finitionem, quã appellat κατ' ἔννοιαν, quòd rationis ui & cogitationis probetur. Quartum facit genus ad aliquid, in quo de affectione rei ad aliam disputatur. Ergo quia quosdam status in ratione positos, & cogitatione defixos dixerat, fit ut omnem quæstionem quidam secuerint in scriptam, quæ legalis dicitur, & non scriptam, quæ κατ' ἔννοιαν, & quodammodo rationalis uocaretur. In eorum est numero Celsus, qui omnem quæstionem aut coniecturæ subijcit, aut qualitati finitionem numero excipit, quia recidat in coniecturam. In utroque statu facti est negatio, sed in cõiectura negatur omnino, in definitione quadantenus negatur, nempe quoad illud facti nomen esse inficiamur, Concludit uero Celsus, quia utrobique negatio est, esto perfecta in uno, imperfecta in altero, utrunque statum uno quærendi modo absolui, & in coniecturam reuolui. Eadem enim quæstio utrique statui patet, ut an sit sacrilegus, sit intentio, sacrilegium commisisti, non commisi, quia nil de templo surripui, & est coniectura. &, non sum sacrilegus, quia priuatam rem sustuli, est definitio. Quod si una duobus quæstio seruire potest, & uterque status in unum concludi reduciq́ue debet, solues, non perinde institui controuersiam, quod uel per te cernere potes, quare pluribus supersedeo. Qualitatem diuidit in rem, & scriptum, ita illam facit duplicem: rationalem unam, quæ nulla scripti controuersia implicata, rem per se inquirit. legalem alteram, quæ litem ex uerbo & scripto natam dirimit, & oratione dissoluit. Scripto deinde, id est legali qualitati subiicit partes quatuor, ambiguum, syllogismum, leges contrarias, scriptum & uoluntatem: translationem ab hoc numero remouet, de qua agam postea fusius. Nunc hic

scito dici translationem actionis quæstionem, quod si ageretur aut quanta res esset, aut quo animo facta, coniecturam credebat, siue quantitatis esset, siue mentis, id est uoluntatis & animi quæstio. Est & alia diuidendi in duos status ratio] Sunt, inquit, plerique qui duo quidem genera putant quæstionum, non eadem tamen qua cæteri uia, tum quòd in minores deinde partes aliter quàm reliqui distribuant, tum quòd diuersa, si prius æstimes, utuntur appellatione. Omnem autem controuersiam uolunt aut de substantia esse, aut de qualitate. Hanc bipertitam statuunt, ut alia sit qualitatis in summo genere quæstio, alia in succedentibus. Hanc partitionis difficultatem adimit Fabius libro septimo. Alia, inquit, est qualitas de summo genere, quæ non simplex est quærimus enim per illam in uniuersum qualis sit rei conditio, qualis forma, ut si an immortalis sit anima, disseras: aut an humana specie sit deus, alia ei succedunt, id est succedentem habent & angustiorem qualitatis controuersiam: ut cum de faciendis appetendis omittendis uitandisque agitur. Ex his intelligi puto quæ in summo genere consistat qualitas, quæ in succedentibus quæ duo utcunque facilius non ita post exponit. Substantiæ quæstionum, nempe coniecturam, quod ad rem attinet, in tria partiuntur tempora, transactum ne sit, fiátne, an paulo ante facta sit, an postremo futura sit. Nec illa te male habeat cogitatio, quòd præsentis fecit coniecturam. An ea in forum ueniat, ambigo, sed esse dubium non est. An non coniectare possum quid in præsens agat rex Cappadocum, Parthorum, Persarum? ut exempli caussa hæc fingamus, quòd dubitas an in iudicium ueniat, diluit Fabius, qui in iudicium uocari factum iam uult. Illius ergo sententia præsentis temporis coniectura in ius non adducetur, nisi incidat cum alterius generis controuersia. Altera species coniecturæ est uoluntatis internæ quæstio, ut si dispures quo sint animo Fregellani. Per tempora etiam secari hæc pars potest, quo fuerint animo Albani cum in montem duce Metio succederét, quo sint futuri Carthaginenses ab icto fœdere. Ergo quia duplex est coniectura, rei, & mentis: melius id nomen, substantiæ nempe status, quàm quomodo uulgo appellatur, facti quæstio, istud enim nomen & præteritum sonat tempus, excludit cæteras & mentis coniecturam non potest complecti. Reuertitur ad qualitatem interposita coniectura, & generalea eas partes diligentius subtiliusque prosequitur. Qualitatem fecerat duplicem, ea summo genere, & in succedentibus. Illa prior, quæ de re agit tota, rarò uenit in forum, & tamen in ciuilem caussam (omne enim genus caussæ iudicij nomine intelligendú est) cadit aliquando, exempla habes libro septimo. Quomodo uero in disputationem controuersiæ incidat propositum, abunde supra ex Fabio docuisse me puto. Qualitatis in summo genere exemplum apponit in uniuersum, ut, id ne se uera sit honestum, quod in uulgus probatur. qua in re Stoici diligenter disserunt contra Cyrenaicos. Succedentium uero, & in angustias contractarum quæstionum duplex in primis forma est. Aut enim de communi appellatione rei certæ & definitæ agitur, & ita definitione includitur, ut sacrilegus ne sit putandus qui priuatam pecuniam de templo sublegerit. Enimuero solebant opulenti homines in templis bonam thesauri partem asseruandam ponere, quasi sanctior ibi esset ab omni iniuria, exemplis abstineo, sed siquis ambigit, legat Herodianum lib 1. ubi de conflagratione Vestalis templi loquitur. taceo à doctissimis uiris nostræ memoriæ literis proditum. Aut rursum ubi res facta est, & appellatio nullam habet controuersiam, qualis ea sit quæritur, & illa demum qualitas est, quam nos tertio statui aptamus. huic subiacét omnes de honestis iustis utilibus quæstiones, id est, si ueniat in disputationem, iustáne res sit utilis, an contra, honesta an turpis, ea tota disputatio qualitati subijcienda est, nec tamen efficere hinc debea, in omni genere semper dominari qualitatem: quòd in forensi æquitatia, in suasorio utilitatia, in exornatorio genere honestatis prima ratio ducatur. Aliud siquidem est in hæc capita quæstiones dirigi, & ipsamet in quæstione esse. Nec dubito quin omnis controuersia iudicialis esset qualitatis, si in illa æquitate defenderetur factum, sed non propterea si æquitatem iudicij petunt omnea, status qualitatis est censendus. Ea demum iuris tractatio qualitatis statum faciet, quæ in facti defensionem accedet. Iam in suasoriis omnes status esse possunt, ut de utilitate quasi fine agatur. uterque enim scopum hunc deliberationis habet. Status autem in eo genere ratio à quæstionibus quæ tractantur, petenda est, non à fine. Nec dubitaris quin omnes status demonstratiuo adhibeantur: in illo tamen, ut ait Fabius libro septimo ius primum habet qualitas. de quibus ne præter rem loqui uidear, efficit huius loci ambiguitas. Etenim colligi uideretur id quod si occurrat, quomodo dilueres ostendi.

His etiam] Qui descripta utuntur statuum enumeratione, nil addi aliunde posse ex eo firmant, quòd nulla sit quæstionis species, quæ in horum complexum non cadat. Nam quæstio quantitatis, ut & Fabius libro septimo ait, in duo arcessi capita potest, coniecturam, & qualitatem: ut si rogea, sit ne maior Sol quàm terra, quod Mathematici repugnante sensu conuincunt, coniecturalis est quæstio, & quæcunque de magnitudine an sit disputat. At si percontetis quanto sit dignus præmio pœnaue, de quantitate disceptas, & ad qualitatem tuam reduces quæstionem. Quid ergo, inquis, nil est certi ut sciam utríne quæstionem uagam quantitatem addicam? Iuuabo tuam diligentiam. Cum quantitas coniectura deprehenditur, tum demum est coniecturæ attribuenda. at cum ex æquo & bono decidenda est, qualitate bene concluseris. Validius torqueat quod in septimo ait Fabius, etiam per coniecturam quæri qualitatem, quod quia locus non requirit, omitto in tempus præsens. Ijdé translationem uocant ad qualitatem, quia iubent dispici quale sit ius agendi. Adde quòd translatio scripto sit optime, in quo pars est altera qualitatis. Postremo per criminis qualitatem uariatur legis actio. itaque translationem subijciunt qualitati, & definitio pars apud illos translationis. In quem errorem ideo lapsi sunt, puto, quia qui nomen affert aliud, genus uidetur actionis mutare. Negat enim ea sibi lege sortiendos iudices, & quæstionem constituendam. Quòd si scire uis cur partem translationis dixerint, attente considera à quibusdam definitionem uocari translationem inchoatam. Absoluta enim translatio repellit totum genus agendi, definitio quadantenus admittit, & in summa utuntur hoc argumento. Translatio sub qualitate est, definitio sub translatione, quod si in aceruum more Chrysippi cogas, efficies sub qualitate esse definitionem, id quod antea de rationali definitione ostendit, nunc de ministra definitione translationis præcipue intelligi, qua uerbum scriptú definitur, ut actionis adiuuetur quæstio.

Quin & leges contrariæ] Nequid deesse uideatur, etiam superiore partitione legales quæstiones complectitur, quarum sunt formæ uulgo quatuor, leges contrariæ, quæ & ambigui capiunt interim tractatum, & duplici, ut Cicero ait in partitionibus, uoluntatis scriptique disputatione continentur, sed tollitur ἀντινομία æquitate maiore, cuius magnum in statu syllogistico est pondus, cum lege rem non cautam perinde contendimus habendam, ac si lege illa esset cautum. cuius enim rei maiore utitur præsidio? Iam cum unus uerborum prima fronte sensum capit, alter occultiorem rimatur uoluntatis sententiam, nonne æquius id quod tuetur uterque uult esse? Quia tamen mentis quædam subest quæstio, uoluerit ne id quod adstruimus, & illam conijciendo assequimur, ideo nonnunquam hæc species coniectura explicatur uoluntatis. Vltima est species ἀμφιβολία, cum uerborum duplex sese offert propemodum æqua interpretatio, quod cum est, intendenda est mentis acies, ut utrum uoluerit, ferè diuines. Nec uero dissimulabo occurrentem per se difficultatem in ambiguo. Vult etiam Cicero æquitatem adhiberi, hic sola coniectura uult expediri. Liceret effugere, & eò labi, quòd nil uetat hæc falsa esse, ut quæ ex aliena dicuntur sententia. Sed & Fabius postea, quod ad hanc attinet partem, nó tradit diuersa, & istuc tanquam uerum sua ratione confirmat. Ego factum satis puto, cum inter enarrandum dictionem addidi ex æquo, utranque interpretationem æquitate niti. tum enim si alterius sensus ex pari propè æquus est, sola restat legislatoris uoluntas inquirenda, sin altera in æquitate notabiliter excedet, tum æquitas aduocanda erit in partea, quod Cicero uoluit. Illud quoque te mouere poterit, quòd legalis tractatus sit species qualitatis, & tamen coniectura tractetur. Plura postea opportunius, nunc id dico, nihil prohibere facti defensionem lege niti, & in hoc esse qualitatem, legis autem sensum coniectura tractari. de tota uero legalium quæstionú reductione suo loco agam luculentius. Et hactenus enumerauit eos qui duos tantum status generales fecerunt, nunc ordine percurrit eos qui tres esse uoluerunt, quorú ambitu omnis clauderetur disputatio, qui ut numero conueniunt, ita in statuum distinctione multo discrepant.

A plurimis ergo tres generales, ad quos alij ut formæ ad genus redigerentur, facti, qui numerus Fabio probat & placet. Trea Cicero uult esse ad Brutum, & ad Q. Fratrem, quibus omnis controuersia definita, omnis de re uniuersa suscepta cótentio cóprehendatur. Nec uideo cur non possis etiam accipere controuersiam pro iudiciali, cótentionem pro disceptatione finiæ, & exornatione. qua de re iudica. Nomina uero statuum sunt hæc, coiectura, cui seruit quæstio an sit, finitio, illi quid sit: qualitas, in ea

quale

qua'e sit factum quæritur. Sufficere hæc ostendet postea, nunc ut unam quamuis opinionem recenset, & ad alias pergit. Patrocles, cuius ante meminit, idem sensit, & tres ponit status, & eosdem quos M. Tullius. M. Antonius orator in eo libello quem sibi excidisse magis quàm editum esse dicit, tres posuit status. Caue porro ne putes hanc sententiam in libris de Oratore tueri Antonium. Nã nec ea uerba reperies quæ huc trãscribit Fabius, & longe aliam, utpote senior iam, in illis libris tenet sententiã. Verba Antonij sunt hæc. Paucæ, inquit, res sunt, & pauca admodum quæstionũ genera ea quibus oẽs orationes nascuntur, hoc est quibus omnis in omni caussa cõprehenditur disputatio, factũ sit, nécne, ius ne sit ea lege, an iniuria, bonũ an malũ, in his quæ ratione colligũtur. In quibus quia ius & iniuria uidentur ẽt bonum malumq; cõplecti, (non enim cũ dico iure fecit, tum lege fecere dico, sed iuste, id est bene factum) ideo Antoniũ secuti, inter ius & iniuriam, bonum & malum, ut discrimen statuerent, primũ statum coniecturalẽ, alterum, quo lege nitimur, legalem, tertiũ, quo rationis ui bonũ esse cõtendimus, iuridicialem nominarũt, quos tres ponit Virgilius, & author ad Herennium, nisi forte idẽ ipse est. Ego ea de re amplio iudiciũ. Nec enim statim si hoc ibi repeniatur, illi tribuẽdũ illud opus cõstat. Duos præsertim in partes discerpserunt, legalẽ, & iuridicialẽ, legali subijciunt definitionem, qua uerba in lege posita definiamus. in illo errore est is qui scripsit ad Herenniũ senecionem, nõ autem, ut interpretes eius libri comminiscuntur, Ciceronis necessarium, unde uero sit propius, à Virginio scriptum opus, qui Herenniũ senecionem usque adeo coluerit, unde Pliniũ. Alias itẽ species subdunt, ut leges contrarias casu quodã, & fortuita collisione, ut scripti, & uoluntatis uel sententiæ. utroq; enim nomine idem intelligitur, ut græci dicunt, κατὰ ῥητὸν, & διάνοιαν, secundum uerbum & sententiam, & μετάληψιν translationẽ, eo quod in lege habeat repellẽdæ actionis fundamentũ, illam transumptiuam, quia μεταλαμβάνειν trãsumere significet, appellant, deniq; συλλογισμὸν, quem possim uel ratiocinatiuum, quasi λογιστικὸν, uel collectiuũ uelut rationũ aceruum quendã & congeriem dicere. Sic enim syllogismus, inquit Alexander, dicitur, ut συμψηφισμὸς calculorum quædã congeries. Porrò legalis status species ideo tam accurate recẽsuit, quod multis status præcipui uideatur. Quidã malunt appellare quæstiones, alijs quidem statibus conclusas, & quia circa leges scriptasq; uersentur, esse dictas legales, quasi genera quædã quæstionũ circa leges quæ subtribus statuũ nominibus primarijs cõmeantur. Quatuor fecit Athenæus ille senior qui rhetoricen scripsit. Primum exhortatoriũ uocauit, græce πρᾶξιν προτρεπτικὸν, προτρέπειν enim cõuertere significat, & ad agendũ excitare, alterum παραινετικὸν nam & παραινεῖν exhortari significat, adhibita præcipue laude. In hoc statu uolebat ille deliberatiuum genus uersari, alios enim tres status ad iudicia accommodabat, in exornatorio nullum esse statum, ut multi, arbitrabatur, πρᾶξιν alteram uocabat συντελικὸν, quasi perfectiuum statum dicas, fortasse quòd in eo quis rem perfecerit quæratur, illa enim appellatione coniecturam usus est intellexisse, nomen certè istud præ se nõ fert. Sed ex his quæ subnectit, constat, quæ adscriberem, si author extaret unde petere liceret. Tertiam quæstionem ὑπαλλακτικὸν appellat, commutatiuam propriè uerteris, & quoniam in definitione commutatur appellatio, ideo hac nomenclatura significari putaueris definitionẽ, tertium statũ iuridicialẽ δικαιολογικὸν uocat, eo quo & alij propè omnes usus nomine. Sed efficit nominum insolentia, ut intelligendo hæreas, quo nomine antè coniectabamus finitionẽ notari, ut in qua de cõmutando nomine instituta sit disceptatio, ita quia cõmutari quoq; potest agendi genus, fieri potest ut cum ὑπαλλακτικὸν dicitur, id est commutatiua status, translatio intelligatur, in qua mutatur actio.

Alij, ut Cæcilius & Theon, totidem, nempe quatuor status, posuerunt Cæcilij nomen apud Fabium crebro reperias, Theonis non ita frequẽs est mentio. Huius nominis plures facit Suidas. Ego Alexandrinum, significari existimo, qui & de progymnasmatis scripsit, & rhetorica tractauit argumenta.

Aristoteles in rhetoricis diuidit omne opus, hoc est oratoriã tractationẽ, in ueritatẽ, per quã coniecturã intelligit, ut in qua, sit ne res uera quæ facta dicitur, disputatur. In petenda ac fugiẽda, quibus qualitatis uim tribuit. Suasorij certè generis præcipua est materia. Omnis enim qui consilium init, aut expetere rem uult, si honesta utilitatis adblanditur species, aut fugere, si incommodo retardatur, & alienatur turpitudine. Postremo distribuit in eiusdem diuersisq; tractatũ. ubi definitio, rẽ uelut digito notauit, in cuius partes uenit omnis illa quæ de re eadem diuersisq; suscipitur disputatio. Quod si non contentus hac summa partitione, partiri in minora uelis, huc partiẽdo cum Aristotele peruenies, ut in has diducas quæstiones omnem eam materiam in quã oratua oratorius adhibetur, an sit, quid sit, quale, quantum in magnitudine, quàm multum in numero. Primo tamen libro nimquoq; definitionis apertius significat, cum huius defendendi generis meminit. Furtum, inquit, feci, tum tamen sacrilegium. Illum pulsaui, at iniuriam non feci, quia in solitudine nulla est consecuta ignominia. In qua defensionis ratione quia de nominis mutatione agitur, ambigi non potest quin ibi uim definitionis expresserit. Verba aũt Aristotelis habẽt in hunc modum, ἐπεὶ δ' ὁμολογοῦντες πολλάκις πεπραχέναι, ἢ τὸ ἐπίγραμμα οὐχ ὁμολογοῦσιν, ἢ περὶ ὃ τὸ ἐπίγραμμα, οἷον λαβεῖν μὲν, ἀλλ' οὐ κλέψαι, καὶ πατάξαι πρότερον, ἀλλ' οὐχ ὑβρίσαι, καὶ συγγενέσθαι, ἀλλ' οὐ μοιχεῦσαι, ἢ κλέψαι, ἀλλ' οὐχ ἱεροσυλῆσαι, ἢ γαμῆσαι, ἢ ἐπιγράψασθαι μὲν, ἀλλ' οὐ δημοσίᾳ, ἢ διαλέχθαι μὲν τοῖς πολεμίοις, ἀλλ' οὐ προδιδόναι, διὰ ταῦτα δέοι ἂν καὶ περὶ τούτων διωρίσθαι, τί κλοπὴ, τί ὕβρις, τί μοιχεία, ὅπως, ἐάν τε ὑπάρχειν, ἐάν τε μὴ ὑπάρχειν βουλώμεθα δεικνύναι, ἔχωμεν ἐμφανίζειν τὸ δίκαιον. Alter locus male notatur in lib. 2. nec enim id alicubi seorsum asserit Aristoteles, sed ex diuisione primi libri collegit Fabius, quod qui uult intelligere, opus legat.

Posuerat Cicero] Id quidẽ Cicero affirmat in iis cõmentariis qui de inuẽtione inscribuntur, ex quibus uera Ciceronis sñia petenda nõ est, posuerat, inquit, initio, sed in alijs ea de re securius perscriptis operibus eã tenet uiã, quã Fabius secutus mihi uĩ, si pauca demas, in quibus non tam ab illo dissentit, quàm eadem apertius & sine multarũ subductionum molestia exponit. Porrò in eo opere quod Fabius citat, tria prima genera Cicero eodem modo explanat per quæstionẽ facti, quæ tractatur cõiecturis, & illuc pertinẽtibus suspicionibus. Cõiecturã significat per nominis cõtrouersiã, quæ uis uocabulis definiẽda est. Definitiuã innuit per generis qualitatẽ, quæ de ui ac genere negocii quale sit quæritur. Pôt & qualitas ideo uocari, dicta generalis, quod in multas formas spargatur. Idẽ de quarto statu, quẽ dicit actionis. Verba Ciceronis sunt, At quæ lis ex eo pẽdet, quod non is agere uĩ quẽ oportet, aut nõ cũ eo quẽ oportet, aut nõ apud quos oportet, &c. trãslatiua dĩ cõstitutio. Vnde quarto statui trãslatiuo fecit nomen, quẽ Fabius ea ui & descriptione Ciceronis statũ actionis uocauit quod, ut uides, de cõmutanda actione aut informãda agat. Actionẽ uero iurisconsulti esse aiũt ius persequẽdi sub iudicio, & de illa multa dicũt, quæ ad hũc locũ nõ pertinẽt. Fabius ergo in actione uult intelligi ius agẽdi nimirũ, & litigãdi. Nã ea quæ de iure ciuili quærũtur, Cicero in eodẽ opere subiecit negociali qualitati. Iuri aũt trãslatiuã subiicit, inquit Fabius, hoc sensu, Ciceronem iuris actionisq; quæstionẽ trãslatiuã appellasse, quod ex Ciceronis sensu pôt colligi. Quartũ. n. genus, in quo de iure agendi quæritur, trãslatiuũ caussæ genus appellat. Vĩ tñ Fabius innuere, Ciceronẽ quartũ genus uocasse statũ iuris. i. legalẽ, & illi subiecisse actionis disputationẽ, quã tñ in partitionibus propè genus fecerat omniũ legaliũ cõtrouersiarũ, quod Cicero in libris de inuẽtione noluit. Legales n. quæstiones suo quodã loco explicat, & ab illis quatuor primis generibus statuũ diuersas facit, ita author ad Herenniũ legali subiecit trãslatiõnẽ, quo respexisse Fabium nõ affirmare nõ ausim. Et ut semel dicã, ita sæpe aliorum opiniones enumerat Fabius, ut nusquã mihi magis aqua hæreat quã cũ aliunde est repetẽda opinio. Ergo alio loco, inquit, in libello nẽpe partitionũ, actioni uĩ subdidisse legales cõtrouersias, quæ quo ad eosdẽ statuũ gradus referãtur, postea subiungã. Locus unde ea Cicerone uĩ collegisse, sic habet: Quæ sunt omnia in iure ciuili. Porro Cicero in partitionibus quæstionũ prolusorias quasdã facit, illas ante iudiciũ transigi oportere docet, inter quas enumerat trãslatiõnẽ, & illã scripto præcipuè niti ait. Vnde cũ postea subiiciat legales cõstitutiones, certè uideri pôt illas ut species actionis tractasse. Idem tñ docet omnes has de actione quæstiones eo genere cõtineri, quo de æquo agitur & bono, & in tractatu qualitatis ponit. Locũ adscribere supersedeo, ueritus tædij. Sed de hac re tota latius postea, nũc id ingenue fateor, ita perturbatũ esse hunc locũ, ut nullo propè loco plus habuerim molestiæ, & mihi ipse minus placuerim, quod ĩgenuè moneo, ne à melioribus inquirẽdis abstineat, cui hęc nostra nõ fecerint satis.

Fuerunt qui facerent quinq;.] Authores non extant, ut illos testes laudare possimus. Fuisse quosdam ait, inter quos est Theodorus, qui eodem materia nominibus resoluitur, illi ad quinque generales status oẽs controuersias reuocabant, coniecturam, finitionem, qualitatem, quãtitatem, ut cũ de modo pœnæ, præmiiq; magnitudine disceptatur, & ad aliquid, hoc est relationem, quo pertinent omnes quæ in comparatione sunt controuersiæ. Theodorus eadẽ ponit capita, κεφάλαια nomine uocabat, ut Fabius ultimo capite ait. Vsum uero his capitibus dicit in illo horus disputationis. Theodorus inquit, præter an sit, quid, quale, quãtũ, ad aliquid, Hoc ultimũ, ad aliq. 3 nẽpe, maxime exerceri existimẽ

putat in genere comparatiuo, ubi duæ pluresue res in cõtentionem uocantur, quæ sine dubio alio debent referri. Etenim quod melius esse probamus, alio utiq; melius docemus, & quod maius, alio esse maius ostẽdimus, unde non possunt huiusmodi quęstiones intelligi, nisi relatæ ad ea quibus comparãtur, quod abunde sufficit ut ad aliquid esse apud rhetores dicantur.

Sed in illa quoq; quæ ad aliquid sunt, incidũt trãslatiuæ quæstiones] Ego enim sic legendum putarim, quales sunt, an huic cum hoc sit ius agendi, an hoc tempore, an sic certa quadam formula. Omnes siquidẽ id genus quæstiones alio referri debẽt, nec absolute æstimari discutiq; possũt unde ea Theodori præscripto translatiuæ caussæ ultimo genere ad aliquid comprehendentur.

Alij sex status putant] Ordine, ut uides, procedit, augeturq; statuũ numerus. Nõ desunt qui sex status generale cõfirmẽt, inusitatis nominibus illos obscurãtes. Cõiecturã.n.generationem appellant, quæ facti negationẽ in cõfessionẽ suspicionibus perducere conatur more generationis naturalis, qua formæ rerũ quæ nõ erãt, motus beneficio excitãtur gignũturq;, qualitatis nomẽ cũ reliquis habent cõe, proprietatẽ græci ἰδιότητα, definitioni attribuũt, nimirũ q̃ definitio ita rẽ exæquare debet, ut nec se latius effundat, nec angustius cõtrahatur. Quantitatẽ loco quarto statuunt, & illã nõ ut pleriq; oẽs ποσότητα uocant, sed ἀξίωμα dignitatẽ, hoc secuti, q̃ oẽs de quãtitate quæstiones quæ in ciuili disputatione suspiciũtur, eò pertineãt, ut tantáne sit dignitas alicuius, ut tm̃ præmiũ deferri debeat, ut cũ de ciuica naualiq; coronis, de triũpho & ouatione agitur, id in disceptationẽ uenit, tantæne res gestæ sint, ut supplicationes decerni, triũphus cõcedi debeat, cuius generis exẽplis referta sunt oĩa. Adijciũt his quinq; duos, cõparationẽ, & traslationẽ. Cuius ab hoc nouũ nomẽ inuẽtũ est. Quid ab hoc? à quo? Ego sic accipio, cuius trãslationis, ab hoc, nẽpe q̃ inter status poneretur, nomẽ nouũ factũ est. Certe Hermagoras, authore Cicerone, primus in numerũ cõstitutionũ retulit trãslationẽ, & illã μετάστασιν uocant, isti μετάληψιν uocant, quo noĩe species una qualitatis assumptiuæ dĩ, quæ relatio criminis ab Hermogene uocatur, qui, siquis alius, Hermagoram nobis expressit. Unde castigationis Raphaelis subscribo, qui μετάληψιν legendũ cõtendit, etiãsi non ambigã μετάστασιν ab aliis defendi. Mihi cur sequar, ratio uĩ cõstare. nam cũ antea præcesserit uocãt, ab his dicendũ fuit, si personam uoluisset significare, at uero ne sibi pugnare uideatur Fabius, qui relatã inter status dicit translationẽ ab Hermagora, ita diluemus, ut hi inter primos status collocarint, Hermagoras inter speciales numerauerit primus, cũ antea nemo animaduertisset. Alij septẽ quidẽ status esse uolũt, tres cõsuetos & uulgatos, qui rationales appellãtur, q̃ eorum quęstiones extra scriptionẽ positę, in rationis usum ueniũt: & illos quatuor legales status subnectũt, scripti uolũtatisq;, ambigui, cõtrariarũ legũ, & ratiocinationẽ, quos subrogant in locũ eorum trium quos eximũt numero, nõ q̃ non gignant quæstiones (id.n.nõ potest negari) sed quia aliorũ ambitu includũtur, & legalibus debẽt cedere. Ita septẽ fiunt in summa, tres rationales, cõiectura, finitio, qualitas, quatuor legales supradicti. Creuit & hic numerus. præter hos septẽ additur ab aliis translatio, quasi quæ suũ per se locũ tenere, nõ in aliena signa uenire debeat, ita habes octo, quo ubi peruenit hominũ opinio, gradu facto conquieuit, nec ulterius ad numerũ ampliandũ progressa est. Proinde in hac opinionum diuersitate quid certo statui debeat, paucis interpositis dicet.

A quibusdã deinde diuisa ratio est] Oẽs ij quorum hactenus recẽsuit sñias, uno noĩe uel status, uel quæstionis, uel capitis, uel alio quouis eos oẽs cõplectebantur status, quos pro suo quisque captu asserebant, at ab iis qui sequũtur, ratio est diuisa & duplex, uelut ordo obseruatus est in enumerãdis quæstionibus cõtrouersiarũ. In duas ergo propè decurias describebãt. Alterã rationaliũ faciebãt, cõiecturæ, finitionis, qualitatis, quos status uocabãt. Alterã legaliũ, quas nõ status, ut illa tria, sed quæstiones appellabant, cuius rei hoc ipso capite meminit, his uerbis, Quos, inquit, posui, quia & ipsi status à plerisq; appellantur, quibusdã legales potius quæstiones dici placet. In aliis ergo rationalibus quæritur de re, id est, res de qua instituta est quæstio, uis naturaq; perpendenda est. In his legalibus omnis cõtrouersia & de scripto nascitur, & circa illud uersatur, & ex eo robur uimq; accipit, ut definitionem eximas eorũ uocabulorũ, quæ etsi in scripto reperiũtur, non tamẽ scripti ullam efficiunt cõtrouersiã, quia non ex ui scripti, sed ex natura rei definiẽda informãdaq; sunt. At in nominibus tãta est dissensio, ut alij rationalia genera quæstiones uocẽt, legalia uero status ex aduerso nuncupẽt, cũ nomẽ utrunq; alterutri probe possit conuenire. De nomine hactenus. Iam in enumeratione non minus dissident scriptores. Id quod & initio dicebat Fabius, non solũ numerũ, sed distinctionem esse controuersam, adeo ut nec qui rationales quiue legales essent, pro certo constaret. Bona pars scriptorũ status rationales facit tres, an sit, quid sit, quale sit. At uero Hermagoras quatuor ponit, coniecturam, proprietatẽ, id est, finitione, translationem, qualitatem, quã noua appellatione secundũ accidentia uocat, hoc est græce κατὰ συμβεβηκότα, q̃ & modus quærendi accidentis habitũ præ se ferat, & uero q̃ in qualitatis nomẽ omnia cedunt quæ ab oratore possunt ferme quæri accidentia. Subdit uero huiusmodi exemplum. Accidatne illi, utpote Aristogitoni & Harmodio esse uiro bono. Hæc accidentia ita diuidit, ut oĩs qualitas aut sit de fugiendis expetẽdisq;, circa quæ oĩs posita est deliberatio, aut de persona, id est de tribus bonorũ generibus, quæ in laude maxime dominantur, aut sit negocialis, in qua uis negocij qualis sit, citra cõprehensionẽ personæ exquiritur, ut cum discutimus, liberne dici debeat & haberi is qui ab aliquo asseritur, & caussa liberali uindicatur, ut siquis pro seruo dudum est habitus, & ab alio nunc in libertatis gradũ reponitur, quãdio caussa pendet, & de assertione non est lata sñia, an sit liber putandus, quæri potest, quo pertinet lea à Marco philosopho lata, ut Lampridius est author, ita ambigi potest, sitne insolẽtia opulentiæ comes, quod & philosophi tradiderunt, & alligato fœno ad cornua tauri significasse ueteres creduntur. Quarta fit pars qualitatis, quæ iuridicialis dicitur, ubi de iure agatur & iniuria, adhibito personarũ certarũ complexu. Quod si uerũ est, nil flagitij admisit Hermagoras, quẽ tamen Cicero ait partitum esse qualitatem in tria genera caussarum, cũ tantũ partes qualitatis ad genera caussarum accõmodet, ut Cicero & omnes propè rhetores fecerunt, nisi forte eum qui æquũ iudicijs, utile consilijs, honestum laudibus tribuit, putamus qualitatem in tria genera caussarum dissecare, cũ potius partes qualitatis in fines generũ aptare uideatur, eo tamẽ Cicero iuuenili calóre ductus, nõ mediocre erratũ reprehendendũ putat. Negocialis intellectũ ex Hermagoræ sñia explicarat, à quo cũ discedat Ciceronis interpretatio, cauillum occupatione diluit. Non ignoro, inquit, aliter negocialẽ qualitatẽ à Cicerone priore de inuẽtione libro exponi, ubi genitiuus loci quẽ habes in cõtextu, expũgendus uidetur, & pro eo caussæ aut simile quiddã reponendum, aut certe nullo pretio, negocialis legendũ. Citat in hunc locũ uerba Ciceronis negocialẽ cõtrouersiã finientis, hoc modo. Negocialis, inquit, qualitas est in qua quid iuris ex ciuili more & æquitate sit, cõsideratur, cui diligentiæ iuris æstimandi, & ineundæ consuetudinis præsunt iurisconsulti. Sed falsum esse, pro miro nõ habendũ. Ipse enim Cicero hos commentarios sibi adolescenti excidisse ait, & eo usũ quem ex laboribus defensionũ est consecutus, nõ dignos, ut supra primo capite libri huius dixit. Regessit enim Cicero scholas, id est, tumultuaria ea quæ in agendo audiuerat & exceperat, in hos libros retulit. Quòd si uitiũ subest, præceptori adscribi debet, nõdum enim per ætatem iudicare poterat, sed quæ audita memoria tenebat, illa eadem præceptoris cui operam dabat fide perscripsit. Potest & errori hæc caussa prætexi, q̃ Hermagoras prima exempla negocialis constitutionis uidetur excerpsisse ex iure, quale est illud de libertate & seruitute, unde credidit in negociali de ciuili iure & æquitate disputati. Fortasse & nominis est similitudine falsus, πραγματικούς certè græci uocant qui adstant ad arculas, & oratoribus uelut amẽtatas hastas parata ministrant argumenta. latini cognitores aduocatosq; appellant, ut habes primo de Oratore, quamobrem πραγματικὴν constitutionem eo pacto definiunt. Quòd si alicubi erratum est in his libris, uitio utique caret Cicero, qui non contentus rudi designatione præceptorum, absoluit huius artis rationem tribus ad Q. Fratrem libris, ex quibus ut ex fontibus lympidissimis erit haurienda rhetorica, ideoq; non potest culpari quasi iuuenes eludat, & illorum studia imponat. Sed de nomine nimis multum. Hoc tantum addam, neutericos negocialem statum uocitare, in quo agatur, sit ne rea suscipienda, an contra, quam significationem quia apud ueteres non temere reperias, non libenter usurparim.

Sed nos ad Hermagoram) In negocialis status explicationẽ longius euagatus, ad pensum se reuocat, eoq; reuertitur, unde diuerterat, id est ad Hermagoram, à cuius fuerat opinione digressus. Is ergo Hermagoras primus translationem ex aceruo segregauit, & in numerum quæstionum redegit, quod Cicero 2. Rhetor. testatur, his uerbis, Huius constitutionis Hermagoras inuentor existimatur esse, non quia non sint usi ea ueteres oratores sæpe multi, sed quia nõ animaduerterint artis scriptores superiores, neque retulerint in numerum constitutionum. Huius tamen status apud Aristotelẽ in Rhetoricis ad Theodecten sunt quædam semina, id est exempla quædam defensionum eo pertinentium. Paulo post eũ locũ cuius supra testimonio sum usus, legales status in species diuisit. Primum fecit scripti & uoluntatis,

gatis, græce κατὰ ῥητὸν καὶ ὑπεξαίρεσιν, id est exceptionem, credo, quod uideret uerba quædam excipi, quæ sensui uoluntatiq; uidentur repugnare. Sed pro scripto ῥητὸν dicere, commune est omnibus. pro uoluntate, quam alij διάνοιαν appellant, substituere ὑπεξαίρεσιν, Hermagoræ peculiare est. Alteram speciem nominat συλλογισμὸν, tertiam ἀμφιβολίαν, quartã ἀντινομίαν. Albutius in eadem duo genera partitus est status: Alios nempe fecit legales, alios rationales, sed translationem sub qualitate cõplexus est, à legalibus uero remouit ratiocinationem, quod & Cicero tum secundo de Oratore, tum in partitionibus facit, ominirum quòd lege non comprehendi fatemur, ad illam tamen ui rationis aptamus. Hactenus recẽsuit quousque prouectus est numerus statuum uarietate sententiarum, nec tamen totorum de sua diligentia pollicetur, ut omnia se collegisse fortiter affirmet. Proinde ait plura inuenturos qui se dabunt lectioni ueterum, & intelligendis illorum opinionibus liberaliter tempora impendent, quanquam uereri se dicit ne potius tædium uideatur attulisse: omnis longa enumeratione, quàm nimis anguste aliorũ sententias percurrisse.

Ipse paulum me in alia] Exigit ordo ut perlustratis aliorum opinionibus, suam ipse afferat, ne cum improbarit, ipse tutus intra silentium nihil proferat. Ergo quid sentiat explicaturus, inconstantiæ suspicionem deprecatur. Nam aut leuitatis fuerit, ab illa discedere sententia, quam uiginti annos non modò senserit, sed etiam argumentis publiceque approbarit, aut immanis perfidiæ, si huius erroris conscius iuuenes fefellerit, & quos susceptos in fidem suam erudiebat, illis quæ dediscerent infigeret, aliterq; quàm ipse nosset edoceret. Ab hac labe se uindicat cum ait non serius se euulgare hæc, quàm peruenerit. Quòd si hanc sibi opinionem persuasisset antea, utique demonstrasset. Ab omnibus autem uult satisfactionem hanc accipi, non se alijs demõstrare serius, quàm sibi ipse hoc sequendum tenendumque præscripserit. Porro ne quempiam temporis male sub Fabio collocati pœniteat, ait non tanti hæc esse, ut insumptam quis operam frustra sibi putet. Etsi enim ipsa generalium statuum distributio paulo aliter nunc texitur, eædem tamen erunt species, ad quas omnis doctrina reuertitur. Antea quatuor genera describebat, nũc ad tria reuocat. Cæterum in quas species antea genera secabat, in illas propè easdem ista reuoluuntur. Quare ne quis perijsse sibi totũ illud tempus existimet, quod in illis discendis contriuit. Sed antequam huc ueniat, leuitatis notam delet exemplis illustrium scriptorum, qui sibi ipsi limam intendere, quàm alios maluerũt, qui posteris consuluerunt, quos scriptoris pondus authoritasque decepisset, qui alieno labori fidentes, uicaria utuntur in uestigandis rebus diligentia. Hippocrates ex Co insula (unde & Coæ uestes ab Ouidio, & Coa una uina à Martiale) de genere Asclepiadarũ, fassus est errores suos libro ἐπιδημιῶν. 5. ne posteritas eius nota nomine aberraret. Locum neglexi adscribere, ne uiderer ambitiose authorem citasse, in cuius ipse lectione detritus non essem. Marcus Tullius non dubitauit editos iam libros damnare, ut duos libros Academicarum quæstionum, in quibus partes erant Luculli & Catuli nobilium ciuium, quos in quatuor auctos deduxit, & Varroni, Attico, sibique nomen fecit. de quibus quid idem Cicero scribat ad Atticum, non pigebit subijcere. Ergo, inquit, illam ἀκαδημικὴν, in qua homines nobiles illi quidẽ, sed nullo modo φιλόλογοι nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus. Etenim sunt ἀντιοχεῖα, quæ iste ualde probat. Catulo & Lucullo alibi reponemus. Idem alibi, Totam academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtuliq; ad nostram sodalem, & ex duobus libris contuli in quatuor. grandiores sunt omnino quàm erant, sed tamen multa detracta. Libri quidem ita exierunt, nisi me forte communis φιλαυτία decipit, ut in tali genere ne apud græcos quidem sit simile quicquam, tu iacturam feres æquo animo, quòd illa quæ habes de Academicis, frustra descripta sunt, multo tamen hæc erunt splendidiora. Idem Cicero uidetur innuere se Catulum & Lucullum in Catonem Brutumq; contulisse. Illud opus academicam σύνταξιν uocat, quod an esset ad Varronem missurus, Atticum consulit. Egerat enim nomine Varronis cum Cicerone Atticus, ut Varronem suis scriptis intexeret, aut certe illi opus aliquod desponderet. Cicero non multum Varroni cupiebat. illum enim tardum in petrandis promissis καλλιπίδην appellat, & an sub eius nomine esset deinte gro emissurus, impense ambigebat. de quo opere quia Cicero uariauit sæpius, illud uolaticum & Academicis simile dixit. Plura leges 13. epistolarum ad Atticum libro. Duas deinde Fabius addit caussas cur nec debuerit dissimulare, nec infamiam uereri. Non sustineo, inquit, esse mihi conscius, id est, non possum facere ut aliud sentiam, aliud tuear, in illo præsertim opere, quo & iuuenum utilitas continetur, & nominis immortalitas. Vbi ne patiaris otiosam hanc loquendi formam, non sustinere sibi esse conscium, ut græci ἑαυτῷ συνειδέναι aiunt. Quem delectum si rarius habui, eò factum est, quòd rerum grauiorum pondus aliò mentem stylumq; auerteret, alioqui bonam sibi scribendi naturam fecerit, cui hæc in tempore uocata, ut serui in familia bene instituta, respondeant. Quòd uerò nullam ignominiã contrahat, efficit inde, quia nulli uitio uerteris, si quo in studijs diutius uersatur, eo meliora semper inuenit, & multo limatiora præteritis, onde & uulgus asserit δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. alioqui frustra diuturnius in literis tempus tereremus, si nulla iudicio & eruditioni procedente studio fieret accessio. Hæc igitur præfatus, rem ad hunc modum inchoat.

Secundum plurimos authores seruabam] Hæc est antiqua Fabij sententia, quæ qua demum parte cum posteriore nõ consentiat, facilius intelliges ubi utriusque uim sensumq; perspexeris. Ex multorum authorum sententia quatuor in summa constitui docebam status. Illorum tres erant rationales, id est, in illos tres, omnes quæ extra scriptum sunt controuersias referebam. Illi erant, coniectura, finitio, qualitas. quartus complectebatur omnes quæ de scripto sunt disputationes, & illum legalem uocabam, quod nomen ita quarto generi tribuerat, ut coniecturæ appellationem primo statui. Hos quatuor ipse uocabat generales, & propè summos in suo quenque genere. tribus illis suas species subijciebat, qualitati præcipuè, sed omnium maxime legali constitutioni subdebat suas formas, scripti & sententiæ, ambiguitatis, legum contrariarũ, collectiuũ, & translationem, cuius uis scripto uidetur niti. Quam distributionem author ad Herennium sequitur, nisi quòd definitionem inter legales controuersias includit. qua re ductus, nescio, extraquam si ideo est falsus, quòd ex uerba definirentur frequenter, quæ in legibus reperiuntur. Et hæc est illa prima statuum apud Fabium descriptio, ex qua quid tollendum putet, succincte subijcit. Nunc demum, inquit, re diligentius excussa, reperio de quatuor generalibus quartum, id est legalem posse remoueri, quasi dicat nil esse necessariũ quartum statum ponere, qui legalis dicatur. Nam si quia controuersiæ quædam sunt legales, ideo legalis status esset nomen, ita & hoc nomen rationalis nobis significaret unum quendam statum, quando satis constat quæstiones aliquas rationales dici. Quare ut rationale non significat unum statum, sed statuũ quandam proprietatem, ita & legale unius certi status non est nomẽ, sed qualitatis, finitionis, coniecturæ modum quendam proprietatemque designat. Proinde ut hanc quæstionum persequamur diuersitatem, sufficit coniecturam finitionem qualitatemque ita partiri, ut nunc rationales, nunc legales dicantur. Porrò quæstionum genus proprietatem uocat, ut exposui. At dices, idem de hoc nomine coniectura dici potest. Videas secus esse. Nã cum audis coniecturæ nomen, certum quẽdam modum intelligis defensionis, at cum ratiocinale uel legale, tãtum accipis esse quæstionis iam constitutæ genus, & proprietatem quandam, & ne in loco hæreas, sic lege. Ita non status hoc nomen, id est, legale nõ significabit unum certum statum, alioqui & rationalis, hæc inquam dictio, status esset, hoc est, unum quendam statum uiribus redderet. Et hactenus de generalibus, qui relinquuntur tres, coniectura, finitio, qualitas.

De ijs autem quos speciales uocabam, remoui translationẽ] Omnibus hæc de translatione disputatio uidetur obscura, & est, tum suapte natura, tum dictionis, quo nobis est acrius enitendum, ut quod utcunque assequimur, quàm planissimè enunciemus. De specialibus, inquit, remoui translationem. Quod se fecisse consultò late probat. Id uelim memineris, quod propè ad tędium usq; superiore quodam loco inculcaui, ibi Fabio esse statum, ubi iudicatio uulgo dicatur, non autem in ea quæstione quæ ex intentionis depulsionisque concursu prima uidetur nasci. Quo iacto fundamento, id in summa apud te constitue, translationis quæstionem unam esse ubique, an actio competat, in qua, ut dixi, Fabius statum non collocat. At si spectes ulteriores quæstiones, caussasque translationis, iam non quæstionis habent actionem, sed uel coniecturæ, uel finitionis, uel qualitatis, & ideo nullus est putandus actionis status. Actionis enim disputatio sequitur magis quàm tractatur, ut, petis à me creditam pecuniam. dico tibi non licere hoc iudice petere. est enim maior summa. Non uult Fabius elici quæstionem, sitne tibi cum hoc actio, sed ex rationis & firmamenti concursu educi quæstionem, quæ est, sit ne summa prætoria cognitione maior, ubi non est translatio, sed coniectura, & ideo si intelliges ubi demum esse statum uelit Fabius, assequeris utique cur à numero statuum remoueat translationem. Ergo non nouã sibi hac in re opinionem esse ostendit, tum quòd sæpe inter profitẽdum innuerit non sibi uideri ullum esse translatiuum statum, ubi

enim alij illam ponerent, ibi aliam commodius assignari posse, tum quòd hoc ipsum de translatione monuerit in sermonibus quibusdam, id est libris eo dictante à discipulis exceptis, & temeratio editionis honore uulgatis, quorum in præfatione totius operis meminit unde in ea te persistere opinione, ut numero illa tuum omnino putet excerpendum. Hic si me roges, non putarim magnopere te peccasse, si translationem inter quæstiones recipias facilius docendi caussa. Cicero certè inter præcursorias quæstiones actionis numerat, nec tamen dissimulat in tractatu præcipuè qualitatis includi, quia ius agendi etiam sit qualitas. At Cicero primam respiciebat quæstionem. Fabius, quod sæpe dixi, ulterius pergendũ putat, nec in illa prima & lata quæstione pedem esse figendum. Quid? Fabius quoque lib. 7. non tenuit quo minus actionis illas primas quæstiones allegamus in numerum. Omitto quòd Trapezuntius conatur ostendere inter principes status quartum esse translationem. Eius enim argumentis responderi facile potest.

Nec ignoro] Diluit quæ uidentur efficere ne translationis statum negemus. Multæ enim sunt caussæ in quibus quæstionum summa uidetur esse de actione commutanda, qua in re dominatur translatio. In omnibus enim caussis in quibus cecidisse quis formula dicitur, hoc est, ideo iudicio fuisse inferior, quòd legitima actione in petendo non sit usus (ita enim cadere formula ut caussa cadere usurpant) hæ oidẽtur esse potissimæ quæstiones, an huic, ut an pupillo: an cum hoc, cum tutore, an hac lege, de ratione tutelæ: an apud hunc, iudicem priuatum, an hoc tempore, cum dies referendæ rationis nondum uenerit, & siqua sunt talia quæstionum genera, quorum in transferendo sit usus. At satis docet præcipuam in his controuersiam non esse. Nam actionem in personam aliam transferimus, aut in tempus aliud dilationem petimus, aut alia formula iudicium à prætore dictari uolumus, non id temere postulantes, sed ob aliquam certam interpositam caussam, ad quam nisi petitor aliquid opponit, litem non habet, quamobrem non erit disceptandum de translatione, id est de mutanda actione, quod initio tamen ponitur, sed de ea quæstione quæ caussam continet propter quam mutari genus actionis postulamus. Huius rei hoc esto exemplum, de fideicõmissis ut Prætores, ita & Consules Romæ ius dicebant, sed de rebus grauioribus. Ciuis aliquis mores & instituta reformidans, alterius fidei aliquot H S commisit, quæ postea filio, quem palã instituere non audebat, daret, illa repetit, & negans diem apud prætorem dicit, ille de re nihil, de actione commutanda contendit. Non debes hoc iudice mecum agere. Etenim pecunia quam à me petis, est maior quàm ut de illa cognoscere, id est iudicare prætor ex iure debeat. Quòd si alter silentium tenet, caussa cadit, ait, non est maior quæstio, circa cuius momenta singula luctabitur, sit' ne maior summa, id est, sit' ne tanta, quantam is qui petit dicit, an maior, de qua tamen detrahis, ut apud prætorẽ caussam agat, & hoc intellectu, facti est, id est coniecturalis controuersia. Cæterum & ducenarios iudices Augustus instituit, qui leuiores res cognoscerent, & prætoriæ iurisdictionis edictis erat terminus definitus. Addamus & aliud exẽplum, quo probemus translationem etiam in qualitatis disputationem recidere. Cognitor, inquit Asconius, qui caussam absentis tuetur ut suã, quales sunt qui solicitatores uulgo appellantur. Cognitor ergo cuiuspiam, eius nomine nomen suum exigit. debitor ab agendo repellit, non debes mecum agere. Caue ne eruas hanc quæstiũculam, agerẽne debeas, puerilis est authore Fabio, & nulli usui. Perge ad rationem. Non potuisti fieri cognitor, aut quia peregrinus, aut quia infamis. Respõdet, Immo potui. Iudicatio, quæ & status dicitur hic, an potuerit, qualitas est. Rursum nouo rem illustrat exemplo. Interdictum, est prætorium edictum quo uetatur aliquid. Quidam cum antea non petijsset, edictum prætorium obtinuit, & possessione sibi uult cedi ex interdicto. Male, inquit alter, intercidi curasti antequam à me cum bona gratia peteres. Summa quæstio, rectẽne interdixerit priusquam petierit. Quæ omnia succedunt legitimis quæstionibus, hæc ex scripto pendent, ideoque in species legalium controuersiarum tandem incidunt.

An uero præscriptiones in quibus] Præscriptio, exceptio, translatio, in iure ciuili & usu forensi idem sonant, etsi recentiores legũ interpretes (ut inquit uir excellentis & antiquæ eruditionis Budæus) ad præscriptionem exceptionemq́; temporales coarctarunt, & præfinierunt. In quorũ errorem labi Mosellanum miror, ut & in iudiciali interdicto paulo superius. ut sæpe oerear ne talis mihi in parte hac difficili somnus obrepat, quod si acciderit, moneri lubenter ab erudito uelim. Est igitur præscriptio, summotio petitionis qua experiundi nobiscum aduersario facultatem adimimus. Ea caussæ constitutio παραγραφικὸς ἀγών dicitur, litis summotoria exceptio, aut excipiendæ litis diuerticulum, aut, ut uulgus dicit, finis declinatorius non procedendi, aut etiam non admittendi, eodem authore. huic εὐθυδικία opponitur, siue εὐθεῖα. Illa uero lis cui nihil præscribi possit, ἀναγώγιμος appellatur. Porro exceptiones in iure, id est apud Prætorem, Romæ erant crebræ. Ille enim dictabat iudicia, & formulas litigandi dabat, quia caussa cadebat is qui non agebat ut oportebat. Vnde pro eius tribunali petenti formulam alteri præscribebat, id est agendi rationem auferebat reus aliqua impetrata actione, quæ an esset admittenda, ibi litigabant. Erant in excipiendo solennes particulæ, præterquam, extraquam ut patrem alat filius, præscripsit, extraquam si infans fuerit. Cæterùm præscriptionum aliæ peremptoriæ uocantur, quæ omnino petentem summouent, aliæ non item. Hic Fabius translatiuam constitutionem in duas partes diuidit. Aut enim lege summouemus, & præscriptio dicitur, aut in personam aliam aut tempus propter aliquam caussam actionem reijcimus, & illa nomine generico uocatur translatio. Adde duas esse quæstiones, unam de qua, aliam propter quam. Fabius propter quam, eam postea uocat, qua disceptata, de actione iudicatur. Hic uidetur quæstionem de qua dicere, in qua obtinenda oratoris labor omnino uersatur. Propter quam uero, illam actionis quæstionem, siquidem propter illam primam quæstionem euincimus. Nectit autem in argumentum Fabius hoc sensu, firmissima translatio est scripto subnixa, & præscriptionis uim habet. Quòd si illa nullam habet propriam quæstionem, sed eãdem cum cæteris legalibus controuersijs, de nomine, id est ambiguo, scripto & uoluntate, & syllogismo, ita ut eodem modo quæstio in præscriptione eliciatur ex qua status colligatur, quomodo translatio rationalis, quæ minus firma est, habebit quæstionem non modo de qua orator contendit, id quod in speciem uideri potest, uerum etiam propter quam contendit, quam ad alium statum referri est necesse, quod esset statuendum ut actionis esse ullum statum fateremur. Et ne quid desideres, in tanta exemplarium uarietate quomodo legam subijciam, & denuo singula interpretabor. An non præscriptiones etiam in quibus uidetur esse maxime manifesta translatio, easdem omnino species habent, quas ex leges quibus agitur ut aut de nomine, aut scripto & sententia, uel ratiocinatione quæratur, deinde status ex quæstione oriatur, translatio autem non habeat quæstionem, de qua cõtendit orator, sed propter quam contendit? Loco propter, per legit Raphael, quia sensum non assecutus, corruptum esse suspicatus est. In alijs geminatur negatio, hoc modo, Translatio non habeat quæstionem, non de qua contendit orator. Ego illam sum lectionem secutus, quam putaui antiquissimam. utraque enim posterior ab his uitiata est, qui quod non intelligunt, mutant: maluntque hoc suæ inscitiæ patrocinium prætexere, quàm loci obscuritatem fateri. Ergo ut tandem finiam, ad literam ita accipe. An non præscriptiones etiam in ijs quæ actionem magis repellunt & excludunt, unde & manifestam habent translationem actionis, & siquæ aliæ actionis propriam quæstionem debebant constituere, tamen in easdem reuoluuntur quæstiones scripti cum alijs legalibus, nempe ut aut caussa translationis controuersia sit ex ambiguo, uel ex scripto & uoluntate, uel syllogismo & ex controuersia colligitur spes status certa? id enim uocat ex quæstione oriri, ut sit caussa, Parentes alant liberi. sin minus, uinciantur. Exceptio summotoria, non potest agi ex lege cum hoc: est enim infans, de quo legislator non intellexit. Alter instat, At uerba quemcunque includunt. quæstio, cui innititur translatio actionis, sitne de quocunque intelligendum. Huius autem quæstionis status est scriptum & uoluntas. Translatio autem quæ non scripto, sed caussa nititur, extrinsecus allata, non modo habebit quæstionem de qua, id est eam quæ de actione prima est: sed etiam habebit propriam quæstionem propter quam, id est omnibus primam: quod utique necesse erat, ut in ea statum esse diceremus, quasi dicat, minime habet, quia & quæstio propter quam agitur in translatione, ad alium statum refertur: & de qua nulla esse debet, ut nec in præscriptione.

Hoc apertius] Senserat Fabius obscurius à se dictum quod proxime antecessit. Repetit itaque eandem sententiam, & quidem facilius, ne difficultas efficiat ut Fabij mentem non assequamur. Ergo hoc inquit apertius, quod inuolute perplexeque prius est dictum. Dissimilem esse probat rationem in coniectura, ac in translatione: nec ullo modo primam translationis quæstionem statum dici posse. Ita, inquis, nec prima quæstio qualitatis status est. Verum: sed iudicatio qualitatis sæpe habet controuersiam: translationis iudicatio nunquam actionis habet quæstionem: alium sortitur statum, ita ut

si prima

si prima quæstio non habeat statum, & in illa demum sit expressa translatio, nullus sit putandus translatiuus status. In coniectura ita emergit status, Occidisti hominem, intentio. Non occidi, depulsio, cui pro ratione est inficiatio. quæstio est, an occiderit. status huius tractatur. hæc quæstio dicitur coniectura. Agendum dispiciamus an ita prima translationis quæstio statum habere possit. Nec enim, ut dixi, alibi reperitur actionis quæstio quàm in primo illo congressu, habeo ius agendi tecum. non habes, inquit. Si qua eruenda esset quæstio, foret huiusmodi, an habeat actionem. quę cum status non possit dici, nullus utique fuerit translatiuus status. Id enim quod caussam non aperit, sed ab extra caussæ pendet, status caussæ non potest esse. At uerò an sit acturus cum hoc, nec' ne, caussam nec continet, nec aperit, & solo potest euentu æstimari, si aliud non addas. Etenim id genus quæstio ut origine prima est de qua in lex pronunciat ita non ulla ponitur propter quam iudex pronunciat, aut si est, ea non habet translationem, cum tamen sæpius sit dictum in illa secunda quæstione iudicationeque constituendum caussæ statum. Nec te moueat propter quam aliter interim accipi. aliud est propter quæstionem contendere, aliud propter illam iudicare. Propter secundam sententiam de priore fert iudex, sed ut priorem obtineat, de hac contendit orator. Deinde simili probat non esse in illa quæstione, sit' ne acturus ullum affirmandum statum, quia proponatur iudicij exitus, ut si quis intenderet, plectendus es, non sum, ridiculum est dicere in quæstione statum esse, iudex statuet an sit plectendus. Quid ergo? Vis in caussam penitius ingredi? Connecte rationem, quæ defensioni uiam muniat. Plectendus es, inquit, quia hominem occidisti. Non sum, nec enim occidi. quæstio, an occiderit, quam satis constat coniectura transigendam. Ita, præmium mihi debet decerni, inquis. non debet, aio. an, ut uulgus existimat, eruetur ista quæstio, debeat' ne decerni? Minime, si credis Fabio. expectabis continentia. Postulo præmium, quia interfeci tyrannum. Intercedo, inquis, quia legem patrem patriæ, non tyrannum occidisti. Finitiua quæstio, an occiderit tyrannum. ita si intendis, non habes actionem in me eius unde petitur intentio, Immo habeo, inquit petitor, erit' ne elicienda quæstio, iure' ne agat? Nihil minus. Quid sic? quia caussa in obscuro est, & ideo ubi eius cardo sit, non intel igitur. ratio est, quia notatus à Censoribus continens, Non sum. quæstio in uisceribus caussæ hærens, an fuerit à Censoribus notatus, uel an merito notatus, ubi translationem esse, falsò, qualitatem uere dixeris. Adhuc magis si dicat se ignominiosum quidē esse, non ideo tamen agendi iure prohiberi. Nec audiendi sunt quidam qui uetant ne intentioni rationem subnectas, aut ne nomen intendas utrunque pueri obtinent, dum initio docentur, adulti oratores de grauioribus soliciti, ad has artis minutias nō descendunt. Ergo translatiuum genus est caussæ, ut comparatiuum, & mutuæ accusationis. In hunc locum tantum sibi permisit Raphael, quantum in rem non intellectam sibi licere indocti putant. Tribus negationibus corrupit locum, & triumphat serio, ac si restituisset, credo quòd putauerit per genus caussæ à Fabio statum significari. Nos ea Cicerone in partitionibus, unde Fabius cepit, & ex ipso Fabio sine ullis negationibus legimus, & ita enarramus. Vt comparatio non est nomen status, sed caussæ quæ tractatur, conditionem significat, ut caussa dicatur comparatiua. Vt item ἀντικατηγορία, statum certum non notat, sed aliorum statuū quandam proprietatem, ut cum mutuò sibi accusatores actionem moliuntur. ita & translatio aliorum statum accidens complectitur, ut dicatur genus caussæ translatiuum, id est coniectura, aut alius quispiam adhibitus status ad translationem mutationemque actionis. ita genus caussæ dicetur translatiuum. Verba Ciceronis sæpe non appono, compendij breuitatisque studio.

At enim simile est] Aggreditur eius argumenti dissolutionē, cui dum omnes propè succumbunt, rem aiunt difficulter intelligi. Si intēdis, hunc occidisti, depellit alter, occidi, sed iure, non' ne status est, an iure occiderit? Age nunquid simile, Agere tecum possum, non potes iure. an iure possit agere? Probe, inquit Fabius, sed ego ut hanc tuam quæstionem, an iure agere possit, statum esse nego, ita & illam, an iure occiderit, statum esse inficior. Quod si dicas intentionem esse depulsionemque, constanter negat, quia propositiones, id est intentio & depulsio, non capiendæ sunt nudæ, sed cum rationibus, id est continentibus & firmamentis. Alter quod est absurdum, iam fatebris iudicē statum caussæ cardinemque nosse, & tamen de caussa nihil nosse Non uideo ut ista colligas. Attende, si hæc tibi est intentio, Fecisti. depulsio iure feci, status tibi erit, an iure fecerit, utique hunc nosset iudex, & tamen uides caussam nondum esse explicatam. at iudicio explicabit, uerum. Ideo non in hanc inutili quæstione, sed in illa quam iudicationem uocas, statum pono. Reliqua sic à me exposita confido, ut non diffidā à quouis, modò attente legat, posse capi. Nec enim speret quispiam sibi hæc fore peruia, qui non attentam cogitationem in lectionem intulerit. Exempli appositione, rei lucem affert. P. Horatius, aut M. (utrunque legitur) cæsis spoliatisq; Curiatijs redibat ouans, illi obuia sit soror, quæ cognito sponsi paludamento quod ipsa confecerat, in lachrymas erupit. hanc ferro transegit uerbis increpans frater. dicitur illi dies apud Tullum. ille ne author iudicij esset, Duumuiros creauit, qui Horatio perduellionem iudicarent, à quibus damnatus prouocauit. Sit ergo intentio, Scelus commisisti Horati, sororem interfecisti. Depulsio, Minimè. iure enim occidi potuit Romana quæ hostem lugebat. Venit in quæstionem, an ideo occidere potuit iure, quòd in publica lætitia mœsta fuerat. hic erit obseruandus status. Fuit autē absolutus à populo, ut ait Liuius, magis admiratione uirtutis, quàm iure caussæ. ita in translatione. Abdicatio olim solum ter fiebat, & recusare licebat, & in iudicium rem adducere. Filium ergo pater abdicare uolens, & familia ac hæreditate eijcere, à filio prohibitus est iudicio, ac statim de iure abdicationis nihil præfatus, summouet actionem, Non tibi licet abdicare. qui abdicat, agit contra eum quem abdicat. Tu autem ignominiosus es & ideo abdicare tibi non licet. Depulsio, Immo abdicare te licet, quia ut ignominiosus ab actione arceatur, certe abdicatio non est talis actio quam dicunt ius sui iudicio persequendi. Summa quæstio, sit' ne abdicatio actio actio quædam, ubi uides finitione rem egere. At si filius ita depelleret, Lex quæ prohibet agere, prohibet etiam filios à patre ignominioso abdicari. quod alter negat filius, quia ad legem aptare conatur, utitur syllogismo eo intellectu quo sum hoc nomine usus hactenus.

Item cætera per omnes] Dicit tam uarias depellendæ actionis reddi posse caussas, ut translatio in omnes rationales legalesque status diffundi possit.

Nec ignoro] Qualitas apud alios diuiditur in absolutam qua rem per se tuemur, & assumptiuam, qua non tam rem in se defendimus, quàm culpam arcemus & pœnam. Huic subiiciunt species quatuor, comparationem, relationem, remotionem, concessionem, & hanc bipartito, purgationem, & deprecationem. Remotionem criminis nonnulli præcipuè translationem uocabant & illam faciebant speciem qualitatis. Nec dubito quin nomine translationis sint usi pro remotione. Fabius perinde reprehendit, ac si de translatione eodem loquerentur intellectu, & ideo ab illis se ait liberius dissentire. Nam translatio dicitur actionis commutatio, hic actio non excluditur, sed culpa, idq; per remotionem in personam uel in rem iudicio non obnoxiam, quod, nempe ut culpam à nobis depellamus, in omni propè qualitate accidit. Sæpius enim defensionē pro qualitate dicit. Adde quòd qui dicit se non posse iure plecti, quòd inuitus peccauerit, qualitate assumptiua utitur, non translatione actionis. Vnde in hanc partitionem descendit qualitas, ut alia dicatur absoluta, qua rem non modo in nobis non plectendam, sed suapte natura honestā laudabilemque tuemur. Alia assumptiua, qua non tam factum naturamque defendimus, quàm reddita caussa, & aliunde sumpta, supplicium auersamur, & à nobis culpam reiicimus. Priore factum defendi dicimus, posteriore tantum reus, id est culpa auertat, ob quam esset infligenda pœna.

Credendum est igitur iis quorum authoritatem secutus Cicero] Colligit breuiter numerum statuum de quo quantum uariatum sit, hactenus docuit, & illum testimonio communit, & argumento. Credendum, inquit, Ciceroni, qui in ea re præstantissimum quenque Græcorum est secutus, tria esse quæstionum genera, quorum aliquo omnem disputationem transigi est necesse. an sit, quid sit, quale sit. Hactenus authoritate nititur. rationem adijcit. Quod, inquit naturali quadam potest distributione colligi. Principio aliquid quod uertatur in disputationem, subesse debet. Illud nisi constiterit esse, ulterius pergere non licet. hærendum est. Ergo ut procedat disputatio, esse dicimus. quod si alter negat, hæc erit prima disceptatio, an sit. At ut inceris esse, nō dum uentum est ad cognitionis terminos. Proximum est ut eius quod esse iam constat, uim naturamque definiendo excutias. ita quid sit tractabis. Hoc constituto, ubi definitio ad liquidum perducta est, sunt rei perlustranda accidentia, quæ nouissime qualitate comprehenduntur. quæ tria cum tractaris diligenter, in re cognoscenda nil potest deesse ita satis constat omnem tribus his generibus quæstionem contineri. At, inquies, probat tantum in cognitionis quæstionibus hæc sufficere. Deinde si tres has quæstiones ministras cognitionis esse dicit, quo tandem pacto illas sic patere uult, ut omnes infinitæ pariter & finitæ quæstiones his tribus concludantur? Dissoluamus hunc nodū, ut possumus, nulli interdicentes quo minus alter obiectum diluat, si uidebitur.

tur. Cũ has tres quæstiones ad status accõmodamus, latius effundi necesse est, quàm cũ ad quæstionem cognitioni aptabamus. Nam cum ita diximus, omnium rerum perfectam esse tribus his exploratis generibus cognitionem, hoc intelleximus, ex harum quæstionem complexu cuncta quę & addubitari in re peruestiganda, & nosci possunt. Non excludimus quin in plura harũ uia posset patere. Nunc ergo tres hæ quæstiones quo intellectu singulis conueniant, explicabimus. Principio omnes inspectiuæ quæstiones in has reuoluuntur: ut an sit, quid sit, quale sit, in rei ipsius uniuersa natura inquirimus. Conueniunt item actiuis quæstionibus secundum materiam quæsitorum magis quam secundum modum quærendi. Ciuilibus autem quæstionibus, ut per eas defensio omnis, exornatio suasioque tractantur. In quibus non an sit, sed an sit factum: non quid sit absolute, sed sit ne hoc: non quale sit omnino, sed iure ne an iniuria. Et ut breuiter complectar, sic statuo, in disceptanda quacunq; quæstione alias posse quæstiones percurrere, sed huc tandem recasuras affirmo. Tertio posthac argumento efficit plures status non requiri. Frustra enim in multitudinem excurras, ubi paucitas non obest. Vnde cum tribus his omnes disputationes includantur, quoscunq; addideris, supererunt. His ergo tribus statibus per analogiam & finitæ & infinitæ quæstiones continentur, ex proportione inquã quã ut dicere memini me, non eadem est coniecturæ reliquorumq́ue statuum ratio in thesi, & hypothesi: sed è simili sibi respondet, & in genus conuenit. Finitas & ciuiles in tria caussarũ genera partitur, & in uno quoque hos status uersari contendit: & quia iudiciale præcipuè est multiplex, in partibus iudicialis generis, siue scripto innititur, siue rationi, eosdem extare. De legali addubitari potuit. Eam dubitationẽ asseuerando eximit Nulla, inquit, est legalis disputatio quæ non tractetur uel coniectura, uel finitione, uel qualitate. quam rem paulopost fusius prosequitur. At quo pauciora notantur genera, eo omnia in illa reducere imperitis minus est peruium. Nam ut omnia huc referas, non primam tantum quæstionis speciem debes intueri, sed intrare penitius, & cõtrouersiæ uiscera subire, præsertim in legalibus, ubi primæ quæstiones aliam faciem præ se gerunt, nec nisi excussæ in hos status uidentur uenire posse. Proinde incipientibus hanc artem pueris, etsi minus uera exactaque, ita faciliora sunt proponenda, quorum digestio ut non sit tensa linea rectissima, id est accurate descripta, translatione à fabris ducta, qui linea minio tincta rectitudinem explerant, & longitudinem materiæ, sit tamen apertior, & pueris facilior. Discãt igitur ante omnia quãdiu subtiliora eorum animi capere non possunt, quadripertitam esse inferendæ & depellendæ plagæ rationẽ. Defensori. n. uel reo si factum obiicitur, tutissimum fuerit inficiari, si modò sine impudentia & offensione id facere potest, tutissimum inquam, quia factum quod obiicitur, uix unquam ita quadrat, ut undique sit rectum, ut semper ei qui fatetur, sit aliquatenus timendum periculum. quod si omnino pernegat & euincit, effugit omne iudicium & secundum illud supplicium. Cur à defensore inceperit si roges, caussam accipe. Defensor insigniris statum facit, & periculo propinquius est instruendus. postremò in hac ratione statuum priores ipse quodammodo in repugnando agit partes. At si reiicere totam crimen inficiando non licet, certe utamur imperfecta negatione, & admittamus factum quidem esse aliquid, non tamen illud totum quod aduersarius obiiciat. ita erit in definitione rei hærendum. Tertia defendendi ratio fiduciam habet uiro forti dignam: nec metum fatetur negando, aut rei nomine declinando tergiuersatur, sed honesta confessione, detecta, quod aiunt, fronte rem tuetur, & in laudem adscribit. Non minus est honestum non facere uerum: sed is qui negat, non facti totam auertit suspicionem, sed uidetur ideo ad negationem confugisse, quòd sibi probari posse diffideret, & fateri periculosum arbitraretur. Hæc tertia est qualitas. Quibus si deficiatur, id est, quòd si nec tutò negare, nec nomen mutare, nec honestè tueri licet, non statim caussa erit cadendum. Exigua spes illa quidem, sed tamen aliqua superest, ut aliquo iuris adiumẽto tecti declinemus actionem, qua etsi periculum totum non depellitur, res tamen differtur, & in nouam actionem dilatatur. ita erit translatio Licet uerò scripto ea refellere, quæ alioqui speciosam defensionem non habent. Multa siquidem legibus permittuntur, quæ laudabilia suapte sponte non sunt, unde lege ea tueri possis, quæ turpitudini sunt necessariò coniuncta, ut in legibus Romanorum quas allatas Athenis Decemuiri in totidem tabulas descripserunt, proprias quasdam in duas tabulas referentes. In illis inquam, si qui spiam mutuam pecuniam grauiusura accepisset à pluribus, nec esset soluendo, creditores poterant corpus discerpere, & partem sibi quisque addicere. Esto, fecerit aliquis: lege in illum agere nequeas, turpitudinem tamen facti ipse tecum auerseris. Hanc tamen legem illiteratum silentium, ut ait Gellius de legibus Draconis, antiquauit, de qua re uide eundem Gellium libro ultimo, Contra alia speciem habent æquitatis, quæ iure prohibentur, ut quem uoluerit quis hæredem scribere, uidetur æquum esse. Hæc est statuum quadripertita ratio, ex prima quæstione desumpta, ut primus sit status coniectura, alter finitio, tertius qualitas, quartus legalis, sub quo intelligatur translatio.

Accusatori nihilo plura intuẽda sunt, quam ut probet] Quẽadmodum docuit supra quatuor esse locos quos capiet defensor ut resistat, ita subnectit eosdem esse occupandos actori ut impetum faciat in castra defensoris, & rationum eius copias planè fundat. Illa genera & totidem sunt numero, & eadem re ipsa. Vt factum probet, coniectura. Factum esse hoc, id est eo nomine signandum, finitione. Non esse rectè factum, qualitate. Iure se intendere, id est lege agere posse, legali translatione. Ergo omnis lis, tam ex parte agẽtis, quàm defendentis, uersatur circa species easdem, hoc est, eosdem habet status, eo duntaxat dempto, quòd transferuntur partes, & officia propria temporũ momentis cum mutantur. Actoris enim est ostendere, non esse rectè factum, defensoris contrà. At in caussis quibus de præmiorum delatione agitur, is qui prior agit, nempe petitor, rectè a se perpetratum facinus docet. Is qui recusat, & defensoris quodammodo personam sustinet, contendet denegandum præmium, quòd cædem non iure designauerit. Adde quod superius dixit intentionis depulsionisque officia sæpe inuerti, & in eadem caussa præsertim multipliciuariari. Omnes uero hæ quatuor quasi formæ actionis, id est capita quæstionum de quibus litigatur, in duo genera descendunt, & in species duas distribuuntur. Omnes enim quæ aliquo genere illarum continentur quæstiones, aut rationalem habent tractatum, qui extra scriptum positus est, aut legalem, cum in scripto inhæret controuersia, & ex eo tota nata est. Hæc duo genera comparat inter se. Rationale, inquit simplicius est, & ideo tractatu facilius. Non enim legis aliqua inspicienda est cautio, sed ipsius rei natura conditioq́ue diligenter excutienda. Vnde nil atinet in nouas particulas quæstionũ illud genus partiri, etiamsi libro septimo de statuum uarietate plura perscribit. Satis est docere, uel coniectura, uel finitione, uel qualitate transigi. Legale multipliciter paret. Nam præter rationem, & rei naturam scripta euoluenda, meditandæ leges, ediscenda scriptorum sunt genera. Ita quò melius illud genus in tractando cognoscamus, non tantum communem statuum rationem in illis iudicamus, sed in alias minores quæstiones tres illos status partimur quæ etsi re uera nil habeant præter coniecturam, & illam scripto innixam finitionem & qualitatem, tamen nouis exornatæ nominibus, in rudiorum intellectum melius intrant, & in disputationem cõmodius ueniunt. Ergo quia leges multitudine sua obruuntur, & uarie latæ sunt, dispares legũ tractatus in quatuor genera descendunt. Etenim si uerbis nitimur, id est eum sensum quem uerba præ se gerunt, tuemur, alter aliam contendit fuisse sententiam ab illa quam signet dictio, status scripti uocatur, & sententiæ. Interim lege fatemur cautum non esse, tamen perinde habendum, ac si lege esset constitutum. Hæc species syllogismus uocatur. Credo, quòd ratiocinando colligere oporteat idẽ de proposito statuendum, quod & de eo cuius lex facit mentionem. Cicero & ad Quintum Fratrem, & in partitionibus syllogismum] pręterit,] propterea quòd] non tam scripti habet] controuersiam, quàm rationis æquitatisque æstimationem. Idem secundo de Oratore species legales ad ambiguum reuocat, quomodo ad scripti uoluntatisque disputationem possent reduci. distinctius tamen separantur. Alias, inquit, comparamus. ἀντινομία significat, legum contrariarum collisionẽ. Porro leges contrariæ, uel sunt euentu & fortuito quodam concursu, uel diuersis temporibus latæ, uel ita obscuræ, ut uideantur esse contrariæ, quales fuisse tabulas Solonis Plutarchus est author. quod ideo fecit, ut maior esset iudicũ potestas, in quorum est officio leges interpretari. Oportet enim iudicem legis esse fidem interpretem ex æquo & bono, non ex uersuto & malo. Hæc autem repugnantia non in diuersis modo legibus, sed etiam una diuisa potest accidere. Cum igitur leges ad eximendam contrarietatem comparamus, status legum contrariarum appellatur. Alias in diuersum interpretamur, cum scilicet uerbum unum in plures intellectus potest spargi, pari propemodum æquitate uterq; uerbum in suam rem interpretatur, & suam expositionem credibilem, æquam, consentaneamq; docere conatur, & species ἀμφιβολία dicitur, à prima longe lateque distans. Ibi enim alter uerborum elicit sensum, alter sensum aliorem rimatur extra uerborum significantiam. hic uterque nititur uerbo, & illud pro suo commodo uult in hanc aut illam significationem deflectere. Porro quo modo unumquodque fiat horum, Fabius in septimo docet, unde

qui

qui requirere uolet petat. Mihi in animo est plura non attingere, quàm dictionis requiret enarratio, cui labor hic meus præcipue desudat. Sic nascuntur hæc uelut simulacra. Refert in suum caput hos riuulos. Ex illis tribus inquit, statibus generalibus ut uersantur in scripto, hæ disputationes emanant, quas simulacra rectè dixeris, quæ se ferunt quod non sunt, habent uultum ab illis tribus diuersum: nec ab illis tribus aliud quicquam habent, nisi quod nouum quendam colorem faciemque de scripto sumunt. Sed interim sunt simplices: uno duntaxat absoluuntur statu. Interim mixtæ diuersorum statuum adiunctione, quæ tamen propriam faciem ostendunt, & quod mireris, ita ortum dissimulant, ut nisi interiur spectes, uideantur nil illuc pertinere. At in scripti uoluntatisque tractatu quibus aliis utetis locis, quàm uel coniecturæ, dum mentem scriptoris signis colliges: uel qualitatis, dum in uerbis iniuriam esse concedes, & uoluntatem æquissimam? Iam syllogismus qualitate mera absoluitur, fatemur non intellexisse, æquitate nitimur, pari iure uti uolumus. In legibus contrarijs conciliandis geminatur coniectura: inquirendæ uoluntatis qualitas duplicatur, in utriusque legis sensu ad æquitatis concordiam reuocando. denique amphibolia, quia uterque signis magis quàm æquitate, quæ utrique fauere uidetur, nititur prope nudum coniecturam habebit solam. Vides in his & qualitatis & coniecturæ subtilem uim, scripti admotione coloratam. Ita in eisdem sæpe usus est definitionis, cum in tractando ambiguo, tum in omni uoluntatis quæstione. Nec solum generi legali, sed generi etiam, id est, rationali conuenit, quod notius est, quam ut egeat exemplis.

Hæc omnia etsi in illos ueniunt status, tamen quia habent aliquid uelut proprium] Concludit hanc de reductione controuersiarum legalium tractationem. Satis constat, inquit, uenire in illos tres status omnes species quæstionum legalium, & ab illis ita contineri, ut unum statum legalem ponere nihil sit necesse tamen quia non nudam habent coniecturam qualitatemque, sed scripto applicitam, & eatenus quiddam proprium præ se ferunt, nihil prohibet pueros docere quid præter status illas communes uideatur his accedere, & ita permittere uel ut status legales, uel ut minores quæstiones, uel alio quouis nomine id appellent, modò ne labantur, putentque præter tres illos summos aliquid uere diuersum in his reperiri. Nil ergo diuersum habent, inquis? Re nihil prorsus, uultu facieque nonnihil. At quantum, & quàm multum, & ad aliquid, & ut nonnulli putauerunt, comparatiuus, non eandem rationem habent. Crederes fortasse quispiam ita hos status rationalium species dici posse, quemadmodum & legales, propterea quòd nonnihil uidentur habere proprium. Secus, inquit, est, nec eandem habent rationem. quasi hoc uelit, non perinde separatim explicandos, ut seorsum legales quæstiones exponuntur. Nam quantum, quod est in magnitudine, quàm multum, quòd est in numero, & ad aliquid, & status comparatiuus, qui suos quoque authores habuit, non referuntur ad iuris uarietatem, nec uariari in scripto controuersiam faciunt, sed ad solam rationem, ideoque in rationalium statuum modis includuntur in parte coniecturæ, aut qualitatis, nec in alias separatas species more legalium descendunt, ut & istæ quæstiones, qua mente, quo loco, quo fecit tempore, connectuntur rationalibus statibus, nec separatim ut legitimæ, sed una eademque opera docentur. Nec enim ita distant, ut uel ipso quæstionis uultu peculiare aliquid præferant. At in quas minores quæstiones unusquisque status diuidatur, dicturum se promittit lib. 7. ubi diuisionis, id est totius dispositionis præcepta scribit copiose.

Hoc inter omnes conuenit, in caussis simplicibus singulos esse status caussarum] Transacta omni propè de statu disputatione, numeroque non solum statuũ constituto, sed singulis in suas partes discretis, nequid desiderari possit, quæ sit in caussis collocandi status ratio planè docet. Quam rem ut feliciter assequaris, partitur, & status, & caussas. Status, inquit, alij caussarum uocantur, in quibus tota caussa uertitur. Alij sunt quæstionum, qui habent summam eius rei qua de in differendo agitur. Rursum caussæ uel sunt simplices, quæ una tantũ de re præcipue loquantur, aut multiplices, quæ diuersorũ criminum, nec ad se inuicem relatorum habent uel accusationem, uel defensionem. Hinc ita de re pronunciabis, Si caussa est simplex, præcipuum de quo quæratur, uno plus esse non potest, & in caussa simplici unus caussæ status. Quæstionum status, qui seruiant principi quæstioni, possunt esse plures. at in caussa coniuncta status caussæ & dispares esse, & plures, nihil uetat. Etiam credo dubitari quo statu sit utendum. Accusator factum intendit, & inficiari possumus: & ut fateamur, iure factum defendere, quid si iure factum dicas? diuersas adduces rationes. Quærit ergo si coniuncta utetis defensione, aut si plures in unam defensionem caussas conferas, in qua illarũ sit ponendus status? Respondet eam firmissimam habendã, quæ tutissima censebitur ad effugiendum periculum, & in illa figendum pedem, quasi in statione. Responsum adiuuat simili. Color Trapezuntio est comprehensionis transpositio. Fabius apertius finit libro septimo colorem esse prætextum quendam honestum rebus deformibus datum. græci ἐπιτιθέναι τὸ χρῶμα dicunt & colorem ipsum aliquando πρόφασιν, πρόσχημα appellant. Ergo non secus quàm in uelanda re turpi, quæ est exponenda, is est optimus color, quem ubique tueri possis, ita ex multis rationibus illam pro firmissima debet eligere, qua uidetis te optime tuum reum iudicij periculo liberare. quod Fabij præceptum uerius quam multorum qui eosdem uolunt esse principes status, quot à defensore facti subijciuntur rationes, ut contrà incidentes quia firmamentis actoris sumantur, pro uario captu uarios constitui docet exemplo. Cicero adfuit Miloni in iudicium adducto ob cæsum in Appia uia Clodium. uim defensionis contulit in relationem assumptiuam. Iure, inquit, interfecit, utpote insidiatorem. quod dum alij negant, uertitur in coniecturam quæstio. At Brutus iustæ cædis aliam caussam attulit, Iure interfecit nempe seditiosum. Hanc quæstionem primam uiribus esse uoluit, quam Cicero inter minores, ut uidere est, habuit, ideo paululum in ea immoratur. Negabat enim de Milonis consilio factum, ut Clodius interficeretur at Brutus ultro fatebatur, & in laudem uertebat quod interemisset malum ciuem. Quod si licet iudicare, mihi uidetur tutius egisse Cicero, ut in ipso agens periculo, plausibilius Brutus, ut rem illam exercendi styli gratia componens. Et hoc de simplicibus. At in coniunctis plurimi possunt deprehendi status, ut plures coniecturæ si omnia negentur, uel dissimiles, prout quædam negabuntur, quædam defendentur. Fit autem caussa coniuncta non tantum petitionis uarietate & criminum, uerumetiam personarum, quæ eadem diuerso petunt iure, ita ut caussam quoque faciant coniunctam. Huius rei latius ponit exemplum, quod cursim, ne diu moram traham, explicabo. Ius proximitatis, quo intestato iure agnationis succedunt proximi, quæ legitima successio est. Ius autem testamenti, quo scriptus hæres cernit legatam hæreditatem. quare cum eodem plures nituntur iure, unus status sit. at cum diuerso, alterius generis status esse necessarium est, ut in ista controuersia, cuius ut argumentum sit notius, congerit leges quæ in hoc & usum habent, & obscuritatem. Testamenta quæ fiunt legibus, id est cum solemnitatibus iuris ciuilis, rata sint nam præter procinctum calatumque testamentum reliqua solenniter debent fieri. Si enim fiunt in morem codicillorum, secundum illa non datur hæreditas. Habes titulum de testamentis, ubi seruanda in iure ciuili dicit Iustinianus. Alia est lex, Intestatorum parentum, id est sine testamento decedentium, filij sint hæredes, quia proximitatis iure patrem arctissime attingunt. Tertia, Abdicatus, eo quòd & bonis & familia est exturbatus, patris hæreditatem non potest adire. Quarta, Nothus ante legitimum, id est prius quàm pater nuptias legi contraheret, natus, habeatur pro legitimo. At si sustulerit nothum pater cum alios liberos ciuili more suscepisset, tantum sit ciuis, & liber. Quinta, Liceat in adoptionem dare, id est, ut alter in filium adoptet, permittere. De adoptione & arrogatione uide Gellium libro quinto cap 19. Cum, inquit, in alienam familiam, inque liberorum locum extranei sumuntur, aut per prætorem fit, aut per populum. Quod per prætorem fit, adoptatio dicitur, quod per populum, arrogatio, &c. Vltima lex est, Qui alienæ familiæ factus est per adoptionem, non excluditur paterna familia, quando pater naturalis qui genuit, sine liberis obierit, ita ut adoptatus perinde tunc habeatur, ac si in familia patris sacrisque permansisset. His ergo legibus implicatur litis argumentum, quod subijcitur, Pater quidam duos habebat filios legitimo matrimonio susceptos. illorum maiorem natu, in alienam familiam per adoptionem misit. minorem, cuius moribus offensus erat, abdicauit. Illis ita à familia alienatis, sustulit eduxitque nothum ex imperato autem moriens hæredem scripsit, & quidem primum. Tres igitur liberi suo quisque iure de hæreditate lite uindiciarum contendunt. Nothi uocabulo usus, de illo pauca dicit, de quo uocabulo sic Festus, Nothum græci natum ex uxore non legitima dicunt, qui apud nos spurio patre natus dicitur, quòd Seruius Tullus ex concubina natus spurius Tulli tributus dicitur. Ex quibus uerbis postremis nil boni sensus elicias. Cæterum spurium non rectè dixeris nothum. Expositi, uulgoque concepti incerto patre, dicuntur spurij, at nothi, quorum utique notus pater, & mater non ignoratur, sed illegitimis nuptijs sublati sunt. Ideo Cato in oratione quadam negat latine dici posse, ideoque utendum peregrino, id est græco. Sed ad propositum redeamus. partiamur actionem in personas. Locum primus obtineat abdicatus, qui testamento se relictum

hæredem

hæredem probat, & secundum patris tabulas sibi dari possessionem. illi opponitur lex quæ arcet bonis patrijs abdicatũ & ideo testamentum quod contra hanc legem factum est, vult esse irritum. Verbo premitur. abdicatus negat in totum uoluisse scriptorem excludi abdicatum: sed nisi pater instituto illo hærede decessisset, uideri depellendum hæreditate. fit status scripti, quo nituntur alij duo: uoluntatis in qua spem collocat abdicatus. Nothus quoque uult esse hæres iure proximitatis, quia nec abdicatus nec adoptatus habeantur pro filiis, ideo se primum esse, eoque legitimum. Agunt lege alii, quæ uetat hæredem esse nothũ, ubi legitimi sint filii antè nati. Nam quia ante legitimum non est natus, non est legitimus, & quia post, tantum est ciuis. Negat se post natum, quia illi perinde erant, ac in familia nunquam nati. syllogismus est, id est ratiocinatiua collectio. Insuper ait se ante legitimum natum, non tempore, sed conditione. Ante legitimos enim natus putandus est, qui tum est editus, cum in familia nullus esset editus. Alii uerbis premunt, ille uoluntate legislatoris, quam hanc esse dicit, se tuetur. Quòd si dixeris secari hic quæstiones quæ eædem sint (in idem enim recidere, an sit natus, an non ante, & an sit post, quia unius probatio alterum secum trahit) uerum est consecutione colligari, modo tamen & ui quærendi distant. Porro nothus qui ad sententiam confugit, probabit, scripto, cuius ui nituntur, stari non posse. Nam si natus esset solus, non scriptus diceretur, nec ante legitimos natus, nec post illos, quare nec legitimus esset, utpote non ante, sed neque ciuis, quia non post legitimo sit susceptus. Vnde colligas hærendum uerbis non esse, quæ inextricabilem difficultatem iniciant. Occurrerit tibi forsan, in una lege duos esse status, syllogismum in prima parte, an post sit natus, id est an alii præcesserint, & scripti uoluntatisq; in posteriore, qua anténe sit natus, ambigitur, quia nullus postea est natus. At uerò lex duplex uim habet duarum & ut in duabus non putares absurdum, sic nec in una coniuncta, incommodum ducendum est. Tertius petitor est adoptatus, qui hæreditatem ad se transfert, quòd pater sine liberis decesserit, uno abdicato, altero notho. neutrum enim filium esse. ideo redeundi in familiam sibi ius esse, & hæreditatis obtinendæ. hæres scriptus contradicit. Hæreditas, inquit, mihi obuenit testamento. proinde ut redeundi ius habeas, hæreditate iure testamenti excluderis, at inquit ille, abdicatus ex lege non potest esse hæres. Eadem quæ supra scripti & uoluntatis quæstio oritur, an stãdũ uerbis quæ excludunt abdicatum, an inuestiganda uoluntas, quæ non omnino submoueat. Vtrisq; postea, abdicati & nothi, communis est contradictio, tibi non licet reuerti in familiam pater enim non decessit absque liberis. hic abdicatus alter se filium, alter nothum probabit. Abdicatus lege, probat filii appellatione contineri abdicatum. Lex est, Abdicatus nequid capiat. si filius non erat, prohibere non fuit opus. hoc enim ipso quòd filii nomen amittebat, excidebat hæreditate. sed uidebat legislator abdicatum nempe filium patri intestato posse succedere. unde alia lege opposita, spem ademit in hæreditatem ueniendi. Hic tota est quæstio, sit'ne abdicatus filius, & quid sit filius. Finitionem oportebit expedire. Nothus ut se legitimũ ante nitebatur ostendere, ita acrius eisdem colliget se esse filium, uteturque syllogismo, & scripto sententiaque, ut supra exposui. Ex abundanti addet, etiam si fateatur se esse nothum, filium tamen bene dici. Rursus definitione res eget. Iam concludit quod proposuerat, non plures modo status legales in unam controuersiam posse incidere, sed & illos summos interim cadere omnes, interim plures, ut qualitati sæpe inhæreat coniectura. In hac enim controuersia propter ius petendi multiplex, scripti uoluntatisque ter quæstio oritur, syllogismi semel, definitionis bis. Quòd si illa uelis in sua genera referre, in tractatione scripti uoluntatisque adhibita est coniectura, in syllogismo qualitas, ultima finitio, ita ut omnes tres generales status in caussa multiplici locum habeant. Non solum autem alii statum quærere uoluerũt, sed subductiones quasdam excogitarunt subtiles magis quàm necessarias, ut cũ caussam αἰτίαν dicunt, iudicationem, qua de re agitur, τὸ κρινόμενον, continens siue firmamentum, τὸ σύνεχον, quæ si necessaria sunt, & statum comitantur, ut in omni genere status est, ita & illa in omni genere reperientur. In omni materia depulsionis proferenda est ratio, præterquam in statu coniecturali, ubi nulla est tam firma suspicio in quam totũ defensionis uim uelimus conicere. Nihil item dicitur ubi non sit aliquid quo referantur omnia, id est iudicatio, ubi postremo non sint quædam caussæ firmamenta, quæ continentia uocantur. Hæc tamen omnia si alicubi reperiuntur (nec enim admittit hæc ita distracta Fabius) in iudiciali genere extant maximè, ideoq; in eius generis descriptione à Cicerone, & ab iis maxime qui iudiciales tantum materias sunt persecuti, ut fuit Apollodorus, Fabius in illam partem uult differre. agit ergo de his capite ultimo huius libri. Interim quia explicauit quæ essent his generibus earum communia, de ipsorum generum propria tractatione loquetur eo ordine, quo in caussarum partitione est usus, ut initio demonstratiuum, deinde suasorium, postremo iudiciale exponat.

ARGVMENTVM

Pergit ad tertium genus omnium difficillimum, quod efficijs duobus constare intentionis & depulsionis, & partibus quinque ait, procemio, narratione, probatione, refutatione, & conclusione. Repudiat eos qui partitionem, propositionem, & excessum adijciebant quarum duæ priores sub confirmatione continentur. Excessum uero, si in caussa sit, esse adiutorium aut ornamentum partis ex qua egreditur: sin extra caussam sit, non esse partem caussæ. Refutationem inter partes retinet. Nec ut quidque primum dicendum, ita primum cogitandum. Ergo ante omnia intuendum, quod genus caussæ, qui sit status, quid prosit, quid noceat, quomodo confirmandum & confutandum. Deinde quomodo narrandum. Postremo quo pacto exordio & peroratione sit conciliandus iudex. Hoc igitur ordine inspiciendam materiam esse, sed scribendam eo quo apud iudicem dicimus.

De partibus caussarum iudicialium. Cap. IX.

NVNC de iudiciali genere, quod est præcipuè multiplex, sed officijs constat duobus intentionis, ac depulsionis. cuius partes, ut plurimis authoribus placuit, quinq; sunt procemium, narratio, probatio, refutatio, peroratio. His adiecerunt quidam partitionem: propositionem, excessum: quarum priores duæ probationi succedunt. Nam proponere quidem quæ sit probaturus, necesse est: sed & concludere. Cur igitur si illa pars caussæ est, non & hæc sit? Partitio uero dispositionis est species, ipsa dispositio pars Rhetorices, & per omnes materias totumque earum corpus æqualiter fusa, sicut inuentio, & elocutio. Ideoque eam non orationis totius partem unam esse credẽdum est, sed quæstionum etiam singularum. Quæ nanque est quæstio, in qua non promittere possit Orator quid primo, quid secundo, quid tertio sit loco dicturus? quod est proprium partitionis. Quàm ergo ridiculum est, quæstionem quidem speciem esse probationis: partitionem autem, quæ sit species quæstionis, partem totius orationis uocari? Egressio uerò, uel (quod usitatius esse cœpit) excessus, siue est extra caussam, non potest esse pars caussæ: siue est in caussa, adiutorium uel ornamentum partium est earum ex quibus egreditur. Nam si quicquid in caussa est, pars caussæ uocabitur: cur non argumentum, similitudo, locus communis, affectus, exempla, partes uocentur? Tamen nec ijs assentior qui detrahunt refutationem, tanquam probationi subiectam, ut Aristoteles. hæc enim est quæ constituat, illa quæ destruat. Hoc quoque idem aliquatenus nouat, quòd procemio non narrationem subiungit, sed propositionem. Verùm id facit, quia propositio genus, narratio species uidetur: & hac non semper, illa uerò semper & ubique credit opus esse. Verùm ex his quas constitui partibus, non ut quidque primum dicendum, ita primum cogitandum est: sed ante omnia intueri oportet, quod sit genus caussæ: quid in ea quæratur: quæ prosint, quæ noceant: deinde quid confirmandum sit, ac refellendum: tum quomodo narrandum. Expositio enim probationum est præparatio: nec esse utilis potest, nisi prius constiterit quid debeat de probatione promittere. Postremo intuendũ quemadmodum iudex sit conciliandus. Neque enim nisi totis caussa partibus diligenter inspectis, scire possumus qualem nobis facere animum cognoscentis expediat, seuerum an mitem, concitatum an remissum, aduersum gratiæ, an obnoxium. Neque ideo tamen eos probauerim, qui scribendum quoque procemium nouissimè putant. Nam ut conferri materiam omnem oportet, & quid quoque loco sit opus, constare debet antequam dicere aut scribere ordiamur:

Quinq; partes caussarũ iudicialium.

Excessus.

Refutatio.

Propositio.

mur: ita incipiendum ab ijs quæ prima sunt. Nam nec pingere quisquam aut fingere cœpit à pedibus: nec denique ars ulla consummatur ibi, unde ordiendum est. Quid fiet aliòqui si spatium componendi orationem stylo, non fuerit? nonne nos hæc inuersa consuetudo deceperit? Inspicienda igitur materia est quo præcipimus ordine, scribenda quo dicimus.

MOSELLANI.

QVæ est quæstio] quasi dicat, nulla plane. Aristoteles] Lib. 3. Rhetoricorum. Hoc quoque] Hanc rationem partem caussæ iudicialis, quæ proponit breuiter postea uel narranda, uel explicanda. Idem] Aristotele.

ANTONII PINI.

NVnc de iudiciali genere] Ordo partitionis exigit, ut quia in tria caussarum genera ciuiles controuersias dissecuit, duobus absolutis ad postremum pergat. ita peractis reliquorum generum præceptis, nunc de genere iudiciali sibi agendum putat, quod est præcipue multiplex, difficultate, præceptis, & usu. Quod ea eo colligere possis, quia aliorum generum præcepta non ita multis perstringit, huius generis uias prosequitur libris multis, nimirum quòd longè pluribus egeat in singulis orationis partes præceptis. Eius tamen, etsi multiplicis, duo officia sunt maxima, quæque cætera ambiunt, intentio & depulsio. non quia in alijs quoque utamur intentionis depulsionisque ui ad eliciendum statum, sed intentionem pro accusatione, depulsionem pro defensione dixit. Siquidem accusatio & defensio nonnihil sonant capitali crimini simile, nec petitionem reliquasque iudiciales controuersias uidentur complecti. unde ut nihil prætermitteret, nomine intentionis & depulsionis in hoc genere usus est, ubi maxime existunt. atque ita & quo loco differendum putauerit monet, & genus iudiciale in partes distribuit, quas officia uocat, ut illis qui præstant eas, comparantur. sequentia affirmant numerum partium in hoc genere. & earundem tam in cogitando quàm scribendo ordinem docent. Memineris uero, non hic de numero partium orationis in uniuersum disputari, sed de illis duntaxat partibus quæ in orationis iudicialis ueniunt structuram. Etenim quibus uteremur in laudando, quibus item in suadendo, superius tradidit, cætera quæ sequuntur, etsi ad alia possunt genera nonnunquam trahi, iudiciali tamen generi ex professio destinantur. Illius ergo partes sunt quinque, exordium, narratio, confirmatio, refutatio, peroratio. & per hæc numerum constituit quem argumentis comprobare nititur. Docet enim nec plures esse posse partes, nec in pauciores coarctari. Porrò non defuerunt qui tres adderent, propositionem, partitionem, excessum, digressionem, uel procursionem quandam uehementem, quæ partes quidem minores sunt, ut hominis digiti, articuli, musculi, tendines, non autem primariæ, ut in homine caput, brachia, tibiæ, & organicæ partes quæ uocantur. Duæ igitur ex his tribus propositio & partitio sub probatione ut sub toto proximo comprehendi includique debent. Propositio aut argumentationis dicitur primum pronunciatum quod intentio aliquando uocatur, aut eius quod probandum suscipis, complexio. quo intellectu accipit in quarto libro, quo loco à partitione distinguit. Vtitur uero hoc argumento, In omni epicheremate præcedit intentio rei colligendæ, subsequitur eiusdem probatæ connexio. quare cum argumentatio utrunque ex æquo desideret, si connexio rei non est pars orationis, sed probatione continetur, ita & propositio pars orationis dici non debet, sed confirmationis aditus est, & quodammodo uestibulum. quæ ratio tantundem conuincit, siue de generali propositione caussæ, siue de speciali aliqua intelligas. Semper enim quod intenditur, concluditur. Vnde si intentio præcessit caussæ, eandem conclusionem post multa argumenta elicies. si specialis est propositio, speciali complexione debet effici. Quòd si proponere est necesse, ita etiam concluditur propositum, qua ratione si propositionem principem faceres partem, in idem ius conclusionẽ argumenti reciperes. Partitio, ut Fabius lib. 4. definit, est nostrarum aut aduersarij propositionum, aut utrarumque ordine collocata enumeratio. Alij seiunctionem, distributionem, enumerationemque uocant. & in septimo, Partitio est singularum rerum in partes discretio. quo loco paulo aliter quàm in quarto nomine partitionis utitur, eo ferè modo quo philosophi à diuisione separant discrimen late docet Cicero in Topicis. Pergit uero ostendere Fabius partitionem non totius orationis primariam dici partem posse, sed sub probatione bene concludi, quod quemadmodum qui unum aut duo proponit, nihil aliud quam probandi facit initium, ita qui sua alienaque firmamenta enumerat, & quæ sit dicturus, ordine præmonet, nihil uidetur agere, quàm sua colligere, ut probet expeditius, & auditoris animum per notas regiones deducat, qua ratione si esset usus, res fuisset intellectu facilior. Ratio qua utitur, est obscurior contendam pro uiribus ut illustrem breui enarratione. Partitio, inquit, est species dispositionis. id est, partitio quadantenus munere dispositionis fungitur. Dispositionis enim oīs est, ut inuenta collocet. Collocationem partitio dirigit, & ad illam animos informat. quo sensu partitio species est dispositionis. quam cum Fabius in septimo in diuisionem partitionemque diduxerit, speciem dispositionis non temere esse dixit. Porro dispositio rhetoricæ pars est, ut ostendi. cap. 3 & ut inuentio atque elocutio ideo partes orationis non possunt dici, quia ex pari per totam orationem sunt diffusæ sic dispositio nõ uni certæ parti attribui potest, sed toti orationi potest & debet. Esto uero utamur in exordio narrationeque dispositione aliqua, eius tamen uis summa est in quæstionibus, quibus fultura probationis sustinetur, collocandis, & loco digerendis, ita dispositio quæstionibus subest. Quæstiones autẽ subijciuntur confirmationi. Non aliter quàm signa legatorum uexillariorum hastatorum principum triariorum exercitũ aciemque componunt, ita quæstiones transactæ disputando totã probationem conficiunt. Quapropter si per soritem uelles colligere, necteres in hunc modum. Partitio subijcitur dispositioni, dispositio subseruit quæstionibus, quæstiones probationi, ergo & partitio subijcienda est probationi, eoque pars esse ex primis non potest. Nec uerò ambigi potest quin partitio unicuique subdatur quæstioni, quia nulla est quæstio, id est alicuius criminis disputatio, siue illud intentes, siue à te depellas, in qua non possis partes facere, & illarum ordinem initio polliceri. Rursum collige. si partitio pars est cuiuscunque quæstionis, quæstio probationis, in eius igitur ambitum cadet etiam partitio, quod initio probandum nobis fuit. Egressionem Cicero definit esse à re proposita declinationem, quomodo solent intermittere cursum dicendi oratores, & in locum uel amœnum, uel atrocem, uel plausibilem diuertere, siue re exposita, siue probata, siue reprehensa. Cæterum pars caussæ, & pars orationis lato limite discernuntur. Exordium enim & peroratio partes caussæ non sunt, quas tamẽ partes esse orationis iudicialis nemo propemodum negauit. Ita uidebitur Fabius in eo quod partem caussæ non esse docet egressionem, uix, efficere partem non esse orationis, nisi pro eodem utrunque usurpauit. Dicit igitur partem caussæ, id est eius orationis quæ in caussæ dictione posita est, quomodo sacs efficis egressionem partem orationis primariã non esse. Omnis enim excessus quo excedimus excurrimusque in aliquam disputationem, aut omnino est à caussæ cursu remotus, ut sunt in Verrem crebræ ad uoluptatem digressiones, qualis illa de errore Latonæ est lib. 4 & aliæ quædam lib. in Verrem sexto. Ille pars caussæ nullo modo uocari potest. Alter caussæ magis inhærens, ut in Dolabellam actione tertia in casum Philodami, & pro Cluentio in scelus Sassiæ, pro Cornelio in laudem Pompeij. Ille ut à caussa non est tam alienus, ita illi parti addici debet, cuius est supplementum, ut si à narratione erumpas diuertendo, ea digressio ad narrationem pertinet. sin exit à cursu dicendi propter rem aliquam uel confirmatam, uel reprehensam, ille excursus ei parti applicabitur. Nam ut dicantur istæ partes, nihil aliud iuris habent, nisi quod in oratione sunt, & illam quasi elementa componunt. At uero id non satis ut orationis pars prima aliquid esse dicatur. Eo enim admissio, argumentum, similitudo, locus communis in quem sæpe trahitur oratio, affectus siue amplificatio exempla, partes uocentur, quorum omnium nullum partem esse diximus eo significatu quo hic nomine partis utimur. Atqui Cicero quatuor partibus constare dixit orationem, ita respondentibus officiis, ut motus duas, totidem fides occuparet. Ille postea confirmationem diuidit in duas, probationem, & reprehensionẽ, quas antea communi nomine complexus, confirmationem significatione concludebat. Non enim est dubiũ quin omnis quæ argumentando fit fides, tum demum satis constet, cum & nostra muniuimus, & aliena expugnauimus, aut certè declinauimus industria qua in re quid sit admissum mali, non uideo. Fabius ait se non his assentiri qui detrahunt ex numero refutationẽ, quòd illa sub confirmatione, ut aliæ partes, nempe propositio partitioque, comprehendatur. Ita controuersia huc demum reuertitur, non an sit opus refutatione (omnes enim id fatentur) sed an refutatio probationi sit subijcienda quod ut noris facilius, statue ipse tecum probationem nihil aliud esse quàm adstructionẽ fidei quandam, quæ ita sit perfecta accedente refutatione alienę

partis

partis, tamen illa reprehensio aliud habet munus, alio tendit, suis terminata finibus. Vnde Fabius rerum acer æstimator partitionem probationis esse uult partem, quia in ea sit, & eius sit quædam ut dixi, aditus, refutationem uult separari, ne uoce confundas, quæ natura distincta sunt. Non est tamen ambigendum, quin uno nomine, fidei nempe uel contentionis, possint intelligi: quod Cicero tradidit. At cum Aristotele sibi ait Fabius esse litem, an quia opinionis prior fuit assertor? an ut inuidiam reprehensionis declinaret? an potius quia Cicero discreuit præceptis, uno comprehendit nomine? Aristoteles probationi, id est ei parti quæ confirmat, & nostra communit, uult esse reprehensionem subiectam. Aristotelis in Rhetoricis uerba sunt, τὰ δὲ πλεῖστα προοίμιον, πρόθεσις, πίστις, ἐπίλογος. τὰ γὰρ πρὸς τὸν ἀντίδικον τῶν πίστεών ἐστι. at Fabius separat. qua ratione ductus, exposui.

Hoc quoque idem aliquatenus nouat] Id est, præter aliorum rhetorum sententiam scribit, quod procemio non narrationem, id est διήγησιν, sed πρόθεσιν, id est propositionem subiungit & ut Aristotelis partitionem latius intelligas, secat partes in duo genera, ut aliæ sint propriæ, & ubiq; necessariæ. illas uult esse duas, πρόθεσιν & πίστιν. Aliæ dicantur communes, quales sunt hę, προοίμιον καὶ ἐπίλογος. Aliæ nullo modo partes, ut ἀντιπαραβολή, ἐπάνοδος, προδιήγησις, ἐπιδιήγησις, προπίστις, ἐπίπιστις. Partes necessarias esse duas probat his uerbis, ἔστι δὲ τοῦ λόγου δύο μέρη. ἀναγκαῖον γὰρ τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν περὶ οὗ, καὶ, τοῦτ' ἀποδεῖξαι. διὸ εἰπόντα μὴ ἀποδεῖξαι, ἢ ἀποδεῖξαι μὴ προειπόντα, ἀδύνατον. ὅ τε γὰρ ἀποδεικνύων τι, ἀποδείκνυσι, καὶ ὁ προλέγων, ἕνεκα τοῦ ἀποδεῖξαι προλέγει. τούτων δὲ τὸ μὲν πρόθεσίς ἐστι, τὸ δὲ πίστις, ὥσπερ ἂν εἴ τις διέλοιτο ὅτι τὸ μὲν πρόβλημα, τὸ δὲ ἀπόδειξις. νῦν δὲ διαιροῦσι γελοίως. διήγησις γὰρ τοῦ δικανικοῦ λόγου μόνου ἐστίν, ἐπιδεικτικοῦ δὲ καὶ δημηγορικοῦ, πῶς ἐνδέχεται διήγησιν εἶναι ἣν λέγουσιν, ἢ τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον, ἢ ἐπίλογον τῶν ἀποδεικτικῶν. Ex quibus paratum est intelligere quid uelit Fabius cum ait Aristotelem fecisse propositionem ut genus narrationis, & ideo cum ponit genus, hanc speciem in hoc genere iudiciali non excludere, ut qui fateatur propriam illam narrationem non alibi reperiri, quàm in caussa iudiciali. Est ergo propositio Aristoteli expositio & comprehensio rei probandæ, quæ si iusta est, & suspicionibus inspersa, non in alio genere quàm forensi narratio dicatur. sin breuis, aut dictioni fusæ similior, retinet nomen commune, quia speciei nomine caret. quo accidit, ut secundum partẽ mallet propositionem dicere, quam narrationem. idem procemium & epilogum, ita ut ars præscribit, ubique requiri negat, & ut sint orationis interim partes, in caussæ substantia minime sunt.

Verum ex his] Cõstituto numero, agit de ordine, qui duplex est, cogitationis, & resolutio dicitur, executionis, & appellatur compositio. Tertium adducit Galenus in arte, diuisionibus finitionibusque constantem, cuius in tradendis disciplinis magnus est usus in utendo nullus prope. De illis igitur primis, quorum ille ἀναλυτικὸς hic συνθετικὸς dicitur, ad hunc modum præcipit Fabius, non eo nos uti ordine cum aliquid scribimus, & cum animo caussam complectimur, & cogitatione designamus. In cogitando quidem ab ultimo capite res arcessenda est, & gradatim ad infima quæque deuoluenda animi intelligentia. Initio excutiamus caussæ ad nos delatæ quodnam sit genus, proxime quo uertatur cardine, quid nobis obtinendum, quis capiendus locus, quò dirigendæ argumentorum acies, amplificationum cornua, affectuum auxilia. Deinde quæ nostræ, quæ aduersariorum uires, quale genus armaturæ, qualis argumentorum ordo. Ita certò sciemus qua illi nos, qua nos illos re antecellamus, ut ab eo quo superiores sunt, ad id quo ipsi præualemus, diuertamus: aut si non erimus ad uim apertam pares, subsidamus in insidiis, aut pro castris stemus nulla in hosticum facta incursione, nostra tueri contenti. In hac acie rationum firmamentorumque fit collisio. Vbi æstimationem diligenter inieris, præmittere oportet qui ad pugnam eliciant hostem, & interim locum dimicaturis legionibus occupent, tum demum succedet expositio, collectis signis, constipatis condensatisque suspicionibus, quæ postea iustis interuallis diremptæ & explicatæ multitudine latum occupent confirmationis campum. Narratio est probationum præparatio. Cicero, Narratio est sedes ac fundamentum fidei faciendæ, ad quam præparare non potest, nisi prius quid sit illi probandum, liquidò constet. Eductis ita copiis in aciem, dandum est signum, & faciendum initium ad manus ueniendi. Alii clamore ineunt pugnam, ut barbari & Romani. alii silentio, ut Græci, authore Homero. alii astu præpilatas torquentes hastas. alii moderate ad tibiã ut Lacedæmonii, quos in lacessenda contentione imitabatur orator, qui qua maxima poterit modestia occupabit auditorum animos, illis tacite surrepens, & ad se audiendum uiam muniens. Cũ enim eo sit affectu parandus iudex, quo res nostra eget, nisi sciamus quo loco res nostræ sint, quo egeant adiumento, certe animum iudicis præcolere & exercere non poterimus. Vt nunquam uertit humum agricola, nisi sationis constituto genere: ita nec orator ad animum præparandum uerti debet, nisi lustrata prius caussa, quali sit opus auditore cognoscat. & hic est ordo quem orator ut bonus imperator antequam tesseram proponat, debet cogitatione sepire, & apud se meditari. Nunc ad alium ordinem transeamus, in quo orator tibicinis latini more diuersum sequitur. Verum est enim quod in omnium ore uersatur, quò decurrerit ut ad metam cogitatio, illinc ire ut ex carceribus executionem. Ita ultimum cogitando fuit initium, idem scribendo primas habebit: sic ut male uideantur exercitationis capere consuetudinem, qui ut meditando, ita scribendo exordium in ultimum retrudunt. Quemadmodum enim antequam domum ædifices, omnia parata esse debent, lapides, cæmenta, intritum, materia, marmora, & de fundamentis postremo loco cogitandum, at cum structores adhibes ad erigendam superficiem, nihil prius moliris operæ, quàm fundamenta: sic antequam scribas, oportet omnem materiam conferri in congeriem inuentione, & deinde digeri suis locis collocatione. At dum uel scribis uel loqueris, quod est tertiũ, ab his initium debes sic sumere, quæ exequendo omnia præcedunt, ut est exordium: ut nec à pedibus, sed à capite ordiuntur pictores, quanquam ad illud hæsit ut ad postremum cogitatio: nec fictores qui signa ex marmore aut aliunde faciunt, aliud prius insculpunt quàm caput. Adde quòd nulla ars extremum facit id per quod incipit. quare cum ab exordio sit incipiendum, turpiter artis opus in illo consummabitur, si nouissime scribatur. Postremo à periculo reprehendit: aiunt enim se ultimo loco scribere, deinde fronti orationis præfigere. Agedum, ita consueuisti? si stylo non erit locus, id est scribendi orationem non dabitur tempus: quid? ut scribere domi incipis à confirmatione, & in exordium desinere, nõnne periculum est ne te fallat præposterus mos? & tu quoque loqui incipias à confirmatione? postremò risu excitato, loco perorationis exordium subnectas? Ergo cum duplex sit ordo, ut excogitandũ præpostero est ordine, ita non aliter scribendũ quàm quo modo uel recitamus de scripto, uel pronunciamus memoriter.

ARGVMENTVM.

Genus iudiciale dixit esse multiplex: illud iam in species diuidit. primam simplicem, secundam coniunctam uocat, quæ etiam diuidatur bifariam: aut esse unius generis, ut repetundarum. Aut plurium, ut furti & homicidii, quibus tertium genus adiicit comparatiuum, ad quod diuinationem, & mutuas accusationes, quæ anticategoriæ dicuntur, posse reduci ait: quarum duo sint genera: unum quo litigatores idem crimen inuicem intentant; alterum quo diuersa. Postremo, genere caussæ cognito statum diligenter inspiciendum monet.

De generibus iudicialium controuersiarum. Cap. X.

CAETERVM caussa omnis, in qua pars altera agentis est, altera recusantis: aut unius rei controuersia constat, aut pluriũ. Illa simplex dicitur, hæc coniuncta. Vna controuersia est per se furti, per se adulterii. Plures aut eiusdem generis: ut in pecuniis repetundis: aut diuersi, ut si quis sacrilegii simul & homicidii accusetur. Quod nunc in publicis iudiciis non accidit, quoniam Prætor certa lege sortitur: Principum autem & Senatus cognitionibus frequens est, & Populi fuit. Priuata quoque iudicia sæpe unum iudicem habere multis & diuersis formulis solent: nec aliæ species erunt, etiam si unus à duobus duntaxat eandem rem, atque ex eadem caussa petat, aut duo ab uno, aut plures à pluribus. quod accidere in hæreditariis litibus interim scimus: quia quamuis in multis personis, caussa tamen una est, nisi si conditio personarum quæstiones uariauerit. Diuersum his tertium genus, quod dicitur comparatiuum, cuius rei tractatus in parte caussæ frequens est, ut cum apud Centumuiros post alia quæritur & hoc, uter dignior hæreditate sit. Cõparatio.
Rarum est autem ut in foro iudicia propter id solum constituantur, sicut diuinationes, quæ fiunt de accusatore Diuinatio.
constituendo: & nonnunquam inter delatores, uter præmium

Anticatego-riæ duo genera.

mium meruerit. Adiecerunt quidam numero mutuam accusationem, quæ ἀντικατηγορία uocatur: alijs uidelicet succedere hanc quoque comparatiuo generi existimantibus; cui similis erit petitionum inuicem diuersarum: quod accidit uel frequentissimè. Id si & ipsum uocari debet ἀντικατηγορία (nam proprio caret nomine) duo erunt genera eius: alterum, quo litigatores idem crimen inuicem intentant: alterum, quo aliud atque aliud. Cui & petitionum conditio par est. Cum apparuerit genus caussæ, tum intuebimur, negatur'ne factum quod intenditur, an defendatur, an alio nomine appelletur, an à genere actionis repellatur: unde sunt status.

MOSELLANI.

IN pecunijs repet. } Pecuniarum repetundarum nomine intelligimus ea omnia quę diuitijs constant, uelut uestes, uasa aurea, & argentea, æs signatum. Porrò actio repetundarum frequenter cadere solebat in magistratus Romanos qui in prouincias à senatu emissi, prouincialium opes pro sua libidine arrodebant: adeo ut sæpenumero intolerandis iniurijs adacti prouinciales, ipsis proconsulibus actiones repetundarum pecuniarum intenderent, in quibus alius ob aliam rem ereptam, crimen diuersum intendebat, ut cognoscere licet ex actionibus in Verrem.

Quoniam Prætor } Constitutis diebus per sortè iudicat seorsum, & diuerso tempore de diuersis criminibus. Olim enim dies iudiciorum per sortem partibus condicebatur, authore Sexto Pompeio. Centumuiros } Trigintaquinq; tribus Romæ erāt, & ex singulis tribubus terni ad priuata iudicia cognoscenda legebantur, qui iudices Centumuiri dicti sunt, etiamsi numerus centenarium excedat: sed appellatio sic seruata est, quoniam facilior. Sicut diuinationes } Cum de constituendo accusatore quæritur, iudiciumque super ea re redditur, cuinam potissimum ex duobus pluribus'ue accusatio subscriptio'ue in reum permittatur, ea res atque iudicium Diuinatio appellatur, quoniam iudicem diuinare quodammodo oportebat quam sententiam sese ferre par sit. Aul. Gell. lib. 2. cap. 4.

ANTONII PINI.

DEliberatiuas quoque miror à quibusdam sola utilitate finitas } Orditur à quæstione finis, quòd ea de re proxime locutus esset. Cum enim dixisset non putare se genus laudatiuum honestate contineri, annectit sibi adhuc magis mirum uideri quod nonnulli sola utilitate hoc genus deliberatiuum terminarint. Inter illos est Aristoteles, qui in Rhetoricis sic ait, τέλος δὲ ἑκάστῳ τούτων ἕτερόν ἐστι. τρίσιν δὲ οὖσι τρία, τῷ μὲν συμβουλεύοντι τὸ συμφέρον καὶ βλαβερόν. In quam sententiam Cicero scribit in Partitionibus, Est igitur in deliberando finis utilitas, ad quam omnia referenda sunt in sententia dicenda. At Fabius non putat deliberatiuum genus posse utilitatem habere pro fine, sed omnia stare mutuis auxilijs, & se inuicem adiuuare. qua de re transacta est in superiore quodam loco quæstio. Nunc ait Fabius, si unus esset in hoc genere constituendus finis, malim esse finem dicere dignitatem, quàm utilitatem. quam sententiam Cicero de oratore libro secundo complectitur, hoc modo, Ergo in suadendo nihil est optabilius, quàm dignitas. Nam qui utilitatem putat, non quid uelit suasor, sed quid interdum sequatur, uidet. Vnde colligas Ciceronem finem huius generis distinguere in eum quem uult suasor tenere, & quem sæpe sequitur. uult tenere dignitatem, id est uirtuti coniunctum splendorem. At quia utili magis mouetur populus, utilitatem interim sequitur, & honestatem dignitatemque non ut laudem habent tractat, sed ut expetendæ putantur, & uirtutis commoda habent. Prioris opinionis authores excusat Fabius adiecta interpretatione. Non dubito, inquit, quin utilitatem more Stoicorum cum honestate confuderint, ut idem per utile, quod per honestum, uelint intelligi. quod tamen illi non uidentur significare, & Aristoteles, qui, si quis alius, communi utitur intellectu uerborum, utile separat ab honesto: & Cicero honestatis utilitatisque locos discernit, & citato loco dignitatis utilitatisque facit discrimen. Ergo non secundum Stoicorum opinionem sunt locuti, sed uidebant uiri prudentes deliberationem apud rudes haberi, & ut illis honestum suadeas, nitaris frustra, nisi spe utilitatis allicias. Ita dixere eum finem, quem frequentius peteret orator, non quo uelint ea suadere nomine utilitatis, quæ honestati reducta tur, sed ut monerent etiam si honestum obtinere uelis, illud specie utilitatis integendum. Cæterum quod ad nomen attinet, utile pro honesto accipi in conuentu literatorum potest. At uulgus utilia multa credit, quæ fatetur non conuenire dignitati. ideo inquit, qui scribunt, debent distinguere significationes honesti atque utilis, & loqui secundum communes intellectus, id est uti uerbis eo significatu, quo uulgò accipi usu paritque solent. At uerò populus multa sentit indecore, quæ non aliter quàm utilitatis specie ductus probat: ut fœdus Numantinum, quod iniussu populi percussit Mancinus iniquis conditionibus. illud cum populus rescinderet, deditus est Numantinis, nec tamen receptus, in urbem rediit, unde an postliminij ius haberet, est tractatum. Meminit Cicero & ad Trebatium, & in primo de oratore. Videbat Mancinus ignominiosum sibi populoque Romano esse, credebat utilius quàm tot milites amittere. ita iugum in quod sunt Romani prope Caudium oppidum Samnitium compulsi, non alio nomine probauerunt T. Veturius, Sp. Posthumius, quàm quòd utilius existimarent cōstituere reliquias copiarum, quàm internecione occumbere. dediti sunt. suasore Posthumio pax repudiata. Porrò iugum militare per quod milites transmittebantur, fiebat in morem tigilli erectis duabus hastis, & tertia desuper acta in transuersum. Liuius 3. tribus hastis iugum fit, humi fixis duabus, superq; eas una transuersa deligata. Vrbane poeta,

Vltra Caudinas uiolarunt fœdera furcas.

Historia est apud Liuium libro ab urbe condita nono.

Ne qualitatis quidē statu } Altera est quæstio de statu in hoc genere, quem negocialem fere putat Trapezuntius, quia elicitur quæstio, an faciendum sit. Fabius doctius admonet omnes status in hoc genere uersari posse, dominari tamen qualitatem, ad quam honestorum utiliumque sunt referendæ quæstiones, in hoc genere creberrimæ. Quarum autem finium ratio a statu differat, satis à me puto superius explicatum. Frequenter in his locus est coniecturæ, qua uel de potestate quæritur, uel de uoluntate. utraq; disputatio coniectura explicanda est, de qua paulopost plura est dicturus. Interim est definitiuus status in eo ubi deliberationis est summa, ut deliberant Athenienses an debeāt accipere Halonnesum quasi det munere Philippus, an quasi ereptam iure reddat. Cæterum Halonnesum insulam ueterē Atheniensem possessionem occupauerant latrones, quos inde Philippus eiiciens, repetentibus Atheniensibus negat se redditurum, petentibus loco beneficij daturum. ad illam epistolam habita est concio, quæritur, det'ue Philippus, quia amiserant, an reddat quasi ueterem possessionem. ὡς λόγος, inquit Libanius, εἰ δώσει μὴ ἀποδώσει, ἢ τὰς συνθήκας ἁρμόζει. Sic apud Ciceronem octaua Philippica, cum Seruilius hostem negaret iudicandum Antonium, quia non bellum inferret, sed tumultum, Cicero tumultum ait esse grauius quiddam quàm bellum. Quid sit tumultus, deliberando uenit in quæstionem. Dicitur autem tumultus quasi timor multus, & tantus, ut uacationes auferantur iustitium fiat, sagati sint omnes. Romani bellum Gallicum & Italicum, tumultum uocabant. Iam in nona, tota deliberatio ex uerbis uoluntateque legis pendet. Agitur an Seruio Sulpitio, qui cum L. Pisone legatus ierat ad Antonium, & in itinere obierat, sit erigenda statua, quam lex decernit iis qui in obeunda legatione sint interfecti. At non fuerat interfectus Seruius, sed debita morte decesserat. Aliud uoluisse legislatores contendit Cicero, ut non modò ferro necatis, sed & frigore aut insidijs, poni debeat statua. Est autem similis iudicialium, quia in legis disputatione uersatur, quæ non alibi magis quadrat, quàm in genere iudiciali. Concludit uerò duas huius generis diuisiones. Prima est: Deliberatio aut agit de futuro, & uocatur consultatio, aut de præteriti qualitate, & uocatur quæstio, ut cum agitur in senatu qualia sint putanda acta Cæsaris, & quale fœdus Numantinum. at propter futurum, esto in quibusdam, sunt tamen nonnullæ cognitiones senatus, quæ controuersias forenses imitantur, & de præteritis quæruntur. Exemplum habes apud Pliniū in epistolis. Alia est diuisio secundum officia, quæ in genere duo sunt suasio, & dissuasio, quæ ex comparatione intelliguntur, Is enim intelligitur dissuadere, qui suadet aliud quàm prius suasum sit. Alioqui uulgus sic distinguit, ut in iis quæ expetenda dicimus, sit suasio, in iis quæ fugienda, sit dissuasio, ut suasio pacis est dissuasio belli. Posthac diuidit præcepta huius generis in partes orationis, quę possunt esse quatuor, exordium, narratio, contentio, & peroratio. non quòd omnes in omnem cadant deliberationem, sed omnes in aliquam possint incidere. Et primum est, ut de principio quale esse debeat agamus. illud ad hunc modum subiungit.

Procemio quale est in iudicialibus, non eget. } Constituenda est, duplex deliberatio, priuata, & publica. Priuata, ut cum tu

das consilium petenti & in hac is qui petijt, quia illius res agitur satis est conciliatus, ideo procemio ad colligendam beneuolentiam accurate composito non eget, tamen cum dicimus exordium tam apparatum non requiri, nolumus te ex abrupto more satyrico incipere. aliquid initio præfaberis, ut de ordine rei, de consilii difficultate, & hoc exordii uice fungetur. Publica uerò deliberatio qua uis suadere uel populo uel patribus ut sententiam tuam sequantur, quam aut non intelligunt, aut ab aliis occupati aspernantur, in hac tam solicitum debet esse ad captandum fauorem exordium, quàm in genere iudiciali, hinc intelligimus Ciceronis hæc de re uerba in Partitionibus. Principia uel non longa, uel sæpe nulla. At Aristoteles de concione idem præcipit: uerum, quia æstimat non qualis sit populus, sed qualis esse debeat. Is enim si defungi suo munere uellet, lubenter audiret de sua salute consulentes. at sæpe fluctuat, & ut est multorum capitum belua, rapitur sæpe in deterius. Vnde quemadmodum sæpe ægrotus rogatur ut remedia uelit capere, ita non raro orandus populus ut salubria consilia audiat. Nec enim temere dicitur, non in explicando iure plus quàm in obtinendo laborare oratorem. quod si conciliare auditores uult orator etiam in iis orationibus quæ in conuentibus Græciæ solemnibus habebantur, quanto magis id facere debet in suadendo, ubi non solum laudem, sed emolumentum appetit publicum? Quæ sequuntur ex Aristotele prope ad uerbum ducta sunt. Aristotelis uerba 3. Rhetorices subiiciã, τὰ δὲ τοῦ δημηγορικοῦ ἐκ τῶν τοῦ δικανικοῦ λόγου ἐστί: φύσει δὲ ἥκιστα ἔχει, καὶ γὰρ καὶ περὶ οὗ ἴσασι, καὶ οὐδὲν δεῖται προοιμίου τὸ πρᾶγμα, ἀλλὰ δι' αὑτὸν, ἢ τοὺς ἀντιλέγοντας, ἢ ἐὰν μὴ ἡλίκον βούλει ὑπολαμβάνωσιν, ἀλλ' ἢ μεῖζον ἢ ἔλαττον, διὸ ἢ διαβάλλειν ἢ ἀπολύεσθαι ἀνάγκη, καὶ ἢ αὐξῆσαι, ἢ μειῶσαι. τούτου δ' ἕνεκα προοιμίου δεῖται, ἢ κόσμου χάριν. Fabius sic extulit. Aristoteles quidem nec sine caussa putat & à nostra & ab eius qui dissentiet persona duci frequẽter in consiliis, id est in genere deliberatiuo, exordium, quasi hoc mutuemur à genere iudiciali, in quo exordiẽdi usus est uel maximus tam à nostra quàm ab aduersarii iudicisque persona. Nonnunquam etiam ut res minor uideatur, si illi grauiorem putant, aut ut maior, si non tantam putant quantam nobis expedit illos existimare. At quia in hoc genere quæ de exordijs esset opinio Aristotelis, docuit, quid idem sentiat in genere demonstratiuo, occasione ductus exponit. In demonstratiuis procemia putat maxime libera, id est ex loco paulo remotiore duci posse. Nam & longè, ut uideantur separata, exordia sumi possunt, ut Isocrates in laude Helenæ, ubi initio reprehendit sophistas sui temporis, quod si per se æstimes, nihil habet cum laude Helenæ coniunctum. Locus Isocratis sic habet, εἰσί τινες οἳ μέγα φρονοῦσιν, ἢν ὑπόθεσιν ἄτοπον καὶ παράδοξον ποιησάμενοι, περὶ ταύτης ἀνεκτῶς διαλεχθῶσι, &c. Interim ait sumi ex aliqua rei uicina, id est ea eo quod propius cum ea cohæret, ut Isocrates in panegyrico ad numerum fluente, & annis duodecim, authore Philostrato, elaborato, conqueritur ludis esse proposita pręmia robori corporum, nullos esse animorum bonis honores constitutos. πολλάκις ἐθαύμασα τῶν τὰς πανηγύρεις συναγαγόντων, καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάντων, ὅτι τὰς μὲν τῶν σωμάτων εὐτυχίας οὕτω μεγάλων δωρεῶν ἠξίωσαν, τοῖς δ' ὑπὲρ τῶν κοινῶν ἰδίᾳ πονήσασι, καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς οὕτω παρασκευάσασιν, ὥστε καὶ τοὺς ἄλλους ὠφελεῖν δύνασθαι τούτοις οὐδεμίαν τιμὴν ἀπένειμαν, ὧν εἰκὸς ἦν αὐτοὺς μᾶλλον ποιήσασθαι πρόνοιαν. Et Gorgias in oratione habita ludis Olympicis sic incipit laudans eos qui primi talea conuentus instituisse dicuntur, ὑπὸ πολλῶν ἄξιοι θαυμάζεσθαι ὦ ἄνδρες Ἕλληνες. Id autem quod citat Fabius, longius est. Initium adscribam, quod ad rem magis facit. ad literam enim uertit eum locum Fabius. τὰ μὲν οὖν προοίμια ὅμοιον τῷ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοιμίῳ. καὶ γὰρ οἱ αὐληταὶ, ὅ τι ἂν ἔχωσιν αὐλῆσαι, τοῦτο προαυλήσαντες συνῆψαν τῷ ἐνδοσίμῳ, καὶ ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς λόγοις δεῖ οὕτω γράφειν. & postea, τὰ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοίμια ὅμοια τοῖς τῶν διθυραμβοποιῶν. Fontes uerò procemii in genere demonstratiuo ponit septem, laudem, uituperationem, hortationem, dehortationem, & ex auditoris persona, si de re difficili, aut uulgata, aut inopinata sit dicendum. Porrò qualia græcorum in genere demonstratiuo sunt procemia, tales, sunt præfationes Salustii, quæ rem tractant ad historiam nihil lectorem præparantem. Hæc præter rem uideri possunt inserta. unde Fabius, Sed ad suasoriam, id est deliberatiui generis præcepta redeamus, in quo ut exordia sint, certè breuia esse debent, & capitis initiique ad excolendum auditoris animum uice debent fungi.

De narratione huius generis.

Narratio fit duplex à Fabio. Vna rei de qua est dicenda sententia, altera rerum extrinsecus pertinentium. Prior narratio dicitur quæ rei ordinem exponit, & altius etiam repetit ut id de quo deliberatur, intelligatur melius. Talis est narratio pro lege Manilia. deliberatur an Pompeius esset bello Mithridatico præficiendus. Ordo rei requirebat belli cõditionem, & statum. Eiusmodi ergo narratio dicitur rei de qua est dicenda sententia, quia exponit non id quod decernetur (id enim futurum est) sed de quo decernendum sit. Narratio extrinsecus pertinentium, est illarum rerum expositio, quæ non ad explicandum negocium ualent, sed ad partem fidei narrantur, ut si Cicero narrasset aliud quoddam bellum eo tempore, & si amicus me de collocanda filia consuleret, ego simile quiddam de uicini nostri filia commemorem. Facta igitur hac distinctione, sic ait, Priuata deliberatio non exigit narrationem rei, id est ut ordinem rei de qua deliberatur, & argumentum exponat, quia damus consilium ei qui petiit, & rem ipsam de qua, consuleremus, proposuit. unde id genus expositio illi erit superuacua. Possunt autem extrinsecus multa narrari, quæ non ordinem rei declarant, sed simile quoddam aut dissimile factum. In publica deliberatione sæpe quæ sit rei de qua deliberatur, conditio, plebs nescit, & ideo ordo rei est repetendus, ut pro lege Manilia de præficiendo Pompeio illi bello agebatur, sed nec quale bellum, nec cum quo, nec à quo antea gestum, cognoscebat. Narratio quæ ea exponat, rei de qua dicenda est sententia, appellatur. Illa non expositione constabit modò, sed & si qua alia, affectuum seminibus erit implenda Nam & ira excitanda est remissis, ut facit Cicero tot equitum Romanorum cædem narrans, & lenienda iratis, & animi in omnes affectuum partes sunt rapiendi. Nonnunquam commouenda misericordia, ut si petemus auxilium Saguntinis, in narratione eorum calamitas esset uoluenda, aut si non mittatur, euersionis misera ob oculos ponenda. Atqui uereor ne aliter à multis intelligatur locus. Quid ergo ait Cicero? Narrandũ, inquit, est non multum. Narratio est enim præteritarum rerum, suasio futurarum. Ego sic intelligo non multum narrari, id est tantum quantum ad expositionem rei decernendæ sufficiat, aliquando cadere nihil, ut in priuatis consiliis. Existimo autem Ciceronem commune præceptũ uoluisse, quia sane ratio utrobique uincit. Narratio, inquit, est præteritorum, suasio siue publica siue priuata futurorum. Probat igitur hæc ratio rem ipsam quæ decernenda est, non narrari, sed ea solum uel quæ ad ordinem rei faciunt, ut in concionibus, uel extrinsecus adducuntur, ut in priuatis, & in utrisque breuem esse narrationem, sæpe nullam, cum res simplex de qua agitur, uno propositionis ambitu continetur. Quod autem affectus admisceri ait, & quidem maximos, eos Cicero à narratione summouet, uerum non omnino, & si omnino, uim respexit expositionis. Nam si mouet affectus, adhibebit illustre genus, & amplificationes inferuntur, quæ non docere modò, sed simul rapere in motum uelint.

De confirmatione.

Tertia pars est fides, quam Aristoteles fecit triplicem, ἠθικὴν, παθητικὴν, ἀποδειγματικήν. Quam diuisionem Fabius secutus, in fidei præceptis expõnit, quæ dicentis magis quàm dictionis ui faciant fidem. Vnde Euripides, οὐκ ἔστι πειθὼ ὁ λόγος, ἀλλ' ὁ λέγων. Valet, inquit, in consiliis authoritas plurimum. Est autem authoritas, rebus gestis comparata grauitas. Sic Cato perculit non oratione, sed pudore senatum. Sic Appius Cæcus à turpi pace reuocauit, sic Iphicrates iniquas cõditiones dissoluit. Is enim qui uult sibi credi, & alios in suã trahere sententiã, debet esse & existimari prudens, alioqui contemnitur, ut apud Plutarchum de ignobili quodam Spartano, qui cum bonam sententiam attulisset, eam alter extulit, ne uilitas personæ, authoritatem consilio detraheret. Non enim se res ita habet in consiliis, atque in iudiciis Hic indulgemus studio, id est ueritati præferre affectum non magnopere uitiosum. at consilia dantur secundum mores, id est, ita quisque consulit, ut moribus est præditus. Nec frustra Euripides, ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται. Deinde Fabius ut cõstãter præcepta det, quàm late effundi debeãt docet, & quot possint capitibus summis substringi. Igitur eorũ, inquit, plurimi, ut Theodorus, Apollodorus, Aristoteles, hoc genus deliberatiuum concionale putauerunt, hoc est totum in conciones transtulerunt, & ita tractarunt, quasi hoc genere non tractarentur nisi quæ pertinent ad Rempublicam administrandam Aristoteles primo Rhetoricorum. σχεδὸν γὰρ περὶ ὧν βουλεύονται πάντες, καὶ περὶ ἃ ἀγορεύουσιν οἱ συμβουλεύοντες, τὰ μέγιστα τυγχάνει πέντε τὸν ἀριθμὸν ὄντα. ταῦτα δ' ἐστὶ, περί τε πόρων, καὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης, ἔτι δὲ περὶ φυλακῆς τῆς χώρας, καὶ τῶν ἐξαγομένων καὶ εἰσαγομένων, καὶ νομοθεσίας. & in summa finem huius generis politicum facit. Quin & Cicero in hac parte uersatur, id est de hac parte deliberationis, publica nempe, conscribit præcepta, nec facilè memineris ubi Cicero de alia specie loquatur, quàm de publica, ideoque suasoris de pace, bello, copiis,

operibus,

operibus, munitionibus, uectigalib. (uides eadē prope quæ apud Aristotelem) duo capita uult esse perspecta, ad quæ reuocetur omne dicendi consilium. Verba Ciceronis secundo de oratore sic habent, Ad consilium autem de Republica dandum, caput est nosse Rempublicam, ad dicendum uerò probabiliter, nosse mores ciuitatis, qui quia crebro mutantur, genus orationis quoque est sæpe mutandum. Vt (inquit Fabius) traheretur suasio, quod ad rem attinet, ex cognitione uirium ciuitatis, quod ad affectus, ex moribus auditorum probe cognitis, nobis, inquit, latius uisum est tractare hoc genus, ideoque non ad publicam modò deliberationem artem adstringimus, sed ad omnia consilia & consultationum genera præcepta aptabimus. Omnia uerò præcepta ex tribus locis eruemus. quos per ordinem subiungit. Spectantur igitur tria in omni tractāda deliberatione quid sit quod in deliberationem cadat qui sint qui deliberent, id est decernant de nostro consilio. quis sit qui suadeat, & sententiam dicat quam cæteros uelit sequi.

Quid sit de quo deliberetur.

Illud de quo agitur, aut fieri posse constat, aut an possit, ambigitur. Si ambigitur, hæc est prima quæstio, fierine possit. Cicero in partitionibus, Vt illa primum sint suasori aut dissuasori uidenda, quid fieri aut non fieri possit. Nam si effici non potest, deliberatio tollitur. Idem secundo de oratore, Quid fieri possit aut non possit, in omni suasione est uidendum. Inciditur enim omnis deliberatio si intelligitur non posse fieri. ergo si an fieri possit incertum hæc est, erit præcipua quæstio, an fieri possit. Interim & sola, cum utilitas in confesso est. Interim præmittitur alia quæstio, etiam si fieri possit, non utile nec honestum esse. quæ disputatio ea hypothesi præcedet quæstionem τοῦ δυνατοῦ. Vbi enim nec dignitati nec commodo consentaneum docuimus, ad extremum ne fieri quidem posse addimus. At quoties agitur de potestate, coniecturalis est status, quemadmodū in distribuenda coniectura diximus: ut, Isthmus possit'ne intercidi. Et autem Isthmus angusta interiecta terra inter duo maria Aegeum & Ionium, quæ si ablata esset, commodior & breuior foret per utrunquā mare nauigatio. Ita an paludes Pontinæ in Italia, quæ multum boni soli adimebant, siccari possent, & exhauriri, & deliberauit Iulius Cæsar, & perfecit Claudius. ita an in Hostia ab Anco Martio condita posset statio fieri recepto in sinum terræ mari, quò securius anchora ibidem naues fundarentur. ita deliberat Alexander an immenso oceano circunfluo, ut aiebant mathematici, esset alium mundum quem subigeret inuenturus, quod audiuerat affirmantem Democritum mundos esse infinitos, & non credebat Aristoteli unum duntaxat asserenti. Iuuenalis, Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis. Iustinus occasionem deliberationis scribit. Cæterum quibus locis possibile tractemus, docet Cicero in Partitionibus. Quid autem possit fieri ueć ne, in quo etiam quàm facilè possit, quamque expediat, quæri solet, maxime ex caussis quæ quamq; rem efficiant, est uisendum. Illarum uarietatem tum ex eo libro, tum ex Topicis collige. Paucis tamen res tota comprehendi potest. Caussarum duo prima sunt genera. nam sunt aliæ quæ rem ipsæ conficiunt, aliæ quæ uim ad conficiendum afferunt. itaque illæ superiores conficientes uocentur, aliæ ponantur in eo genere sine quo res confici non potest. Conficiens autem caussa alia est absoluta & perfecta per se, alia adiuuans, & efficiendi socia quædam. cuius generis uis est uaria, & sæpe aut maior aut minor, ut & illa quæ maximam habeat, sola sæpe caussa dicatur. Sunt autem aliæ caussæ quæ aut propter principium aut propter exitum conficientes dicuntur. Eadem Tulius in Topicis. In summa, potestas, ut idem ait, loco, tempore facultatibus, personis colligenda est. Nec solum ea quæ nobis faueant sed etiam quæ aduersentur, uidenda, & si procliuiora erunt nostra, non solum posse effici dicemus, sed esse procliuia, facilia, iucunda, alia contrà. at si constat fieri posse, aliquando coniecturæ incidet quæstio, ut cum de euentu temporis & successu in dubium uenit, ut si Scipio maior ex Sicilia traiicit in Aphricam exercitu Hannibalis adhuc uisceribus Italiæ inhærente, futurum'ne sit ut capiat Carthaginem, aut ut reuocetur ex Italia Hannibal, quam tenuerat per annos sedecim, ut patriæ laboranti succurrat. id quod accidit. Retractus enim a suis Hannibal, cum Scipione signa contulit, à quo uictus fugit ad Antiochum. Deliberationis exemplum habes apud Liuium Decad. 3. lib. 8. Ita quæri potest an Sannites fidem arma deponentibus Romanis sint seruaturi. pertinet exemplum ad deditionis conditiones de quibus supra egi. Attigit duos modos coniecturæ, priorem, quo fierine possit quæritur, posteriorem, quo an res futura sit quam fieri posse in confesso est. Annectit tertium ex circunstantia. Non enim simpliciter tantum quæri potest, an res futura sit, sed an hoc loco, an hoc tempore, an hoc modo. quæ omnia succedunt coniecturæ, cui ibi non erit locus, ubi nulla harum trium quæstionum locum habebit. Ad alios duos locos fontes aliarum quæstionum ueniendum est, nempe honestum & utile, quæ duo utilitatis nomine est complexus in Partitionibus Cicero, quatenus expetuntur siue per se ut honesta, siue ob aliud, ut opes & fortunæ. At ut melius locos sequentes aperiamus, conditionem deliberandi ait esse duplicem. Aut enim propter ipsam rem deliberatur, id est nulla conditione extrinsecus interposita, res tamen in consilium cadit, aut sententiæ rogantur de re, quæ in deliberationem non uenisset nisi propter externam caussam qua sublata uix in quæstionem res fuit uentura. Vtriusque exemplum subiicit. Per se, id est nulla extrinsecus premente caussa, deliberant Patres an stipendium militi constituant, cum ante tributo non indicto, de suo quisque eo munere fungeretur. Liuius libro quarto Decadis primæ. Additum deinde omnium maxime tempestiuo principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis tribunorum'ue decerneret senatus ut stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisq; functus eo munere esset. quam rem agitatam prius per se in senatu fuisse necesse est, nec instabat plebs, quam præda Veiorum satis Patribus conciliarat, hæc materia simplex erit, unam habens de qua agatur quæstionem. Accedunt caussæ faciendi, geminatur, & altera caussa deliberatio, ut cum deliberant Patres an Fabios dedant Gallis bellum minantibus. qua de re breuiter Liuius ubi loquitur de oppugnatione Clusii, pro quo legati interuenerant. Iam urgentibus Romanam urbem fatis, legati contra ius gentium arma capiunt, & paucis interiectis, Erant qui exemplo Romam eundem censerent. Vicere seniores, ut legati prius mitterentur questum iniurias, postulatumque ut pro iure gentium uiolato Fabii dederentur. inde Patres deliberabant an essent dedendi Fabii tres M. Ambusti filii, præsertim Gallis Senonibus, qui omnium postremi ex Gallis uenerant, bellum denunciantibus. De origine huius belli non putaui mihi scribendum, cum apud Liuium libro quinto Decadis primæ, succinctè exponatur, unde peti potest. Aliud eiusdem rei subiicit exemplum. Cæsar edixerat suis profectionem in Germaniam. milites passim testamenta faciebant militaria, quæ in procinctu fieri possunt, & uel per codicillos scribi, uel nuncupari duntaxat. Id autem faciebant milites quasi de uita desperantes. ergo deliberat Cæsar an perseueret ire in Germaniam militibus testamenta facientibus. quod scribit Cæsar Commentariorum belli Gallici libro primo. Huiusmodi suasoriæ duplices erunt, id est duas habebunt, easque præcipuas quæstiones. In superiore exemplo prior est quæstio, an bellum minantibus Gallis sint dedendi Fabii, & altera, an etiam citra belli indictionem ex iure sint dedendi, quòd contra fas, iusque gentium bellum inierint pro Clusinis, & Q. Fabius extra aciem regem euocarit, eumque inciderit, & spoliauerit, ad quem erant missi legati. In posteriore exemplo certum erat Cæsari in Germaniam proficisci, & prius cum Ariouisto acie contendere. rem uocauit in consilium cognita desperatione militum. at in dubium poterat uenire, an etiam citra hunc casum, id est militum consternationem, qui nec uultum fingere, nec lachrymas tenere poterant, fuerit adornanda profectio in Germaniam. Sed in ordine quæstionum illa debet esse prior, sine qua deliberari potest detractis sequentibus, ut in hoc exemplo prior est quæstio, sint'ne iure gentium dedendi Fabii, qui uocata cognitione ad populum sunt absoluti, & tribuni designati, ut bellum cum imperio gererent.

De partibus suasionis.

Habita distributione consultationum, & ordine quæstionum explicato, qui sint primarii loci confirmationis, ea ponit. Partes, inquit, suadendi, id est locos ex quibus propositionum sylua colligeretur, quidam putauerunt tres, in qua sententia est Cicero, nempe honestum, quod per se expetitur. utile, quod gratia alterius, necessarium, de quo postremò ita Cicero 2. de Oratore, Inciditur omnis deliberatio si necessitas affertur, quā qui attulit alius non uidentibus, is plurimum uidit. Hactenus Cicero unde uides idem sentire cum Fabio Necessarium enim negat Fabius uenire in hoc genus, quia simul atque agnitum est, consilium omne dissoluitur. Vtimur tamen in deliberatione iam antea constituta, cum necessarium esse detegetur. Idem in partitionibus, Siquid necesse, tollitur deliberatio. quod de necessitate inexpugnabili est intelligendum, at tamen Cicero omnem deliberationem in bonis esse positam, & illorum esse quædam necessaria, sed necessaria ciuiliter intellexit, quæ pro ualde utilibus accipi solent. & id genus necessaria omnis admittit deliberatio. illa Fabius utilibus cōplectitur. Idē 2. de inuentione ait ad hunc modū. Duas

aes honestati & utilitati putabamus attributas, necessitatem & affectionem. Puto igitur hanc esse necessitudinem, cui nulla ui resisti potest. Huiusmodi necessitudines cum incident, recte necessitudines appellabuntur. sin aliæ res incidēt difficiles, alia quæstione potestatis continebuntur. & deinde duas ponit, unam absolutam, aliam ex adiunctione, quam καθ' ὑπόθεσιν dicunt. Cum simplex erit necessitudo, nihil erit quòd multa dicamus. Illam indicare sufficit, ut omnis tollatur deliberatio. Cum ex adiunctione erit necesse, tum quid illa habeat utilitatis honestatisque est uidendum. Ex quibus apparet omnes in hoc consentire, necessarium sine adiuncto non cadere in deliberationem, quia intellectum illam dirimat & ideo deliberationi quæ dubia esse debet, obstare aiunt omnes, at necessarium ex adiunctione, ad utilitatis honestatisque tractatum reuocari. Nunc quibus rationibus excludat Fabius, audiamus. Ego non inuenio, inquit, huic tertiæ parti locum, id est, non puto enumerandum necessarium, quia omnis deliberatio de re facienda suscipitur. illa nascitur à uoluntate, quæ non potest cogi. Atqui ut cogaris aliquid pati, nihil tamen est quod simpliciter & absolute cogaris facere. Quid? non ne quædam sunt sine adiunctione necessitudines? Immò plurimæ, ut mortales interire. Nos tantum negamus ullam esse in facienda re ineluctabilem necessitatem. At Cicero uidetur innuere aliquam esse, at si credat necessarium, quod nulla possit ratione teneri, id ni sit faciendum, nego deliberari, nisi per errorem. Ita ualida est Fabii argumentatio, quantalibet uis ingruat, quantumcunque afferatur terror, pati aliquid uelis nolis cogeris, facere nihil nisi uelis. At si necessitas ciuilis appellatur, in quam compelluntur, ne maiora cogantur pati, iam non disputabitur an sit illud necessarium, sed an sit utile illud facere, ne grauius ferre cogaris, ut Casilinenses obsessi ab Hannibale, impares copiis, aqua ciboque destituti, an dedant se, deliberant. Si ita suadeas, Necesse est ut deditionem faciatis, ita, inquiunt, si aliud nolumus deterius pati, utpote interire. ergo cum addis conditionem, per illam, meram necessitatem excludis, & propterea idipsum necesse non est. At non esse necessarium se dedere, conuincit exemplis. Saguntini non fecerunt, nouem mensibus oppugnati ab Hannibale, nec Oppitergini, qui in Illyrico uicti, mutuis uulneribus maluerunt occumbere, quàm se in potestatem uictoris permittere. Opitergini uerò dicti sunt ab oppido quod incolebant. Ergo in iis caussis quæ speciem necessitatis habebūt ex altera parte, aut tantum quæretur utilēne sit deditionem facere, aut utrum præsentibus rebus consulendum deditione, an gloriæ dignitatique pertinaci defensione. Atenim si quia liberos procreare uolet, necesse habet uxorem ducere ἀναγκαῖον uidetur. Hoc exemplo probare uolet fortasse quispiam necessitatem in speciem absolutam cadere in consilium. Quæris aliquis, debeat ne uxorem ducere, uteris hoc argumento, Si uis procreare liberos, tibi est ducenda uxor. & uideris argumentari à necessario. diluit Fabius à pari, deliberas ne aliquis qui uult esse pater, an uxor sit ei ducenda? Non, inquies. ita nec de uxore ducenda inire consilium debet is qui decretum habet uelle se liberos tollere. Quid ita? quia ubi necessitas est, aut impossibile quiddam (id enim necessario non fit) nullum est consilium, quod authore Aristotele est in contingentibus, & in nostra manu positis & ad rem pertinentibus, ut idem docte disputat tertio Ethicorum, & primo Rhetorices. Si igitur locus is necessariū dici non debet, melius erit δυνατὸν, quo intelligimus potestatis de qua supra diximus, quæstionem illam ubique Cicero est complexus. Locos adscribere supersedeo. Atqui τὸ δυνατὸν non aliter quàm possibile interpretamur, dura & inusitata appellatione, sed alia caremus. Cicero mauult ἀδύνατον quàm impossibile dicere. Ad Atticum libro primo, ut non uideatur ἀδύνατον Curium obducere. Fabius neutrum docendi caussa respuit, nec impossibile, quo sæpe utitur, nec possibile, quod hic habes. Et hactenus de partium numero est disputatum. Tres igitur sunt partes constitutæ, honestum, quod uirtutis specie trahit, utile, quod momento, τὸ δυνατὸν. possibile. frustra enim & honestum & utile esse constaret, nisi fieri à nobis posset. Cum autem omne consilium & uoluntate cōstet, & executione, primum ut uelimus, hoc ultimum ut aggrediamur facit. Sed ut nec omnes laudum fontes semper sunt referendi, nedum riuuli omnes laxandi, ita nec omnes hæ partes in omnem suasionem cadent sæpe posse fieri certum est, quo habet loci τὸ δυνατὸν. sæpe quàm sit dignitati consentaneum, constat, hic τὸ καλὸν superest. At sunt in quibus clauditur utilitas, ubi τὸ συμφέρον non habet usum. & tamen cū tres abunde superque sufficerent, auxerunt alii numerum, species cum generibus confundentes, ut Aristoteles ad Alexandrū lib. 1. τὸ μὲν προτρέποντα χρὴ δεικνύειν ταῦτα ἐφ' ἃ πάρακαλεῖ, δίκαια ὄντα καὶ νόμιμα καὶ συμφέροντα καὶ καλὰ καὶ ἡδέα καὶ ῥᾴδια πραχθῆναι. Nam, inquit Fabius, fas, iustum, pium, & mansuetum quod græci τὸ ἥμερον dicunt in honestatis partes descendunt. At facile, iucundum, sine periculo, quod ἀσφαλὲς dixit Aristoteles, utilitati subiici debuit ut generi. Qui omnes loci, nempe magnum, iucundum, facile, propter dissuadentium contradictiones necessarij sunt. Atenim utile est, aiunt, sed difficile. nos procliue & facile. at paruum, nos magnum. at iniucundum, nos suaue. Vnde adiuuant utilitatem illi loci, & sub illa comprehendi debent. Nascuntur enim ut resistant his locis quibus eleuatur utilitas. Sic Aristoteles εἰ δὲ μὴ ὡς ἐργῶδες. De iucundo est controuersia, an non ex contradictione, ut cæteri, sed ex proposito quæratur, quod in quibusdam uideatur dominari. negat Fabius προαχθῆναι. in dando consilio subsequi fatetur. Aliud, inquit, debet præcedere. Nemo enim est tam luxu defluens, ut nil aliud in deliberationem præter iucunditatem uocet, ut in ludis decernendis, quales sunt Apollinares, Seculares, Romani, Megalenses, Plebeii, Liberales, uoluptas est pro comite, pro duce est religio. Fiunt enim in deorum honorem. In theatro, quod primus extruxit Dionysius, ante quem tragicam scenam erexerat Agatarchus edente fabulas Aeschylo, quò spectandi caussa confluebant. Est utilis relaxatio & honesta, dum ordinibus turba discernitur, & gradibus, quos primus distinxit Tarquinius Priscus. Liuius, Loca diuisa Patribus Equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent fori appellati, spectauere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. Hæc theatri imago, quam auxere Romani, unde theatrum Pompeii, amphitheatrum Domitiani. Eius descriptiones habes apud Vitruuium. Quod si nulla esset distinctio, perpetua esset conflictatio. Adde quò theatrum est quodammodo ludorum templum. sunt enim & ludi in parte sacrorum. Macrobius Sacra celebritas est uel cum sacrificia diis offeruntur, uel cum dies diuinis epulationibus celebratur, uel cum ludi in honorem aguntur deorum, uel cum feriæ obseruantur. Hic debuerunt partes honestatis utilitatisque describi, sed Fabius ex Cicerone peti uoluit, quare non adscribendas illas duxi.

Sæpe uero & utilitatem despiciendam,] Iidem loci bifariam tractari possunt, aut simpliciter, aut comparate. Quomodo absolute tractarentur demonstrauit, eorum comparatorum tractationem subnectit, ad hunc modum. Prima est contentio honesti & utilis. Cum utilitas populari intellectu aliò trahere, aliò uidetur honestas impellere, pro honestate dices utilitatem esse despiciendam, quæ dignitati nō subseruit, sed obstat, ut si suadeas Opiterginis ut mortem deditioni præoptent, malintque uitæ iacturam facere, quàm uirtutis. Ex altera parte si utilitatem tuearis, dices per hanc illi tandem consultū iri, ut exhausta ciuitate post cladem Cannensem, cum liberi qui nomina darent, non superessent, seruos populus à dominis emit, & illos manumisit, eorumque nomen in delectum accepit, qui Volones dicti sunt, quasi sponte stipendia facerent. Illis P. Sempronius dux fuit, & præcipuam uictoriam retulit. cuius rei meminit Liuius Decados tertiæ libro quarto. Sed quando utile honesto anteponimus, honesti quædam species obtendi debet, ut si dicas natura seruum esse neminem, seruitutem iure belli inuectam: corpora nostra ita ut seruorum componi, & ut belli est anceps alea, fieri posse ut qui seruiant, nobili sint familia, per quæ si non accersitur honestas, certè depellitur turpitudo, & illic ubi utili honestum anteponimus, non oportet fateri omnino inutile, sed est obiicienda imago utilitatis, utilius esse ipsis mori suis manibus, quàm ab hostibus excarnificari, in quorum potestatem uenerint, si perfidi esse uelint. Præterea si uincat Cæsari (quod ex bellorum cursu erat uero similius) male accepturum imbelles. Hanc historiam sic attigit Florus epitome libri ex C. Antonius legatus Cæsaris male contra Pompeianos pugnauit, & in Illyrico captus est. In quo bello Opitergini transpadani Cæsaris auxiliares rate sua ab hostilibus nauibus clausa, potius quàm in potestatem uenirent, mutuis uulneribus occubuerunt. In hunc ergo modum adornabitur prima inter hæc conflictatio. In acie secunda collocabitur nominum deflexio à Stoicis sumpta, populari ingenio absona, sed dicendo mitiganda. Dicemus enim non modo honestati potius seruiendum quàm commodo, sed præter honestum nil esse uere utile, quod cum honesto non sit colligatum. At qui defendunt utile: honestum quod ipsi uocemus, ambitiosum, id est exquisite fictum & stolidum uocant, cuiusuis magis in philosophorum disputationibus, quàm in hominum uita appareat. Illud demum putandum honestum, quod utilitatis speciem habeat. ita deflectes nomina, id est uel utilis nomen ad honestum trahes, uel honestatem confundes cum uulgari utilitate. Absoluta est prima comparatio honesti cum utili, aut contra. Altera est eorundem inter se, ut cum ambo

utili nitantur, uel ambo honesto, tu ne utrum utilius, utrum honestius, quæritur. Vtriusque locos habes in primo officiorum & secundo, quemadmodum de superiore collatione in tertio. ¶ Crescit adhuc, id est non de duobus tantum quæstio hæc potest sed de pluribus agitari, ut in deliberatione Pompeij, de qua Plutarchus, Cum, inquit, transmissa Amphipoli, Mitylenen uenisset ad recipiendam Corneliam & filium, urbem Attaleam est ingressus, & ueritus celeritatem Cæsaris, de receptu tuto, & ad renouandum bellum apto cum senatoribus sexaginta deliberabat. ipse Parthiam petendam censebat, quæ non modo suscipere & exornare se, uerùm etiam ornare posset alij inclinarunt ad Iubam. Θεοφάνει δὲ τῷ Λεσβίῳ μανικὸν ἐφάνετο τριῶν ἡμερῶν πλοῦν ἀπέχουσαν τὴν Αἴγυπτον ἀπολιπόντας, Πάρθοις ὑποβαλεῖν ἑαυτὸν ἀπιστοτάτῳ γένει. Ita nauigatum est in Aegyptum, quòd patris beneficio uideretur filium obligasse Pompeius. Nunquam autem deliberabitur de ea re quæ undique est secundum nos, quam omni ex parte facere nos deceat, & rebus nostris expediat, & facilè absoluatur. Si enim non essent quædam inter locos deliberandi pugnantia, quis ambigeret aut consuleret esset ne id sibi faciendum, quod cur non faciat, caussam nullam possit reddere? Ita nihil est aliud deliberare, quàm uoluntatis honestatisq; momenta uelut libra perpendere, & iusta lance ponderare. est & alia adhuc contentio finis & medij. Stultum est aureo hamo piscari. ita stolidum propter rem tenuem, etiam ut succedat, se in magnum periculum conijcere. Videndum igitur, cum & quid petas constat, & qua uia, plus ne sit dispendij in medio, quàm commodi in fine, quem an obtineas, adhuc in dubio erit. Vltima comparatio est ipsius deliberationis cum circunstantiis rei adiacentibus, quales sunt tempus, locus, modus, genus rei persona. Exempla passim reperias, & illa Fabius etiam apponit. Genus rei uocat id quod uulgò accipimus modum, quem hic accipit pro præscriptione quantitatis. Ita conficit primam partem deliberationis qua quid est inquirere soleamus. Nec eam quam cæteri unam sequitur Pleraque Cicero de comparatione in libris de inuentione, pauca in Partitionibus. longum esset adferre, sed nec necessarium, ideo qui illa supplere uelit, illinc assumat.

De persona & suadentium & deliberantium.

Sed personam sæpius decoris caussa intuemur] Personam dixerat paulò antè facere utilitatem controuersam, ut est utile, sed nec nobis, nec contra hos. at illam, inquit, sæpius intuemur decori caussa, id est ut & quid nos deceat uideamus ipsi, & quid illos apud quos orationem habemus. Decorum autem Cicero primo officiorum triplex facit, unum generale, quod ex omni parte honestatis nascitur, aliud contractius, quod in certa quadam temperantiæ moderatione consistit, tertium quo utuntur scriptores, cum tam bonorum quàm malorum moribus apta est oratio, quomodo hic ait decori caussa nos personam intueri. At quia persona duplex est obseruanda, nostra, qui suademus, audientium, qui sententias dicunt. Hinc in primis momentum uertitur exemplorum. Nam exempla, id est rerum gestarum commemorationes, plurimum ualent in consilijs dandis, quia experimentis aliorum tutum sibi putant sapere, & aliena frui insania, tamen plus habebunt fidei si & illorum utemur exemplis qui uestigijs uirtutum uitam impresserunt, & ad illos accommodabimus, quos propter domesticam beneuolentiam incitabunt De exemplis Cicero in Partitionibus. Vterq́ue uero habeat ad augendum exemplorum aut recentium, quò notiora, aut ueterum quò plus habeant authoritatis, copiam, maximeq́ue sit in hoc genere exercitatus, ut possit uel utilia uel necessaria honestis, uel hæc illis anteferre. Deliberantium personam primam explicat, suadentis postea. Illorum, inquit, animi, id est mores & studia, penè uariant in infinitum, & non præcepto, sed prudentia colliguntur. illorum tamen conditio & quasi diuersitas est duplex. Etenim qui consultant, aut sunt plures qui sententiam sunt dicturi, aut singuli. Porrò hic deliberare nihil est aliud quàm de relata re sententiam dicere, uel calculum ferre. In utrisque est differentia. id est utraque pars in alia diuidi potest. Nam si deliberent plures, uel senatus ex sapientibus constans, uel plures, id est totus populus ex imperita multitudine coalescens, ad hunc in populo uarietas est magna, an Romani graues, & gloriæ cupidiores: an Fidenates leues & stulti, an Græci prudentes & diserti, an barbari minaces & inhumani. Quòd si deliberent singuli, perlustrandi sunt eorum mores animo & cogitatione, ut suades petendos honores, de qua re uel deliberat Cato, qui ut inquit Plinius, repulsis ut honoribus indeptis gaudebat. An Marius, de quo Sallustius in hunc modum, At illum iam antea consulatus ingens cupido exagitabat, ad quem capiendum præter uetustatem familiæ abunde erant omnia. Ita multum inter erit de ratione belli Punici gerendi, Scipio'ne prior id est maior, qui animo confidenti traijciendas putabat in Africam copias & incommoda belli in hosticum transferenda: an Fabius deliberet, qui cunctationis artibus frangendum in Italia credebat Annibalem. exemplum concionis apud Liuium Decad. 3 cuius loci antea meminimus. In personis ergo deliberantibus hæc tria maximum discrimen faciunt: Sexus, ut si uiri, an fœminæ. Dignitas, ut si obscuri, an nobiles. Aetas, ut si iuuenis, an senex. Per quæ accipienda putauerim reliqua. sed cuiusq; mores tractandi sunt animo. In illis enim maxima sita est differentia. Porrò mores aut sunt honesti, aut improbi. si igitur sunt bene informati, nulla est facilior suasio, quàm qua illis quod ex æquo & bono est suademus. propensione enim nos adiuuabit auditor, & audiẽs sequetur uoluntate. At si improbus est, cui tamen bonum suadere pertendis, hoc opus, hic labor est. Principio igitur cauẽdum ne ita laudes uirtutem, ut eius generis improbitatẽ qua laborat, exprobrare uidearis. ita .n. irritabis potius, nec quicquam præter odiũ assequeris. Iam in suadendo parum ualebit honesti commemoratio apud improbum non ergo honesti erit specie permouendus, aliæ sunt admouendæ machinæ, ut laus uulgi, opinio quam de se excitat, & si hæc uanitas, id est uana laudis species nõ mouet, amplificabimus utilitatem eius quod suademus, & si aliud egerit, terrorem inijciemus, qui ob duas caussas est incutiendus, tũ quia leues & seruilis ingenij homines magis metu quàm laude cõmonentur, & ita est in re, ut magis reformidemus mala, quàm amplectamur bona, nec tantum fructum afferunt bona, quantam perniciem sentimus in malis. qua de re sic Cicero in Partitionibus, postquam duo genera hominum esse dixerat, unum imbutum literis, aliud agreste, ait de hoc posteriore hominum genere. Videndum quanto homines magis mala fugiant, quàm sequantur bona. Nam neq; honesta tam appetunt quàm deuitant turpia. Nemo est tam agrestis, quem si non ipsa honestas, contumelia tamen & dedecus non cõmoueat. & apud indoctos uolt addi emolumenta, quæstus, uoluptates, dolores, & ignominias. unde Fabius hoc præceptum, ut alia plurima, sublegit Aliquando parum honesta consilia, etiam bonis damus, in quibus nullus alius locus præter utilitatem dominari potest. Occupat autem soluere id quod in eum obijci statim potest. Non ignoro, inquit, quin statim lector id secum reputans dicat, Hoc ergo præcipis, & hoc fas putas, parum bona consilia probis & frugi hominibus dare? cum tamen oratorem instituas uirum bonum, & apud te morum, ut par est, sit antiquior ratio? Poteram, inquit, opponere Ciceronis authoritatem, qua putat in suadendo non recta semper, sed interim uolita duntaxat consilia proponi. Verba Ciceronis ad Brutum adscribit, propositis multis quæ suaderi possunt Cæsari ut deponat dictaturam, ut æquo iure cum cæteris uiuat, ut suam ipse potentiam exuat, ut liberos Pompeij ne persequatur, sint ne bonus qui hæc consulã etiam honesta? minime. multa .n. per se honesta sunt, & officio nõ congruunt. Officiũ autem suadentis est eius cui suademus, utilitatem tueri. At recta sunt illa, quæ suadendo uir bonus esse non desineres. uerum, inquit, in se si æstimes, recta sunt, sed in suadendo, utilitatis semper, honestatis non usque habetur ratio. Hactenus Cicero, qui citra integumenta audacter fatetur etiam parũ honesta à uiro officioso posse dari consilia At quæstio altior est, ad artificis mores pertinet in uniuersum. Ideo primo capite ultimi libri copiose tractat, ubi dicet in re mala per se officium tamen constare posse, ut, nocentem uis eripere, malum, est enim contra iustitiam. at incurret caussa in qua id si facias, ab officio non declinaueris. Interim non uult Fabius aliquid fieri turpiter, id est turpia indecore fieri, ut turpe sit quod facis, prætextum honestatis quære. Et hæc, inquit, in scholis tantum nunc exerceri uolo, ubi minus lædunt ficta, & uel iniqua tueri debemus consulendo, ut æqua oratore animo tueamur, ut qui hostium armis assuescit uti, facilius illa defugiat & eludat. Interim hoc præcipit, ut quantumuis sit turpe quod consulis, non sit caussa consulendi turpitudo, sed inuolucrũ aliquod honesti obtendatur: ut si Sex. Pompeio, qui ex clade Hispaniensi super fuit, ut classem armet, & commeatum intercipiat populi, & piraticam exerceat, suasurus sis, non turpitudine impelles, sed ducem illum maritimum præfici oportere classi suadebis. Patrem, quem ille Neptunum iactabat, fauturum, iusto bello afflicturum Cæsarem, & Pompeij mortem fratrisq; uindicaturum hic colorem habeat, id est speciem honestatis aliquam. Hic postea uictus fuit ductu Agrippæ, auspiciisque Augusti Horatius, Vt nuper actus cum freto Neptunius Dux fugit ustis nauibus Minatus urbi uincla quæ detraxerat Seruis amicus perfidis. Nec turpitudo uelanda est apud bonos modo uerum & apud malos, Nam & mali, tales nolunt uideri, sed specie bonorum animis simplicium illudere. Sic Catilina apud Sallustium loquitur in

hunc modum, Quæ quousque tandem patiemini uiri fortissimi? Nonne emori per uirtutem præstat, quàm uitam miseram atq; inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueritis, per dedecus amittere? Sic Atreus apud Varium tragœdiarum scriptorem, de quo Horatius, Scriberis Vario & in Sermonibus, Plotius & uarius Sinuessæ, Virgiliusq; Occurrunt, Parabat, inquam, Atreus ulcisci Thyestis in uxorem suam contumeliam, & illi reuerso filios epulandos apponere, turpe facinus, & uere tragicum. dat cōsilium, infandissima, inquit, & fero animo, & cogor facere ad uindicandum Thyestis probrum. de his epulis inquit Horatius, Indignatur enim priuatis ac prope socco Dignis carminibus narrari cœna Thyestis. Quod si improbi hanc curam habent famæ, quanto magis hic ambitus, id est stolida & ambitiosa boni nominis in specie captatio, apud bonos seruanda est? sic in quarto ambitum uocat iudicum. Est, inquit, nonnunquam prauis iudicibus hic ambitus. & libro ultimo, Summouendum est utrunque genus ambitus. Hinc ambitiosum gratiæ aucupatorem. Cicero pro Muræna, Quantum nec ambitiosus imperator, & ambitio obsequium gloriosum significat. Tranquillus, Nullo officii ut ambitionis genere omisso. Annotat & explicat pulchre Budæus in Pandectas. Ergo si Ciceroni, constituto triumuiratu, Antonii denunciationem reformidanti dabimus consilium ut exustis Philippicis ab Antonio uitam redimat, in re turpi, & Cicerone indigna, non utemur turpi argumento, nempe desiderio uitæ, cuius ille sapientem prodigum prope esse debere toties dixerat. Nam si ob eam rem facit, certe ut non utaris hoc argumento, te tamen tacente ualebit, sed utemur hoc colore, uitam non illum sibi, sed patriæ redimere, nec illam illi mortem miseram, ut sapienti, nec immaturam, ut consulari & seni, sed immaturam patriæ ciuibusque Romanis futuram. hac opus erit occasione, hoc inquam turpitudinis integumento, ut Antonium roget, & uiuere non erubescat. Thema est scholasticum, in quod Seneca declamatorum dicta congessit libro primo declamationum suasoriarum. Et si C. Cæsari suadeamus ut rex salutetur, quod ille in Lupercalibus tantopere est auersatus offerente diadema Antonio, colorem aliquem dabimus, ut libertatem salutemque ciuitatis, cuius discordiæ ciuilesque perturbationes sedari non possent, nisi adempta potestate populo, eius in unum meræ potestatis regem potestas transferatur, qualis fuit disputatio Cratippi cum Pompeio. ibi eliciebat fatale prope esse ut res ad unius potentiam deuolueretur. Plutarchus in Pompeio, τὸν δ' ἀποφαίνεσθαι ὅτι τοῖς πράγμασιν ἤδη μοναρχίας δέῃ διὰ τὴν κακοπολιτείαν. Nam qui deliberat de re nefaria, non desiderat nisi prætextum occasionemque aliquam qua uideatur minime peccare, ut Cæsar arma patriæ iamdudum inferre cogitans, ansam arripuit ab eiectis tribunis sublata intercessione, quas iniurias armis æquum putabat ulcisci.

De persona suadendis.

Multum autem refert quæ sit personis suadentis.] Ea tribus hoc tertium superest, ut quæ sint in suasore obseruanda, præscribat. In illo excitanda est animaduersio uitæ, generis, fortunæ, ætatis. Nam & uita illustris, & splendida fortuna, & generis nobilitas, & senectus, consilii desiderant grauem quandam authoritatem, afferuntque expectationem, at his contraris, ut iuuentus, tenuis fortuna, obscurum genus uita non inculpata, modum postulant submissiorem, id est, minorem in dando consilio fiduciam atque authoritatem præ se ferre debent. In summa, cauendū ne à moribus conditioneque dicentis discrepet oratio. Etenim quod in uiro graui honestæ haberet libertatis uocem, in obscuro & parum nobili licentiæ insaniæq; speciem præ se ferret, & in liberis dictis illustres uiri authoritate sunt tuti. tenues, quacunque se ratione tueantur, in periculo sunt.

De Prosopopœia.

Prosopopœia confirmatio dicitur ab authore ad Herennium lib. 4. Ea si in una quapiam orationis parte fit, figuræ nomen sortitur sin per totam diffunditur orationem, quam sub aliena ipsi persona habeamus, in figuræ non cadit appellationem Nunc autem prosopopœia dicitur suasio quam ipsi conficimus, nō ex nostra, sed ex alterius cuiuspiam persona. Fit autem sæpius ot in hoc genere quàm in alio quouis ita ponantur in scholis themata, ut alienam ipsi personam induamus, Sunt autē prosopopœiæ difficiliores quàm simplices suasoriæ: quia præterquam quòd est omnino eisdem locis utendum, sustinēda est & cū labore agenda aliena persona: cuius partes perferre difficiliū est multo. Nam ut unum idem fit deliberandi argumentum, aliter tamē si Cæsaris, aliter si Catonis aliter si Ciceronis sustinebimus personā, suadere oportebit. Posuit antē hos tres, quòd de supplicio coniuratorum sententia Ciceronis est in orationibus, Cæsaris & Catonis apud Sallustium in Catilinæ coniuratione. Suasorias id genus à difficultate & utilitate commendat. Duplex habent opus unum commune cum cæteris suasionibus, aliud, quòd personæ quam tu tibi imposueris, est seruiendum. ita est quædam maior difficultas, usus item latior. nam & poetæ dramatici in hac re sont toti, & Epici personarum inducunt orationes, & ita loquuntur, ac si illas ipsas personas ferrent. Historici item concionibus utuntur crebris, ubi alienæ personæ subeunt uicem. Trogus tamen authore Iustino id genus conciones rectas in historicis non probauit. Oratores denique non in scholis modò, sed & in negocio hac egent exercitatione. Lex erat Athenis, ne quis oratorem adhiberet dolum nectebant legi. emebant orationes, & illas ubi edidicerant, in foro pronunciabant. Romæ nulla lex uetabat. plerique tamen ut accuratius dicere uiderentur, scriptas ab alijs orationes accipiebant. Orator igitur qui alij orationem scribit, non suæ personæ, sed eius cui scribit, rationem habere debet. Ne longius abeas, Cicero conciones cum dabat exscriptas Pompeio Domitio qui in acie Pharsalica obiit, C. Appio, quicum postea simultates habuit, non utique in suum respiciebat ingenium, sed ingenio, moribus, rebus gestis aliorum orationes aptabat, ut quanquam exculta dictio supra illorum consuetudinem esse, tamen pulchre eorum moribus responderet oratio, ut ipsi quidem melius propter sermonis elegantiam, ipsi tamen propter morum expressam effigiem dicere uiderentur. Et cum duo sint quibus debet conuenire oratio, non minus peccat si rem non attingit, quàm si à decoro personæ recedit. Et hoc in Lysia maxime commendatur, seruauit fidem ueritatis, personis his quibus scribebat, accommodabat uerba tam apta, ut non subolfaceres ab alio scriptam orationem. Quantus usus prosopopœiæ est ad scholasticas puerorum exercitationes in genere etiam iudiciali, qui cum defendere aliquem iuberentur, non illum quasi reum ipsi ut patroni tuebantur, sed rei suscipiebant periculum, & personam, & modò filiorum contra patres, modò patrum contra filios: modò diuitum ipsi agunt caussam, modò senum, & illorum prout asperi uel lenes fuisse dicuntur, uel auari, uel timidi, uel morosi, uel dicacitate senili. Tot, inquit, effingendi sunt affectus declamatoribus, ut histrionibus plures non sint agitandi gestus. Quæ quia in effingenda aliena persona posita sunt, prosopopœiæ subijci possunt. At uerò prosopopœiæ suasoriis comprehenduntur, quia sola distant persona, in suasoria sub nostra persona suademus, in prosopopœia idē facimus sub aliena. Latius tamen patent prosopopœiæ. nam & controuersiæ, id est caussæ iudiciales sub aliena persona tractantur, continenturque nominibus agentium, id est aguntur sub eorum personis quorum res est, ut si Horatium inducas se defendentem, aut Vlyssem se de morte Aiacis purgantem. Sunt etiam quædam prosopopœiæ, quæ nullius certi generis formam præ se ferunt, sed exercendi styli gratia sæpe ponuntur, ut uerba Syllæ dictaturam ponentis. is cum hastam uibrasset, illi bona ciuiū subiecisset, proscripsisset plurimos, tantum tribuit suæ felicitati, ut pro concione dictaturam deposuerit, pari cum cæteris iure uixerit, petulantius uerò à iuuene acceptus, prædixerit, si cui in bonos contigisset, illum non nisi cum uita relicturum. Vide Plutarchum in Sylla. Iuuenalis? Et nos Consilium dedimus Syllæ priuatus ut altum Dormiret. Vt uerba Priami, quæ sunt apud Homerum libro Iliados ω.

Μνῆσαι πατρὸς σοῖο θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ
Τηλίκου, ὥσπερ ἐγών, ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ.
Καὶ μέν που κεῖνον περιναιέται ἀμφὶς ἐόντες
Τείρουσ' οὐδέ τίς ἐστιν ἀρὴν καὶ λοιγὸν ἀμῦναι.

& ad ultimum.

ὃς δέ μοι οἶος ἔην, εἴρυτο δὲ ἄστυ καὶ αὐτούς,
Τὸν σὺ πρῴην κτεῖνας ἀμυνόμενον περὶ πάτρης
Ἕκτορα, τοῦ νῦν εἵνεχ' ἱκάνω νῆας Ἀχαιῶν,

Hæc & similia ut ad nullum certum genus per se uidentur referri, tamen ueniunt in partem illorum trium, aliquo eorū contineri necesse est, eo modo quo diximus quarto cap. huc. n. quædam, ut ibi docuimus, communia, quæ pro ratione materiæ in qua sunt, ita uel ad hoc uel ad illud genus pertinent, ut rogatā caussam reddere, quæ & in iudicio, & in quocunq; genere uersari possunt. Hæc quæ hactenus dicta sunt, de ea accipi prosopopœia est necesse, qua per totam orationem alienæ personæ uicem defendimus. nunc particularem prosopopœiam, quam personæ substitutionem uocat, monet in quocunq; genere esse frequentem Cicero in Catilinam Etenim si patria ita mecum loquatur, Quid agis Marce Tulli? Pro Plancio populus inducitur cum Laterensi disputans de iure suo. Ita pro Cælio, quò liberius de Clodiæ amoribus loqueretur, Appium illū cæcum excitauit ab inferis, & huiusmodi castigatoriā orationem dedit Quid tibi, inquit, cū Cælio? quid cū homine adolescentulo? quid cum

alieno? cur aut fuisti tam familiaris, ut aurum commodares? aut tam inimica, ut uenenum timeres? &c. Ita inductus est Appius in amorum castigationem. At frater Clodius pusio, qui germanus cum sorore cubitabat, à Cicerone est compositus & fictus ad rationem amorum. Nec enim amores castigat, sed quo modo tractari debeant, edocet, in hunc modum. Quid tumultuaris soror? quid insanis? quid clamore exorsa, uerbis paruam rem magnam facis? Vicinum adolescentulum aspexisti, illum deuinctum habere non potes. calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti. confer te aliò. habes ortos ad Tyberim, quo omnis iuuentus natandi caussa uenit. hinc licet conditiones quotidie legas. Vnde colligis ita legi debere in Fabio, ut in amorum rationem compositum intelligamus. Sunt aliæ consultationes, quæ duobus generibus constant, iudiciali, & suasorio, & ideo illas ait similes controuersiis iudicialibusque caussis, ut si consultetur de pœna Theodoti, qui in consilium adhibitus, quia Ptolemæi magister erat, censuit interficiendum Pompeium, quia repulsus receptusque semper bellum esset allaturus, adiiciens id genus scomma, homo mortuus non mordet. Plutarchus, προσεπεῖπε δὲ διαμειδιάσας, ὡς φασιν ὅτι νεκρὸς οὐ δάκνει. Ergo Cæsar ubi eius consilio necem perpetratã cognouisset, de illo plectendo cogitasse dicitur. Hic qui suadebit puniendum, eius consilium accusabit: qui parcendum, defendet. & eatenus litis iudicialis imago quædam subest. Accedit forma suasionis, quæritur sit ne utilis Cæsari animaduersio, an id fecerit Cæsari gratificans, an utilius Cæsaris rationibus fuerit, quàm recipi, ut bellum denuo appararet. An Ptolomæus in ultionem magistri, & depulsionem dominatus sit bellum illaturus, an ea res hoc tempore sit futura incommoda. Adde honestatis disputationem, an honestum sit Cæsari mortem Pompeii uindicare, & per hoc fateri illum uirum bonum, seque nefarium, qui sit bello persecutus. Cæterum partes in ciuili dissensione optimorum ciuium dicuntur. Lucanus, Partesque in bella togatæ. Suetonius, Studio partium fecit Subinde Cicero ad Atticum. Porrò Theodotum Cæsar non puniuit, ut qui fuga sibi antea cõsuluisset. Hunc deprehendit Brutus, & in Asia prætor interfecit. Plutarchus in Bruto. ὀλίγῳ δὲ ὕστερον ἐπελθόντος καίσαρος οἱ μὲν δίκας τινόντες ἀπώλλυντο κακοὶ κακῶς· Θεόδοτος δὲ παρὰ τύχης πρόσω χρόνου ἄδοξον καὶ ἄπορον καὶ πλανώμενον βίον ἐπιδιανυσάμενος, τότε Βρούτῳ ὑπέπεσε τὴν Ἀσίαν ἐπελθόντι, ἀλλ' ἀναχθεὶς καὶ κολασθεὶς ὄνομα τοῦ θανάτου πλέον ἔσχεν ἢ τοῦ βίου. Nihil autem prohibet esse quasdam ueras consultationes ad utrunque genus uergentes.

Non simplex autem error.] Commodum post inuentionem collocationemque huius generis, de eiusdem elocatione præcipit. Nam etsi elocutionis in uniuersum præcepta suo loco est redditurus, tamen nihil obest de singulorum generum dictione seorsum quædam admoneri. Ait ergo non simplicem esse in hoc genere errorem declamatorum, dictionem & loquendi formam omnino putantium cõtrariam stylo generis iudicialis. Ibi enim principia modesta & temperata, hic exordia abrupta, & unde sors dedit incipientia esse uoluerunt. ibi orationem facilem cum docet, acutam cum colligit, acrem dum insectatur, uehementem dum impellit, concitatam dum accendit. hic per totam orationem fulminare uolunt suasorem, & torrentis hyberni more, qui pontes negligat supraque ripas effundatur, ferri turbide, uibrare amentatas concitatasque sententias, & quasi elata manu luculente dissuadentes calefacere dicendo. Ibi rursum sobriam quandam elegantiam, hic effusiorem cultum, id est ornatum expressum, & magna morosaque affectatione conquisitum. & harum suasoriarum facere uoluerunt breuiores commentarios. Quod bifariam potes accipere, aut quòd de suasorijs pauciora conscripserint præcepta, quia non tam arte constantem, quàm impetu emissam uolebant esse dictionem. aut ut alludat ad morem scholarum, cuius ipse & 2 & 12 libro apertius meminit. Solebant declamatores ex alienis declamationibus uel ex orationibus actorum ea se ponere, & in commentarium referre, quibus uti se posse conijciebant, & plerique habebant tam controuersiarũ quàm suasionũ ab aliis scriptarum commentarios, ut in deuiderent qua partitione utendum, quo colore, quibus sententiis, quo genere dictionis. quod in libris declamationum apud Senecam licet perspicere. Sit ergo sensus, declamatores minus accurate huius generis fecisse commentarios, quia crederent ita cuique agendum, ut calor ille & mentis acrimonia subiecisset. Fabius procemio tam accurato in deliberationibus priuatis præsertim aut in senatu loco sententiæ habitis non putat esse opus, quia, ut dixit, paratus quisque est audire id de quo consuluit. In illis tamen in quibus suapte sponte & audiunt, & animo sequuntur auditores, non est abrupte more satyrographorum initio exclamandum, nec, ut inuehendo fieri solet, ab ira erumpendum, cum senator referente consule sententiam rogatus non quiritet, & quasi opem imploret uociferetur, sed ingressu, & ad fauorem composito initio uelit mereri deliberantia assensum, in suam quam dixit sententiam alios cupiat discessionem facere. Porrò quiritare est deos hominesque implorando contestari, quod Græci διαμαρτυρεῖν, aut potius σχετλιάζειν καὶ ποτνιᾶσθαι, quo utitur Plutarchus in Cæsare de Calfurnia somnio expergefacta. notat Budæus in commentariis utraque uoce efferri. de eodem uerbo Nonius Marcellus, quiritare est clamare, tractum ab iis qui quirites inuocant. Lucilius, Claraque quiritans & ut ego puto, quemadmodum Liuius in primo reges in titais implorari solitos ait, ita translata ad populum potestate, quibus iniuria fiebat, quiritabant, id est quiritium implorabãt fidem. Sed nimis multa de uerbo. Quod si, inquit, consilia minime turbulenta, sed moderata esse debeant, dictio illa concitata, & in torrentis effusa morem, conuenire saltem ubique non potest, esto in cohortationibus plus habeat loci. Et uerum quidem est impetum illum concitatæ dictionis subsidere, id est in genere iudiciali in exordio, quod lene, narratione, quæ perspicua & fluens: confirmatione, quæ subtilis esse debet, minorem esse dicendi acrimoniam. Si tamen habere uis id genus quo suasoriæ tractantur, exime illum concitatum impetum, manebit oratio uehemens illa quidem, sed non impetuosa. Talis est suasoriarum dictio Adde quòd acrimonia quæ remoto impetu superest, ut si fluuium non torrentem, sed rapidum fluentemque celeriter intra ripas contempleris: æqualis esse debet, & uno eodemque perpetuo quasi tramite decurrere, non autem turbida, ut lutulenta fluat, & impetu secum deuoluat omnia. Et de genere dicendi hactenus. Verborum magnificentia, quæ à Theophrasto τῆς λέξεως μεγαλοπρέπεια dicitur. splendorem significat, & illustrem uerborum dictionem. Illa danti consilium non magnopere appetenda est, magis tamen contingit propter materiæ quæ sæpe in consilium uenit, grauitatem. Vt de ueris consiliis taceam, certè qui declamant suasorias, id est themata suasorii generis scribunt ad exercitationem, personas ipsi subeunt regũ, ut Philippi ad Athenienses, senatus, populi. Item captant grauissimas deliberationes, ut de uita, de pace, bello, regni prouinciæque terminis. in eiusmodi rebus ut tantum quæras quantum decoro sufficit, certè uerba si rebus personisque apta, splendorem adhiberi est necesse, quia uerba ferè subsequuntur materiæ quæ fingitur, nitorem & grauitatem In ueris consiliis quæ negocii caussa instruuntur & habentur, longè plus est ponderis in sentiendo, quàm nitoris splendorisque in loquendo, etsi nihil uetat quo minus una eademque opera & consulat quis optime, & loquatur disertissime. qua de re affert Theophrasti Aristotelisq; sententiam. Theophrastus hoc genus συμβουλευτικὸν ab omni affectatione, id est splẽdidiore ornatu remotum esse dixit, Aristotelem secutus præceptorem, à quo alioqui interdũ dissentit. Eius hæc sunt uerba ea pertinentia, καὶ ἥττων ἐστὶ κακοῦργον ἡ δημηγορία τῆς δικανικῆς, ἀλλὰ κοινότερον ἐν τοῖς δικανικοῖς οὐχ ἱκανὸν τοῦτο, ἀλλὰ πρὸ ἔργου ἐστὶν ἀναλαβεῖν τὸν ἀκροατήν. aptissimam putauit ad ostentationem eloquentiæ Aristotelis demonstratiuam, proximamque iudicialem, quòd artis nõ minus indigeret, etiamsi non illam ostentaret. Nam ita poscente utilitate caussæ, falli sæpe iudicem utile est. Dolus autem strui nisi dicendi artificio non potest, ut Cicero pro Cluentio se tenebras iudicibus offudisse est gloriatus. Consilia constant fide, & ideo non oportet uerborum lenociniis aut detinere auditorem, aut præter rem fallere. Hæc est Aristotelis opinio, quam partim sequitur Fabius, partim refellit Demonstratiua est eloquentiæ capacissima, licet ibi eloquentiæ omnes sinus, omnia uela explicare, omnia lumina rerum uerborumque admiscere, omnẽ uerborum sententiarumq; sanctiorem thesaurum effundere. Quod ad duo reliqua genera attinet, nihil certi potest constitui, aptanda est materiæ figura dicendi, & pro argumento narianda. Orationes quas in Philippũ scripsit Demosthenes, eminent eisdem uirtutibus, & tam expressam habent eloquentiam, quàm eiusdem forenses iudicialesque orationes. Ciceronis sententiæ in senatu dictę, ut in Antonium & Catilinam, conciones item habitæ ad populũ, ut pro lege Manilia, in Rullum, non minus habent eloquentiæ, quàm defensiones accusationesq; eiusdem Vnde colligas non ita neglectum esse genus dicendi in suasoriis, quin ad lumen eloquẽtiæ sæpe assurgat, si id rei de qua habetur consilium, requirit grauitas. De genere tamen dicendi in suasoriis uerba Ciceronis adscribit ad hunc modum, Principia autem in sententiis dicendis breuia esse debebunt. Non enim supplex ut ad iudicem uenit orator, sed hortator atque author. quare proponere qua mente dicat, quid uelit, quibus de rebus dicturus sit, debet hortarique ad se breuiter dicentem audiendum. Tota autem oratio simplex, & grauis, &

sententiis debet esse ornatior quàm uerbis. Quæ ideo latius ad scripsimus, ut de principiis quam antea attigimus Ciceronis sententiam planiorem faceremus. Vult esse orationem simplicem, sine pigmentis, sine fuco, naturaliter decoram, matronæ honestæ exemplo. Non uult in consulendo Isocratis myrothecium consumi, & eius discipulorum arculas exacuti, ut idem ad Atticum ait libro secundo. Vult esse grauem, quæ pondere magis impellat, & statario gressu, quam ut more militum leuis armaturæ obequitet & obseruetur. Vult esse grauiorem sententiis quàm uerbis, ut plus in rebus consilii quàm in ornatu ponamus.

Vsum exemplorum] De locis perorationis separatim nihil meminit, cum de tribus partibus, exordio, narratione, confirmatione luculente scripserit, puto factum, quód peroramus in hoc genere per ardentem quandam & concitatam cohortationem, ad quam multum quidem afferunt mouentes exempla, de quorum usu in hunc modum præcipit, Nullum est genus cui plus subseruiant exempla quod omnes propemodum artis scriptores fatentur. Aristoteles primo rhetorices, ἀπεδείκνυ, ὅτι πρὸς μὲν τὴν νομοθεσίαν αἱ τῆς γῆς περίοδοι χρήσιμαι, ἐντεῦθεν γὰρ λαβεῖν ἐστὶ τοὺς τῶν ἐθνῶν νόμους: πρὸς δὲ τὰς πολιτικὰς συμβουλὰς αἱ τῶν περὶ τὰς πράξεις γραφόντων ἱστορίαι. Cicero, quod ante retuli, ualere in hoc genera exempla ubique docet, Fabius ratione confirmat. Etenim exempla, rerumque gestarum commemorationes specimen habent rerum futurarum, quia partibus ex caussis paria ferme eueniunt. ita exemplum quod experimenti est uice, rationis est quoddam testimonium, per quod fidem accipit prouidentia, ciuilisq; solertia Nomine uero exemplorum tam late nunc quàm in quinto utitur, ut fabulosa, imparia, similia, collationes, imagines, similitudines etiam complectamur, esto exempli proprius intellectus in rei commemoratione consistat.

Breuitas quoque ac copia] Solet Fabius explicata summa rei cætera diligenter complecti quæ in eam rem possunt incidere. ita præceptis huius generis omnibus breuiter expositis, de copia breuitateque consultationum ait, in hanc sententiam, Breuitas & copia non æstimari debent genere materiæ, ut uni generi caussarum, nempe deliberatiuo, demus breuitatem, alteri copiam, nempe iudiciali: sed modo, idest conditione argumenti sine delectu generis. ita quodcunque tractes genus caussæ, non pro illius, sed pro materiæ quam tractas ratione obseruanda est uel breuitas, uel copia. Nam ut in consiliis quæstio facilior est, & minus inuoluta, grauis est & aliquanto plura desiderat, paucis tamen absolui potest, ita in caussis forensibus quæstio est minor, id est leuior, quæ utique non morosam dicentis curam requirat. proinde compendio erit sublinienda, ut breuitatis copiæque modus non alius esse debeat quàm argumenti quo de agitur, natura. In utra uero magis dominetur eloquentia, breuiloquentia, an dicendi ubertate, disputat Plinius maioris ex sorore nepos libro primo epistolarum. Reliqua ad finem usque commendationem habent præceptorum, & iuuenum admonitiones: in quibus quia non uideo ubi uel rudis possit hæsitare, illa enarrare nolui.

IN IIS quæ sequuntur, cogitandi ordinem scribendique seruauit. Nam ut primum est in cogitando intueri quod sit caussæ genus, ita ut id facilius assequamur, genus iudiciale in suas species diuidit. Non enim sufficit nosse in genere iudiciali caussam uersari, nisi ulterius pergas, & in qua eius generis parte uersetur, intelligas. Eius itaque generis prima hæc est diuisio. Caussarum aliæ sunt simplices, aliæ coniunctæ. Simplex est caussa, in qua una tantum est quæ dominetur quæstio, ut si aliquem aut furti, aut adulterii facias reum. Coniuncta, in qua plures, eæque præcipue uersantur quæstiones, siue ad idé genus pertineant, siue ad diuersum, ut si accuses Verrem, quòd & prætor multa per uim rapuerit, & Siciliam prouinciam compilarit, diuersæ sunt quæstiones, eiusdem tamen generis. Crimine enim repetundarum continentur. Interim diuersæ ita sunt, ut uno proximo genere non includantur, ut si eundem & homicidii accusares, quòd hominem interfecerit, & sacrilegii, qualis Petilli fuit caussa. quod in publicis iudiciis negat posse accidere, de quibus Iustinianus in quarto libro institutionem ait in hunc modum, Publica iudicia in neque per actiones ordinantur, nec omnino quicquam habent simile cum cæteris iudiciis de quibus locuti sumus, magnaque diuersitas huius est & in instituendo, & in exercendo. Publica abs dicta sunt, quod uni cuiuis ex populo ius est accusandi, quales accusatiuncules iuuenes cum laude adornabant. In his prætor sortitur certa lege, id est ex formula legis cogit iudices in consilium certo numero. Prætor album habebat, in quo erant omnium eorum scripta nomina, qui pro ordine decuriæ iudicandi munus debebant obire. Ergo constituto actore, prætor ad tetrum itaquinque sorte deligabat, quorum calculis in urnam coniectis uel absolueret, uel condemnaret. De sortitione & sub sortitione uide Asconium, de numero iudicum, & ferendæ sententiæ ratione uide reliquas annotationes in Pandectas. Prætor autem qui in publicis iudiciis quæsitor uocatur, non nisi de criminibus unius legis ui comprehensis uno iudicio poterat pronunciare, & ita publica iudicia nunquam diuersi generis coniunctam habent caussam. At ea iudicia quibus uel populus præest, uel princeps legibus solutus, actionem diuersorum criminum admittunt, de quibus illi est integrum una cognitione ferre sententiam. Priuata iudicia dicuntur, in quibus uni iudici delegata est à Prætore cura, quale iudicium erat quo acta est caussa Quinti. Talia sunt iudicia recuperatoria. Adde quód centumuiralia hoc capite priuatorum iudiciorum continentur, quæ in quatuor erant distributa consilia basilicis discreta. illis quoque suus aderat Prætor, qui posita hasta iudicium moderabatur. Plura Plinius in epistolis, ubi centum octoginta iudices fuisse scribit, cum initio essent centum quinque, & faciliore numero centumuirale forum diceretur. Quæ caussæ illuc pertinerent, scribit Cicero primo libro de oratore. In priuatis & ergo iudiciis unus iudex de diuersarum legum actionibus potest cognoscere & iudicare, non aliter quam in principum populique cognitione fieri solet. Quòd si plures eandem rem petunt, si eodem nituntur iure, caussa nihilominus erit simplex, siue unus à duobus, siue duo ab uno, siue plures à pluribus lege petant. Multitudo enim personarum utentium eodem iure, non nisi unam infert quæstionem: qualis sæpe esse solet in litibus hæreditariis, quibus de adeunda hæreditate plures contendunt. Quod si diuerso iure sibi rem uendicarent, aut ita essent dispares personæ, ut idem ius re ipsa, personis tamen adiunctum uariaret, quæstionem, tum ea caussa non amplius una, sed coniuncta diceretur. Sit igitur hæc prima iudicialium caussarum partitio, ut aliæ simplices appellentur, aliæ coniunctæ, qua de re Cicero in hunc modum scribit, Simplex est quæ absolutam in se continet quæstionem, ut Corinthiis indicamus bellum, an non. Coniuncta, quæ ex pluribus quæstionibus, in qua plura quæruntur. Utrum Carthago diruatur, an Carthaginensibus reddatur, an eò colonia deducatur. Ex comparatione, in qua utrum potius, aut quid potissimum, per contentionem quæritur. De hoc genere quæstionum quas Cicero sub coniunctis comprehendit, Fabius sic ait, Aliæ sunt caussæ quas comparatiuas meritò uocaueris. In illis enim personæ ueniunt in contentionem, & de illarum dignitate certatur, quale genus nudum uix unquam tractatur, aliis quæstionibus non raró admiscetur, ut cum apud Centumuiros post alias quæstiones de iure tractatas uocamus in æstimationem personas litigatorem, & digniorem ostendimus eum cuius ipsi caussam agimus. At ut cardo iudicii uertatur in cõparatione, & penes illam summa rei uersetur, rarum est, fit tamen. aliquando ut præcipua pars iudicii comparatione transigatur. In eo genere sunt diuinationes, id est iudicia in quibus plures contendunt cui deferatur accusatio. De diuinatione sic habet Asconius, Diuinatio dicitur, quia non de facto quæritur hac coniectura, sed de futuro, quæ est, diuinatio. Alii ideo putant diuinationem dici, quod iniurati iudices in hac caussa sedeant, & quòd uelut præsentire de utroque possint. Alij quod res agatur sine testibus, & sine tabulis, & his remotis argumenta sola sequantur iudices, & quasi diuinent. Plura Gellius libro secundo cap. quarto quæ prolixius dicũtur, quàm ut adscribi debeant. Comparatione quoque certant delatores, tyrannidis administri pessimi, ut ait Tacitus. Quartum genus forensium caussarum in mutua accusatione uersatur, quæ ἀντικατηγορία appellatur. Alij tamen hic quoque subesse comparationem existimant. Cum enim idem sibi crimen uicissim obiiciunt, comparatione personarum absoluitur in utrum tandem litigantium uero similius cadat. Nec secus quàm ἀντικατηγορία dicitur in rebus capitalibus, ita plane cum uicissim diuersi à se petunt aliquid, simile genus caussæ diuersa appellatio est. Quòd si putaris eadem appellatione comprehendi debere, duplex erit tam in capitalibus quàm in ciuilibus rebus ἀντικατηγορία. Interim eiusdem criminis se ambo faciunt reos, ut Aeschines & Demosthenes se mutuò accusant παραπρεσβείας. Interim mutuam sibi quidem actionem denunciant, sed diuersorum criminum, ut alter alium homicidii, alter inuicem insimulet sacrilegii. Ita mutuæ petitionis erunt duæ species. Aliquando duo idem à se repetunt, aliquando petunt quidem uicissim, sed aliud atque aliud. At cum genus caussæ in comparato fuerit, intuendi erunt status, si non linea tam recte tensa, at certe radius, ut quatuor initio facilitatis caussa percurramus.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Genus caussæ & statum inuenienda præcepit, nunc ut omne dubium discutiat circa hunc, Hermogoræ & quorundam aliorum affectatam subtilitatem, & in particulas minutas concisam, reprehendit: qui quæstionem rationem, continens seu firmamentum & iudicationem, diuersas ante statum particulas statuebant. ostendit quid extra in acta quæstio significet, & duplicem eius in iudiciis acceptionem, tum quid per reliqua quæ statum præcedunt, significari authores uelint. Verusque multo & simplicius locutos affirmat, qui illa omnia idem esse uoluerunt, cum absurdissimum uideatur, corpus orationis in parua momenta & minutas partes concidendo consumere, quorum cognitio superuacua futura sit, si quid in controuersiam ueniat, quid in eo & per quid uelit efficere aduersarius, quidque nos, fuerimus diligenter intuiti.

Quid sit quæstio, ratio, iudicatio, continens, & quatenns necessaria. Cap. XI.



I s inuentis, intuendum deinceps Hermagoræ uidetur, quid sit quæstio, ratio, iudicatio, continens, id est συνέχον, uel ut alij uocant, firmamentum. Quæstio latius intelligitur omnis de qua in utranq; partem uel in plures dici credibiliter potest. In iudiciali autem materia dupliciter accipienda est. Altero modo, quo dicimus multas quæstiones habere controuersiam, quo etiam minores omnes complectimur: Altero, quo significamus summam illam in qua caussa uertitur. de hac nunc loquor, ex qua nascitur status, an factum sit, quid factũ sit, an rectè factum sit. Has Hermagoras & apollodorus & alij plurium scriptores propriè quæstiones uocant: Theodorus (ut dixi) capita generalia: sicut illas minores, aut ex illis pendentes, specialia. Nam & quæstionem ex quæstione nasci, & speciem in species diuidi conuenit. Hanc igitur quæstionem ueluti principalẽ uocant ζήτημα. Ratio autem est qua id quod factum esse constat, defenditur. Et cur non utamur eodem, quo sunt usi ferè omnes, exemplo? Orestes matrem occidit. hoc constat. dicit se iustè fecisse. status erit qualitatis, quæstio, an iustè fecerit. ratio, quòd Clytæmnestra maritum suum patrem Orestis occidit, hoc αἴτιον dicitur. κρινόμενον autem iudicatio, an oportuerit uel nocentem matrem à filio occidi. Quidam diuiserunt αἴτιον & αἰτίαν, ut esset altera, propter quam iudiciũ constitutum est, ut occisa Clytæmnestra: altera, qua factum defenditur, ut occisus Agamemnon. Sed tanta est circa uerba dissensio, ut alij αἰτίαν caussam iudicij, αἴτιον autem facti uocent: alij eadem in contrarium uertant. Latinorum quidam hæc initium & rationem uocauerunt: quidam utrunq; eodem nomine appellant. Caussa quoque ex caussa, id est αἴτιον ἐξ αἰτίου nasci uidetur: quale est, Occidit Agamemnonem Clytæmnestra, quia ille filiam communem immolauerat, & captiuam pellicem adducebat. Iidem putant & sub una quæstione plures esse rationes: ut si Orestes & alteram afferat matris necatæ caussam, quod responsis sit impulsus. Quot autem caussas faciendi, totidẽ iudicationes. Nam & hæc erit iudicatio, an respõsis parêre debuerit. Sed & una caussa plures habere quæstiones & iudicationes (ut ego arbitror) potest: ut in eo qui cum adulteram deprehensam occidisset, adulterum, qui tum effugerat, postea in foro occidit. Caussa enim est una, adulter fuit: quæstiones & iudicationes, an illo tempore, an illo loco licuerit occidere. Sed sicut cum sint plures quæstiones, omnesque suos status habeant, caussæ tamen status unus sit, ad quem referuntur omnia: ita iudicatio maximè propria, de qua pronunciatur. Συνέχον autem (quod, ut dixi, continens alij, firmamentum alij putant, Cicero firmissimam argumentationem defensoris, & * appositissimam ad iudicationem) quibusdam id uidetur esse, post quod nihil quæritur: quibusdam in quod ad iudicationem firmissimum affertur. Caussa facti non in omnes controuersias cadit. Nam quæ fuerit caussa faciendi, ubi factum negatur? At ubi caussa tractatur, negant eodem loco esse iudicationem, quo quæstionem. Idque & in Rhetoricis Cicero & in Partitionibus dicit. Nam in coniectura est quæstio ex illo, factum, non factum, an factum sit. Ibi ergo iudicatio, ubi quæstio: quia in eadem re prima quæstio, & extrema disceptatio. At in qualitate, Matrem Orestes occidit, rectè, non rectè, an rectè occiderit, quæstio, nec statim iudicatio. Quando ergo? Illa patrem meum occiderat. Sed non ideo tu matrem debuisti occidere. an debuerit, hic iudicatio. Firmamentum autem uerbis ipsius ponam, Si uelit Orestes dicere eiusmodi animum matris suæ in patrem suum, in seipsum ac sorores, in regnum, in famam generis ac familiæ, ut meritò ab ea pœnas liberi sui potissimum petere debuerint. Vtuntur alij & talibus exemplis, Qui bona paterna consumpserit, ne concionetur. in opera publica consumpsit. quæstio, an quisquis consumpserit, prohibendus sit: iudicatio, an qui sic. Vel ut in caussa militis * Mariani qui C. Lusium Tribunum uim sibi inferentem interfecit, quæstio, an iure fecerit, ratio, quod is uim afferebat. iudicatio, an indemnatum, an Tribunum à milite occidi oportuerit. Alterius etiam status quæstionem, alterius iudicationem putant. Quæstio qualitatis, an rectè Clodium Milo occiderit. Iudicatio coniecturalis, an Clodius insidias fecerit. Ponunt & illud, sæpe caussam in aliquam rem dimitti, quæ non sit propria quæstionis, & de ea iudicari. A quibus multum dissentio. Nam & illa quæstio, an omnes qui paterna bona consumpserint, concione sint prohibendi, habeat oportet suam iudicationem. Ergo non alia quæstio, alia iudicatio erit, sed plures quæstiones, & plures iudicationes. Quid? non in caussa Milonis ipsa coniectura refertur ad qualitatem? Nam si est insidiatus Clodius, sequitur ut rectè sit occisus. Cum uerò in aliquam rem missa caussa est, & recessum à quæstione quæ erat constituta: hic quæstio, ubi iudicatio est. Paulum in his secum etiam Cicero dissentit. Nam in Rhetoricis (quemadmodum suprà dixi) Hermagoram est secutus: in Topicis, ex statu effectam contentionem κρινόμενον existimat. Idque Trebatio, qui iuris erat consultus, alludens, quà de re agitur appellat: quibus id contineatur, continentia, quasi firmamenta defensionis: quibus sublatis defensio nulla sit. At in Partitionibus Oratorijs, firmamentum, quod opponitur defensioni: quia continens quod primum sit, ab accusatore dicatur: ratio, à reo: ex rationis & firmamenti quæstione, disceptatio fit iudicationum. Verius igitur & breuius, qui statum & continens & iudicationem idem esse uoluerunt: continens autem id esse, quo sublato lis esse non possit. Hi mihi uidentur utranque caussam complexi, & quòd Orestes matrem, & quòd Clytæmnestra Agamemnonem occiderit. Iidem iudicationem & statum consentire semper existimarunt. Nec enim aliud eorum rationi conueniens fuisset. Verùm hæc affectata subtilitas, circa nomina rerum ambitiosè laboret, à nobis in hoc assumpta solum, ne parum diligenter inquisisse de opere quod aggressi sumus, uideremur: simplicius autem instituenti, non est necesse per tam minutas rerum particulas rationem docendi concidere: quo uitio multi quidem laborarunt, præcipuè tamen Hermagoras, uir alioqui subtilis, & in plurimis admirandus, tantum diligentiæ nimium solicitæ, ut ipsa eius reprehensio laude aliqua non indigna sit. Hæc autem breuior, & uel ideo lucidior multo uia, neque discentẽ per ambages fatigabit, nec corpus orationis in parua momenta diducẽdo consumet. Nã qui uiderit quid sit quod in controuersiam ueniat, quid in eo, & per

Quæstio, & eius acceptio duplex.

Ratio.

Iudicatio: Continens. Rhet. 1.

* Aptissimã

Caussa facti non cadit in coniecturã.

* Annci. Plutarchus in Mario, & Valer. lib. 6. ca. 1. de pudicitia.

Statum Cicero qua de re agitur appellat.

Authoris sententia. Continens.

Hermagoras

Generalis præceptio.

quæ uelit efficere pars diuersa, quid nostra, quod in primis est intuendum: nihil eorum ignorare, de quibus suprà diximus, poterit. Nec est ferè quisquam, modò non stultus, atque ab omni prorsus usu dicendi remotus, quin sciat & quid litem faciat, (quod ab illis caussa uel continens dicitur) & quæ sit inter litigantes quæstio, & de quo iudicari oporteat: quæ omnia idem sunt. Nam & de eo quæstio est, quod in controuersiam uenit: & de eo iudicatur, de quo quæstio est. Sed non perpetuò intendimus in hæc animum, & cupiditate laudis utcunq; acquirendæ, uel dicendi uoluptate euagamur, quandò uberior semper extra caussam materia est, quia in controuersia pauca sunt, extra omnia: & hic dicitur de iis quæ accepimus, illic de quibus uolumus. Nec tam hoc præcipiendum est, ut quæstionem, continens, iudicationem inueniamus, (nam id quidem facile est) quàm ut intueamur semper, aut certè si digressi fuerimus, saltem respiciamus, ne plausum affectantibus, arma excidant. Theodori schola (ut dixi) omnia refert ad capita: His plura intelliguntur: Vno modo summa quæstio, item ut status: Altero cætera quæ ad summā referuntur: Tertio propositio cum affirmatione: ut dicimus, Caput rei est apud Menandrum, κεφάλαιον ἐστι. In uniuersum autem quicquid probandum est, erit caput, sed id maius, aut minus. Et quoniam quæ de his erant à scriptoribus artiū tradita, uerbosius etiā quàm necesse erat exposuimus, præterea quæ partes essent iudicialium caussarum, suprà dictū est: proximus liber proœmia, id est exordia cōcipiet,

Caussa uel continens.

Caput.

MOSELLANI.

Vsi ferè omnes exemplo] Intentio omnis, Orestem Clytæmnestram matrem occidisse. Depulsio, occidi, sed iure. Ratio, quia patrem Agamemnonem interfecit. Firmamentum, sed non oportuit matrem indemnatam occidere filiū. Nascitur iudicatio ex firmamēti & rationis cōtrouersia, an Oresti interfuerit patrem ulcisci, & matrem nullo iudicio damnatā occidere. Est autem firmamentum, quod ad deiiciendam rei rationem ab accusatore refertur, sine quo accusatio non consistit. Inde ex firmamenti & rationis conflictu nascitur quæstio, quæ & iudicatio dicitur. & hoc in statu coniecturali nō inuenitur, quoniam in ea non est ratio. Præiudicium dicitur res, quæ cum statuta fuerit, exemplum affert iudicaturis quod sequantur. Porrò iudicium est res quæ caussam litemq; determinat. sic Asconius.

ANTONII PINI.

VT procedit Cogitatio, ita & ordo constat præceptorum, in quo suo more quid alij, deinde quid ipse sentiat, exponit, quo fit ut quæcunq; à Fabio referuntur usq; ad eum locum quo ait, Verius & breuius, qui statum, continens iudicationem, idem esse uoluerunt, recipienda sint ut ab aliis obseruata, non ut Fabii mēte explicata. Etenim cum alii in prima quæstione statum constituerent, uiderentq; nihilominus caussam nō explicari, excogitarunt alias subductiones argutiasque, ut altius in caussam descenderent, & in eius uisceribus penitus infigerent cogitationem. Ergo ubi quale sit cōtrouersiæ oblatæ genus, noueris, uult Hermagoras, ut quæstionem, rationem, iudicationē, continensq; peruestiges cogitando. Continens græce συνέχον dicit, quod alii firmamentū sunt interpretati. Nec citasse opinionem Hermagoræ contentus Fabius, quo intellectu illorum unūquodque acciperas, subiungit. Quæstio, inquit Boetius, est dubitabilis propositio. quā definitionem ex hoc Fabii loco intelligere expeditum est. Quæstio latius diffusa, id est in quacunq; materia accipiatur, est controuersia, de qua uel in duas partes potest differi, si totidem proponit, uel in plures, si plures complectatur, ut cum interrogas, regatur ne mūdus prouidentia, an fortuna, duo in disputationem una trahis quæstione. At si ita quæras, esse ne summum bonum uirtutis actio, an eiusdem consuetudo, an sanitas, affluentia, plures res in quæstionem uocas. Alioqui si affirmationem negationemq; spectes, nulla quæstio in plures partes trahi quam in duas potest, quod Aristoteles passim inculcat. At cū agimus de quæstione in genere iudiciali, duplex eius nominis est intellectus. Nam & quancunque disputationem quæstionem uocamus, cum dicimus in una simplicique controuersia plures esse quæstiones, & illam demum disceptationem in qua uertitur res, quæstionem κατ' ἐξοχὴν appellamus. Illi igitur cum præcipiunt ut quæstionem constituamus, de illa principe totius litis quæstione intelligunt, ex qua status nasci dicitur, id est qua educta prolataque statim quo statu rea sit tuenda dignoscitur, coniectura'ne, an finitione, an denique qualitate. Et hoc quidem nomen quæstionis Apollodoro Hermagoræque est usu familiare. Theodori autem schola, nomine quæstionis suppresso, ad capita, id est τὰ κεφάλαια reuocat omnia. Summam igitur quæstionem generale caput, minores alias, specialia capita appellat. Nec uero dubiū est quin in una etiam simplici controuersia multæ suboriantur & occurrant quæstiones, in quas primariam quæstionem partimur tractando. Non enim modò ea generali in speciales multas descendimus, sed specialium quamlibet in alias differendo secamus non aliter quam species nulla ita angusta est, quin in minora quædam si non membra, saltem frusta possit distribui. quo sensu ais speciem in specie diuidi, ne statim dialecticis argutiis occurras, speciem quæ suspicit tantum genera, nec ullas infra se species despicit, in alias formas non posse consumi, uerum, si uerbo premas. Vult autem Fabius quamuis quæstionem in aliam quandam inferiorem ferme deriuari, quemadmodum species siue intermediæ & interiectæ, siue ultimæ, si non propriam omnes, certe qualemcunque diuisionem sortiuntur. Cæterum illi quæstioni ex qua pendet status caussæ, nomen faciunt ζήτημα, quo omnis quidem accipi potest quæstio, sed propter dignitatem illa nomen commune fecit suum.

Ratio] Supra monui hæc à Fabio recenseri aliena fide, nec ea eius mente tradi, quod contextus arguit, si penitus æstimes. Principio igitur alii uolebant peruestigari quæstionem quæ statum complecteretur, deinde rationem subiiciendam credebant. Rationem sic definiunt. Ratio est qua id quod factum esse constat, defenditur. Quæ definitio significat in duobus demum statibus esse rationem, in definitione, & qualitate. Eius enim nullus est usus, nisi ubi factum & author in aperto sunt. De ratione coniecturæ sic in Partitionibus Cicero. Primus ille status rationem habet iniqui criminis ipsam negationem, inficiationemq; facti. hic uult negationem uicem rationis supplere. At idem fatetur ideo in hoc statu eandem esse primam contentionem, extremamque disceptationem, quia nulla sit rerum firmamentorumque in hoc genere conflictio. quā de re plura paulopost. Id tantum explicatum uelim, rationis uocabulum sic adstringi ab huius artis scriptoribus, ut significet caussam defensoris, in quam ille suæ defensionis spem coniicit. Est igitur ratio qua defendit reus obiectum crimen, quod nec inficiando, nec authore commutando tollit. Exemplo uulgari utis, ueniam peto, se illorum sententiam non alio quàm ipsimet soleant illustraturum exemplo. Clytæmnestra absente Agamemnone cum Aegisto habuit adulterii consuetudinem, quam ut liberius exerceret, redeuntem Agamemnonem dolo interemit. Vlciscitur mortem patris filius, & matrem necat. fingitur caussam dicere, & factum, quod cum pudore negare non potest, defendere. Est ergo apud alios hic ordo quæstionum. Intendit actor, matrem occidisti. defensor non negat. constat. Iure, inquit, feci. Primam hic eliciunt quæstionem, an iure interfecerit Clytæmnestram. quæ prima contentio, ut ait Cicero, diffusam habet quæstionem & alibi idem, Quæ primam habet ex arguendo resistendoque contentionem. Lata sunt & confusa. quod fecit ut hanc quæstionem non obseruarit Fabius, sed eius modo rationem haberi uoluerit, in quam extrema coniicitur disceptatio, quę rem in angustam adducit disputationem. Illi uerò rem ita subducunt, Quæstio est, an iuste interfecerit. tractatur qualitate. posita quæstione, depulsioni additur ratio, iuste potuit interimi à filio, quæ & uirum suum, & Orestis patrem sustulerat. Hanc rationem qua factum defenditur, uocant αἰτίαν, quanquam non ea magis quæ contrà referuntur, quàm ipse defensionis rationes continent caussas, author Cicero. Huic rationi aliquid ab actore opponitur. illud sit tale at accusare potuisti: ipsi interimere non debuisti. Exoritur alia penitior quæstio, an indemnata mater ideo potuerit à filio interfici, quòd illam uirum suum intermisisset, κρινόμενον uocant iudicationem, quòd hæc sit propria quæstio, ex qua iudicii pendet exitus. De iudicatione ex Ciceronis sententia nonnihil paulopost Fabius. Hactenus sententiam Hermagoræ retulit, id est quid ille post genus caussæ putet obseruandum. Rationem non nulli græcorum αἴτιον, nonnulli αἰτίαν, dixerunt, qui tamen nomina ita uoluerunt distare, ut illud propter quod iudicium constituitur, αἴτιον dicerent, defensionis caussam uocarent αἰτίαν, ne in exemplo superiore cædes Clytemnestræ in caussa cur reus

fiat

fiat Orestes, & patronum adhibeat, ut se periculo liberet, illa itaque secundum illos erit αἴτιον, cur autem iure se se cisse Orestes contendat, est, quia illa Agamemnonem trucidauerat hæc rursum illis erit αἰτία, & ut græci in contentione uerbi sæpius obhærent, in contrarium usus uertitur horum nominum, ita, ut quidam αἴτιον appellent caussam iudicij, id est rem quæ in iudicium uenit: αἴτιον caussam defensionis, id est depulsionis rationem. Latinorum quidam initium iudicij caussam uocauerunt: quòd propter illud primum fieret iudicium, aut quòd caussa iudicij in intentione prima est, ut in caussa Orestis prima intentio, matrem occidisti. & hæc est caussa iudicij. Caussam facti, id est deprecationis rationem nominarunt. Qui uero ex Latinis fuerint, non ausim pro certo affirmare. Quidam unam & iudicij & facti caussam, eodem nomine, caussæ nimirum, appellant. Caussa quoque nascitur ex caussa, id est, illi tradunt uni rationi aliam item subijci, quando aiunt caussam ex caussa nasci, quod græci efferunt, αἴτιον ἐξ αἰτίου, uti cum ait Orestes, matrem iure sustuli, interemit Agamemnonem. Ratio est una, cuius una item ac alia esse potest, ut caussa cur occiderit Agamemnonem. ille enim Iphigeniam filiam in Aulide ad impetrandos uentos secundos Dianæ immolauit, cuius loco ceruam Diana substituit, & puellam sibi ministram delegit. Virgilius.

Sanguine placatis uentis, & uirgine cæsa.

Extat Euripidis tragœdia de casu Iphigeniæ. Accedit quòd ille ex Troia adducebat captiuam pellicem Cassandram, cuius utereitur corpore loco uxoris. Admonent & illi fieri posse ut unum facinus pluribus rationibus tueamur. quod eodem proposito exemplo demonstrat. Vna Orestis tutio est cædes Agamemnonis à matre facta. Altera additur, quòd ad illam rem sit à Minerua sapientissima dea impulsus. Fabula ex Homero nata potest uideri, cuius primo Odysseæ hi sunt uersus.

ἐπεὶ πρό οἱ εἴπομεν ἡμεῖς,
ἑρμείαν πέμψαντες ἐΰσκοπον ἀργειφόντην
μήτ' αὐτὸν κτείνειν, μήτε μνάασθαι ἄκοιτιν.
ἐκ γὰρ ὀρέσταο τίσις ἔσσεται ἀτρεΐδαο,
ὁππότ' ἂν ἡβήσῃ τε, καὶ ἧς ἱμείρεται αἴης.

quibus hæc Minerua subijcit.

ὦ πάτερ ἡμέτερε κρονίδη ὕπατε κρειόντων·
καὶ λίην κεῖνός γε ἐοικότι κεῖται ὀλέθρῳ.

Huius loci occasione ficta sunt à Tragicis oracula, quibus ad ulciscendam patris cædem uocaretur Orestes, cuius rei in Oreste meminit Euripides. Addunt ergo Hermagoræ sectatores, non modo pluribus caussis facti defensionem obfirmari posse, sed totidem eliciendas esse iudicationes caussæ, quot illam rationibus comprobaueris. qua ratione in simplici caussa plures essent præcipui status, quod negauit antea Fabius. Adde quòd extra rationem fuerit, si cum una sit constituendi iudicij caussa, iudicem nihilominus cognoscendis tot iudicationibus opprimas, quæ ideo à Fabij mente aliena esse doceo, quòd sermonibus multorum sæpe ipse interfuerim, qui non aliter hæc quàm si de Fabij essent sensu deprompta, tradebant. Audiamus igitur Fabij sententiam. Quæstio, status, iudicatio, idem Fabio significant. Vt igitur speciales quæstiones in simplici controuersia esse possunt, ita & plures status, iudicationesque, non tamen præcipuæ: secus longe quàm alij, qui in una simplicique caussa tot principes constituebant iudicationes, quot sui facti defensor rationes attulisset. Lex est, Adulterum deprehensum impune liceat occidere, uir peregre rediens mœchum cum uxore deprehendit. hanc statim transfigit, illum in fugam uersum comprehendere non potuit, interiectis aliquot diebus in foro repertum gladio petit, & transfodit. caussam dicit homicidij. Iure, inquit, feci, erat enim adulter. at adulterum ut impune sit occidere, non tamen in foro sacrosancto, & publico loco, nec tanto post. Prima est quæstio, an in foro potuerit interfici. Proxima, an tam longo interposito tempore. Tres erunt quæstiones, totidem erunt iudicationes, totidem status, quæ tria idem sonant Fabio, non tamen tot uel status uel iudicationes dominari fatebimur. Est enim necesse ut in aliqua uterque figat pedem, commoretur & hæreat. Illa erit ad quam ut ad caput reliquæ minores quæstiones quasi referentur.

Συνέχον] Continens ad uerbum dixeris, firmamentum alij appellant, quod Cicero in Rhetoricis his uerbis definit, Firmamentum est firmissima ratio defensoris, & aptissima ad iudicationem, ut si uelit Orestes dicere eiusmodi animū matris suæ fuisse in patrem suum, in seipsum, in sorores, in regnum in famam generis ac familiæ, ut ab ea pœnas liberi sui potissimum petere debuerint. Hactenus Cicero. Vides igitur eo loco à Cicerone dici firmamentum, quod defensionis rationem corroborat & obfirmat, ideoque aptissimum est ad iudicationē, quia caussam probabilem facit, & ut secundum nos pronuncietur efficit. Argumentatio uero dicitur, quòd in epicherematis formam cogi assolet. Cæterum uide an in Fabio legendū sit aptissimam, ex Ciceronis uerbis, quæ uidetur ad literam subiecisse. Aliter firmamentum plerique accipiunt ut sit post quod nihil quæritur, id est, sit ultima quæstio, in quam omnis recidere controuersia. Cum enim in alias subinde mittatur caussa quæstiones, ultima ad quam per aliarum gradus descensum sit, firmamentum ab alijs appellatur. Quidam firmamentum id quod firmissimum affertur uocant. ubi quid hic intellectus à Ciceronis significatu distet, non iniuria addubites. hoc discrepat, quod Cicero uoluit adstringere ad defensorem, hi in uniuersum enunciant, deinde isti rationem firmissimam, cui innititur caussa, firmamentum uidentur dicere. Cicero, ut ex posui, rationis approbationem fusiorem appellabat firmamentum. Vocant ergo firmamentum id quod ex utraque parte firmissimum adducitur ad constituendam disceptationem. Habes hactenus quot modis intelligi possit firmamentum, de quo quid alijs locis Cicero senserit, paulopost subiunget.

Caussa facti] Denuo ad rationem reuertitur, de qua paulo antea non pauca dixerat aliorum fide, quod & hic facit. Ait ergo, ab his qui deductionibus his sunt usi, rationem non in omni poni statu. In qualitatem enim & finitionem cadere, non item in coniecturam, quia tum rationem subijci dicāt, ubi facti præcessit confessio, ea cum nulla sit in coniectura, nullus etiam fuerit rationis usus. Quòd si ratione caret coniectura, non mittetur in alias quæstiones caussa. Ea igitur quæstio quæ ex prima intentione depulsioneque nascitur, erit extrema disceptatio, id est iudicatio, ultra quam controuersia minime progrediatur. At ubi caussa utimur, in qualitate nempe & finitione alia est prima, quæ educitur ex intentionis depulsionisque conflictu quæstio, alia quæ ex rationis & firmamenti collisione nascitur disceptatio, id quod Cicero in rhetoricis ait his uerbis, In coniecturali autem constitutione quia ratio non est (factum enim nō conceditur) non potest ex deductione rationis nasci iudicatio, quare necesse est eandem esse quæstionem, & iudicationem, ut, factum est, non factum est, factumne sit. Eadem de re sic scribit in Partitionibus, Ea (de ratione & disceptatione loquitur) in coniectura nulla est. Nemo enim eius quod negat factum, aut debet aut solet aut potest rationem reddere. Itaque in his caussis eadem est prima quæstio, & extrema disceptatio. Rogaueris forsitan, nullane sit in coniectura ratio, cum tamen dicat Cicero eum qui defendit, non modò gradu aliquo resistere debere, sed etiam rationem recusationis subiicere. Soluit idem paulopost, his uerbis: Primus ille status rationem iniqui criminis habet ipsam negationem inficiationemque facti, quasi uicē rationis suppleat inficiatoria recusatio. Deinde nomen rationis nō pro suspicione aliqua ponitur, sed pro admissi facti caussa atqui negatur in coniectura. Postremo adiuuat quidem suspicionibus dubiis inficiationem defensor, sed imbecillior est cōmunis coniectura, quàm ut in illam uelimus præcipuam coniicere quæstionem, quo sit ut in reliquis statibus ratio sit, in coniectura nulla esse repeririique possit. Exempla quibus utitur, nota sunt. Hoc demum noueris, ex aliorum sensu eam totam orationem depromi. Vtuntur & alij minime peruulgatis exemplis. Lex est, decoctori ius concionādi ne habeto. Quidā cum patrimonium uniuersum in opera publica, ut aquæductus, cloacas, porticus, theatra, templa, profudisset, Rostris est prohibitus cum habere uellet concionem. Sit ergo intentio, non debes concionari patrias enim fortunas dilapidasti, Depulsio, Immo debeo. patrimonium enim non per luxum dissipaui, sed in opera publica consumpsi. Iudicatio, an etiam hi arcendi sint concione, qui sua bona in opera publica effuderunt. Prima autem erat quæstio, an & hic, & quisquis patrimonium exhausit, sit concione prohibendus. Rursum in caussa militis Mariani (sic enim lego, non Aruncij) Trebonij, qui C. Lusium tribunū Marij propinquum stuprum sibi conantem inferre ardente bello Cimbrico interemit, Facere, inquit Cicero, adolescens periculose, quàm turpiter pati maluit. Plutarchus C. Lusium uocat. γέλος, inquit, Λέσιος ἀδελφιδοῦς αὐτῷ τεταγμένος ἐφ' ἡγεμονίας ἐστρατεύετο. quomodo in Valerio legeris. In hac igitur caussa actor intendit, Tribunum miles interfecisti, fecisse fatetur Trebonius, iure se tuetur, quæstio prima, an iure interfecerit C. Lusium tribunum miles Trebonius. Ratio depulsionis, Licuit mihi repellere uim, & stuprum eius cæde propulsare. At accusasses, inquiunt, non ipse uindicasses iniuriam. Iudicatio erit, debueritne miles indemnatum tribunum, quòd uim uetetur inferre, interimere.

Alterius status quæstionem.] Addunt & hanc præceptiunculam, non eodem semper fieri genere status primam quæstionem, & ultimam iudicationem. Fieri enim potest, ut prima quæstio sit qualitatis, cum ultima nitatur uiribus coniecturæ, ut pro Milone prima est controuersia, an iure interfecerit Clodium Milo, qualitatem uides. Iudicatio unde lis pendet, fecerit'ue insidias, coniecturam habet, quo exemplo facis constat diuerso status genere sæpe ultimam primamq; constare quæstionem.

Ponunt & illud.] Quod dicunt, est hoc. Propriam caussæ quæstionem uocant eam quæ ea intentione depulsioneq; oritur. Depulsioni ergo si ratio subiiciatur parum propria, ex illa & opposito firmamento noua disceptatio nascetur, de qua iudicabitur, & in quam dimissa caussa, id est deriuata fuerit, quasi à propria quæstione in aliam deflexa. A quibus Fabius multum dissentit. Superiora enim falsa non sunt, sed concisa & ociosa duci enim potest optime sine illis oratio, at hoc ridiculum est, & in caussa tractanda perniciosum. Caussam siquidem prodit, qui illam alio dimisit, & de eo uult præcipue iudicari, quod caussæ proprium non est.

Nam & illa quæstio] Refellit errorem proximum Fabius, hoc sensu, Male separant à quæstione iudicationem, cum propriam caussæ quæstionem esse dicunt, ab illa uerò recedere iudicationem. siquidem unaquæque quæstio suam habet respondentem iudicationem, aut certe ipsa eadem & quæstio & iudicatio est. Quòd si iudicatio ita quæstioni coniuncta est, errant qui seiungunt tam lato interuallo, ut in eo quo tandem uelut ad incidens caussa delabitur, iudicationem esse contendant. Id exéplo facit planum. Quid enim? dicet quispiam, Nonne quæstio est, sint ne concione prohibendi omnes, eiusque iudicatio, an qui in opera publica profuderint? Non, inquit Fabius, uerius dixeris tot esse iudicationes, quot sunt quæstiones & si duas quæstiones constituas, duas etiam facias iudicationes. Quod eo dicit Fabius, ut doceat hæc omnia sequi eos qui in ociosa illa prima quæstione manendum putant, & deinde ad iudicationem ueniendum. Nomen, inquit, iudicationis quæstioni copulatur. Vnde falluntur qui quæstiones ibi faciunt, ubi iudicationes esse negant. Cum enim quæstio id habeat de quo quæritur, eadem erit cum iudicatione quæ id continet de quo iudicatur. alioqui si quæstionem primam uocas, & postea ad iudicationem pergis, eo reuolueris, ut dimittas iudicationem in id quod caussæ proprium non sit.

Quid non in caussa Milonis] Confirmat quod dixit, labi eos qui alibi iudicationem, alibi quæstionem putarunt. Nam etsi id uidetur fieri in caussa Milonis, ibi tamen ubi quæstio, & iudicatio est: Iudicationem enim ponunt illam coniecturalem disputationem, fecerit'ne insidias Clodius. Verum, inquit Fabius, ibi iudicatio est, non nude, sed ad qualitatem referendo, hoc modo, an Clodius fecerit insidias, eoq; iure interfici potuerit. hoc ipso in loco debet esse quæstio, quo illi iudicationem collocant. ita quia coniectura pertinet ad qualitatem, id est primæ quæstioni, an iure sit interfectus, coniungitur altera, struxerit'ne insidias, non ibi est à iudicatione dissocianda quæstio, sed potius altera alteri coniungenda, quæ est Fabij opinio.

Cum uero recessum est] Hactenus docuit non distrahendam quæstionem à iudicatione, poterat tamen obiici, nunquid à proposito recedit, & alio sæpe caussa deuoluitur? uerum, inquit, sed cum primam caussam deseruisti, & alio cursum dicendi auertisti, noli in eo quod relinquis, ponere quæstionem, sed in eo ipso quo es prolapsus, & quæstionem pone, & iudicationem. Hic enim tibi quæstio figenda est, ubi iudicationem esse affirmas.

Paululum in his etiam secum Cicero dissentit] Docet Fabius non modo molestam esse & concisam hanc in tot particulas sectionem, sed & nominum perturbationem tantam esse, ut non alii ab aliis scriptoribus, uerum & à se ipsi dissentiant, nam & Cicero in rhetoricis aliam est uiam sequutus, cuius ducē habebat Hermagoram, & in aliis operibus postea editis diuerso nominum intellectu est usus. Porro ut quæ sit disparitas, facilius intellectu consequaris, rem oculis supponam.

In Rhetoricis sibi hæc ita succedere constituit. Prima est constitutio, fecisti, non feci: uel, iure feci, sic enim uocat intentionis depulsionisq; conflictum. Deinde est quæstio, ut coniectura, an fecerit, in qualitate, an iure fecerit, atque in coniectura nil addere oportet amplius, qualitatis defensio pluribus subniti fulcirique desiderat. Caussa depulsionis tertia erit ratio, ut, iure interfeci, sic enim patris cædem ulcisci oportuit. ea est, qua sublata, omnis ruit defensio. Infirmatio ea est, qua defensoris rationem statuit demoliri accusator, ut, at non, inquit aduersarius, abs te filio necari oportuit. Iudicatio est, quæ ex confirmatione rationis & infirmationis nascitur cōtrouersia, ut ex deductione rationis illa summa nascitur cōtrouersia, rectum'ne fuerit ab Oreste matrem interfici, cum illa Orestis patrem interfecisset. Firmamentum est firmissima argumētatio defensoris, & aptissima ad iudicationem. Exemplum Ciceronis uerbis superius attulit.

In topicis accusator personam arguit facti, defensor aliquid opponit de tribus, aut non esse factum, aut aliud facti nomen, aut iure factum. Prima ergo appelletur uel inficialis, uel coniecturalis, altera definitiua, tertia, quanquam est molestum nomen, iuridicialis. Refutatio accusationis, in qua est depulsio criminis, græce στάσις, latine appelletur status, in quo primùm insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. Sed quæ ex statu efficitur contentio, eam græci κρινόμενον uocant. Mihi placet, quoniam ad te scribo, qua de re agitur, uocari. Aliter accepit pro Muræna, nam de iure scripta sunt omnia, nec quicquam est tam anguste scriptum, cui ego non possim qua de re agitur addere. Quibus autem hoc continetur, hæc continentia uocentur, quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis nulla sit defensio.

In partitionibus post distinctionem statuum sic ait: Quoniam semper is qui defendit, non solum resistat oportet aliquo statu, sed etiam rationem subiiciat suæ recusationis, primus ille status rationem habet iniqui criminis ipsam inficiationem, &c. Deinde unicuique rationi opponendum est ab accusatore id quod si non esset in accusatione, caussa omnino esse non posset. Itaque ea quæ sic referuntur, continentia caussarum vocentur, quanquam non ea magis, quæ contra rationem defensionis afferuntur, quàm ipsæ defensionis rationes continent caussas. Sed distinguendi gratia rationem appellamus eam, quæ affertur à reo depellendi criminis caussa; firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem affertur, sine quo accusatio stare non potest. Ex rationis autem & firmamenti concursu, quæstio exoritur, quam disceptationem vocant, in qua quid deueniat in iudicium, & quid disceptetur, solet quæri. Ex his plana sunt quæ ait Fabius, hoc dempto, quòd Cicero ideo nomen continentis mutauit in firmamentum distinguendi gratia, quia continens etiam de ratione dici potest, Fabius ideo vult mutatum, quia continens id dicatur apud alios, quod ab accusatore primum fit, id est quod accusator ut crimen intendit, vt in caussa Orestes, cædes matris, de quo Fabius paulo post.

Verius igitur, & breuius qui statum] Omissa tam subtili nominum concisione, discedit in illorum sententiam, qui his omnibus nominibus eodem significatu sunt usi. Nec enim hoc ait, nomina illa ut à quibusdam accipiuntur, idem significare, sed minore molestia, & veriore vsu dixisse qui hæc nomina in idem recidere alio modo voluerunt. Quo sensu si explices hunc locum, omnem tibi enarrandi molestiam absterseris. Sentis enim Fabius, statum, continens, & iudicationem, hæc inquam tria nomina, de vna, & eadem quæstione dici posse, quæ & status quòd ibi lis insistat, & iudicatio, quòd ea in disceptationem veniat, & continēs quod litem de qua certatur iudicio contineat, dicatur. Est autem hic usus nominum & breuior, & verior ex Fabij sententia. Nomen porro cōtinentis, & αἴτιον & αἰτίαν videtur includere. Nā & litis initiū, vt cædes Clytæmnestræ, caussam continet de qua dies Oresti est dicta, & defensionis ratio caussam complectitur illa enim sublata, omnis patrocinii spes perit. Ergo cū cōtinens esse dicūt id quo sublato caussa perit, & initium & rationem uidentur significare, utrouis enim dempto, tollitur controuersia.

Iidem statum & iudicationem] Qui nomina eodem recidentia tam ambitiose distinxerunt, aiunt statum semper iudicationi consentire, id est adhiberi iudicationem ad confirmationem status, hoc est primæ quæstionis. Nec repugnat quod aliena fide superius attulit, sæpe primam quæstionem esse qualitatis, iudicationem coniecturæ, etenim coniectura tum qualitati consentit, ut cui probandæ subseruiat. Voluerunt itaque consentire hæc, quòd disceptatio secundæ quæstionis (ea est iudicatio) momentum ad fidem primæ, quam statum appellant, habeat, quod necessario coguntur affirmare, nam diuellunt à statu iudicationem, quæ si usum habere debet, debet & statui consentire, illique probando conferre, quamobrem si hoc negassent, suam ipsi sententiam conuulsissent.

Verum.] Monet argutam hanc distinctionem nec arti prodesse, quam subtilitate perturbet, nec ingenio, quod subtilitate nimia frangat, nec stylo, cui nullum præbeat adiumentum tam morosa discretio, in quam tamen Græci, præcipueque Hermagoras, incubuerunt.

Nam qui uiderit] Denuo confirmat illa tria esse eodem significatu usurpanda, quod superius abunde explicatum est.

Sed non perpetuo.] Qua ratione tractanda sit caussa, docet. etenim cum uera res agitur, cauendum ne uiribus careas dum elegantiam affectas, praesertim si tanta cupiditate copiae flagrabis, ut rem praesentem deseras, & alio studio dicendi orationem traducas.

Theodori schola.] Non aliter quàm Hermagoras animum nos iubebat intendere in quaestionem, continens, rationem, iudicationem, ita & Theodorei omnia docent in capita distinguere. Capitis uocabulo quia utuntur, id trifariam docet accipi. Vno modo ut sit summa quaestio, ita ut status generale caput uocetur. Deinde ut minores quaestiones dicimus, ita & illi specialia capita appellant. Postremo caput significat propositionem cum affirmatione, id est rem asseueranter propositam, quasi post confirmandam, quo intellectu dicunt, κεφάλαιόν ἐστι παρὰ τῷ Μενάνδρῳ. hoc est, id sibi probandum instituit Menander, ideoque affirmantis more proposuit. Caetera per te ipse assequeris. Parat enim lectorem ad librum sequentem, in quem nihil eorum quae annotaram, uolui edere, quòd intelligam eam esse libri facilitatem, cui uel mediocriter eruditi labor possit sufficere, tum propter contrita de his partibus praecepta, tum quòd non continenter enarrare Fabium, sed in aliquot libros uiam munire constitui. Interim nouerit lector non uni patere omnia, & ea lege nos homines natos, ut magis sit nurum usquam labi, quàm uitio dandum aut errasse, aut omnium iudicijs non satisfecisse.

Huius capitis Commentarius errore quodam Amice lector huc translatus est, cum septimo tamen capiti sit subyciendus.

DICTIO huius capitis vt obscura non est, ita prolixam enarrationem minime requirit. Itaque annotabo singula, nec multis alieno tempore citatis lectori offundam tenebras Res ergo sic habet. Ciuilium caussarum materiam in tria genera diuisit. Illorum primum uoluit esse exornatorium, & dignitate quadam, & facilitate. Dignitate quidem, quòd totum in uirtutum commemoratione, uitiorumque reprehensione versatur, ita vt non minus habeat ad vitam sapienter instituendam momenti, quàm ad augendam dictionem adiumenti. Quod Cicero & in secundo de Oratore, & in Partitionum dialogo significat his uerbis, Genus nullum est orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut vtilius ciuitatibus esse possit, aut in quo magis orator in uitiorum uirtutumq; cognitione uersetur, & alibi, Laudādi uituperādiq; rationes, quae non ab bene dicendum modò, sed etiam ad honeste uiuendum plurimum valent, exponam breuiter. In eandē sententiam scribit secundo ad Q. Fratrem, vt diximus. Facilitate item caetera superat. Propius enim ad progymnasmata nō rhetorum modò, sed grammaticorum accedit. Postremo reliquis admiscetur, ut & usu debeat praecedere, ac in commentariis de inuentione ultimo loco explicatur. Voluit enim primum defungi eo quod negocii plurimum exhibebat. Aristoteles de suasorio agit in primis, quòd illud genus sanctissimum putet, & urbi utilissimum. Demonstrationes siquidem, ut statim dicemus, ab usu forensi putauit remotas esse, hinc ait Fabius se potissimum initium sumpturum à genere demonstratiuo, cuius formae praecipuae sunt duae, laus, & uituperatio, de caeteris capite 4 huius lib. abunde dictum est. Proinde omissis his quae luculente eo loco exposuimus, reliqua breuiter subiiciamus. Nam & de fine disputatum est, & de statu semel atque iterum mentionē fecimus. Prima huius capitis quaestio est, sitne in ciuilibus negociis demonstratiui generis usus aliquis. Aristoteles, & illū secutus Theophrastus remouit ἀπὸ τῆς πραγματικῆς parte negociali id à publico ciuiliq; negocio, & ad solos auditores relegauit, quasi qui ad audiendas id genus orationes conuenirent, colligendi magis animi caussa, quàm negocii audiendi cupiditate tenerentur, id quod & Aristoteles innuit, cum huic generi tribuit ἀκροατὴν ociosum aliquem & uoluptatis gratia auscultantem auditorem. Idem Cicero ex Aristotele repetit, & ipsemet Aristoteles primo libro ad Theodecten minime obscure sentit. Nec Aristoteles omnino fallitur loquitur enim de laudatione ostentatoria, qua sophistae domestico praeconio suae eloquentiae testes plurimos colligebant, qualis laus in negocia ciuitatis minime cadit. at more Romano genus hoc negociis insertum, id est non tantum ob uoluptatem celebratum, uerum propter usum ex negocio ciuili necessarium. Nam funebres orationes pendent ex munere magistratuque quem geras. Illarum primus fuit usus ad uiros in bello pro Republica uita defunctos, exornandos. Hoc enim honore collegam Brutum affecit Valerius Publicola. est deinde hic honos communicatus foeminis ab eo tempore quo auri argentique quod habebant, contulerunt in publicum ad craterem Delphos deportandum. Authores Liuius, & Plutarchus in Camillo. Prima uerò foemina quae pro Rostris laudata est, ut inquit Cicero, fuit Iulia, cuius exemplo funebribus orationibus aliae nonnullae sunt illustratae. Obtinuerat & mos apud Athenienses, ut quotannis recitaretur Platonis oratio de laudibus eorum qui pro patriae defensione interriti pericula adiissent, & in his fortiter perstitissent. Laudare uerò testem non breui tantum interfatione, sed iusta oratione, ad uincendum multum confert: & ante legem Pompeiam, reis licebat dare laudatores, qui suam uitam honorifice recenserent: quem morem sustulit lege lata Pompeius, sed denuo inualuisse testis est Caecilius Plinius in epistolis, quae tamen laus non ab ostentatione nascitur, immo negocio inseritur, & ad usum capitis salutisque tuendae confertur. Quid? etiam in mediis deliberationibus demonstratiuum genus usurpatur. Nam editi libri, id est orationes in competitores quo tempore candidati rationem uitae suae referebant in Senatu, quem morem fuisse maiorum Plinius iunior in epistolis dicit, & Asconius orationem enarrat quam dixit Cicero in toga candida contra L. Antonium & Catilinam competitores, item in L. Pisonem, Clodium, ut in oratione de prouinciis consularibus, quem Cicero ad Atticum primo libro fractum à se ait tum perpetua dicendi contentione, tum breui dictorum genere. Postremò in Curionem Caesari studentem in Tribunatu. Omnes inquam in hos scriptae orationes habitae sunt in Senatu, sententias ordine rogante Consule. Quare non ad recreandos animos duntaxat adhiberi oportet hoc genus, sed etiam pondus saepe negocii sustinet. Ita liquido constat, non undiq; umbratile & ostentatorium hoc genus esse: non tamen inficias ita adhiberi in hoc genere orationem non ad negocii usum aliquem, sed eloquentiam ostentandam, uoluptatemq; admirantibus auditoribus afferendam, quales sunt deorum laudes, & uirorum illustrium, qui multa ante tempora floruerunt, ut siquis nunc Herculem, Theseum, Romulum, Alexandrum, aliosque excellentis uirtutis homines oratione exornaret. Vnde rursus reprehenditur error Celsi, qui nunquam oratorem dicere nisi de dubiis existimabat. Tractata uerò est haec quaestio cap. 5. unde assumes quae ad hunc locum pertinebunt. Renouat breuiter argumentum quo etiam superiore loco fuit usus. illud tale est. Laudes deorum ab officio oratoris non excluduntur, atqui nec dubiae sunt, nec pro dubiis ponuntur. Quamobrem & oratori proposita quaedam sunt de quibus uel dubitare sit impium. Solebant autem tam oratores, ut meminit Suetonius in Nerone, quam etiam poetae, ut Statius in syluis est author, statis quibusdam feriis sua recitare scripta, quae domi in Capitolini Iouis laudem fuissent composita, unde Olympii legere minime oportere, ut existimo castigari à nonnullis. Hucusque duas habes dissolutas quaestiones, sitne hoc genus adhibitum negociis, an ostentationi comparatum. Deinde sint in hoc genere quae tractantur, certa, an dubia, quae ferè certa sunt, & ut Ciceronis utar uerbis, si dubia sunt, pro certis tamen exponuntur & augentur. Reliqua Fabii praecepta sunt de confirmationis locis in hoc genere exornatorio. Partitione enim huius generis facta, unde materia laudis in unaquaque specie petatur, breuiter perscribit. Aristoteles omnia minutim persequi uoluit, quibus alicui laudem conciliaremus, hoc assecutus, ut cum dixisset plurima, non tamen omnia dixisse putaretur. Cicero breuius in Partitionibus de hoc genere est locutus, sed ita diserte, ut aliis non admirationem modò, sed & tractandi moram potuerit iniicere. Pauca, & ea peruulgata, in secūdo de Oratore (nec enim magni faciebat hoc genus Antonius) inculcata sunt quae primo de inuētione libro de laudis fontibus ait. Fabius non idem planè terit iter. Virtutum nanq; & uitiorum diuisiones definitionesque praetermisit, quòd & desperaret ea à se nitidius dici posse, & à philosophis posse pati confideret. Locos breuiter notat, quibus & expositionem huius generis contexmus, & mirabiliter augemus, & postremò, si probatione res eget, argumento adiuuamus. De prooemiis autem huius generis hic nihil, quòd secutus Aristotelem putaret hoc ipso facilia, quòd uel ex officio uel loco communi uel querimonia, ut Isocrates in Panegyrico, duci possent. Cicero succincte ita praecipit in partitionibus, ut exordia sint praecipue ad motus animi leniter tracta dos accommodata Expositio perpetua est, & quaedam ut ait Cicero, dictio, id est leuis effusaque narratio, & argumentationum non tam constat acu-

leis, si amplificationum motibus, non illis quidem turbulentis, sed admirationem incutientibus, ac spe tenentibus, inaudita expectatione delectantibus. Qua de re Ciceronis uerba sunt in Partitionibus. Conteritur genus hoc dictionis narrandis exponendisque factis sine ullis argumentationibus ad animi motus leniter tractandos magis, quàm ad fidem accommodatè. Non enim dubia firmantur, sed certa, aut quæ pro certis posita sunt, augentur. Vbi ea intelligenda sunt de laude, cuius finis est uoluptas. Etenim de laude inserta negocijs ait Fabius, ut desiderat laus quæ adhibetur negocijs, ueram probationem, ita illa quæ ad specimen eloquentiæ, audientiumque uoluptatem componitur, habet aliquam speciem, id est quandam imaginem probationis. Verius enim perpetua est expositio, quæ eodem narrationis impetu inserit nonnulla ad fidem confirmandam pertinentia. Speciem pro apparentia, ut uulgus loquitur. Tacitus sæpe usurpat, libro primo. Specie recusantis flagrantissime cupiebat, & libro uigesimo. Manente in speciem amicitia. Idem pro specie imaginem dicit libro tertio. Quanto maioris libertatis imagine tegebantur. Liuius libro nono Decad. 4. Nihil in speciem fallacius est, quàm praua religio. Ex quibus uideas non esse intelligendum uulgi more, ut speciem habeat probationis, id est formam partemque: ut si quis Romulum Martis filium, ut fama tenet, quia honestior author culpæ deus erat, dicat: more narrantis subiungat à lupa Martia fera educatum, cum illa summissas mammas uagitu de uia deflexa infanti præbuisset. abiectum iussu Amulij in Tyberim, fluitante alueo, à fluuio qui supra ripas effusus erat, in sicco destitutum, & ita seruatum, quod cum teneret per uniuersam uitam bellorum cursum, ut diuinæ origini nihil ederet absonum. author Liuius. deinde quòd magno suborto fragore, fœdaque tempestate concitata, nubes obsepserit eius uisum ciuibus, & Proculi testimonio firmata diuinitate, pacem ab illo impetrarint omnes, quæ alia suspicio, & haud scio an uerior, permanarit, lege Dionysium, & Plutarchum in Romulo. In hoc exemplo etsi ex professo non nisus sis adstruere fidem, ut dubiæ rei, tamen credulitatem adiuueris conserta colligataque narratione, quæ confirmationis quandam habet imaginem. In hoc etiam genere ostentatorio turpia quædam sub aciem narrationis succedentia, aut silentio sunt omnino prætereunda, aut perinde ac si defendas, excusanda: ut si Herculem laudares, & cursus orationis ad illam turpitudinem impactus esset, cum ab Omphale regina Lydiæ acceperit muliebrem habitum, & deposita claua, leonisque pelle, sua pensa cum cæteris ancillis carpenda sit sortitus, non tam solicite hæc tueberis, atque si in acie forensi stares, capitisque dimicationem subires, sed ita prætereuehetur oratio, ut leuiter relinquas excusationis impressa uestigia. Porrò de Herculis seruitute, & habitus permutatione, Diodorus Siculus de gestis fabulosis libro quinto. Sed qui potest factũ à turpitudine uindicari? Inciderat in phrenesim Hercules, quòd Iphitum Euriti seruum de turri præcipitem dedisset, expiari cæde uolens, Neleum adiuit: à quo filios consulente repulsus, Deiphobum Hippolyti filium salutauit. is scitatus Apollinem responsum tulit, solutum iri morbo, si ultro uenderetur, & redacta pecunia, Iphiti liberis cederet. Inde Hercules ut mancipium datus est uenum, & à regina Lydiæ Omphale emptus, cui parere oraculo coactus erat. Hoc narrans, turpitudinis illam notam delebis, quam maiorem suscepit, quasi mollitie fractus, ultro se Omphalæ ob libidinem summiserit: ex qua tamen filium sustulit Lamonem. Et de his plura. Esto, inquit, nonnunquam solicite faciamus fidem, nonnunquam eius rei speciem præbeamus, proprium tamen est laudis res attollere, & in maius semper prouehere. Laudis argumentum quadruplex est. Laudantur dij, homines, muta animalia, ut musca apud Lucianum, serpens apud Philostratum, & sensus expertia, ut urbs, uirtutes ipsæ, & res etiam infames, ut Aristides Athenienses, Iustitiam Plato, febrem quartis diebus recurrentem Phauorinus, & nostra memoria μωρίαν Erasmus. Reliquum igitur est ut in genus laudis quodque suos locos proprios conferamus, qui loci generum appellantur, & in singulis ut fines generum, ita ipsi quoque distant.

Verum in dijs] In deorum exornatione loci sunt hi, Maiestas naturæ, id est substantiæ ea qua constat diuinitas, quæ nec satis à nobis cognosci potest. nec humana eloquentia enunciari, qua forma essent ambigebant, præterea animalia credebant prisci Platonici: humanam figuram dabant Epicurei, materiæ expertem simplicitatem Peripatetici. Nobis dei beneficio datum est tantum nosse, quantum nostra ferebat infirmitas, nunc de dijs ethnicorum more loquimur. Vere autem psalmographus, Simulacra gentium argentum & aurum & alibi, Dij gentium dæmonia. Aristoxenus rogatus quid esset deus, unum diem postulauit, deinde duos & plures. Quo enim altius euolabat cogitatio, eo inferius subsidebat cognitio.

Deinde propriam uim cuiusque] Dicuntur hæc ad popularem sensum aptè. Etenim cum apud rudes & in conuentu agrestium sæpe dicat Orator, illis obsequi debet apud quos facit uerba. Temere itaque Protagoras, referente Laertio, de dijs loqui cœpit, in hunc sensum. De dijs, sint, nécne, in præsens dicere temperabo. Plebs diuersas partes agere putat deos, & illam quemque sustinere personam, quam illi ad iuuandos homines imposuerit Iupiter optimus maximus. Itaque hic erit locus secundus. Iouis uis est super omnia. Aratus, ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. & Horatius, Reges in ipsos imperium est Iouis. Hesiodus, πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας. & Homerus subinde cum διοτρεφέας βασιλῆας appellat, de Ioue ait βασιλεὺς ἀνδράσι τε θεοῖσί τε. In Marte uis est belli. eius ergo præfecturam gerit, itaq; omnis præses belli, arbiter armorum ab Ouidio dicitur. In Neptuno uis est maris regendi. Virgilius,

Non illi imperium pelagi, sæuumq; tridentem,

Sed mihi sorte datum. Sortis meminit Homerus in Iliade. uersus longum est, & minime necessarium adscribere. Vis uerò dicitur administratio rerum humanarum, cui dedita uel sorte, uel Iouis arbitrio & uoluntate. Inuenta sunt quæ dij excogitarunt in hominum usus, quæ res, ut ait Plinius, multos ad cœlum extulit. Vnde homo homini deus: & Virgilius Augustum, à quo erat adiutus, deum uocat: & rure ait se præsentes diuos agnouisse. id est multos à quibus sit affectus beneficijs. Ita Minerua de cerebro Iouis educta, artes inuenit, non ingenuas modo, sed & operarias quasdam, ut texendi, carpendi pensa. Mercurius ab Aegyptijs præsertim creditur inuenisse usum literarum, unde ἑρμῆς dicatur, uerius postea ductus uel Phœnices, uel Arcades, uel alij de quibus habes apud Plinium libro septimo Apollo medicinam. ille apud Ouidium, Inuentũ medicina meum est. & alibi, Ipse repertor opis. Aristophanes ἰατρὸν appellat. τὸν λοξίαν credit Macrobius, ideo quia uires herbarum sol auget & perficit. Ceres fruges, quarum rationem Triptolemo indicauit, & illum cæteris iussit communicare, uel Osiridi, Virgilius,

Vncíq; puer monstrator aratri. Extat eius rei in hymnis Callimachi testimonium. Liber pater usum uini ab Indis rediens expugnata Nysa. Authores Diodorus, poetæ omnes quorum theatris celebrata sunt ista, Virgilius,

Tuis hic omnia plena Muneribus. Tertius locus, rerum gestarum commemoratio, quales habes apud Homerum θεομαχίας, quos ille non aliter sæpe quàm patria gladiatorum munerarius committit deinde tot miracula de oraculis Delphicis, tot Iouis significationes, & præterea quæ dij ipsi suis auspicia confecerunt, ut γιγαντομαχία, in qua Bacchus sit Euhius dictus. Quartus à genere stirpis, si maximus, si Iouis siue ex pellice siue ex sorore filius. Addunt enim dijs honorem parentes, ut Apollo Iouis filius ex Latona, ex Maia Mercurius. quanquam Iupiter non immerito deorum uocatur pater, minorum gentium dijs sæpe ex meretrice sublatis impleuit Cęlum. Quas nugas non Christiani modò irrident, ut Tertullianus in Apologetico, Ireneus, Augustinus in libris de ciuitate dei, sed philosophi ipsi scriptis reprehendunt. Quintus est locus antiquitas. Quo dij sunt seniores, eo liberius dicunt in senatu sententiam. Vnde Rhea grauissima uetula, & Ops magnæ libertatis. Iam nullus Demogorgone uetustior. Ille igitur prærogatiuam dicet sententiam. Ex illa mole indigesta, quam dixere chaos, ut ait Ouidius, nati sunt dij. Vide Hesiodi θεογονίαν. In re nota nolo uideri legisse multa. Sextus fœcunditas: ideo conqueritur Iuno quòd ex Ioue nunquam nisi unum claudum sustulit Vulcanum, & Latona male accepit Niobem, quòd fœcunditate se præferret, & Iupiter hac ratione bene princeps, quia liberos habuit plus minus sexcentos. Ita Latonæ decus afferunt gemelli inuita Iunone in Deli monte Cynthio Apollo & Diana. Iam uerò dij alij nati sunt, alij facti, utrique laude ornandi. alijs dignitati uertemus quòd carent mortalis naturæ contagione alijs quòd tantum uirtute effecerunt, ut perrupto aere crasso ad cœlum euolarint, & ad deos iter munierint uirtute. Virgilius, Vtramque affectat olympo &, Tuq; adeo, quem mox quæ sint habitura. Inciderem in eam quam fugo longitudinem, si recenserem quanto errore pro dijs culti sunt quidam, inter quos est Domitianus, cui hic adulatur. Fabius, cuius tempore grauissime sunt agitati Christiani, quòd sui sanguinis effusion-

arescentem

arescentem Christi fidem irrigarent, & suis corporibus perfidiæ Ethnicorum viam obsepirent, de quibus taceo reliquos, lege Eusebium historiæ Christianæ libro quarto. Ita Martialis ait, Edictum domini deique nostri. dignus qui cum illo, ut sceleratus, in idem supplicium traheretur. His continetur laus deorum. Sed quandò dei gratia in eam viam sumus ingressi, extra quam certus est error, & desperata salus, adiuuemus rudiorum conatus, & quibus locis uti conueniat, quos item reijcere in laude Christiana, paucis aperiamus. In primis siquis Deum optimum maximum laudare velit, vtatur his locis, quibus & præeunte diuino spiritu uates illi prisci sunt vsi, quibus & posteri, qui authore Eusebio hymnos Deo omnipotenti concinebant. testanturque literæ sacræ Mosen transmisso mari ora potitum. hymnum seruatori Deo pronunciasse hexametro versu scriptum & de Iacobo non silent, qui in idem studium non semel incubuerit. Primus erit locus maiestas naturę, quam non aliunde quàm ex sacris literis haurias. Proximus eius continet in nos beneficia, ob quæ totos nos illi debemus. Incipe ab orbis constitutione, percurre tempora, signa mysteria; obrueris laudum copia. selige eam partem laudis, quæ ad eum diem erit aptissima. In hoc genere sunt cantica, quæ nocantur penè omnia. Et his duobus capitibus Dei laudem optime contexes, quòd deus laude nostra non eget, eam tamen pro obsequio accipit. Quoties iustitiam bonitatemque Dei fulminat Paulus? quoties charitatem in omnes mortales Iohannes? Ita pro commodo argumenti laudum inhonorarum eam partem attinges, quæ ad rem maxime pertinebit. Diui verò in cœlum recepti, & publica memoria reculti, optime laudabuntur hoc modo Principio eorum naturam excellentiorem admirabuntur, qui superata uita & victis tenebris, perpetuo fruantur sole, ex eo ipsi splendorē nunquam marcescentem consequantur. Reliquus est locus cōmemoratio rerum in vita gestarum, quas more Christiano cōmendabis, si piè susceptæ, sponte confectæ fuerint, & illas in sua genera describes, veterum patrum comparatione augebis, & Christi impressa uestigia indicabis. Insperges locos communes ex difficultate, vt si omnia abiecerint, affectus exterminarint, ad infima quæque seruitia studio pietatis sint deuoluti. In his malim exerceri pueros quàm in nugis & næniis ethnicorum. Habuit Christus athletas suos, & per illos ea gessit, quæ & plus admirationis habent, & verborum luce non minus possunt exornari. Et in hæc diuertisse sufficiat.

Laus hominum magis varia] Secunda laudis species erat in hominibus, quorum laudem pluribus constare ait, siue præcepta æstimes, siue tractationem. Diuiditur autem hominum laus in tempora tria, quorum duo semper accidunt, antecedens, & illud quod quisque uixit, tertium insequens non nisi in his potest tractari, qui è uita concesserunt, & suo fato sunt defuncti. Primum illud tempus laudem trahit a patria; cuius tractandæ vna est, & quidem frequens ratio, ut patriæ instituta laudes, & illa ad virtutem habere momentum doceas, sint illius nō sit splēdor, ut aut omnino taceas, aut eam laudem ut modicam despicias. Deinde a parentibus, quos sortitur quisque, non deligit. Illorum tractatus non disparem propè habet sententiā vt educatione disciplinaque parentum ad frugem euadere multos doceas, & in eorum mores trahi naturæ propensione liberos, ut contra non bene de squilla rosa nascitur. Genus, inquit Cicero, si humile est prætereatur. sin splendidum, modice laudetur. Denique a maioribus, ut si genus antiquum dicas, & fumosas imagines plerasque esse in ea familia. Persius, Stemmate quòd Thusco ramum millesime ducis. & alius, Maiorum pictas fumosa per atria ceras. Quam tamen ostentationem nobilitatis Satyrici subinde rident. Iuuenalis, Stemmata quid prosunt? & Horatius Satyra sexta. Horum duplex est tractatus. si honestum fuerit genus, laudabitur qui non decoxerit qui maiorum nobilitatem, aut æquarit, aut auxerit. Ita Plinius Minutium Fundanum, ita Scaurum Cicero, ita Brutum Cassiumque secunda Philippica laudat Sin humile, dabimus laudi ꝙ maioribus attulerit nobilitatem, quam non acceperat, ꝙ generis sui principium sit, ꝙ factis genus illustrarit. Augent hanc industriam tempora, difficultates, impedimenta, quæ quo fuerint maiora, eo emersisse pulchrius In hunc locum ediscēda sunt verba plurima, ut in tractando simus bene meditati. Ad tempus antegressum pertinent auguria, ostenta, & responsa aruspicum, coniectorumque. Illis utitur in Euagora Isocrates, περὶ δὲ τὰς φήμας, καὶ τὰς μαντείας καὶ τὰς ὄψεις ἐν ὕπνοις γενομένας ἐξ ὧν μείζων ἂν φανείη ἢ κατ' ἄνθρωπον γεγονὼς καταλιπεῖν, præsertim ea quæ carum lore eum quem laudamus, præsagiunt: ut in Achille laudando illud Promethei responsum quod Io docuerat, & ille Iouem, ratus fore, ut ideo pœna eximeretur. Deterruit enim à coniugio Thetidis Iouem, fatale prædicans ut filius Thetidis patre esset maior. uide Aeschylum in Prometheo. hinc Statius, Formidatamque Tonanti Progeniem, & patrio uetitam succedere cęlo. Hæc quidem omnia in eo quod ante nos est tempore spectantur. Hoc loco Christi prodromum Iohannem laudare possemus. Ipsius autem laus hominis, id est quæ illum propius attingit, & in eo tempore quod uixit posita est, tribus ex generibus peti solet, bonis animi, corporis, & fortunis: in quæ tamen intueri oportet eum qui exornare aliquem uelit cumulate. Quæ partitio omnium meruit consensum, & totidem apud alios uerbis absoluitur. Id demum miraberis, quòd ex his generibus etiam coniecturam sumi putat in partitionibus, non ut laudis habeant materiam, sed ut ex ingenio & moribus, uitibus & facultatibus suspiciones eruuntur. Aristoteles bona fortunæ & corporis enumerat prolixe: illinc assumat qui uolet. Fabius corporis fortunæque bonorum simul præcepta dat, quia ambo ex animo æstimantur, & ad uirtutem referri debent, nec per se ullam solidam habent laudem. Dicuntur autem bona corporis, quæ insunt corpori. Bona fortuita, quæ fortunæ benignitate nobis extrinsecus obueniunt. Omnia, inquit Cicero, profectò laudanda sunt, quæ uirtuti coniuncta, & quæ cum uitijs, uituperanda. Inter bona corporis primas tenent formositas & robur, quæ quando adsunt, sunt uirtutis quædam condimenta. Virgilius,

Gratior & pulchro ueniens in corpore uirtus.

Illa prosequimur honore uerborum, id est ut uirtutis indicia laudamus, ut Homerus 2. Iliados de Agamemnone,

Μετὰ δέ κρείων Ἀγαμέμνων
ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.

etiam si aliter illi conuitietur Achilles apud Homerum 9. Iliados. Cuius pulchritudinem, Nirei auget comparatione, his uersibus,

Νιρεύς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλεΐωνα.

Vnde ποδώκης & πόδας ὠκὺς ab Homero dicitur, & alibi Homerus omnium Græcorum principē facit quod ad robur attinet,

ἀνδρῶν δ' αὖ μέγ' ἄριστος ἔην Τελαμώνιος Αἴας
ὄφρ' Ἀχιλεὺς μήνιεν, ὁ γὰρ πολὺ φέρτατος ἦεν.

Interim contemptus & paruitas corporis facit admirabiliorem uirtutem, ut de Tydeo, qui cum esset paruo corpore, & paruo pollicente, tamen missus ab Adrasto rege Argiuorum ad Polynicem, quinquaginta uiros subsidentes in insidijs interemit. Idem Homerus libro Iliad. 5.

Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής. & latinus quidam poeta,

Maior in exiguo regnabat corpore uirtus. Ita uides leuem quidem esse corporis laudem, non uno tamen modo tractari. Nam siue corporis sint dotes, in laudem ualent, siue absunt, maiorem afferunt rei bene gestæ admirationem. Fortuita quoque bona uel affluentia uel desiderata, laudis habent argumentum. Nam si abundè confluant, dicemus ad benignitatem fortunæ copias collatas, & ad expromendam uirtutem animi subsecutam esse fortunam. At si cui angusta res est domi, & in re familiari sit ualde comminutus, eo maior laus erit si in tenui fortuna nunquam tamen uel sordidus fuerit, uel quęstui inhians, sed pro modo facultatum suæ liberalitati modum imponens. ita quo minores erunt opes, tanto gratiora erunt beneficentiæ bonitatisque munera. Rectum, ut dixi, laudis fundamentum est honestas. Omnes enim istæ fluxæ res & ludibria fortunæ non in habendo gloriam conciliant, sed in bene utendo, quod totum uirtutis est. Diuitiæ autem & opes in utranque partem uirium habent plurimum, id est tam ad bonum quàm ad malum ansam præbent, & ideo qui illis abundat, in usu, quali sit ingenio, statim docet. Si enim ad uirtutem conuertat, bene sperandi dat signum, sin aliter, ruere incipit, & nisi ruinam fulcias, in deterius in dies prolabetur.

Animi semper uera laus] Aliæ res interiectam habent naturam inter boni malique fines, uirtutis usus nunquam uariat in deterius, & ideo animi semper uera laus est, id est uirtutes insitas satis est commemorasse, & dicendo auxisse. Cæterùm cum uirtutes dico, non eas modò intelligo, quæ cernuntur actione, ut temperantiam in restinguendis facibus cupiditatum, iustitiam in tuenda societate, fortitudinem in adeundis bono animo periculis, & in despiciendis fortuitis rebus. Cognitionis etiam & authores & ministras habere, hoc debes nomine complecti, nec solum formatos habitus, sed etiam ad uirtutem paratos, & quasi præcultos, ut bonæ indolis indicia colligenda,

ligenda, & siquæ sunt erudiores, ut ita dixerim, uirtutes, maturiores breui fore erit pollicendum. Virtutum ac uitiorum descriptiones ex Partitionibus petes. obuius liber est, & intelligendi, adhibito interprete, non magnus labor. Verba si tibi uis suppetere, cumulata reperies in libro de officijs, ubi agit de honestatis partibus, ea quibus manat officium, sparsa in multis orationibus, ut pro lege Manilia, pro Marcello, Archia. Habes materiam: collocationem audi. Hoc opus, inquit, laudandi, non una ducitur uia id est, in laudandi officium dispares incidunt collocationes, & ordines. Interim speciosius fuerit & ornatius, ætatis incrementa sequi, & cum ætate crescente laudes procedere, ita Virgilius Saloninum Pollionis filium exornat, ita deformat secunda Philippica Antonium Cicero. Vis, inquit, te inspiciamus à puero? Quam rationem sequenti conueniet propria singularum ætatum nosse. Vide Horatium. & Aristotelem 2. Rhetoric. Ita in primis annis laudatur indoles, id est argumentum futuræ uirtutis, interim & pro uirtute iam cognita, Liuius. Tanta indoles in Lauinia erat. Facile est autem ex uultu, gestu, sermone elicere bonorum uel malorum semina. Tum in pueritia & adolescentia disciplinæ quibus animum expoliuerit, uel ad defensiones amicorum, ut si eloquentiæ dedit operam, uel ad militarem scientiam, ut si tractare arma probe nosset, uel ad rerum cognitionem, ut si se ab ineunte ætate dediderit contemplationi naturæ. post hæc in ætate constanti, matura, & iam declinante, factorum utamur dictorumq; contextu, id est serie rerum continua, seruato temporis ordine. Alias honestius fuerit constituere pauca genera uirtutum, in quæ referas facta omnia laudi coniuncta. ita singulis uirtutibus assignabis quod ad illas pertinebit. Sic Cicero Pompeium laudat constitutis imperatorijs uirtutibus. hac ipsa de re Cicero in hunc modum, Nam aut temporum seruantur gradus, aut distributiones generum, aut à maioribus ad minora delabimur, aut à minoribus ad maiora ascendimus, & inæquabili uarietate distinguimus, cum parua magnis, simplicia coniunctis, læta tristibus, obscura dilucidis, incredibilia probabilibus inteximus, quæ in exornationem cadunt omnia. Hunc tertium ordinem qui inæquabili uarietate distinguitur, prætermit Fabius, puto quòd mirus sit, & nonnunquam ad temporum ordinem, nonnunquam ad generum distributionem uergat, nisi per hæc quæ sequuntur, credimus Fabium intellexisse, cum ait, Vtra autem harum sit melior uia: uter potius sit tenendus ordo, temporum, an generum, deliberabimus cum materia, id est oblato argumento iudicabimus. In delectu tamen laudum, quia in hoc genere delectationem sectamur aurium, gratissima quęque ex laudum toto cumulo decerpemus, qualia sunt quæ solus quis fecit. Raritas admirationem gignit, admiratio uoluptatem, ut Cæsar armatus enatauit altera manu tenens commentarios rerum suarum, altera aquam scindens, & mordicus paludamentum tenens, ne spolium hosti relinqueret. Item quæ primus aliquis fecit, ut Iasonem laudabis quia primus, ut creditur, nauim conscendit, & ad Colchos delecta manu nauigauit. Aut si fecit quod paucis contigit. ita Aeneas laudatur quòd gradum reuocauit ab inferis. Pauci, inquit poeta, quos æquus amauit Iuppiter. Si quid supra spem, ut Cæsar discinctus præter spem animum uirilem gessit. Leonides ex insperato fortis, Brutus alacer & animosus, longè aliter quam sperarant omnes. Collatinus præter spem se abdicauit consulatu, ne plebem offenderet. In summa, ea maiore theatro digna sunt, in quibus nostrorum commodorum nulla obuersatur cogitatio, & si pericula alio potius nomine, modò honesto, quàm nostro adimus. Per hæc inquam si quis medium illum ordinem putet significari, non magnopere contendam.

Tempus quod est insecutum] Tertium tempus ea continet, quæ post mortem contigerunt, cuius usus non est frequens, partim quòd si uiuentes laudes, ea non potes recensere, quæ post mortem, quam nondum obijt. contigerint, partim quòd post obitum laudem non habent nisi uehementer insignia, quę non multis usu ueniunt. Rara, inquit, occasio est, raro fieri potest commode ut in deos sit aliquis post obitum relatus, ut fuit Iulius Cæsar, item Augustus. Raro item in funus honorificum fit S.C. ut factum est in obitu Augusti, quo diuina humanaq; omnia illi deferebantur. Raro item ut statuæ erigantur, quemadmodum Harmodio & Aristogitoni, qui honos, inquit Plinius, ita fauentibus animis est acceptus, ut ad omnes statim nationes permanarit. Agesilaus, referente Plutarcho, εἰκόνα erigi sibi uetuit, quòd mallet sui memoriam animis quam saxis credere. Hæc si habuit is quem laudamus, amplificanda erunt à uulgi studio, & ad uitæ transactæ honorem transferenda. Etiam ad tempus insequens pertinet fama, quæ post mortem magis magisque uenit. illa ex iudicio posteritatis & lucubrationibus relictis colligitur. Ingeniorum monimenta uocat libros & opera in quibus eruditionis est expressa significatio. Multi non probantur suis quibus cum uiuunt, posteris magis laudantur. Menander nouæ comœdiæ tersissimus scriptor quot es in theatro cum Philemone certaret, ab illo uictus est, cum tamen longo interuallo bene scribendo uinceret. ita ait Plutarchus occurrisse Menandro Philemonem, & ab illo rogatum, Rogo te ô Philemon, non te pudet cum tibi palmam fers? Ergo multi iustiora sunt experti posterorum iudicia, quam eorum quibuscum uitam egerunt. Ad hoc tertium tempus refertur laus filiorum, ut Paulo splendorem attulerunt filij tres consulares. Leges Solonis magnam latori attulerunt gloriam, & Lacedæmoniorum Lycurgo. ita artes inuentoribus laudem conciliant, ut Dædalo fabrilis ars, Lycophroni cæterisq; plastice ita & instituta, id est res in consuetudinem inductæ, ut Numa, authore Liuio, populum ferum legibus temperauit, & iniecto deorum metu moderatus est. Ille in commentarium retulit omnia sacra, & ex signatum librum Pontifici maximo dedit. Vide Plutarchum, Liuium, Dionysium. Ita Valerius ex Valesiorum antiqua familia, cum timeret ne in tyrannidis affectatæ suspicionem ueniret, ius concionandi petiuit à populo, & illi submisit fasces. ὑφῆκεν, inquit Plutarchus, τὰς ῥάβδους, τοὺς πελέκεις ἀπέλυσε τῶν ῥάβδων. αὐτὰς τὰς ῥάβδους εἰς ἐκκλησίαν παριὼν ὑφῆκε τῷ δήμῳ καὶ κατέκλινε μεγαλοποιῶν τὸ πρόσχημα τῆς δημοκρατίας, καὶ τοῦτο μέχρι νῦν διαφυλάττουσιν οἱ ἄρχοντες. Ex quibus intelliges, nihil aliud fuisse fasces populo submittere, quam τῆς ἐκκλησίας κύριον ποιεῖν τὸν δῆμον. Et idem Plutarchus ait id in morem translatum fuisse. Alioqui modestiæ fuit non ingredi cum fascibus. Hinc Pompeius, ut idem ait, fasces submisit cum subiret domum Posidonii: & apud eundem, cum ad Cæsarem Lucam magistratus conuenissent, ultro fasces summisere. Et hactenus de laude. Contrariorum eadem disciplina non temere creditur. Qui enim laudis locos optime nouit, is satis intelligit uituperationis materiam ex contrarijs sumi. Vt autem sunt tria bonorum genera, sic & malorum. Ergo idem constabit ordo in uituperando, id est eandem temporum sequemur partitionem, & quæ ante, & quæ cum ipso, & quæ post acciderint, commemorabimus. Genus si humile fuerit, in morum trahetur argumentum. Sic Cicero, Cuius pater stipulator, argentarius auus fuerit, uterque precarium fecerit quæstum. Sin clarum, rapietur in maiorem inuidiam, quòd nihil illi profuerit generis nobilitas, quàm ut esset magis in aperto illius uitium. Ita genus Antonii carpit Cicero, & Catilinæ. In tempore præcedente sunt auguria & responsa. Ita Cassandra præsagiit Paridem excitaturum belli incendium, quod non nisi effuso Troianorum sanguine posset extingui. Ita corporis deformitas, & fortunæ tenuitas (quæ sunt in secundo tempore) contemptum adferunt. ita de Therſite Homerus Iliad. B.

Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα
ὃς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη
μάψ. & paulopost,
αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ δέ οἱ ὤμω
Κυρτὼ ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε, αὐτὰρ ὕπερθεν
φοξὸς ἔην κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.

Rursum si bona fuerint, sed mollitie deprauata, haud scio an plus secum trahant ignominiæ, ut Nireus fuit longè omnium dempto Achille pulcherrimus. at ut Homerus ait, Nireus, inquit, Aglaiæ & Charopi filius,
ἀλλ' ἀλαπαδνὸς ἔην, παῦροι δέ οἱ εἵπετο λαός. Horatius, Qualis aut Nireus fuit. Ita & Plistenes, qui fuit Aegisti pater, non minus adulter quam filius. Sunt qui reponant Clisthenem, qui, ut Suidæ dicam uerbis, ἐπὶ μαλακίᾳ διεβέβλητο καὶ ἐγυναικίζετο. & ut iunior uideretur, philtro sibi uellebat pilos, aut abradebat. Sophocles, καὶ πῶς ἂν γένοιτ' εὔτακτος πόλις, ἐπειδὰν γυνὴ γεγωνία, πανοπλίαν ἔσω ἔχων, κλεισθένης δὲ περιΐδῃ. Aristophanes bis, quod sciam, meminit in Ranis, κλεισθένης ἐγώ, & alibi συγγένει τῷ κλεισθένει. Interpres eadem quæ Suidas citat ex Cratini comœdia, γέλως ἐπὶ κλεισθένης. Ergo à poetis impudicum accepimus. Iam animi ut certa laus est, ita seria inde nascitur uituperatio, quæ etiam omnino destruit, & uerò famam cum uita. Animi quot uirtutes, tot uitia. Immo multo plura, si modò uerum est quod dicitur, uirtutem duobus contrarijs uitijs circumsideri & cingi. Sed duo illa contraria uitia in unum propemodum ueniunt genus, & pro uno nu-

merantur

merentur. Itá animi tot demum uitia, quot & uirtutes erunt. Nec minus quàm in laudando uitia tractamus duplici ordine temporum, per singulas ætates illa perlustrando, & in certa genera reuocando. Hæc autem in secundo tempore obseruantur. Tertium tempus infamandæ personæ etiam materiam præbet. Vnco tractum est Domitiani corpus, imprecationibus deuotum est cadauer Galbæ, Neronis nomen exemptum statuis. Hæc libertatem ad infamiam irrogandam significant. Sic Spurii Melii, quem largitio annonæ difficili tempore in tyrannidis suspicionem traxit, æquata solo, euersaque est domus, cum illum Seruilius Hala magister Equitum Cincinnati dictatoris interemisset. Ita Manlius de saxo Tarpeio deiectus est, ut ait Cicero in prima Philippica, propter unius Manlii scelus, Marci prænomen posteris detractum. Martij uerò à Marte quasi bellicosi dicti creduntur. de utroq; Liuius. Iam ut filii frugi laudem ferunt patri, ita improbos genuisse filios, in parte uituperii ponendum est. Ita mater Cæsaris damnabatur. Ita Neronis mater ignominiam ex filii improbitate maximam accepit, etiam si uiros bonos mali subsequuntur, ut Seruium Tullium filia tragici sceleris exemplo insignis, & Brutum libertatis assertorem, filii eiusdem proditores, ut Ciceronem filius à bibacitate nomen trahens. Conditæ urbes laudem contrahunt conditori, ut Roma Romulo, Alexandria Alexandro, Philippopolis Philippo. Ita uitio dabimus siquis gentem reliquerit cæteris noxiam, qualis Iudaicæ superstitionis author. Hoc loco Domitiano assentatur, qui odio in Christianos effuso, illos cum Iudæis in unum quasi fascem colligabat. Nobis autem constat populum illum, cum cæteræ gentes errarent, in dei uera religione perstitisse, & tandiu floruisse, quandiu lux orbis Christus in hunc orbem non uenerat: postea caligo cessit luci, umbra Soli, simulacrum ueritati. Item si C. & Tiberium Gracchos uituperares, leges eorum inuisas diceres, quæ fuerunt tres, Agraria, Frumentaria, Iudiciaria, ut & uirium agri diuiderentur his qui sortem non haberent, & frumentum plebi ex ærario emeretur, & iudicia à Senatoribus ad Equites transferrentur. Vide Appianum, & Florum. Fuerunt autem inuisæ Patribus, unde cum in eas perferendas incubuissent, sunt interfecti, alter à Scipione Nasica priuato, alter ab Opimio consule. Et siquod est relictum exemplum deforme, quale uir Perses in muliere Samia instituere primus ausus dicitur. Cælius libro decimo capite decim'octauo legendum putat, in matre Samia, ut si proprium nomen, uel, in matre sua, uel in matre & filia. Non enim cauetur Persarum legibus nequis cum matre aut sorore congrederetur. Eum morem Lucanus Parthis tribuit, Arsacides, cui fas implere parentem, & in Maura regione coire filijs cum matre permissum. Ouidius, Gentes tamen esse feruntur, In quibus & nato genitrix, & nata parenti Iungitur, & Persæ ita putabant Magum nasci oportere. ita Catullus. nisi malis de fellatione intelligere, quam Perses aliquis in Samia muliere sit expertus: de quo certum aliquid legere non memini, præterquam de Lesbijs, qui ideo στόματι μολυνόμενοι dicuntur. Hæc breuiter ex Cælio, quæ inde transcripsit Badius, non hac diligentiæ laude fraudandus. Atque ita breuiter notatis uituperandi locis, nunc subnectit quædam quæ obseruare dicentem oportet, siue laudandam personam acceperit, siue criminum infamia obruendam. Cum uiuentes laudabimus, exquirenda sunt iudicia hominum, ut si Metellum, cuius fidei tantum delatum est, ut prolatas tabulas Iudices inspicere noluerint. lege Valerium, & Xenocratem, quem sui ciues iurantem aram tenere noluerunt. Ergo hominum iudicia quandam habent morum æstimationem, & ut obseruantur à uiuentibus, aut despiciuntur, ita uel uirtutem inde uel ignominiam colligimus.

Interesse tamen putat Aristoteles ubi quisque laudetur aut uituperetur.] Aristoteles in primo Rhetoricorum ad Theodecten sic ait, σκοπεῖν δὲ καὶ παρ' οἷς ὁ ἔπαινος. ὥσπερ γὰρ ὁ Σωκράτης ἔλεγεν, οὐ χαλεπὸν ἀθηναίους ἐν ἀθηναίοις ἐπαινεῖν, δεῖ δὲ τὸ παρ' ἑκάστοις τίμιον λέγειν. Plurimum enim refert, quæ opinio mentes hominum occupauerit. Nam si exornemus per ea quæ ipsi laudanda putant, erit probabilis audientibus oratio. contra si uituperemus per ea quæ ipsi odio habent, ardentius odium in eum quem uituperamus, accendimus. ita non erit dubium iudicium, id est non dubitabimus quid sentiant de ijs quæ dicimus, cum illud iudicium præcesserit orationem, id est antequam diceremus, ex publico more habuerimus cognitum. Ipsorum iudicum permiscenda laus semper) Ex occasione diffundit præceptum etiam ad iudiciale genus, quanquam de illo nihil loqui constituit hoc capite. Non auditorum, inquit, solùm in genere exornatorio, sed ipsorum quoque iudicum sine specie adulationis est laus permiscenda. Ea res fauorem illorum promerebitur nobis dicentibus. Iungi autem præcipit cum utilitate materiæ, id est eam partem uirtutis laudari, cuius opera egeas maxime, ut si clementia uti uelis, eius clementiam commendes, sin ad pœnam inducere, eius admireris seueritatem, quod præceptum in quarto repetit Fabius. Sed ut dicam quod sentio, ego hunc totum, locum adscriptum aliunde puto, & hic aut parum quadrare, aut nihil. Etenim quæ sequuntur, cum superioribus cohærent ab Aristotele citatis. Minus, inquit, Lacedæmone studia literarum, quam Athenis merebuntur laudis. Disciplina Laconica nihil erat aliud quam in bellicis ciuilibusque officijs πειθαρχία, ut ait Plutarchus. Ideo si apud Spartanos laudares Agesilaum, non in eius doctrina, sed in bellica uirtute deberes uersari, quam unam recipiunt. At apud Athenienses in honore sunt artes, & ideo multum habent laudis studia literarum, quæ posses commemorare in Themistocle aut Pericle illustrando. Apud quosdam rapto uiuere non est turpe. Ne abeas longius, rapere ex Phiditijs non uetuit Lycurgus, & Ouidius, Viuitur ex rapto. Apud alios est cura legum, id est alij furta legibus prohibita non perpetrant, ut apud Romanos. Sybaris oppidum Italiæ Crotoni uicinum, quod authore Stephano Thurium postea uocatum est, hinc Sybaritæ luxu circunfluentes, & in architectura uoluptatem periti, ut nec artem admitterent quæ cum strepitu exerceretur, ne à somno auerterentur, & mulieri quæ in conuiuium uentura erat, anno priore denunciarent, ut se diligenter compararet. hinc quicquid effœminatum erat ac molle, Sybariticum appellabatur. author Suidas. Cæterùm quæ de Sybaritis docte colligi possunt, uide apud Politianum Miscellaneorum capite decimoquinto & Erasmum in prouerbio, Mensa Sybaritica. De missu Sybaritico Lampridius, & de luxu Athenæus libro duodecimo. Hinc Sybaritici libelli, & nequitiæ Sybariticæ, & nugæ, & illorum rex Smindirites, Sardanapalo nihilo inferior. Ergo si apud hos frugalitatem laudares, nullam tribum ferres, sed nec ullum quidem ferres punctum. Ac apud Romanos ueteres nullum maius crimen quàm luxuriæ, id est immodici & deliciosi sumptus. Ita Curius rapis uictitabat, ita oleribus Fabricius. Cicero 4. actione in Verrem, Iam hominum tanta patientia frugalitasque, ut proxime ad ueterem disciplinam, non hanc quæ nunc increbruit, uiderentur accedere; ita Fabius addidit ueteres. Nam & Plinius. Asia uicta nos uicit, tum primum, uile apud ueteres mancipium, coquus, in pretio haberi cœptus. Ita Damam magno emit Sallustius. Idem Liuius deplorat, de Scipione Asiatico loquês, sub quo, ut idem ait, luxuria auaritiaque primùm in urbem immigrauere. Argumento sunt tot leges sumptuariæ, de quibus Gellius & Macrobius in Saturnalibus.

Eadem in singulis differentia] Vt, inquit, obseruandus est totius gentis, aut nationis ritus, ita & singulorum hominum sui quidam mores sunt obseruandi. Maxime autem fauet iudex, qui dicentem sibi putat assentari) Hoc ad superius pertinet. Dicit enim ideo sua laude conciliari iudicem, quia cum reos uidet ita effusos in laudem, ut propè assentari uelle uideantur, fauet. Quòd si leges assentiri, apertior erit sensus, in hunc modum, cum uidet nos eadem quæ ipse laudanda existimat, laudare, nostrumque iudicium cum suo consentire, fauet.

Idem præcepit illud] Alia est admonitio, quæ non tanti est, ut insigi inculcarique tam frequenter debeat, ut fecit in Rhetorica Celsus. Locus Aristotelis est paulo supra ad hunc modum, ληπτέον δὲ τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπάρχουσιν ὡς καὶ ταὐτὰ ὄντα καὶ πρὸς ἔπαινον καὶ πρὸς ψόγον. Deinde subdit utriusque rei exempla. Præceptum Aristotelis ita Fabius interpretatur, quia speciem uirtutum sæpe uitia præbeant, utendum esse proxima deriuatione uerborum, id est ad proximum deflectendum esse uerbum, ut temeritas ementitur fortitudinem, & illi uicina est. Ergo si re uera temerarius sit quem laudas, deriua uerbum ad proximum, & uoca fortem. ita si profusus sit aliquis, munificum appellabis, si auarus, parcum & prouidum, quæ contra ualent. Etiam pro uirtutibus uitia possumus substituere. Horatius, Pro bene sano, Ac non incauto fictum astutumque uocamus. Simplicior siquis, communi sensu planè caret, & supra, Probus quis Nobiscum uiuit multum demissus homo, illi Tardo cognomen pingui damus. At istuc est uirtutes inuertere, & ut idem Horatius ait, syncerum uas

incrustare,

incrustare. Quare orator ille uir bonus nunquam ita uirtutem deflectet ad uitium, nisi illud facere communis utilitas cogeret. Eam enim in re officij constantiam teneret. id rarò potest accidere. Ita habes de laude hominum.

Laudantur urbes similiter atque homines] In quatuor genera diffecuerat ea quæ laudantur, diuina, humana, bruta, & anima carentia. De duobus egit, diuinis, humanisque laudibus. Tertium genus laudem rationis expertium præterijt, ob raritatem puto. est enim ualde infrequens: incidit tamen & scriptoribus. Equum Alexandri laudarunt plerique. Equum Cæsaris non defuerunt qui prædicarent. Virgilius equum laude ornat, ut Homerus sæpe describit. Oratori uix accidit ut de hoc argumento sit agendum. In quo uirtutes cuiusque sunt colligendæ, corporis præsertim, & fortunæ ut equos ex genere Solis Virgilius extollit. deinde erit pulchritudo, si bene cornatus, si breuis aluus, obesa terga, capur argutum. Alacritas, ut Primus inire uiam, & fluuios tentare minaces. Robur, ut, Pede summouet hostem. Postremò siqua diuinæ mentis humanæque scintilla. Nam & equi illachrymarunt in obitu dominorum, & equus Cæsaris non alium sessorem admittebat, & diffissos habebat pedes. At urbium laudes ex proportione per eosdem locos ducuntur. Ante hominem est genus, ut pater. Ante orbem est conditor, qui uice parentis est, ut pater Romæ Romulus. Ante hominem est antiquitas generis. Ita si antiquum est genus urbis, Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni. ut ij quorum cum propter obscuritatem ignorarentur patres, terræ filij dicebantur. Liuius 1. Qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, uetere consilio condentium urbes, natam è terra sibi prolem mentiebantur. Iuuenalis, Vnde fit ut malim fraterculus esse gigantum. Inde terræ filij, ignoti. Cicero ad Atticum, Et huic terræ filio committere literas nolui. Persius,

Præsto est mihi Manius hæres, Progenies terræ. In secundo tempore ponentur res à ciuibus communi cõsilio gestæ, ut, Studiisque asperrima belli. Addit laudem religio, cultusque obseruantissimus, ut, Hanc Iuno fertur terris magis omnibus unam. & siquid ibi est insignius, Hic illius arma, Hic currus fuit. Breuiter ibi omnem urbis laudem generatim est poeta complexus. Illa sunt singularum urbium propria, positio loci, clemens aer, temperata caloris frigorisque uicissitudo, portus commodus, & tuta statio, muri bene prospectantes, locus natura munitus, aquarum fœcundus, postremò situs, ut, Italiam contra, Tiberinaque longè Ostia. Hæc ex loci positione munitioneque spectantur. Tempus sequens imitantur ciues, qui si non decoxerunt, sed laudi priorum fecerunt paria, laudem habent, ut Romanos rerum dominos, gentemque togatam. &, Animos æquabit Olympo. Magnitudo ciuium cohonestat urbem, quæ omnia ex similitudine hominum laudibus respondent.

Est & laus operum] Opera publica priuataque complectitur, sed maxime publica, ut sunt cloacæ, muri, carcer, templum. In his spectatur honos, si splendida sunt, & urbi honorifica, ut Capitolium. Liuius, Concipit animo dignum rege deorum hominumque & tanto imperio templum. Vtilitas, Capitolium & arcis habebat uicem, & templi, & in eo sæpe habebatur senatus. Pulchritudo, Huius itaque manubiæ quæ perducendo ad finem operi destinatæ fuerant, uix in fundamenta suppeditauere. Author Tarquinius priscus qui uouerat, Superbus ædificauit, dedicauit collega Valerij Horatius. Possunt hi uideri authores. Conueniunt ergo hæc quatuor uniuersis, alijs alia præualent, ut in templis honor, in thesauris utilitas, pulchritudo, & author, ex æquo in utroque habent usum. Huc pertinet laus quarundam statuarum, ut Statius primo syluarum laudat equestrem statuam Domitiano erectam, & Plinius Apellis aliquot picturas, & Venerem emergentem Callimachus.

Est & locorum.] Loci appellatione continentur prouinciæ, regiones, quarum laus obuia est. Fabius reuocat ad duo genera, speciem, id est situm, & utilitatem, qua continetur fertilitas, salubritas, & amœnitas. Talis est laus Siciliæ apud Ciceronem, Italiæ apud Virgilium Georgicorum secundo. Exempla longiora uito. Est etiam dictorum factorumque laus generalis, & quæ sine certæ interpositione personæ tractetur. Aut potius generalem uocauit, quæ non in parte tantùm orationis ponatur, sed quæ per totum orationis corpus sit ex proposito diffusa. In summa, res omnis modi cuiuscunque generis laudari possunt. Laus dictorum factorumque, utili, honesto, difficili æstimatur, quæ tria genera in suas partes distributa, mirabilem copiam suppeditabunt. Somni laudem scripserunt nonnulli, & eius regiam descripserunt poetæ, ut Ouidius in Metamorphosi. Mortis laudem scripsit Cicero primo libro Tusculanarum quæstionum, ut eius metum ab animis excuteret radicitus. Cicero in eodem libro. Alcidamas rhetor antiquus in primis nobilis scripsit etiam laudationem mortis: cui rationes eæ quæ exquisitius à philosophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit. Sunt & qui laudes conscripserunt herbarum, ut asphodelum qui laudarit, legere me alicubi commemini. De materiis infamibus & inopinabilibus, & cuius gratia exerceantur, uide Gellium capit: duodecimo libro decimoseptimo. Itaq; ut non consensi genus hoc esse circa solam honesti quæstionem, ita qualitate maxime contineri puto. De fine huius generis dixi accuratè libri huius capite quarto, quæ repetenda non duximus. Addemus hic tantùm, Ciceronem, cum ait honestatem laudis esse finem, intellexisse de potissima exornatione, nempe hominum. Fabius latius tractat idem genus, & ideo non consentit honestatis tractatu contineri. Nam in laude harum rerum commoditas potius quædam exquiritur, quàm honestas, quæ in his rebus nulla repenti potest: tum quod ad statum attinet huius generis, propemodum qualitas est. Quæ dicuntur enim, ut plurimum confessa sunt, & nominis controuersia carent, unde qualia sint, dicemus, quanquam nullus est status qui in laudem cadere non possit, & Cæsar in Anticatonibus, quos æmulatione potius eloquentiæ, ut cum Cicerone contenderet, quam odio mortui Catonis composuisse dicitur, multa in coniecturam uocauit, finitionem, & qualitatem, ut Cicero notat in Topicis, his uerbis: Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Cæsar contra meum Catonem. Ad finem comparat genus hoc cum proximo. Est, inquit, quædam inter hæc duo genera uicinitas, quæ enim cum deliberamus, suademus ut sunt, honesta nempe & utilia, illa in demonstrando ut consulto facta prosequimur honore uerborum. Hactenus de genere demonstratiuo. In quo siquis uelit dictionem exercere, non ipsam duntaxat excolet, sed uitæ sibi legem quam sequatur indicet. Est autem huius generis exercitatio tum facilitate iucunda, tum copia redundans, tum ornamentis placens, cuius præcepta & scribenti occurrere, & discenti debent hærere.

FINIS LIBRI TERTII.



M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA, LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM.

Hac præfatione poetarum more deos in auxilium inuocat, & Domitiani numen, quod ad beneuolentiam eius emerendam non parum facit, cuius rei caussam duplicẽ assignat, & quia eius expectationi iudicioq; grauissimo respondendum erat, qui sororia suæ filios instituendos sibi tradidisset, & quia quæ sequuntur, præcedentibus sunt longe difficiliora, quo posteriore sibi attentionem parat. Ea quæ hic proponit, ordo caussarum iudicialiũ, officium exordii, narrandi, confirmandi, & confutandi ratio, uia perorationis, quæ uel mouendis affectibus, uel reficienda breui repetitione memoria constet.

PROOEMIVM.

PERFECTO, Marcelle Victori, operis tibi dedicati tertio libro, & iam quarta ferè laboris parte transacta, noua insuper mihi, diligentia caussa, & altior solicitudo quale iudicium hominum emererer, accessit. Adhuc enim uel ut studia inter nos conferebamus: & si parum nostra institutio probaretur à cæteris, contenti fore domestico usu uidebamur, ut tui meique filij formare disciplinam satis putaremus. Cum uerò mihi Domitianus Augustus sororis suæ nepotum delegauerit curam, non satis honorem iudiciorum cœlestium intelligam, nisi ex hoc quoque oneris magnitudinem metiar. Quis enim mihi aut mores excolendi sit modus, ut eos non immeritò probauerit sanctissimus censor? aut studia, ne fefellisse in his uidear Principem ut in omnibus, ita in eloquentia quoque eminentissimum? Quod si nemo miratur Poetas maximos sæpe fecisse, ut non solùm initijs operum suorum Musas inuocarent, sed prouecti quoque longius, cum ad aliquem grauiorem uenissent locum, repeterent uota, & uelut noua precatione uterentur: mihi quoque profectò poterit ignosci, si quod initio quum primùm hanc materiam inchoaui, non fecerim, nunc omnes in auxilium Deos, ipsumq; in primis, quo neque præsentius aliud, neque studijs magis propitium numen est, inuocem: ut quantum nobis expectationis adiecit, tantum ingenij adspiret, dexterq; ac uolens adsit, & me qualem esse credidit, faciat. Cuius mihi religionis non hæc sola ratio, quæ maxima est, sed alia, quæ sic procedit ipsum opus, ut maiora præteritis, ac magis ardua sint quæ ingredior. Sequitur enim ut iudicialiũ caussarum, quæ sunt maximè uariæ ac multiplices, ordo explicetur: quod proœmij sit officiũ: quæ ratio narrãdi: quæ probationũ sit fides, seu proposita confirmamus, seu contradicta dissoluimus: quanta uis in perorando, seu reficiẽda breui repetitione rerum memoria est iudicis; siue affectus (quod est longè potentissimum) commouendi. De quibus partibus singulis quidam separatim scribere maluerunt, uelut onus totius corporis ueriti, & sic quoque cõplureis de unaquaque earum libros ediderunt: quas ego omnes ausus contexere, propè infinitum mihi laborem prospicio, & ipsa cogitatione suscepti muneris fatigor. Sed durandum est, quia cœpimus: & si uiribus deficiemur, animo tamen perseuerandum.

Inuocatio nis duplex caussa.

Blanditur Domitiano.

Proponit quæ deinceps tractãdi sint li. 4. 5 & 6.

MOSELLANI.

Sanctissimus censor (Grauissimus æstimator morum, Augustus uidelicet Domitianus.

Eloquentia quoque eminentissimum] Opinor hanc laudem maximè pertinere ad prima tempora suscepti imperii à Domitiano: quandoquidem Suetonio Tranquillo authore, in his modestissimum gessit imperium: adeo ut si perseuerasset in instituto, inter laudatissimos referri potuisset. Porrò ut in cæteris, ita & in eloquentia utriusque linguæ insignis describitur à Suetonio, ut qui etiam cõmentaria historiarum reliquerit.

Musas innocarent] ut Homerus in Iliade sua ingressurus descriptionem principũ qui ad Troiam expugnandã uenerant. & Virgilius ad exemplũ Homeri idem hoc in ducibus obseruat.

ARGVMENTVM.

In oratoris opere id est oratione primum locum Procemiũ obtinet, circa quod hæc consideranda dicit: Quid Proœmium, Quot eius species, Quãdo insinuatione utẽdum, Quę caussa procœmii, Quis usus, quæ propria, & quomodo præstentur, Quæ uarietas singulorum generum, Quæ in eo intuenda, & quod optimum, Quæ eius figuræ, habitus & elocutio, & quando non est eius usus. Quæ uitiosa exordia. Qualis eorum finis.

Proœmium significantius à græcis dictum quàm a latinis, ex eius etymologia: & esse id quod apud iudicem dici priusquam caussam cognouerit, prosit, demonstrat. Eius esse duas species, principium, & insinuationem. Cuius tria sunt tempora: Vnũ, quando frons caussæ parum honesta est. Secundum, quando dicendum est apud fatigatos. Tertium, cum aduersarii actio iudicum animos occupauerit. Proœmii usum & officia, attentos, dociles & beneuolos reddere. Beneuolentiam uero duci à personis, rebus, & adiunctis utrique. A personis quinque modis. Actoris, patroni, litigatoris, rei, & iudicis. Actoris, ductum officio cognationis, amicitiæ. Reip. uel magni exempli uenisse ad agendum dicendo, non auaritia uel ambitione, aut odio, nec contumeliose uel in personam uel in ordinem quenquam agendo. Patroni, eloquentiam actoris & gratiam timere simulando, cum honore, aut etiam per contumeliam suspectam reddendo. Litigatoris, eius dignitatem allegando, aut infirmitatem commendando, aut sexum, ætatem, conditionemve, ex quibus moueatur miseratio, proferendo. Rei, inuidiam, si potens sit, contemptum, si uilis & abiectus, odium, si nocens aut turpis, ei conflando. Iudicis, eum modeste & ad caussam accommodate laudando, opinionem domo allãtam confirmando, uel detrahendo, metum amouendo uel adhibendo. A caussa aliqua in usum principii quæ maximè fauorabilia uidebuntur decerpendo, & augendo, contraria repellendo & minuendo, miserationem ab infœlici nostro exitu, & superbo aduersarii si uincamur, mouendo. Ab iis quæ personis adiuncta sunt, liberos, parentes, propinquitates, amicitias, rogationes, ciuitates, proferendo. Ab adiunctis caussæ, locum, tempus, habitum, expectationem uulgi, actionem proponendo, optando, abominando, rogando, solicitum agendo. Attentionem parari, res nouas, atroces, magnas, ad exemplum uel ad ipsos iudices pertinentes, neque diu nos moraturos, neque extra caussam dicturos, promittendo, & in his etiam optando, abominando, rogando, solicitum agendo. Dociles fieri, ut in attentione, neque diu nos moraturos, neque extra caussam dicturos promittendo, summamque caussæ breuiter & dilucide indicando. Quæ omnia quemadmodum in una oratione nonnunquam præstanda sint, ita in omnibus locum non habere, cum sint quæ beneuolentiam, alia quæ docilitatem & attentionem desiderent. Quocirca genera caussarum, pro quorum uarietate aliud atq; aliud præstandum est, esse cognoscenda, quæ plurimi quinq; fecerint, honestum, humile, dubium uel anceps, admirabile, obscurum. nam turpe sub humili uel admirabili comprehendi, & in ancipiti quidem iudicem maximè beneuolũ reddi oportere, in obscuro docilem, in humili attentum, in admirabili & turpi remediis per insinuationẽ opus esse, ut si persona laboremus, ad caussam, si caussa, ad personam confugiamus, si his destituamur, quod aduersarium lædat quæramus, aut si fatigati sint, urbanitate opportuna animum reficiamus. aut si

trem ... alter aūt asper et rarus, quo minatur corruptis accusationē, et id quidē in concilio ampliore uteūq; cutius. nā et mali inhibētur, et boni gaudent. Apud singulos uerò numo(?) suaserim, nisi defecerint oīa. Quod si necessitas exigit, non erit iam ex arte oratoria: nō magis quā appellare, ēt si id quoq; sæpe utile est, aut antequā pronunciet, reū facere. Nā et minari et deferre ēt nō Orator pōt.

A caussa conciliatio.

Si caussa, cōciliandi nobis iudicis materiā dabit, ex hac potissimū aliqua in usum principij, quæ maximè fauorabilia uidebuntur, decerpi oportebit. quo in loco Virginius fallitur, qui Theodoro placere tradit, ut ex singulis quæstionibus singuli sensus in proœmiū conferantur. Nā ille non hoc dicit, sed ad potētissimas quæstiones iudicē præparandū. In quo uitij nihil erat, nisi in uniuersum id præciperet: quod nec omnis actio patitur, nec omnis caussa desiderat. Nam protinus à petitore primo loco, dū ignota iudicialis est, quo modo ex quæstionibus ducemus sententias? nimirum res erunt iudicandæ prius. Deinde aliquas (nam id exigit ratio nōnunquam) etiamne potētissimas omnes, id est totam caussam? sic erit in proœmio peracta narratio. Quid uerò si (ut frequēter accidit) paulo est durior caussa? non beneuolentia iudicis petenda ex alijs partibus erit, sed non antè cōciliato eius animo nuda quæstionū committetur asperitas? Quæ si rectè semper initio dicendi tractarentur, nihil proœmio opus esset. Aliqua ergo nōnunquam, quæ erunt ad cōciliandum nobis iudicem potentissima, non inutiliter interim ex quæstionibus in exordio locabuntur. Quæ sint porrò in caussis fauorabilia, enumerare non est necesse, quoniam & manifesta erunt cognita cuiusq; controuersiæ conditione, & omnia colligi in tanta litium uarietate non possunt. Vt autē hæc inuenire & augere, ita quod lædit, aut omnino repellere, aut certè minuere, ex caussa est.

Miseratio in exordio.

Miseratio quoq; aliquādo ex eadem uenit, siue quod passi sumus graue siue passuri. Nec.n. sum in hac opinione, qua quidā, ut eo distare proœmium ab epilogo credā, quòd in hoc præterita, in illo futura dicantur: sed quòd in ingressu parcius & modestius prætentāda est iudicis misericordia, in epilogo uerò liceat totos effundere affectus, et fictam orationem induere personis, & defunctos excitare, & pignora eorum producere: quæ minus exordijs sunt usitata.

Proœmii & epilogi differentia.

Sed hæc quæ suprà dixi, non mouere tantùm, uerùm ex diuerso amoliri quoq; proœmio opus est. Vt autem nostrum miserabilem, si uincamur, exitum: ita aduersariorum superbū, si uicerint, utile est credi.

Ab adiunctis personarum & caussæ.

Sed ex ijs quoq; quæ non sunt personarum, nec caussarum, uerùm adiuncta personis & caussis, duci proœmia solent. Personis applicantur non pignora modo, de quibus suprà dixi, sed propinquitates, amicitiæ, interim regiones etiam, ciuitatesque, & si quid aliud eius quem defendimus casu lædi potest. Ad caussam extrà pertinet tempus, unde principiū pro Cælio. Locus, unde pro Deiotaro. Habitus, unde pro Milone. Opinio, unde in Verrem.

Al. 1.

Deinceps, ne omnia enumerentur, fama iudiciorum, expectatio uulgi. nihil.n. horum in caussa est, ad caussam tamen pertinet. Adijcit Theophrastus ab * actione principium, quale uidetur esse Demosthenis pro Ctesiphonte, ut sibi dicere suo potius arbitrio liceat roganti, quàm eo modo quem accusator actione præscripserat.

* ratione

Fiducia ipsa solet opinione arrogantiæ laborare.

Fauorem conciliantia.

Faciunt fauorem & illa penè communia, non tamen omittenda uel ideo, ne occupentur, optare, abominari, rogare, solicitum agere: quia plerunque attentum quoque iudicem facit si res agi uidetur noua, magna, atrox, pertinens ad exēplum: præcipuè tamen si iudex aut sua uice aut Respublica commouetur: cuius animus spe, metu, admonitione, precibus, uanitate denique, si id profuturum credimus, agitandus est.

Attentio.

Sunt & illa excitandis ad audiendum non inutilia, si nos neque diu moraturos, neq; extra caussam dicturos existiment. Docilem sine dubio & hæc ipsa præstat attentio: sed & illud, si breuiter & dilucidè summam rei de qua cognoscere debeat, indicauerimus: quod Homerus atque Virgilius operum suorum principijs faciunt.

Docilitas.

Homerus & Virgilius.

Nam istius rei modus est, ut propositioni similior sit, quàm expositioni: nec quomodo quicq; sit actum, sed de quibus dicturus sit Orator ostendat. Nec uideo quod huius rei possit apud Oratores reperiri melius exemplū: quàm Ciceronis pro A. Cluentio, Animaduerti Iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes: quarum altera mihi niti & magnopere confidere uidebatur inuidia iam inueterata iudicij Iuniani: altera tantummodo consuetudinis caussa timidè & diffidenter attingere rationem ueneficij criminum, qua de re lege est hæc quæstio constituta. Id tamen non totum respondenti facilius est, quàm proponenti: quia hic admonendus iudex, illic docendus est.

Sēper attētus & docilis faciendus iudex.

Nec me quanquam magni authores in hoc duxerint, ut non semper facere attentum, ac docilem iudicem uelim: non quia nesciam id quod ab illis dicitur, esse pro mala caussa: qualis ea sit, non intelligi: uerùm quia istud non negligentia iudicis contingit, sed errore. Dixit enim aduersarius, & fortasse persuasit: nobis opus est eius diuersa opinione: quæ mutari non potest, nisi illum fecerimus ad ea quæ dicemus, docilem & attentum. Quid ergo? Imminuenda quædam, & eleuanda, & quasi contemnenda esse consentio, ad remittendam intentionem iudicis, quam aduersario præstat: ut fecit pro Ligario Cicero. Quid enim agebat aliud ironia illa, quàm ut Cæsar minus se in rem tanquam non nouam intenderet? Quid pro Cælio, quàm ut res expectatione minor uideretur? Verùm ex ijs quæ proposui, aliud in alio genere caussæ desiderari palam est.

Caussarū genera diuersa, ac proinde exordiendi rationes per principiū uel insinuationem.

Genera porro caussarum plurimi quinque fecerunt, honestum, humile, dubium uel anceps, admirabile, obscurum: id est, ἔνδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, παράδοξον, δυσπαρακολούθητον. Sunt quibus rectè uideatur adijci turpe, quod alij humili, alij admirabili subijciunt. Admirabile autem uocant, quod est præter opinionem hominum constitutum. In ancipiti maximè beneuolum iudicem, in obscuro docilem, in humili attentum parare debemus. Nam honestum quidem ad conciliationem satis per se ualet: in admirabili & turpi, remedijs opus est.

Principiū.

Et eò quidam exordium in duas diuidunt partes, principium, & insinuationē: ut sit in principijs recta beneuolentiæ & attentiones postulatio, quæ quia esse in turpi caussæ genere non possit, insinuatio surrepat animis, maximè ubi frons caussæ nō satis honesta est, uel quia res sit improba, uel quia hominibus parū probetur, aut si facie quoque ipsa premitur, uel inuidia cōsistentis ex diuerso patroni, aut patris, uel miserabilis senis, cæci, infantis.

Insinuationis caussæ ex persona nostra, & quando ea utendum.

Et quidem quibus aduersus hæc modis sit medendum, uerbosius tradunt. materiasque ipsi sibi fingunt, & ad morem actionum prosequuntur: sed hæ cum oriantur ex caussis, quarum species consequi omnes non possumus, nisi generaliter comprehendantur, in infinitum sunt extrahendæ. Quare singulis consilium ex propria ratione nascetur.

Insinuationis præcepta.

Illud uniuersum præceptum sit, ut ab ijs quæ lædunt, ad ea quæ prosunt, refugiamus. Si caussa laborabimus persona subueniat: si persona, caussa: si nihil quod nos adiuuet, erit, quæramus: quid aduersarium lædat. Nam ut optabile est, plus fauoris mereri: sic proximum, odij minus. In ijs quæ negari non poterunt, elaborandū ut aut minora quam

Inter. Prosopopœia loquentis

caussa est commentarijs (nam bis eundem defendit) Prosopopœia loquentis pro reo utitur: pro Rabirio uerò Posthumo, eodemq; Seauro reo Repetundarum, etiã exẽplis: pro Cluentio (ut modò ostendi) partitione. Non tamen hæc, quia possunt bene aliquãdo fieri, passim facienda sunt, sed quoties præceptũ uicerit ratio: quo modo & similitudine, dũ breuem, & translatione, atq; alijs tropis (quæ omnia cauti illi ac diligentes prohibent) utemur interim: nisi sicui diuinam illa pro Ligario ironia, de qua paulò ante dixeram, displicet.

Exordiorũ uitia. Vulgare.

Alia exordiorum uitia ueteres tradiderunt. Quod in plures caussas accõmodari potest, uulgare dicitur. Id minus fauorabile, aliquãdo tamen nõ inutiliter assumimus: magnis sæpe Oratoribus non euitatũ. Quo & aduersarius uti potest, cõmune appellatur. Quod aduersarius in suam utilitatem deflectere potest, commutabile. Quod caussæ nõ cohæret, separatũ. Quod aliunde trahitur, translatum. Præterea quod longum, quod contra præcepta est. Quorũ pleraq; nõ principij modò sunt uitia sed totius orationis.

Cõmune. Commutabile. Separatũ. Translatũ. Longum.

Proœmio nõ semper locus. Rhet. 3. Proœmij usus etiam in alijs partibus.

Hæc de Proœmio, quoties erit eius usus. Non semper autem est. Nam & superuacuũ aliquando est, ut si sit præparatus satis etiam sine hoc iudex, aut si res præparatione nõ egeat. Aristoteles quidẽ in totũ id necessarium apud bonos iudices negat: aliquando tamen uti nec si uelimus, eo licet, cũ iudex occupatus, cũ angusta sunt tempora, cũ maior potestas ab ipsa re cogit incipere. Cõtraq; est interim proœmij uis etiã non exordio. Nam iudices & in narratione nonnunquã, & in argumentis, ut attendant, & ut faueant, rogamus: quo Prodicus uelut dormitantes eos excitari putabat: quale est Ciceronis, Tum C. Varenus, is qui à familia Ancharianà occisus est: Hoc, quæso, Iudices, diligenter attendite. Vtiq; si multiplex caussa est, sua quibusq; partibus dãda præfatio est: ut, Audite nunc reliqua. &, Transeo nunc illuc. Sed in ipsis etiã probationibus multa funguntur proœmij uice, ut facit Cicero pro Cluentio, dicturus contra Censores: pro Murana cũ Seruio se excusat. Verùm id frequentius est, quàm ut exẽplis confirmandum sit.

Proœmiũ finis cum sequenti parte orationis connectendus. Metamorphosi Ouidij.

Quoties autẽ Proœmio fuerimus usi, tũ siue ad expositionẽ transibimus siue protinus ad probationem, id debebit in principio postremũ esse, cui cõmodissimè iungi initiũ sequentium poterit. Illa uero frigida & puerilis est in scholis affectatio, ut ipse trãsitus efficiat aliquam utiq; sententiã, & huius uelut præstigiæ plausum petat: ut Ouidius lasciuire in Metamorphosi solet, quẽ tamen excusare necessitas potest, res diuersissimas in speciem unius corporis colligentem. Oratori uerò quid est necesse surripere hanc transgressionem, & iudicem fallere, qui ut ordini rerum animum intendat, etiam cõmonendus est? Peribit enim prima pars expositionis, si iudex narrari nõdum sciet. Quapropter ut non abruptè cadere in narrationem, ita non obscurè transcendere, est optimum. Si uero longior sequetur ac perplexa magis expositio, ad eam ipsam præparandus erit iudex: ut Cicero sæpius, sed hoc præcipuè loco fecit, Paulo longius exordium rei demonstrandæ repetam, quod quæso iudices ne molestè patiamini. principijs enim cognitis, multo facilius extremo intelligetis. Hæc ferè sunt mihi de exordio comperta.

Pro Cluẽ.

MOSELLANI.

Quod principium] Etymologia uidelicet. Id fieri] Vt scilicet præparemus auditorem, ut si nobis accommodatior. A personis] Iudicis, actoris, rei. Suspicio] Immodica. Sordium] Auaritiæ. Videamur] Exordiendo. Patronus dabit] Vt beneuolentiã captet ab eorum personis, quod tamen perraro fieri debet. Negat esse proœmia] in quibus scilicet beneuolentiam captemus ab aduersæ partis patrono, siue etiam à iudice. Rectum] Seuerum. Illud] Inuidiam, odium, contemptum inducere. Fecisse] aliquid contra inimicos iniuste. Tali caussæ] Vbi scilicet iudex erat suarum rerum. Pro regina Berenice] Regis Ptolemæi uxore. Vnde apud Stephanum, ciuitatis nomen in Cilicia Berenice est factum, cum antè Hæliperis diceretur. Consilio] Dum multi iudices præsunt. Nunquam suaserim] Adhibeas metum corrupti iudicij per minas. Quid uerò] Scilicet dicemus. Ex alijs partibus] quibus constat. Pro Cœlio] Nam miratur Cicero, quod præter consuetudinem festo die ad caussam cognoscendam sederunt iudices. Pro Deiotaro] Nam in oratione eius principio quæritur Cicero sibi intra angustiam priuatorum parietũ dicendum pro rege, ubi eloquentiæ lucem explicare nõ queat. Dixit. n. apud Iulium Cæsarem, &c. Habitus] Hoc est noui iudicij noua forma. erat enim cõsessus iudicum septus magna armatorum manu, ex factione Clodiana: quare timorem sibi dicturo incuti fingit Cicero. Opinio] Ne mali aliquid suspicentur iudices de Cicerone, quod cum ante semper defenderit, nũc primùm accusare Verrem incipiat. multis modis hanc hominum opinionem à se reijcit, indicans urgentissimis caussis ad hoc se institutis perductum. Rogantis] Demosthenis. Accusator] Aeschines. Fiducia] Oratoris. Penè communia] Omnibus exordiis. Abominari] Speciẽ aduersariorum. Vanitate] Leui mendacio. Pro A. Cluentio] Qui reus agebatur corrupti iudicij per pecuniã, ut hac ratione Albutius aduersarius damnaretur. Niti] Fumari. Iudicij Iuniani] Habiti à Iunio, quo iam damnatus erat A. Cluentius, uerùm res postea prouocationibus extrahebatur. Rationem ueneficij] Nã præterquam quod existimabatur iudicem pecunia corrupisse, & ueneficia parasse, rumor erat uenenum ab A. Cluentio paratum aduersantibus inimicis. Quædam] Crimina. Eleuanda] Leuiora facienda. Remittendam] Diminuendam. Pro Ligario] quo Cicero obiecta crimina confitetur Cæsari, apud quem dicebat. Expectatione] Iudicij suscepti etiam festo die.

Genera caussarum] Quæ genera recipiantur in tribus primis generibus caussarum. Nam ut in iudiciali, sic & in deliberatiuo materia occurret honesta, humilis, dubia, admirabilis, atque obscura. Plurimi fecerunt] In quorum numero & Cicero est libro de Inuentione 1. ἔνδοξον &c.] Probatum, improbatum, in utranque partem æstimatum, præter opinionem, minime uerisimile. Remedijs] Arte quadam qua iudicem conciliamus. Et eò quidam] Vt Cicero libro secundo Rhetoricorum. Insinuationem] Vt sit insinuatio oratio quadam dissimulatione & circuitione obscure subiens animum auditoris, sic in rhetoricis. Surrepat animis] Iudicum. Rea sit improba] Quam petamus. Probetur] Commendetur caussa.

Et quidam quibus] in quorũ numero est Hermogenes Græcus Tomo secundo. Propria ratione] Ex caussæ habitu. Caussa laborabimus] Parum honesta. Se quoq; nouerit] Nã facilitatem & imprudentiam Rabirij litigatoris damnat & ipse, qui opes suas regi Alexandrino Ptolemæo profugo crediderat, unde de pecunijs repetundis reus factus sit Posthumus. Apud fatigatos] Detrimentum quod possit inde euenire, est, quod animi iudicum actione aduersarij sint occupati. Alterum] Fatigationem. Sociorum] Siculorum. Schema] Figura sententiæ. πρόληψις] Occupatio & præsumptio. Quæ] Scilicet species. Veras] Rectas. Facillimè possint] Rationes proœmiorum. Ibi] In iudicio. Ea re] Caussa. Fidem] Authoritatem. Decebit] Decorabit. Compositionis] Breuioris. Vocis] Læuioris. Vultus] Honestioris. Indubitabili] Certissimo. Accuratas] Omnino plenas. Recepti] A iudicibus. Conciliatis animis] Iudicum. Feretur] Tolerabitur. Locos] Cõmunes contra uitia, & pro uirtutibus. Notari] Dãnari. Nitore] Elegantia. Deducta] Distincta uarijs mẽbris. Illaboratæ] Extemporali. Sed hæc] Sunt tractanda. Turbari] Labi. Destitui] Turpiter se dare. Nusquã turpius] Esse possunt quàm in proœmio. Cicatricosa] Cicatricibus affecta. Sensus] Sẽtẽtias. Ne in caput] In iustã orationis summã. Vulitas] Aucrũ sermonis. Demosthenes] Vnica forma dicẽdi in oratione pro Ctesiphonte. Instituit] Fortius mouit. Hoc tantum indicasset] Simplici modo. Quod idem] Languescere orationem. Vt modo] In eodem capite.

Præterea] Vitiosum est proœmiũ. Hæc] Scilicet de proœmio obseruabuntur. Aristoteles] Libro. 3. Rhetoricorum. Apud bonos Iudices] Quòd uidelicet hi nõ affectibus, sed qualitate caussæ ad pronunciandũ impellantur. Iam hoc præcipuè molimur proœmio, ut Iudices quisque in suæ caussæ utilitatem conciliet. Verùm apud Lacedæmonios cautũ erat ne quis proœmia uteretur. Prodicus] Rhetor Græcus. Frigida est affectatio] Vt progressio efficiat aliquam sententiam.

ARGVMENTVM.

Constituto ad audiendum per exordium iudice, locum habet narratio, per quam quid in controuersiam ueniat, cognoscit, Circa quam hæc præcipue tangit: Quid narratio: Quæ eius propria, Quæ partes: An exordio semper subiungatur: An semper necessaria: Qui sit narrationis ordo: Quomodo in fictis narrationibus color ueritatis tuendus sit, & quot illæ sint. Quæ uirtutes narrationis, aut quæ uitia, & quæ elocutio: Quale initium, & finis. Narrationem esse rei factæ, uel non factæ, utilem ad persuadendum expositionem definit: Narrationis tria esse propria, ut sit dilucida, breuis, & uerisimilis. Dilucidā fore, si uerbis propriis & significantibus exponatur, non sordidis, nō nimis exquisitis, si locis, temporibus, personis, & caussis distinguatur, si rebus consentiat pronunciatio. Breuem, si inde cœperimus, unde ad iudicem pertinet, si superuacua reciderimus, si partitione utamur, si nimiam breuitatem, quæ obscuritatem parit, uitauerimus, si in lōgis breui interfatione & commonitione utamur. Credibilem, si omnia conuenientia personis, locis, temporibus, naturæ, consuetudini, hominum opinionibus, & caussas rationesq́; factis consentaneas protulerimus, si argumentorum semina per totam narrationem sparserimus, si uerbis uulgaribus & communibus, callida simplicitatis imitatione fuerimus usi. Narrationem in iudiciis duplicem esse tradit, unam ipsius caussæ, alteram rerum ad caussam pertinentium. hanc locum habere ubi factum negatur, & longam etiam esse circa argumenta criminis, de anteacta uita, de caussis propter quas innocens in periculum deducatur, aliisq́; quibus quod obiicitur, incredibile fiat, Id Vlyssis à Teucro accusati exemplo apertius reddit. Hinc repetundarum & ambitus caussas, tot narrationes, quot obiiciantur crimina habere posse. Subiungit & alias, nō ipsius caussæ, sed ad caussam pertinentes, quarum aliæ exempli caussa fiant, aliæ excutiendi alicuius extrinsecus criminis, aliæ augendi. Fictas etiam introduci monet, uel ad concitandos iudices, uel ad recreādos aliqua urbanitate, interdum etiam per digressionem, decoris gratia. Quibus duabus formis contentus, aliarum plura genera facientium, ut personæ, loci, temporis, caussarum, &c. nimis subtilas diuisiones non recipit. Narrationem ordine naturali exordio subiungendam asserit. Id tamen interdum conditione caussarum mutari, ut si præiudiciis grauemur, ut in caussa Milonis, aut multis anteactæ uitæ criminibus oneremur, ut i caussa Cælii, quæ prius amolienda sunt, quàm ad caussam accedamus.

Non esse semper narrandum contendit, cum caussæ tam breues sunt, ut propositionem potius habeant, quam narrationem, aut cum iudici omnia sunt cognita, maximè ut nobis expedit, Adfert & alia actoris uel patroni propria tempora. Si narratio contra nos erit, non prætermittendam (ut quidam uolebant) sed extenuanda, melius interpretanda, aliis caussis præmunienda, quæ contra nos faciant, contendit, quod quo pacto in tribus statibus faciendum sit, cōiectura, finitione, & qualitate, fusissimè docet. Quod si mixta erit, partem quæ pro nobis facit, prius esse tractandam, deinde aduersus reliqua remediis utendum, si plura erunt quæ prosunt, in mediis tanquam auxiliis ponenda quæ obstant, minus uitium sic habitura. Narrationis ordinem esse, ut quo pacto quid gestum est, sic à nobis cōmemoretur, nisi ut ordinem inuertamus, magis expediet, nam pro re & tempore tuenda uaria quæ prosint, quod pluribus figuris fieri potest, simulando excidisse, quod utiliore loco reducatur, aut expositate, caussas quæ antecesserunt, subiungendo. Circa narrationes fictas (quarum genus unum instrumentis adiuuetur, alterum dicentis ingenio tuendum sit) curandum primum, ut quod fingitur, fieri possit, ut loco, personæ tempori conueniat, & rationem credibilem, ordinemq́ue habeat, ne qua inter se pugnent, & ea fingenda, quæ non possint refutari per testes. Item quæ à defunctis, uel ab eo cui expediet, uel ab aduersario, cui neganti nemo lubens credet. Vitiosa esse in narratione, Excursum, Apostrophen, Prosopopœiam, Argumentationes, quæ tamen ratione cogente in eadem uirtutum obtinent locum, præter argumentationes, quæ ab hoc loco sunt alienæ. Elocutionem, quantum res patitur, debere excultam esse, omniq́; uenere exornatam, & uerbis quasi sensu notis, id est sententiæ cuiusdam aut argumenti admonentibus distinctam, ad rem tamen accommodatam, ut parua pressè, grauia atrociter, tristia miserabiliter dicamus, ad quod plurimum conducet quæ res quasi ante oculos ponit hypotyposis, & narrantis authoritas, quæ & bona uita & sancto orationis genere paretur. Narrationis initium esse à persona, uel à re, & personam poni interdū cum suis accidentibus, interdum sine his. Finem eius perduci eò posse, unde quæstio oritur, maximè à petitore, nam à defensore non semper item.

De narratione. Cap. I.

Aximè naturale est, & fieri frequentissimè solet, ac debet, ut præparato per hæc quæ suprà dicta sunt, iudice, res de qua pronunciaturus est, indicetur. Ea est narratio. In qua sciēs transcurrā subtiles nimiū diuisiones quorundā plura eius genera facientiū. Non.n.solam uolunt esse illā negocij de quo apud iudices quæritur, expositionē, sed Personæ: ut, M. Acilius Palicanus, humili loco Picens, loquax magis quàm facundus. Loci, ut, Oppidum est in Hellesponto Lampsacum, Iudices. Temporis, ut

Narratio quid, & uaria eius diuisio.

Pro Cluēt.

In Verrem act. 3.

Vere nouo, gelidus canis quū mōtibus humor Liquitur- Caussarum, quibus historici frequentissimè utuntur, cum exponunt unde bellum, seditio, pestilētia. Præter hæc, alias perfectas, alias imperfectas uocant: quod quis ignorat? Adijciunt expositionē & præteritorū esse temporum, quæ est frequentissima: & præsentiū, qualis est Ciceronis de discursu amicorum, Chrysogonus postquā est nominatus, & futurorū, quæ solis dari uaticinantibus potest. Nā ὑποτύπωσις non est habenda narratio. Sed nos potioribus uacemus.

Pro Sexto Rosc. Amer.

*Pleriq; semper narrandū putauerunt, quod falsum esse pluribus coarguitur. Sunt.n. ante omnia quædam tā breues caussæ, ut propositionē potius habeant quàm narrationem. Id accidit aliquando utriq; parti, cum uel nulla expositio est, uel de re constat, de iure quæritur, ut apud Cētumuiros, filius an frater debeat esse intestato hæres, pubertas, annis, an habitu corporis æstimetur. Aut cum est quidem narrationi locus sed antè aut iudici nota sunt omnia, aut priore loco rectè exposita. Accidit aliquādo alteri, & sæpius * actori, uel quia satis est proponere, uel quia sic magis expedit. Satis est dixisse, Certā creditā pecuniā peto ex stipulatione, legatū peto ex testamēto. Diuersæ partis expositio est, cur ea non debeantur. Et satis est actori, & magis expedit sic indicare, Dico ab Horatio sororē suā interfectā. Nanq; & propositione iudex crimen omne cognoscit, & ordo & caussa facti pro aduersario magis est.*

An semper narrādum.

Vide tit. quib. mod. tute. fini. in Institut.

* ab actore.

Liu. lib. 2. deca. 1.

Reus contra tunc narrationē subtrahit, cum id quod obijcitur, nec negari nec excusari potest, sed in sola iuris quæstione cōsistit: ut in eo qui cū pecuniam priuatam ex æde sacra surripuerit, sacrilegij reus est, cōfessio uerecundior, quā expositio, Nō negamus pecuniam de tēplo esse sublatam, calūniatur tamen accusator actione sacrilegij, cū priuata fuerit, non sacra: uos autem de hoc cognoscitis, an sacrilegium sit admissum. Sed ut has aliquando non narrandi caussas puto, sic ab illis dissentio, qui non esse narrationem existiment, cum reus, quod obijcitur, tantū negat. In qua est opinione Cornelius Celsus qui conditionis huius esse arbitratur plerasq; cædis caussas, & omnes ambitus ac repetundarum. Non enim putat esse narrationem, nisi quæ summam criminis de quo iudicium est, continet, ac deinde fatetur ipse pro Rabirio Posthumo narrasse Ciceronem: atqui ille & negauit peruenisse ad Rabirium pecuniam, quæ de re erat quæstio constituta: & in hac narratione nihil de crimine exposuit.

Narrandū etiam ubi reus factū negat.

Ego autem, magnos alioqui secutus authores, duas esse in iudicijs narrationum species existimo: alteram ipsius caussæ, alteram rerum ad caussam pertinentium expositionem. Non occidi hominem, nulla narratio est: conuenit: sed erit aliqua, & interim etiam longa, circa argumenta eius criminis, de anteactā uita, de caussis propter quas innocens in periculum deducatur, alijsque, quibus incredibile id quod obijcitur, fiat. Nec enim accusator hoc tantum dicit, occidisti, sed quibus id probet, narrat, ut in tragœdijs, cum Teucer Vlyssem reum facit Aiacis occisi, dicens inuentum eum in

Narrationum species duæ.

Sophoclis.

solitudine

solitudine iuxta exanime corpus inimici cum gladio cruento: non id modò Vlysses respondet, non esse à se id facinus admissum, sed sibi nullas cum Aiace inimicitias fuisse: de laude inter ipsos certatum. deinde subiungit quomodo in eam solitudinem uenerit, iacentem exanimem sit conspicatus gladiũ è uulnere extraxerit. his subtexitur argumentatio. Sed ne illud quidem sine narratione est, dicente accusatore, Fuisti in eo loco, in quo tuus inimicus occisus est: non fui. dicendum enim ubi fuerit. Quare ambitus quoq; caussæ & repetundarum, hoc etiam plures eiusmodi narrationes habere poterũt, quo plura crimina. In quibus ipsa quidem neganda sunt, sed argumentis expositione contraria resistendum, interdum singulis, interdum uniuersis. An reus ambitus malè narrabit quos parentes habuerit, quemadmodum ipse uixerit, quibus meritis fretus ad petitionem descenderit? Aut qui repetundarum insimulabitur, num & anteactum uitã, & quibus caussis uel prouinciam uniuersam, uel accusatorem aut testem offenderit, non utiliter exponet? Quæ si narratio non est, ne illa quidem Ciceronis pro Cluentio prima, cuius est initium, A. Cluentius Habitus. Nihil enim hic de ueneficio, sed de caussis quibus ei mater inimica sit, dicit. Illæ quoq; sunt pertinentes ad caussam, sed non ipsius caussæ narrationes, uel exempli gratia, ut in Verrem de L. Domitio, qui pastorem, quòd is aprum quem ipsi muneri obtulerat, exceptum esse à se uenabulo confessus esset, in crucem sustulit. Vel excutiẽdi alicuius extrinsecus criminis: ut pro Rabirio Posthumo, Nam ut uentum Alexandriam est, Iudices, hæc una ratio à rege proposita Posthumo est seruandæ pecuniæ, si curationem & quasi dispensationem regiam suscepisset. Vel augendi, ut describitur iter Verris. Ficta interim narratio introduci solet, uel ad concitandos iudices, ut pro Roscio contra Chrysogonum, cuius paulò antè habui mentionem. Vel ad soluendos aliqua urbanitate, ut pro Cluentio contra fratres Cepasios. Interdum per digressionem decoris gratia, qualis rursus in Verrem de Proserpina, In his quondam locis mater filium quæsisse dicitur. Quæ omnia eò pertinent, ut appareat non utiq; non narrare eum qui negat, sed illud ipsum narrare quod negat. Ne hoc quidẽ simpliciter accipiendum, quod est à me positum, superuacuam esse narrationem rei quam iudex nouerit. Quod sic intelligi uolo, si non modò factum quid sit, sciet: sed ita factum etiam, ut nobis expedit, opinabitur. Neq; enim narratio in hoc reperta est, ut tantum cognoscat iudex, sed aliquanto magis ut consentiat. Quare etiam si non erit docendus, sed aliquo modo afficiendus, narrabimus cum præparatione quadã. Scire quidem eũ in summa quid actum sit, tamẽ rationem quoq; facti eiusq; cognoscere ne grauetur. Interim propter aliquem in consiliũ adhibitũ nos repetere illa simulemus: interim ut rei quæ ex aduerso proponatur, iniquitatem omnes etiam circunstãtes intelligant. In quo genere plurimis figuris erit uarianda expositio ad effugiendum tædiũ nota audientis: sicut, Meministi. &, Fortasse superuacuũ fuerit hic commorari. Sed quid ego diutius, cum tu optimè noris? Illud quale sit, tu scias, & his similia. Alioqui si apud iudicem cui nota caussa est, narratio, semper uidetur superuacua, potest uideri nõ semper esse etiam ipsa actio necessaria. Alterum est de quo frequentius quæritur, an sit utiq; narratio procœmio subijcienda. Quod qui opinantur, nõ possunt uideri nulla ratione ducti. Nam cum procœmium idcirco comparatum sit, ut iudex ad rem accipiendam fiat cõciliatior, docilior, & intẽtior, & probatio nisi caussa prius cognita nõ possit adhiberi, protinus notitia rerũ instruendus uidetur. Sed hoc quoq; interim mutat conditio caussarum: nisi forte M. Tullius in oratione pulcherrima quam pro Milone scriptum reliquit, male distulisse narrationẽ uidetur tribus præpositis quæstionibus: aut posuisset exponere quomodo insidias Miloni fecisset Clodius, si reũ qui à se hominẽ occisum fateretur, defendi omnino fas non fuisset: aut si iam præiudicio Senatus damnatus esset Milo: aut si Cn. Põpeius, qui propter aliquam gratiam iudicium militibus armatis clauserat, tanquã aduersus existimaretur. Ergo hæ quoq; quæstiones uim procœmij obtinebunt, cum omnes iudicẽ præparauerint. Sed aliter pro L. Murena postea quoq; narrauit, cũ obiecta diluit. Quod fiet utiliter, quoties crimen nõ repellendum tãtum, sed etiam transferẽdum erit, ut prius his defensis uelut initium sit aliud culpandi narratio: ut in armorũ ratione antiquior cauendi quàm ictũ inferendi cura est. Erunt quędã caussæ (neq; id raro) crimini quidem de quo cognitio est, faciles diluendo, sed multis anteactæ uitæ flagitijs & grauibus criminibus oneratæ, quę prius amoliẽda sunt, ut propitius iudex defensionem ipsius negocij, cuius propria quæstio est, audiat: ut si defendendus est M. Cælius, nonne optimè patronus occurrat prius cõuitijs luxuriæ, petulantiæ, impudicitiæ, quàm ueneficij, in quibus solis omnis Ciceronis uersatur oratio: deinde tũ narret de bonis paulatim, totamq; dein explicet caussam, quæ est ipsius actione defensa? Sed nos ducit scholarũ consuetudo, in quibus certa quędam ponuntur, quæ themata dicimus, præter quæ nihil est diluendum. Ideoq; narratio procœmio semper subiungitur. Inde libertas declamatoribus, ut etiam secundo partis suæ loco narrare uideantur. Nam quũ pro petitore dicunt: & expositione, tanquã prius agant, uti solent, & cõtradictione, tanquã respondeant: id quod fit non rectè. Nam cum sit declamatio, forensium actionũ meditatio, cur non utrunq; protinus locũ exerceat? Cuius rationis ignari, ex more cui assueuerũt, nihil in foro putant esse mutandum. Sed in scholasticis quoque nonnunquam euenit ut pro narratione sit propositio. Nam quid exponet quę zelotypum malæ tractationis accusat? aut qui Cynicum apud Censores reum de moribus facit, cum totum crimen uno uerbo in qualibet actionis parte posito satis indicetur? Sed hæc hactenus. Nunc quæ sit narrandi ratio, subiungã. Narratio est rei factæ aut nõ factæ utilis ad persuadendum expositio. Vel (ut Apollodorus finit) oratio docens auditorem quid in controuersia sit. Eam plerique scriptores, maximè qui sunt ab Isocrate, uolunt esse lucidam, breuem, uerisimilem. Nec enim refert an pro lucida perspicuam, pro uerisimili probabilem credibilemúe dicamus. Eadem nobis placet diuisio: quanquã et Aristoteles ab Isocrate parte in una dissenserit, præceptum breuitatis irridens, tanquam necesse sit longam aut breuem esse expositionem, nec liceat ire per medium. Theodorei quoque solam relinquunt ultimam partem, quia nec breuiter utique nec dilucidè semper sit utile exponere. Quo diligentius distinguenda sunt singula, ut quid quoque loco prosit, ostendam. Narratio est aut tota pro nobis, aut tota pro aduersario, aut mista ex utrisq;. Si erit tota pro nobis. contenti simus ijs tribus partibus, per quas efficitur quò iudex facilius intelligat, meminerit, credat. Nec quisquam reprehensione dignum putet, quòd proposuerim eam quæ sit tota pro nobis, debere esse uerisimilem, cum uera sit. Sũt enim plurima uera quidem, sed parum credibilia, sicut falsa quoque frequenter uerisimilia. Quare non minus laborandum est ut iudex quæ uera dicimus, quàm quæ fingimus, credat. Sunt quidem hæ, quas supra retuli, uirtutes, aliarũ quoq; partium. Nã & per totam actionem uitanda est obscuritas, & modus

Marginal notes:

Quæ caussæ plures narrationes habere possint.

Actio. 7.

Actio. 3.

Actio. 6.

Narrãdum aliquando etiam id quod iudici noti est.

Ait procœmio subijciatur enarratio.

Caussæ refutationẽ ante narrationem poscentes.

Themata.

Declamatio.

Narrandi ratio cuius tria ꝓpria, claritas, breuitas, uerisimilitudo.

Rheto. 3.

Narratio tota ꝓ nobis.

ubique custodiendus, & credibilia esse oportet omnia quæ dicuntur. Maximeq; hæc in ea parte custodienda sunt, quæ primi iudicem docet: in quasi acciderit ut aut non intelligat, aut non meminerit, aut non credat, frustra in reliquis laborabimus.

Narratio aperta.

Erit autem aperta narratio atque dilucida, si fuerit primum exposita uerbis proprijs & significantibus, & non sordidis quidem, non tamen exquisitis, & ab usu remotis: tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, caussis, ipsa etiam pronunciatione in hoc accommodatu, ut iudex quæ dicuntur, quàm facillimè accipiat. Quæ quidem uirtus negligitur à plurimis, qui ad clamorem dispositæ uel etiam fortè circunfusæ multitudinis compositi, non ferunt illud intentionis silentium, nec sibi diserti uidentur, nisi omnia tumultu ac uociferatione concusserint: rem indicare, sermonis quotidiani, & in quemcunque etiam indoctiorum cadentis, existimant: cum interim quod tanquam facile contemnunt, nescias præstare minus uelint, an possint. Neque enim aliud in eloquentia cuncta experti difficilius reperient, quàm id quod se dicturos fuisse omnes putant, postquam audierunt: quia non bona iudicant esse illa, sed uera. Tum autem optimè dicit Orator, cum uidetur uera dicere. At nunc uelut campum nacti expositionis, hic potissimum & uocem flectunt, & ceruicem reponunt, & brachium in latus iactant, totoque & rerum & uerborum & compositionis genere lasciuiunt: deinde (id quod sit monstro simile) placet actio, caussa non intelligitur. Verùm hæc omittamus, ne minus gratiæ præcipiendo recta, quàm offensæ reprehendendo praua, mereamur.

Breuis narratio.

Breuis erit narratio ante omnia, si inde cœperimus rem exponere, unde ad iudicem pertinet: deinde, si nihil extra caussam dixerimus: tum etiam si reciderimus omnia quibus sublatis nec cognitioni quicquam, nec utilitati detrahatur. Solet enim esse quædam partium breuitas, quæ longam tamen efficit summam. In portum ueni, nauim prospexi, quanti ueheret interrogaui, de precio conueni, conscendi, sublatæ sunt ancoræ, soluimus oram, profecti sumus. Nihil horum dici celerius potest, sed sufficit dicere, è portu nauigaui. Et quoties exitus rei satis ostendit priora, debemus hoc esse contenti, quo reliqua intelliguntur. Quare cum dicere liceat, Est mihi filius iuuenis: omnia illa superuacua, Cupidus ego liberorum, uxorem duxi, natum sustuli, filium educaui, in adolescentiam perduxi. Ideoque Græcorum aliqui aliud circuncisam expositionem, id est σύντομον, aliud breuem putauerunt: quòd illa superuacuis careret, hæc posset aliquid ex necessarijs desiderare.

Circumcisa expositio.
Breuitas laudanda.

Nos autem breuitatem in hoc ponimus, non ut minus, sed ne plus dicatur quàm oporteat. Nam iterationes quidem, & ταυτολογίας & περισσολογίας, quas in narrationes uitandas quidam scriptores artium tradiderunt, transeo. Sunt enim hæc uitia non tantum breuitatis gratia refugienda. Non minus autem cauenda erit, quæ nimium corripientes omnia sequitur, obscuritas: satiusque est aliquid narrationi superesse, quàm deesse. Nam superuacua cum tædio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahuntur.

Sallustiana breuitas.

Quare uitanda etiam illa Sallustiana (quanquam in ipso uirtutis locum obtinet) breuitas, & abruptum sermonis genus: quod ociosum fortasse lectorem minus fallit, audientem transuolat, nec dum repetatur expectat: cum præsertim lector non ferè sit nisi eruditus iudicem rura plerunq; in decurias mittans, de eo pronunciaturum, quod intellexerit, ut forsasse ubiq;, in narratione tamen utiq; præcipuè, media hæc tenenda sit uia dicendi, quantum opus est, quantum satis est. Quantum opus est autem, non ita solum accipi uolo, quantū ad indicandū sufficit. quia nō inornata debet esse breuitas, alioqui sit indocta. nam & fallit uoluptas, & minus longa quæ delectāt uidentur: ut amœnum ac molle iter etiā si est spatij amplioris, minus fatigat, quā durum arduumq; cōpendium.*

Quantum opus est, & quantū satis, narrandum.
*aridumq;

Nec.n.mihi unquam tanta fuerit cura breuitatis, ut non ea quæ credibilem faciūt expositionē, inseri uelim. Simplex enim, & undiq; præcisa, non tam narratio uocari potest, quàm confusio. Sunt porro multæ conditione ipsa rei longæ narrationes, quibus extrema (ut præcepi) proœmij parte ad intentionē præparandus est iudex: deinde curandū, ut omni arte uel ex spatio eius detrahamus aliquid, uel ex tædio.

Longioribus narrationibus quomodo medēdum.

Vt minus longa sit efficiemus, quæ poterimus differēdo, nō tamen sine mētione eorum quæ differemus. Quas caussas occidendi habuerit, quos assumpserit conscios, quemadmodum disposuerit insidias, probationis loco dicam. Quædam uerò ex ordine prætermittenda, quale est apud Ciceronem, Moritur Fulcinius: multa.n.quæ sunt in re, quia remota sunt à caussa, prætermittā.

Pro Cecina.

At partitio tædiū leuat. Dicā quæ acta sint ante ipsum rei contractū, dicam quæ in re ipsa, dicam quæ postea. Ita tres potius modicæ narrationes uidebūtur, quā una longa.

Partitio:

Interim expediet expositiones breui interfatione distinguere. Audistis quæ ante actu sunt, accipite nunc quæ insequūtur. Reficietur.n.iudex priorū fine, & se uelut ad nouum rursus initium præparabit.

Interfatio.

Si tamen adhibitis his quoq; artibus in longū exierit ordo rerum, erit non inutilis in extrema parte cōmonitio: quod Cicero etiam in breui narratione facit. Adhuc, Cæsar, Q. Ligarius omni culpa caret. domo est egressus non modò nullū ad bellū, sed ne ad minimam quidē belli suspicionem, &c.

Commonitio.

Credibilis autē erit narratio ante omnia, si prius consuluerimus nostrum animū, ne quid naturæ dicamus aduersum, deinde si caussas ac rationes factis præposuerimus, nō omnibus, sed de quibus quæritur. Si personas cōuenientes ijs quæ facta credi uolemus, cōstituerimus, ut furti reū, cupidū, adulterij, libidinosum, homicidij, temerariū. Vel cōtra, si defendemus. Præterea loca, tēpora, & similia. Est aūt quidā etiā ductus rei credibilis, qualis in Comœdijs, et in Mimis. Aliqua.n.naturaliter sequūtur & cohærent, ut si bene priora narraueris, iudex ipse, quod postea sis narraturus, expectet. Ne illud quidē fuerit inutile, semina quædā probationum spargere, uerùm sic, ut narrationē esse meminerimus, nō probationem. Nōnunquam etiā argumento aliquo confirmabimus quod proposuerimus, sed simplici & breui, ut in ueneficijs, Sanus bibit, statim cōcidit, liuor ac tumor confestim est insecutus. Hoc faciūt & illæ præparationes, cum reus dicitur robustus, armatus, sollicitus, contra infirmos, inermes, securos. Omnia deniq; quæ probatione tractaturi sumus, personā, caussam, locū tempus, instrumentum, occasionem, narratione delibabimus. Aliquando si destituti fuerimus his, etiā fatebimur uix esse credibile, sed uerum, & hoc maius habendū scelus, nescire nos quomodo factū sit, aut quare: mirari, sed probaturos.

Narratio credibilis.

Optimæ uero præparationes erūt, quæ latuerint, ut à Cicerone sunt quidē utilissime prædicta omnia per quæ Miloni Clodius, nō Clodio Milo insidiatus esse uideatur, plurimū tamē facit illa calidissima simplicitatis imitatio: Milo autē cū in Senatu fuisset eo die quoad Senatus est dimissus, domū uenit: calceos et uestimēta mutauit: paulisper dū se uxor, ut fit, cōparat, cōmoratus est. Quàm nihil præparatò, nihil festinatò fecisse uidetur Milo? Quod nō solū rebus ipsis uir eloquentissimus, Quibus moras & lentū profectionis ordinē ducit, sed uerbis etiā uulgaribus & quotidianis. & arte occulta cōsecutus est

Mirum artificiū narrationis p Milo.

tus est

tus est: quæ si aliter dicta essent, strepitu ipsum iudicē, deinde patronū excitassent. Frigida uidentur ista plerisque? sed hoc ipsum manifestum est quomodo iudicem fefellerit, quod uix à lectore deprehenditur. Hæc sunt quæ credibilem faciunt expositionem. Nam ne contraria aut sibi repugnantia in narratione dicamus, sicut præcipiendum est, is reliqua frustra docetur: etiamsi quidam scriptores artium hoc quoq; tanquam occultum, & à se prudenter erutum, tradunt. His tribus narrandi uirtutibus adijciunt quidam magnificentiam μεγαλοπρέπειαν uocant, quæ neque in omnes caussas cadit (nam quid in plerisq; iudicijs priuatis de re certa credita, locato & conducto, interdictis, habere loci potest supra modum se tollens oratio?) nec semper est utilis, ut uel proximo exemplo Miloniano patet. Et meminerimus multas esse caussas, in quibus confitendum, excusandum, summittendum sit quod exponimus: quibus omnibus aliena est illa magnificentiæ uirtus. Quare non magis proprium narrationis est magnificè dicere, quàm miserabiliter, inuidiosè, grauiter, dulciter, urbanè: quæ cum suo quæque loco sint laudabilia, non sunt huic parti propriè assignata, & uelut dedita. Illa quoque ut narrationi apta, ita cæteris partibus communis est uirtus, quam Theodectes huic uni proprie dedit. non enim magnificam modò uult esse, uerum etiam iucundam expositionem. Sunt qui adijciant his euidentiam, quæ ἐνάργεια græcè uocatur. Neque ego quenquam deceperim, ut dissimulem Ciceroni quoque plures partes placere.

In Topicis.
In Partitio.

Nam præterquam planam, & breuem, & credibilem, uult esse euidentem, moratam cum dignitate. Sed in oratione morata debent esse omnia cum dignitate quæ poterunt. Euidentia in narratione, quantum ego intelligo, est quidem magna uirtus, cum quid ueri non dicendum, sed quodammodo etiam ostendendum est: sed subijci perspicuitati potest: quam quidam etiam contrariam interim putauerunt, quia in quibusdam caussis obscuranda ueritas est. quod est ridiculum. Nam qui obscurare uult, narrat falsa pro ueris: in quo debet laborare ut uideantur quàm euidentissima.

Euidentia perspicuitati subijcitur.

Sed quatinus etiam forte quadam peruenimus ad difficilius narrationum genus, iam de his loquamur in quibus res contra nos erit: quo loco nonnulli prætereundam narrationem putauerunt. Et sanè nihil est facilius, nisi prorsus totam caussam omnino non agere. Sed si aliqua iusta ratione huiusmodi susceperis litem: cuius artis est, malam esse caussam silentio confiteri? Nisi forte tam hebes futurus est iudex, ut secundum id pronunciet, quod sciet narrare te noluisse. Neque inficias eo, in narratione ut aliqua neganda, aliqua adijcienda, aliqua mutanda, sic aliqua etiam tacenda, sed tacenda quæ tacere oportebit & liberum erit. Quod fit nonnunquam breuitatis quoque gratia, quale illud est, Respondit quod ei uisum est. Distinguamus igitur genera caussarum. Namque in quibus non de culpa quæritur, sed de actione: etiā si erunt contra nos themata, confiteri nobis licebit: Pecuniam de templo sustulit, sed priuatam: non ideo sacrilegus est. Virginem rapuit, non tamen optio patri dabitur. Ingenuum stuprauit, & stupratus se suspendit: non tamen ideo stuprator capite ut caussa mortis punietur: sed decem millia, quæ pœna stupratori constituta est, dabit. Verum in his quoque confessionibus est aliquid quod ex inuidia quam expositio aduersarij fecit, detrahi possit, cum etiam serui nostri de peccatis suis mollius loquantur. Quædam enim quasi non narrantes mitigabimus. Non quidem (ut aduersarius dicit) consilium furti in templum attulit, nec diu captauit eius rei tempus, sed occasione & absentia custodum corruptus, & pecunia, quæ nimium quàm in animis hominum potest, uictus est.

Narratio contra nos quomodo tractanda.

Sed quid refert? peccauit, & fur est. nihil attinet id defendere, cuius pœnam non recusamus. Interdum quasi damnemus ipsi: Vis te dicam uino impulsum? errore lapsum? nocte deceptum? uera sunt ista fortasse, tu tamen ingenuum stuprasti: solue decem millia. Nonnunquam propositione præparari potest caussa, & deinde exponi. Contraria sunt omnia tribus filijs, qui in mortem patris coniurarant, sortiti nocte singuli per ordinem cum ferro cubiculum intrarunt patre dormiente. cum occidere eum nemo potuisset, excitato omnia indicarunt. Si tamen pater, qui diuisit patrimonium, & reos parricidij defendit, sic agat, Quod contra legem sufficit, parricidium obijcitur iuuenibus quorum pater uiuit, atque etiam liberis suis adest. ordinem rei narrare quidem nihil necesse est, cum ad legem nihil pertineat: sed si confessionem culpæ meæ exigitis, ego fui pater durus, & patrimonij, quod iam melius ab his administrari poterat, tenax custos. Deinde subijcitur. stimulatos ab ijs quorum indulgentiores parentes erant: semper tamen eum habuisse animum, qui sit euentu deprehensus, ut occidere patrem non possent. Nec enim iureiurando opus fuisse, si aliòqui hoc mentis habuissent, nec sorte, nisi quòd se quisque eximi uoluerit. Omnia hæc qualiacunque placidioribus animis accipientur, illa breui primæ propositionis defensione mollita.

Exemplū contrariæ narrationis.

At cum quæritur an factum sit, uel quale factum sit. licet omnia contra nos sint, quomodo tamen euitare expositionem salua caussa ratione possumus? Narrauit accusator, nec ita, ut quæ essent acta tantum, indicaret: sed adiecit inuidiam, rem uerbis exasperauit, accesserunt probationes, peroratio incendit, & ira plenos reliquit. Expectat naturaliter iudex quid narretur à nobis. Si nihil exponamus, illa esse, quæ aduersarius dixit, & talia qualia dixit, credat necesse est. Quid ergo? eadem exponemus? Si de qualitate agetur, cuius tum demum quæstio est, cum de re constat, eadem sed non eodem modo: alias caussas, aliam rationem dabo. Verbis eleuare quædam licebit: luxuria, hilaritatis: auaritia, parsimoniæ: negligentia, simplicitatis nomine lenietur. Vultu denique, uoce, habitu, uel fauoris aliquid, uel miserationis merebor. Solet nonnunquā mouere lachrymas ipsa confessio. Atq; ego libenter interrogem sint'ne illi defensuri quæ non narrauerint, nec'ne? Nam si neque defenderint, neque narrauerint, tota caussa prodetur. At si defensuri sunt, proponere certè plerunque id quod confirmaturi sumus, oportet. Cur ergo non exponamus quod & dilui potest? Vt hoc contingat, utique indicandum est. Aut quid inter probationem & narrationem interest, nisi quòd narratio est probationis continua propositio, rursus probatio narrationi congruens confirmatio? Videamus ergo num expositio hæc longior demum esse debeat, & paulo uerbosior præparatione, & quibusdam argumentis (argumentis dico, non argumentatione, cui tamen plurimum confert frequens affirmatio) effecturos nos quod dicimus, non posse uim rerum ostendi prima expositione: expectent, & opiniones suas differant, & bene sperent.

Eleuanda quæ cōtra nos faciūt.

Denique narrandum est utique, quicquid aliter quam aduersarius exposuit, narrari potest: aut eò etiam prooemia sunt in his caussis superuacua: quæ quid magis agunt: quàm ut cognitioni rerum accommodatiorem iudicem faciant? Atqui constat nusquam eorum esse maiorem usum, quam ubi animus iudicis ab aliqua contra nos insita opinione flectendus est. Coniecturales autem caussæ, in quibus de facto quæritur, non tam sæpe rei de qua iudicium est, quàm eorum per quæ res colligenda est,

Narrandū quicqd aliter quā aduersarius exposuit, narrari potest.

est, expositionem habent. Quæ cum accusator suspiciosè narret, reus leuare suspicionum debeat: aliter ab hoc atq; ab illo ad iudicem perferri oportet. Atenim quędam argumenta turba ualent, diducta leuiora sunt. Id quidem non eò pertinet, ut quæratur an narrandum, sed quomodo narrandum sit? Nam & congerere plura expositione quid probibet, si id utile est caussæ? & promittere, sed & diuidere narrationem, & probationem subiungere partibus, atque ita transire ad sequentia? Nam ne ijs quidem accedo, qui semper eo putant ordine, quo quid actum sit, esse narrandum: sed eo modo quo expedit. Quod fieri plurimis figuris licet. Nam & aliquando excidisse simulamus, cum quid utiliore loco reducimus: & interim nos reducturos reliquum ordinem testamur, quia sic futura sit caussa lucidior. Interim re exposita, subiungimus caussas quæ antecesserunt. Nec enim est una lex defensionis, certumque præscriptum: pro re, pro tempore, intuenda quæ prosint: atque ut erit uulnus, ita uel curandum protinus: uel si curatio differri potest, interim deligandum. Nec sæpius narrare duxerim nefas, quod Cicero pro Cluentio fecit: estque non concessum modò, sed aliquando etiam necessarium, ut in caussis repetundarum, omnibusque quæ simplices non sunt. Amentis est enim superstitione præceptorum contra rationem caussæ trahi. Narrationem ideo ante probationes ponere est institutum, ne iudex, qua de re quæratur, ignoret. Cur igitur si singula probanda aut refellenda erunt, non singula etiam narrentur? Me certè, quantacunq; nostris experimentis habenda est fides, fecisse hoc in foro, quoties ipsa desiderabat utilitas, probantibus & eruditis, & ijs qui iudicabant, scio: & (quod non arroganter dixerim, quia sunt plurimi quibus cum egi, qui me refellere possint si mentiar) ferè ponendæ à me caussæ officium exigebatur. Neque ideo tamen non sæpius facere oportebit ut rerum ordinem sequamur. Quædam uero etiam turpiter conuertuntur: ut si peperisse narres, deinde concepisse: apertum testamentum, deinde signatum, in quibus si id quod posterius est dixeris, de priore tacere optimum est. Sunt quædam & falsæ expositiones, quarum in foro duplex est genus. Alterum, quod instrumentis adiuuatur: ut Publius Clodius fiducia testium, qua nocte incestum Romæ commiserat, Interamnæ se fuisse dicebat. Alterum quod est tuendum dicentis ingenio. Id interim ad solam uerecundiam pertinet, unde etiam mihi uidetur dici Color: interim ad quæstionem. Sed utrumcunque erit, prima sit curarum, ut id quod fingimus, fieri possit: deinde, ut & personæ & loco & tempori congruat, & credibilem rationem & ordinē habeat: si continget etiam, ueræ alicui rei cohæreat: aut argumento quod sit in caussa, confirmetur. Nam quæ tota extra rem petita sunt, mentiendi licentiam produnt. Curandum præcipuè (quod fingentibus frequenter accidit) ne qua inter se pugnent. Quædam enim partibus blandiuntur, sed in summam non consentiunt. Præterea, ne ijs quæ uera esse constabit, aduersa sint. In schola etiam, ne color extra themata quæratur. Vtrobique autem Orator meminisse debebit actione tota quid finxerit, quoniam solent excidere quæ falsa sunt: uerumq; est illud quod uulgo dicitur, Mendacem memorem esse oportere. Sciamus autem, si de nostro facto quæratur, unum nobis aliquid esse dicendum: si de alieno, mittere in plurimas suspiciones licere. Est tamen quibusdam scholasticis controuersiis, in quibus ponitur aliquem non respondere quæ interrogatur, libertas omnia enumerandi quæ responderi potuissent. Fingenda uero meminerimus ea quæ non cadunt in testem. Sunt autem quæ nostro dicuntur animo, cuius ipsi tantum conscij sumus. Item quod à defunctis: nec hoc enim est qui neget. Itemque ab eo cui idem expediet: is enim non negabit. Ab aduersario quoque: quia non est habiturus in negando fidem. Somniorum & superstitionum colores ipsa iam facilitate authoritatem perdiderunt. Non est autem satis in narratione uti coloribus, nisi per totam actionem consentiant: cum præsertim quorundam probatio sola sit in asseueratione & perseuerantia: ut ille parasitus qui ter abdicatum à diuite iuuenem, & absolutum, tanquam suum filium asserit, habebit quidem colorem, quo dicat & paupertatem sibi caussam exponendi fuisse: & ideo à se parasiti personam esse susceptam, quia in illa domo filium haberet: & ideo illum innocentem ter abdicatum, quia filius abdicantis non esset: Nisi tamen omnibus uerbis & amorem patrium, atque hunc quidem ardentissimum ostenderit, & odium diuitis, & metum pro iuuene, quem periculose mansurum in illa domo, in qua tam inuisus sit, sciat: suspicione subiecti petitoris non carebit. Euenit aliquando in scholasticis controuersiis, quod in foro an possit accidere, dubito, ut eodem colore utraque pars utatur, deinde eum pro se quisque defendat: ut in illa controuersia. Vxor marito dixit appellatam se de stupro à priuigno, & sibi constitutum tempus, & locum: eadem contrà filius detulit de nouerca, edito tantum alio tempore, ac loco: pater in eo quem uxor prædixerat, filium inuenit: in eo quem filius, uxorem: illa repudiata, quæ tacente, filium abdicat. Nihil dici potest pro iuuene, quod non idem sit pro nouerca. Ponentur * tamen omnia communia, deinde ex personarum comparatione, & iudicij ordine, & silentio repudiatæ, argumenta ducentur.

Narrādi ordo & forma.

Narrādum interdū sæpius.

Expositio præpostera.

Fictarum narrationū consideratio.

Color.

Fingēdi & mentiendi cautelæ.

Mēdax memor esto.

Quæ fingēda.

* etiam

Ne illud quidem ignorare oportet, quædam esse quæ colorem non recipiant, sed tamen defendenda sint: qualis est ille diues, qui statuam pauperis inimici flagellis cecidit, reus est iniuriarum. Nam factum eius modestum esse nemo dixerit: fortasse ut sit tutum, obtinebit. Quod si pars expositionis pro nobis, pars contra nos erit, miscenda sit, an separanda narratio, cum ipsa caussæ conditione deliberandum est. Nam si plura sunt quæ nocent, quæ prosunt obruentur. Itaque tunc diuidere optimum erit, & ijs quæ partem nostram adiuuabunt, expositis & confirmatis, aduersus reliqua uti remedijs de quibus supra dictum est. Si plura proderunt, etiam coniungere licebit: ut quæ obstant in medio, uelut auxilijs nostris posita, minus habeant uirium. quæ tamen non erunt nuda ponenda, sed ut & nostra aliqua argumentatione firmemus, & diuersa cur credibilia non sint, adijciamus: quia nisi distinxerimus uerendum est ne bona nostra permistis malis inquinentur.

Narratio partim pro nobis, partim contra nos quomodo tractanda.

Illa quoque de narratione præcipi solent, ne qua ex ea fiat excursio, ne auertatur à iudice sermo, ne alienæ personæ uocem demus, ne argumentemur: adijciunt quidam etiam, ne utamur affectibus. Quorum pleraque sunt frequentissimè custodienda: immo nunquam, nisi ratio coegerit, mutanda: ut sit expositio perspicua & breuis. Nihil quidem tam rarò poterit habere rationem, quàm excursio: nec unquam debebit esse nisi breuis, & talis, ut ui quadam uideamur affectus uelut recto itinere depulsi: qualis est Ciceronis circa nuptias Sassiæ, O mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam in omni uita inauditum. O libidinem effrenatam, & indomitam. O audaciam singularem, non timuisse, si minus uim deorum, hominumque famam, at illam ipsam noctem, faciesque illas nuptiales? non limen cubiculi, non cubile filiæ, non parietes denique ipsos superiorum testes nuptiarum? Sermo auersus à iudice, & breuius indicat interim, & coarguit magis. Quæ de re idem

Narratio quas figuras admittat, & quatenus argumentationes & affectus.

Pro Cluen.

Apostrophe & prosopopœia in narratione.

idem quod de procemio dixeram, sentio, sicut de prosopopœia quoque: qua tamen non Seruius modò Sulpitius utitur pro Aufidia, Somno'ne te languidum, an graui lethargo putem oppressum? sed M. quoque Tullius circa nauarchos.

In Verrem act. 7.

Nam ea quoque rei expositio est, Vt adeas, tantum dabis, & reliqua. Quid? pro Cluentio, Staleni Bulbique colloquium, non'ne ad * credulitatem plurimum & fidem confert? Qua ne fecisse sine obseruantia quadam uideatur, quanquam hoc in illo credibile non est, in Partitionibus præcipit, ut habeat narratio suauitatem, admirationes, expectationes, exitus inopinatos, colloquia personarum, omnes affectus.

** celeritatem.*

Argumenta in narratione.

Argumentabimur in narratione, ut dixi, nunquam: argumentum ponemus aliquando: quod facit pro Ligario Cicero, cum dicit sic eum prouinciæ præfuisse, ut illi pacem esse expediret. Inferemus expositioni & breuem cum res poscet defensionem, & rationem factorum. Nec enim narrandum est tanquam testi, sed tanquam patrono. Rei ordo per se talis est, Quintus Ligarius legatus in Africam cum C. Considio profectus est. Quid ergo Marcus Tullius? Quintus igitur, inquit, Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio profectus est. Alibi, Non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli. Et cum esset iudicaturo satis, Quintus Ligarius nullo se implicari negocio passus est, adiecit, Domum spectans, & ad suos redire cupiens. Ita quod exponebat, & rationis fecit credibile, & affectus quoque impleuit. Quo magis miror eos qui non putant in narratione esse utendum

Affectus in narratione.

affectibus. Qui si hoc dicunt, non diu, nec ut in epilogo, mecum sentiunt. Effugiendæ sunt enim moræ. Cæterum cur ego iudicem nolim, cum eum doceo, etiam mouere? Cur quod in summa parte sum actionis petiturus, non in primo statim rerum ingressu si fieri potest, consequar, cum præsertim etiam in probationibus faciliore sim animo eius abusurus, occupato uel ira, uel miseratione?

Actio. 7. in Verrem.

An non Marcus Tullius circa uerbera ciuis Romani omnes breuissime mouet affectus, non solum conditione ipsius, loco iniuriæ, genere uerberum, sed animi quoque commendatione? Summum enim uirum ostendit, qui cum uirgis cæderetur, non ingemuerit, non rogauerit, sed tantùm ciuem se Romanum esse, cum inuidia cædentis, & fiducia iuris clamauerit.

Act. 3.

Quid? Philodami casum non'ne cum per totam expositionem incendit inuidia, tum in supplicio ipso lachrymis impleuit, cum flentes non tam narraret quàm ostenderet, patrem de morte filij, filium de patris? Quid ulli epilogi possunt habere miserabile magis? Serum est enim aduocare ijs rebus affectum in peroratione, quas securus narraueris. Assueuit illis iudex, iamque eas sine motu mentis accipit, quibus commotus nouis non est: & difficile est mutare habitum animi semel constitutum. Ego uero (neque enim dissimulabo iudicium meum: quanquam id quod sum dicturus, exemplis magis quam præceptis ullis cōtinetur)

Narratio ut sustanda decēter & ad rē accōmodatē.

narrationem, ut si ullam partem orationis, omni qua potest gratia & uenere exornandam puto. Sed plurimum refert, quæ sit natura eius rei quam exponimus. In paruis ergo, quales sunt ferè priuatæ, sit ille pressus & uelut applicitus rei cultus: uerbis summa diligentia, quæ in locis impetu feruntur, & circumiectæ orationis copia latent: hic ex-

Verba sensu tincta.

pressa, & ut uult Zeno, sensu tinctæ esse debebunt, compositio dissimulata quidem, sed tamen quam iucundissima: figura non illa poetica, & contra * rationem loquendi authoritate ueterum receptæ. Nam debet esse quam purissimus sermo, & qui uarietate tædium effugiat, & mutationibus animum leuet: ne in eundem casum, similem compositionem, pares elocutionum tractus incidamus. Caret enim cæteris lenocinijs expositio, & nisi commendetur hac uenustate, iaceat necesse est. Nec in ulla parte intentior est iudex: eoque nihil rectè dictum perit. Præterea, nescio quo modo, etiam credit facilius quæ audienti iucunda sunt, & uoluptate ad fidem ducitur. Vbi uero maior res erit, & atrocia inuidiosè, & tristia miserabiliter dicere licebit: non ut consumantur affectus, sed ut tamen uelut primis lineis designentur: ut planè qualis futura sit imago rei, statim appareat. Ne sententia quidem uelut fatigatum intentione stomachum iudicis reficere dissuaserim, maximè quidem breui interiecta, qualis est illa, Fecerunt serui Milonis, quod suos quisque seruos in re tali facere uoluisset. Interim paulo liberiore, qualis est illa. Nubit genero socrus, nullis auspicijs, nullis authoribus, funestis ominibus omnium.

** fidem*

Pro Milone.

Pro Cluentio.

Quod cum sit factum ijs quoque temporibus, quibus omnis ad utilitatem potius quàm ad ostentationē componebatur oratio, & erant adhuc seueriora iudicia: quanto nunc faciendum magis, cum in ipsa capitis aut fortunarum pericula irrupit uoluptas? Cui hominum desiderio quantum dari debeat, alio loco dicam. Interim aliquid indulgendum esse confiteor. Multum confert adiecta ueris credibilis rerum imago, quæ uelut in rem præsentem perducere audientes uidetur: qualis est illa M. Cælij in

Hypotyposis.

Antonium descriptio, Namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis præcordijs stertentem, ructuosos spiritus geminare: præclarasque contubernales ab omnibus spondis transuersas incubare, & reliquas circumiacere passim: quæ tamen exanimata terrore, hostium aduentu percepto excitare Antonium conabantur: nomen inclamabant: frustra ceruicibus tollebant: blandius aliæ ad aurem inuocabat, uehementius etiam nonnulla feriebat. Quarum cum omnium uocem tactumque noscitaret, proximæ cuiusque collum amplexu petebat: neque dormire excitatus, neque uigilare ebrius poterat: sed semisomno sopore inter manus Centurionum concubinarumq; iactabatur. Nihil his neque credibilius fingi, neque uehemētius exprobrari, neq; manifestius ostendi potest. Ne illud quidem prætereo, quantam afferat fidem expositioni, narrantis authoritas: quam mereri debemus ante omnia quidem uita, sed & ipso genere orationis quod quo fuerit grauius, sanctius, hoc plus habeat necesse est in affirmando quoque ponderis.

Authoritas dicentis.

Effugienda igitur in hac præcipuè parte omnis calliditatis suspicio: (neq; enim se usquam custodit magis iudex) nihil uideatur fictum, nihil solicitū, omnia potius à caussa quàm ab Oratore profecta credantur. Sed hoc pati non possumus, & perire artem putamus nisi appareat: cum desinat ars esse, si apparet. Pendemus ex laude, atque hanc laboris nostri ducimus summam. Ita quæ circunstantibus ostentare uolumus, iudicibus prodimus.

Ars nō ostentanda.

Repetita narratio.

Est & quædam repetita narratio, quæ ἐπιδιήγησις dicitur, sanè res declamatoria magis quàm forensis, ideo reperta, ut quia narratio breuis esse debet, fusius & ornatius res posset exponi: quod fit uel inuidiæ gratia, uel miserationis. Id rarò faciendum iudico, neque sic unquam ut totus ordo repetatur. licet enim per partes idem consequi. Cæterùm qui uti ἐπιδιηγήσει uolet, narrationis rem loco stringat, & contentus indicare quid factum sit, quo sit modo factum, plenius se loco suo expositurum esse promittat. Initium narrationis quidam utique faciendum à persona putant: eamque si nostra sit, ornandam: si alienæ, infamandam statim. Hoc sanè frequentissimū est, quia personæ sunt inter quas litigatur. Sed hæ quoque interim cum suis accidentibus ponendæ, cum id profuturum est: ut,

Narrationis initiū.

A. Cluentius

Pro Cluentio. Pro Ligario. *A. Cluentius Habitus fuit pater huiusce, Iudices, homo non solùm municipij Larinatis, ex quo erat, sed etiam regionis illius & uicinitatis, uirtute, existimatione, nobilitate facilè princeps: Interi sine his: ut, Q. Ligarius cum esset. Frequenter uerò & à re: sicut pro Tullio Cicero, Fundum habet in agro Tigurino M. Tullius paternum. Demosthenes pro Ctesiphonte, τῶ γὰρ φωκικῶ συστάντος πολέμου.*

Narrationis finis. Pro Cecinna. *De fine narrationis cum his contentio est, qui perduci expositionem uolunt eò, unde quæstio oritur. His rebus ita gestis, P. Dolabella prætor interdixit, ut est consuetudo, de ui hominibus armatis, sine ulla exceptione: tantùm, ut unde deiecisset, restitueret. restituisse se dixit. sponsio facta est. hac de sponsione uobis iudicandum est. Id à petitore semper fieri potest, à defensore non semper.*

MOSELLANI.

PIcens] Aeger is est in Italia sic appellatus, quasi minus celebratus & inglorius, ut est apud Ciceronem de Amicitia. Loci] quam scriptores τοπογραφίαν, loci descriptionem uocant: quemadmodum personæ narrationem προσωπογραφίαν, & temporis χρονογραφίαν, caussarum αἰτιογραφίαν, aut etiam αἰτιολογίαν. Vt] Idem Cicero in Verrem. Ciceronis de discursu] In oratione pro Roscio. Chrysogonus] Inimicus Roscij. ὑποτύπωσις] Subformatio. Vel de te constat] Cum narrationis uirtute res ita depingitur oculis, ut non tam audiri quam spectari putetur, quod maximè fit proprijs uerbis, naturali rerum seruato ordine. Porrò τύπος Græcis imaginē sonat, ὑπὸ sub, quòd sit uelut subiectæ rei imago. Pubertas] Quando corpus pilis uestitur, tunc pubertas incipit. Diuersæ partis expositio] Aduersarii pars tenetur explicare fusius quàm actor proposuit sub compendio, si commodum fuerit. Rabirio Posthumo] Reo repetundarum. Conuenit] Inter authores. Anteacta uita] Modestè & pacificè. Aliusque] De caussis Tragœdus] Euripidis in Aiace. De laude] Gloria bellica propter arma ipsius Patrocli, quo certamine uictus Aiax per mœrorem in insaniam redactus est, unde postea sibi mortē conscisse narratur. Eiusmodi narrationes] Parum plenas. Petitionem] Magistratus. Hic] In ea narratione. Veneficio] cuius reum agebant. Illæ] Duæ narrationes. Excutiendi] Repellendi. Ventum] A rege Ptolemæo. Curatione] Administrationem pecuniæ. Suscepisset] Posthumus. Vel augendi] Gratia Iter] Per Siciliam. Cuius] Narrationis. Paulò antè] In principio huius capitis. Soluendos] Recreandos. Proserpina] quæsita à matre Cerere. Comparatum] Inuentum. Conciliatior] Magis fauens. Sed hoc] Hunc ordinem. Nisi forte] Quod absurdū est dicere. Pro Milone scriptam] Nam non pauit eam caussam, sed armatorum qui iudicium sepserant, strepitu deterritus, in media caussa obmutuit. & quod uoce non poterat, domum regressus calamo Miloni præstitit. Distulisse] Protulisse Præpositis] Disputatis. Præiudicio] Quæ prima est quæstio post procemium. Aut si Cn. Pompeius] Quæ est secunda quæstio. Gratiam] Clodii. Quod hei] qui ordo orationis. Cauendi] Excipiendi. Flagitiis] Grauibus sceleribus. Criminibus] accusationibus. M. Cœlius] adolescens perditus, Petulantiæ] Procacitatia. Deinde] Non ne. Ipsius] sceleris. Actione] Oratione, accusabatur enim ab amicis Clodiæ nobilis matrone, tanquam pro ære quod debebat ipsi mulieri, uenenum parasset. In quibus] Ludis certa quædam] Argumenta. Ideóque] In scholis suo loco, contra suā partem. Meditatio] Præexercitatio Vtrunq;] seorsim. Scholasticis] declamationibus. Zelotypū] Maritū Zelotypus maritus dicitur, qui cū uxoris pudicitiæ nō credat, eā quibus potest rationibus ita deformat, ne corporis elegantia alios in sui amorē alliciat, pelliciatq́, nomē sumptum est ab æmulatione formæ. ζῆλος æmulatio dicitur, & τύπος forma. Malæ tractationis] quòd se male tractet, uel enormis læsionis. Aristoteli] libro 3. Rhetoricorum. Per medium] Mediocrem modum narrandi imitari. Quo] Id est quare. Esse uerisimilem] Nam nisi uera esset ista narratio, haudquaquam posset tota pro nobis esse. Non tamen exquisitis] Parum obuiis authoribus Quæ quidem uirtus] Perspicuitatis. Nescias præstare &c.] Dubitare quis poterat, utrum minus uelint propriè loqui, an minus possint. adimit autem Fabius hoc sermone istis nouatoribus & facultatem & uolentatem puræ orationis. & ad hunc modum exponit Fabii uerba Erasmus in commentariis De uerborum & rerum copia. Rerum] Dicendarū.

Soluimus oram] Ora funis est quo nauis è pupi alligatur retinaculo alicui ipsius portus. sic enim exponit hunc locum Sypontinus pontifex, quemadmodum uides epist. 1. lib. 1. quo legere mauult auram. neque desunt qui diuersam lectionem secuti, oram legunt, ut sit sensus, soluere oram, à littore discedere. Ego tanto codicum consensui, qui oram habent, repugnare non audeo. Σύντομον] Concisam, à τέμνω scindo, & σὺν, id est con. Ταυτολογίας] Id est superfluas locutiones per iterationes intelligo, quas Grammatici uocant ἐπαναλήψεις & ἐπαναλογίας, id est repetitiones & iterationes eiusdem sententiæ, idque per eadem uerba. Apud Ciceronem] In oratione pro Aulo Cecinna. At partitio] quod secundo loco criminandū. Quod Cicero] Pro Quinto Ligario reo læsæ maiestatis apud imperatorem Iulium Cæsarem. Mimis Fabulis. Præparationes] Faciundæ. Latuerint] Irrepserint in animos iudicum. Simplicitatis imitatio] Vt enim homines simplices in mendacii suspicionem haud temerè ueniunt, ita quoque hæc morum simplicitatem imitata, aliquoties plus fidei meretur, quàm arte contorta. unde etiam prouerbio dicitur, Veritatis esse simplicē orationem, & pueris ætate simplicissima in prouerbio attribuitur ueritas. Festinato] Festinanter. Hæ sunt] Videlicet rationes. Magnificentiam] Rerum & uerborum. Μεγαλοπρέπειαν] Magnidicentiam per Aristotelem in moralibus. μεγαλοπρέπεια uirtus est eorum quos magna decent, ut illustrium uirorum, & principum: id quod uocabulum indicat, quando quidem & Græcis μέγας μέγαλη magnus dicitur, & πρέπειν decorū. Constat autem magnis sumptibus faciendis in utilitatem publicam. Hinc transfertur ad orationem quæ nihil habeat humile, nihil uulgare, siue res, siue uerba spectes. Submittendum] Diminuendum. ἐνάργεια] Velut lex quædam orationis, partim in partitionibus, partim in de Oratore, partim in Topicis. Qui hanc uirtutem ea parte considerant, qua reddit sermonem efficacem, & uelut plus operantem, ab opere ἐνέργειαν uocant. ἔργον enim Græcis opus significat, & sic utitur uocabulo hoc diuus Hieronymus in epistola quadam ad Paulinam sic inquiens. Habet nescio quid latentis energiæ uiua uox, & in aurem ab ore præceptoris diffusa fortius sonat. tam etsi uulgares codices ferè omnes ἐνάργειαν habent. Porrò qui lucem quam rebus adfert, spectant, ἐνάργειαν uocant, quòd ἀργὸς lucidum & clarum Græcis significet. Et secundum hunc modum accipiendum est hoc loco apud Fabium, quando ipse euidentiam uertit, & perspicuitati uelut speciē subiicit. Moratam cum dignitate] Mores & sensum hominum communem præ se ferentem, & experimentem. Prætereundam narrationem] Vt Cicero in secundo de Oratore inclinat in hanc partem Actione] Ratione, genere, natura, pene, quando aduersarii actio non id intendit, quod commisimus, aut plus intendit quàm sit admissum, aut leuius commissum grauioris nomine accusat, ut si quis furem sacrilegii accuset. Ingenuum stuprauit] Ad legē Iuliam de stupris & adulteriis, statuitur stuprum committi in muliere ingenua, uel libera uel uidua, etiam in uirgine, & puero.

ARGVMENTVM.

Antequam ad confirmationem ueniat, quæ narrationem sequi debet, quorundam refellit opinione, qui inter has egressionem, uel partitionem, uel propositionē, tanquam partes & semper necessarias, collocabant. Egressionem hoc capite tractat, cuī locum non esse necessarium inter confirmationem & narrationem, docet, narrationi tamen, & quæstionibus uel uniuersis uel singulis opportunè aliquando subiungi, cum res postulat, aut permittit. Opus ea esse, cum narratio nullam dubitationem habens, circa finem atrox, uelut spiritu erumpente indignatione, prosequenda est. Quando etiam post merita commemorata inuehi uolumus ut in ingratos. Item quando aliquid asperum, quod tueri uolumus, præparatione aliqua præmolliendum erit. Hinc quid egressio, & quam latè pateat, demonstrat.

De egresſione. Cap. III.



RDINE *ipso narrationem sequitur confirmatio. Probanda sunt enim quæ propter hoc exposuimus. Sed priusquam ingrediar hanc partem, pauca mihi de quorundam opinione dicenda sunt. Plerisque moris est, prolato rerum ordine protinus usque in aliquem lætum ac plausibilem locum quam maximè*

*ximè possint fauorabiliter excurrere. Quod quidem natum ab ostentatione declamatoria, iam in forum uenit, postquam agere caussas non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum iactationem repertum est: ne si pressæ illi (qualis sæpius desideratur) narrationis gracilitati coniuncta argumentorum pugnacitas fuerit, dilatis diutius dicendi uoluptatibus oratio refrigescat. In quo uitium illud est, quod sine discrimine caussarum atque utilitatis, hoc, tanquam semper expediat, aut etiam necesse sit, faciunt: eò quòd desumptas ex his partibus, quarum alius erat locus, sententias, in hanc congerunt, ut plurima aut iterum dicenda sint, aut quia alieno loco dicta sunt, dici suo non possint. Ego autem confiteor hoc expatiandi genus non modò narrationi quidem, sed etiam quæstionibus uel uniuersis, uel interim singulis opportunè posse subiungi, cum res postulat, aut certè permittit: atque eo uel maximè illustrari ornarique orationem, sed si cohæret & sequitur, non si per uim cuneatur, & quæ natura iuncta erant, distrahit. Nihil enim tam est consequens, quàm narrationi probatio: nisi si excursus ille uel quasi finis narrationis, uel quasi initium probationis est. Erit ergo illi nonnunquam locus: ut si expositio circa finem atrox fuerit, prosequamur eam uelut erumpente protinus indignatione. Quod tamen ita fieri oportebit, si res dubitationem non habebit: alioqui prius est, quod obijcias, uerum efficere, quàm magnum: quia criminis inuidia pro reo est priusquam probatur. Difficillima est enim grauissimi cuiusque sceleris fides. Idem fieri non inutiliter potest, ut si merita in aduersarium aliqua exposueris, in ingratum inueharis: aut si uarietatem criminum narratione demonstraueris, quantum ab ea periculum intentetur, ostendas. Verùm hæc breuiter omnia. Iudex enim ordine audito festinat ad probationem, & quamprimum certus esse sententiæ cupit. Præterea cauendum est ne ipsa * expositio uanescat, auersis in aliud animis, & inani mora fatigati. Sed ut non semper est necessaria post narrationem illa procursio, ita frequenter utilis ante quæstionem præparatio, utique si prima specie minus erit fauorabilis si legem asperam tuebimur, aut pœnarias actiones inferemus. Est hic locus uelut sequentis exordij, ad conciliandum probationibus nostris iudicem. Quod liberius hic & uehementius fieri potest, quia iudici nota iam caussa est. His igitur uelut fomentis, siquid erit asperum, præmolliemus, quò facilius aures iudicum, quæ post dicturi erimus, admittant, ne ius nostrum oderint. Nihil enim facilè persuadetur inuitis. Quo loco tamen iudicis quoque noscenda natura est, iuri magis an æquo sit appositus: Prouide enim magis aut minus erit hoc necessarium. Cæterum res eadem & post quæstionem perorationis uice fungitur. Hanc partem παρέκβασιν Græci uocant, Latini egressum, uel egressionem. Sed hæ sunt plures, ut dixi, quæ per totam caussam uarios habent excursus: ut laus hominum locorumque, ut descriptio regionum, expositio quarundam rerum non solùm gestarum, sed etiam fabulosarum. Quo ex genere est in orationibus contra Verrem compositis Siciliæ laus, Proserpinæ raptus, pro L. Cornelio popularis illa uirtutum Cn. Pompeij commemoratio: in quam ille diuinus Orator uelut nomine ipso ducis cursus dicendi teneretur, abrupto quem inchoauerat sermone, diuertit * actutum. παρέκβασις est (ut mea quidem fert opinio) aliena res, sed ad utilitatem caussæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio. Quapropter non uideo cur hunc ei potissimum locum assignent, qui rerum ordinem sequitur: non magis quàm illud, cur hoc ita demum proprium putent, si aliquid*

Quib* partib* & quãdo subiungi opportunè possit egressio.

Prius probare quam amplificare.

* positio.

Quæ res per egressionem tractentur.

Act.4. & 6.

* Ac tamẽ ταχέως.

Quid egressio, & quã late pateat.

in digressu sit exponendum, cum tot modis à recto itinere declinet oratio. Nam quicquid dicitur præter illas quinque quas fecimus partes, egressio est, indignatio, miseratio, inuidia, conuitium, excusatio, conciliatio, maledictorum refutatio: similia his, quæ non sunt in quæstione, omnis amplificatio, minutio, omne affectus genus: atque ea maximè iucundam & ornatam faciunt orationem, de luxuria, de auaritia, de religione, de officijs: quæ cum sunt argumentis subiecta similium rerum, quia cohærent, egredi non uidentur. Sed plurima sunt quæ rebus nihil secum cohærentibus inseruntur, quibus iudex reficitur, admonetur, placatur, rogatur, laudatur. Innumerabilia sunt hæc, quorum alia sic præparata afferimus: quædam ex occasione uel necessitate dicimus, siquid nobis agentibus noui accidit, interpellatio, interuentus alicuius tumultus. Vnde Ciceroni quoque in proœmio cum diceret pro Milone, digredi fuit necesse, ut ipsa oratiuncula qua usus est, patet. Poterit autem paulo longius exire, qui præparat aliquid ante quæstionem, & qui finitæ probationi uelut commendationem adijcit. At qui ex media erumpit, citò ad id redire debet, unde diuertit.

Ci. pro Milone alia usus oratione, quàm quæ hodie extat.

MOSELLANI.

COoitium] Obiurgatio est qua audientea uelut ad uitiũ uocamus. unde iurisconsultus quispiam in Pandectis, nisi me fallit memoria, quasi conuocium dictum puta, ut sit ex probratio quædam multis audientibus. Amplificatio] Ea est cum uerbis aut sententiis plus quã res poscere uidetur, dicimus.

ARGVMENTVM.

Propositionem duplicem esse docet. Vnam quæ principalem quæstionem continet: Alteram quæ singulis argumentationibus præponitur. Vsum eius, ut caussa sit & dilucidior, & magis moueat. Ea non esse semper opus, nempe quando narratio ibi finem habet, ubi initium quæstio, quo fit, ut quædam summa collectio expositioni, uel commonitio quædam Iudicia subiungatur. Aliam etiam diuisionẽ propositionem facit, alias esse simplices, duplices alias, alias multiplices, & qua pacto hæ à partitionibus differant, alias item nudas, alias ratione subiecta, alias etiam utriusq; intentione constantes. ut ego illud, hoc ait aduersarius.

De Propositione. Cap. IIII.



*VNT qui narrationi propositionem subiungant tanquam partem iudicialis materiæ: cui opinioni respõdimus. Mihi autem propositio uidetur omnis, * confirmationis initium: quod non modò in ostendenda quæstione principali, sed nonnunquam etiam in singulis argumentis poni solet, maximeque in his quæ ἐπιχειρήματα uocantur. Sed nunc de priore loquimur. Ea non semper necessaria est. Aliquando enim sine propositione quoque aliqua satis manifestum est quid in quæstione uersetur: utique si narratio ibi finem habet, ubi initium quæstio: adeo ut aliquando subiungatur expositioni, quæ solet in argumentis esse summa collectio: Hæc sicut exposui, ita gesta sunt, iudices: insidiator superatus, ui uicta uis, uel potius oppressa uirtute audacia est. Sed nonnunquam ualde utilis est, præcipuè ubi res defendi non potest, de * iure quæritur: ut pro eo qui pecuniam priuatam de templo sustulit, sacrilegij agitur, De sacrilegio cognoscitis. ut iudex intelligat id unum esse officij sui, quærere an id quod obijcitur, sacrilegium sit. Item in caussis obscuris, aut multiplicibus. Nec semper propter hoc solum, ut sit caussa lucidior, sed aliquando etiam ut magis moueat. Mouet autem, si protinus subtexantur aliqua quæ prosint. Lex apertè scripta est, ut peregrinus qui murum ascenderit, morte mulctetur. peregrinum te esse certum est: quin ascenderis*

Lib.3. c.9. Propositio cõfirmationis initiũ.

Propositio cui nõ semper locus.

Pro Miloне.

* al fine al. nomine.

Propositionis usus.

ris murum, non quæritur: quid superest, nisi ut te puniri oporteat? Hac enim propositio confessionem aduersarij premit, & quodammodo iudicandi moram tollit: nec indicat quæstionem, sed adiuuat. Sunt autem propositiones & simplices, & duplices uel multiplices. Quod accidit non uno modo. Nam & plura crimina iunguntur: ut cum Socrates accusatus est quòd corrumperet iuuentutem, & nouas superstitiones introduceret. Et singula ex pluribus colliguntur: ut cum legatio malè gesta obycitur Aeschini, quòd mentitus sit, quòd nihil ex mandatis fecerit, quòd moratus sit, quòd munera acceperit. Recusatio quoq; plures interim propositiones habet: ut contra petitionem pecuniæ, Malè petis: procuratori enim tibi esse non licuit: sed neque illi cuius nomine litigas, habere procuratorem: sed neque es hæres eius à quo accepisse mutuam dicor: nec ipsi debui. Multiplicari hæc in quantumlibet possunt, sed rem ostendisse satis est. Hæ si ponantur singulæ subiectis probationibus, plures sunt propositiones: si coniungantur: in partitionem cadunt. Est & nuda propositio, qualis ferè in coniecturalibus: Cædis ago, furtum obycio. Est ratione subiecta: ut, Maiestatem minuit Caius Cornelius: nam codicem tribunus plebis ipse pro concione legit. Præter hæc utimur propositione aut nostra, ut, Adulterium obijcio. aut aduersarij, ut, Adulterij mecum agitur. aut communi, ut, Inter me & aduersarium quæstio est, uter sit intestato propior. Nonnunquam diuersas quoque iungimus, Ego hoc dico, aduersarius hoc. Habet interim uim propositionis etiam si per se non est propositio: ut cum exposito rerum ordine subijcimus, De his cognoscitis. ut sit hæc commonitio iudicis, quo se ad quæstionem acrius intendat, & quodam uelut ictu excitatus finem esse narrationis, & initium probationis intelligat: & nobis confirmationem ingredientibus, ipse quoque nouum quodammodo audiendi sumat exordium.

Propositio multiplex.

ARGVMENTVM.

Partitionem finit, & quando ea utendum non sit, & contra, & quibus ex caussis, qui sit eius modus, lex, & officia, docet. Proponit primum duas quorundam caussas partitionem uetantium, item aliorum ultra tres propositiones extendi prohibentium, quas non approbat. Demum suas profert, propter quas aliquando partitione persuadere possimus. Primum, quia plerunque gratiora sint inuenta subito, quàm antè præuisa. Quia iudex interdum fallendus sit, cum propositio nimis est dura: quod facile fit partitionem omittendo. Quia congesta simul fortiora sint nostra, quàm partitione disiuncta. Quia in partitione si sit aliquid potentissimum (quod fere fit) reliqua sint superuacua. Inde exempla rectè & secus factæ partitionis à Cicerone proponit. Duplicem pugnandi ductum addit: per qualitatem primum, deinde per coniecturam, hoc pacto, si feci, rectè feci, sed non feci. Quem, quoties nostra negatio non erit satis potens, ut uno stare possimus, aut etiam post rem confirmatam ex abundanti, Ciceronis pro Milone exẽplo permittit, & quomodo durior partitio sit tractanda, & quibus figuris, adiungit. Porrò eius usum necessarium esse, cum plura uel obijcienda uel diluenda sunt, atque utilem & iucundam fore, ut caussa lucidior fiat, & iudex certo singularum partium fine reficiatur. Modum autem eius esse, ut non nimis concisa & uelut articulosa sit, cui frusta minuta plurimum authoritatis detrahant. Legem, ut sit lucida, aperta, breuis, nec ullo superuacuo onerata uerbo: ne quid in ea desit: ne quid supersit: ne in species partiamur, quod in genera partiri sit satis, aut contra. Officia, ut quid sit de quo conueniat. quid de quo ambigatur, proponat: in quo ut quidque propositum erit. ita tractandum.



De partitione. Cap. V.

Quid partitio sit.

ARTITIO est nostrarum aut aduersarij propositionum, aut utrarumque ordine collocata enumeratio. Hac quidam utendum semper putant, quòd ea & fiat caussa lucidior, & iudex intentior ac docilior, si sciерit & de quo dicimus, & de quo dicturi postea simus. Rursus quidam periculosum id Oratori arbitrantur, duabus ex caussis, quòd nonnunquam & excidere soleant quæ promisimus, & si qua in partiendo præterijmus, occurrere. Quod quidem nemini accidet, nisi qui planè uel nullo fuerit ingenio, uel ad agendum nihil cogitati præmeditatique detulerit. Alioqui quæ tam manifesta & lucida est ratio, quàm rectæ partitionis? Sequitur enim naturam ducem, adeò ut memoriæ id maximum sit auxilium, uia dicendi non decedere. Quapropter ne illos quidem probauerim, qui partitionem uetant ultra treis propositiones extendere. Quæ sine dubio si nimium sit multiplex, fugiet memoriam iudicis, & turbabit intentionem. Hoc tamen numero uelut lege non est alliganda, cum possit caussa plures desiderare. Alia sunt magis propter quæ partitione non semper sit utendum. Primum, quia pleraque gratiora sunt, si inuenta subitò nec, domo allata, sed inter dicendum ex re ipsa nata uideantur. Vnde illa non iniucunda schemata, Penè excidit mihi: &, Fugerat me: & Rectè admones. Propositis enim probationibus, omnis in reliquum gratia nouitatis præcerpitur. Interim uerò etiam fallendus est iudex, & uarijs artibus subeundus: ut aliud agi, quàm quod petimus, putet. Nam est nonnunquam dura propositio, quam iudex si prouidet, non aliter reformidat, quàm qui ferrum medici prius quàm curetur, aspexit. At si re non antè proposita securum, ac nulla denunciatione in se conuersum, intrarit oratio, efficiet quod promittenti non crederetur. Interim refugienda non modò distinctio quæstionum est, sed omnino tractatio: affectibus perturbandus, & ab intentione auferendus auditor. Non enim solùm Oratoris est docere, sed plus eloquentia circa mouendum ualet. Cui rei contraria est maximè tenuis illa & scrupulosè in parteis secta diuisionis diligentia eo tempore, quo cognoscenti iudicium conamur auferre. Quid quòd interim quæ per se leuia sunt & infirma, turba ualent? Ideoque congerenda sunt potius, & uelut eruptione pugnandum: quod tamen rarum esse debet, & ex necessitate demum, cum hoc ipsum quod dissimile rationi est, coegerit ratio. Præter hæc in omni partitione est utique aliquid potentissimum, quod cum audiuit iudex, cætera tanquã superuacua grauari solet. Itaq; si plura uel obijcienda sunt uel diluenda, & utilis & iucunda partitio est, ut quid quaque de re dicturi sumus, ordine appareat. At si unum crimen uariè defendemus, superuacua: ut si ita partiamur, Dicam non talem esse hunc quem tueor, ut in eo credibile uideri possit homicidium: dicam occidendi caussam huic non fuisse: dicam hunc eo tempore quo homo occisus est, trans mare fuisse. Omnia quæ antequam id quod ultimum est, exequeris, inania uideri necesse est. Festinat enim iudex ad id quod potentissimum est, & uelut obligatum promisso patronum si est patientior, tacitus appellat: si uel occupatus, uel in aliqua potestate, uel etiam sic moribus compositus, cum conuitio efflagitat. Itaque non defuerunt qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionem improbaret, quæ se dicturum esse promisit primum, neminem maioribus criminibus, grauioribus testibus in iudicium uocatum, quam Oppianicum: deinde, præiudicia esse facta ab ijs ipsis iudicibus, à quibus condemnatus sit: postremò, iudicium pecunia tentatum non à Cluentio, sed contra Cluentium: quia si probari posset quod est tertium, nihil necesse fuerit dicere priora. Rursus nemo tam erit aut iniustus, aut stultus, quin eum fateatur optimè pro Murana esse partitum, Intelligo iudices treis totius accusationis partes

Partitio quando utẽdum, & ex quibus caussis.

Id uetat author ad Herennii.

Figuræ nõ inuenustè partitionis uice fungẽtes.

Partitio quando necessaria.

Exemplũ partitionis improbatæ qua notatus est Cicero.

Exẽplũ optimæ partitionis.

partes fuisse, & earum unam in reprehensione uitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse uersatam. Nam sic & ostendit lucidissimè caussam, & nihil fecit altero superuacuum. De illo quoque genere defensionis plerique dubitant: Si occidi, rectè feci: sed non occidi. quo enim prius pertinere, si sequens firmum sit? hæc inuicem obstare, & utroque utentibus, in neutro haberi fidem. Quod sanè in parte uerum est, & illo sequenti (si modò indubitabile sit) solo utendum. At si quid in eo quod est fortius, timebimus, utraque probatione utemur. Alius enim alio moueri solet: & qui factum putauit, iustum credere potest: qui tanquam iusto non mouebitur, factum fortasse non credet. Vt certa manus uno telo possit esse contenta, incertæ plura spargenda sunt, ut sit & fortunæ locus. Egregiè uerò Cicero pro Milone insidiatorem primò Clodium ostendit: tum addit ex abundanti, etiam si id non fuisset, talem tamen ciuem cum summa uirtute interfectoris & gloria necari potuisse. Neque illum tamen ordinem, de quo prius dixi, damnauerim: quia quædam etiamsi ipsa sunt dura, in id tamen ualent, ut ea molliant quæ sequuntur. Nec omnino sine ratione est quod uulgò dicitur, Iniquum petendum, ut æquum feras. Quod tamen nemo sic accipiat, ut omnia credat audienda. Rectè enim Græci præcipiunt, Non tentanda quæ effici omnino non possunt. Sed quoties hac, de qua loquor, duplici defensione utemur, id laborandum est, ut in illam partem sequentem fides ex priore ducatur. Potest enim uideri qui tutò etiam confessurus fuit, mentiendi caussam in negando non habere. Et illud utique faciendum est, ut quoties suspicabimur à iudice aliam probationem desiderari, quàm de qua loquimur, promittamus nos planè & statim de eo satis esse facturos: præcipueque si de pudore agitur. Frequenter autem accidit, ut caussa parum uerecunda, iure tuta sit: de quo ne inuiti iudices audiant, & auersi, frequentius sunt admonendi secuturam defensionem probitatis ac dignitatis: expectent paulùm, & agi ordine sinant. Quædam interim nos & inuitis litigatoribus simulandum est dicere: quod Cicero pro Cluentio facit circa iudiciariam legem. Nonnunquam quasi interpellemur ab his subsistere Sæpe auertenda ad ipsos oratio. Hortandi, ut sinant nos uti nostro consilio. Ita surrepetur animo iudicis, & dum sperat probationem pudoris, asperioribus illis minus repugnabit. Quæ cum receperit, etiam uerecundiæ defensioni facilior erit. Sic utraque res inuicem iuuabit, eritque iudex circa ius nostrum spe modestiæ attentior, circa modestiam iuris probatione procliuior. Sed ut non semper necessaria aut etiam superuacua partitio est, ita opportunè adhibita plurimum orationi lucis & gratiæ confert. Neque enim id solum efficit, ut clariora fiant quæ dicuntur, rebus uelut ex turba extractis, & in conspectu iudicum positis: sed reficit quoque audientem certò singularum partium fine, non aliter quàm facientibus iter, multum detrahunt fatigationis, notata inscriptis lapidibus spatia. Nam & exhausti laboris nosse mensuram uoluptati est, & hortatur ad reliqua fortius exequenda, scire quantum supersit. Nihil enim longum uideri necesse est, in quo quid ultimum sit, certum est. Nec immeritò multum ex diligentia partiendi tulit laudis Quintus Hortensius: cuius tamen diuisionem in digitos diductam, nonnunquam Cicero leuiter eludit. Nam est certus eius modus, & euitanda maximè concisa nimium & uelut articulosa partitio. Nam & authoritati plurimum detrahunt multa illa non membra, sed frusta: & huius gloriæ cupidi, quò subtilius & copiosius diuisisse uideantur, & superuacua assumunt, & quæ natura singularia sunt, secant: nec tam plura faciunt, quàm minora: deinde cum fecerunt mille particulas, in eandem incidunt obscuritatem, contra quam partitio inuenta. Diuisa & simplex propositio quoties utiliter adhiberi potest, primùm esse debet aperta atque lucida, (nam quid sit turpius, quàm id esse obscurum ipsum, quod in eum solum adhibetur usum, ne sint cætera obscura?) tum breuis, nec ullo superuacuo onerata uerbo. Non enim de quo dicamus, sed de quo dicturi simus, ostendimus. Obtinendum etiam, nequid in ea desit, nequid supersit. Superest autem sic ferè, cum aut in species partimur, quod in genera partiri sit satis: aut genere posito subijcitur species: ut, Dicam de uirtute iustitia, continentia: cum iustitia atque continentia uirtutis sint species.

An liceat, si fecerit, si non occidi, rectè feci, sed non occidi.

Non tentanda quæ effici non possunt.

Partitio oportunè adhibitæ utilitas.

Pro Quintio, & in Diuin. in Q. Cæcilium. Partiendi modus.


Lex bonæ partitionis & officia.

Partitio prima est, quid sit de quo conueniat, quid de quo ambigatur. In eo quod conuenit, quid aduersarius fateatur, quid nos. In eo de quo ambigitur quæ dicturi simus quæ nostræ propositiones, quæ partis aduersæ. Turpissimum uerò est, non eo ordine exequi, quo quidq; proposueris.

Partitio.

M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA

LIBER QVINTVS.



ARGVMENVM.

Attentos hac præfatione reddit. docet enim quàm sit necessaria probatinnum tractatio ad confirmandum, & confutandum quia sine probatioue nulla controuersia sit: cum omnium aliarũ partium aliqua semper abesse possit. Addit alias caussas, quia ad hanc partẽ omnia alia tendãt, quæ intueri nisi huc perueniamus, superuacuum sit. Quorundã opiniones leuiter attingit, quorum alij docere, unicum Oratoris officium, alij tria sed docere præcipuum dictitabant, quorum utriq; huic parti plurimum tribuant.

PROLOGVS.



VERVNT, & clari quidem authores, quibus solum uideretur oratoris officium, docere. Nanque & affectus duplici ratione excludendos putabant: primùm, quia uitium esset omnis animi perturbatio: deinde quia iudicem à ueritate depelli misericordia, uel ira similibusque, non oporteret: & uoluptatem audientium petere, cum uincendi tantùm gratia diceretur, non modò agenti superuacuum, sed uix etiam uiro dignum arbitrabantur. Plures uerò, qui nec ab illis sine dubio partibus rationem orandi summouerent, hoc tamen proprium atque præcipuum crederent opus, sua confirmare, & quæ ex aduerso proponerentur, refutare. Vtrumcunque est (nec enim hoc loco meam interpono sententiam) hic erit liber illorũ opinione maximè necessarius, quo toto hæc sola tractantur: quibus sanè & ea quæ de iudicialibus caussis iã dicta sunt, seruiunt. Nã neq; procœmij, neq; narrationis est alius usus, quàm ut iudicem præparent: & status nosse, atque ea de quibus suprà scripsimus, intueri, superuacuũ foret, nisi ad hanc perueniremus. Denique ex quinq; quas iudicialis materiæ fecimus partibus, quæcunq; alia potest aliquando necessaria caussæ non esse: lis nulla est cui probatione opus non sit. Eius præcepta sic optimè diuisuri uidemur ut prius in cõmune quæ ad omnes quæstiones pertinẽt, ostẽdamus deinde quæ in quoq; caussæ genere propria sunt, exequamur.

Præfatio in hunc librum ex locis attentionis manans.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Quia finitio probationum cognita est, diuisionem aggreditur in artificiales & inartificiales, quæ ut arte non inueniantur, magnis tamen eloquentiæ uiribus tractandæ sint. Tum species earum enumerat.

De probationum diuisione. Cap. I.



Rhet. 1. C prima quidem illa partitio ab Aristotele tradita, consensum ferè omnium meruit, alias esse probationes quas extra dicēdi rationem acciperet Orator: alias quas ex caussa traheret ipse, & quodammodo gigneret. Ideoque illas, ἀτέχνους id est inartificiales: has ἐντέχνους, id est artificiales uocauerunt. Ex illo priore genere sunt præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iusiurandum, testes: in quibus pars maxima contentionum forensium consistit. Sed ut ipsa per se carent arte, ita summis eloquentiæ uiribus & * alleuanda sunt plerunque, & refellenda. Quare mihi uidentur magnopere damnandi, qui totum hoc genus à præceptis remouerunt. Nec tamen in animo est, omnia quæ aut pro his aut contra dici solent, complecti. Non enim communes locos tradere destinamus, quod esset operis infiniti, sed uiam quandam atque rationem. Quibus demonstratis, non modo in exequendo suas quisque uires debet adhibere, sed etiam inueniendo similia, ut quæque conditio litium poscet. Neque enim de omnibus caussis dicere quisquam potest, saltem præteritis, ut taceam de futuris.

* eleuanda. Inartificia lia à præceptis non remouenda.

ARGVMENTVM.

Præiudicium in tres species diuidit, quas finitione & subiectis exemplis manifestas reddit. Confirmari autem eas ostendit similitudine rerum de quibus quæritur, & iudicum authoritate. Refelli uero, dissimilitudinem ostendendo, negligentiam actorum incusando, de personarū contra quas iudicatū est, infirmitate, de testium corruptione, aut iudicū culpa (si manifesta est) conquerendo, aut iudiciū posterius priori opponendo, aut si his omnibus destituamur, ad locū cōmunem confugiendo. Multas præiudiciorū caussas ad iniquè pronunciandū ualere, quod manifestū faciant Rutilij damnatio, Catilinæ & Clodii absolutio.

De præiudicijs. Cap. II.



Am præiudiciorum uis omnis tribus in generibus uersatur. Rebus, quæ aliquando ex paribus caussis sunt iudicatæ, quæ exempla rectius dicuntur: ut de rescissis patrum testamentis, uel contra filios confirmatis: Iudicijs, ad ipsam caussam pertinentibus, unde etiam nomen ductum est, qualia in Oppianicum facta dicuntur, & à Senatu aduersus Milonem: Aut cum de eadem caussa pronunciatum est, ut in reis deportatis, & assertione secunda, & partibus Centumuraliū, quæ in duas hastas diuisæ sunt. Confirmantur præcipuè duobus: authoritate eorum qui pronunciauerunt, & similitudine rerum de quibus quæritur. Refelluntur autem rarò per contumeliam iudicum, nisi forte manifesta in his culpa erit. Vult enim cognoscentium quisq; firmam esse alterius sententiam: & ipse pronunciaturus non libenter exemplum quod in se fortasse recidat, facit. Confugiendum ergo est in duobus superioribus, si res feret, ad aliquam dissimilitudinem caussæ. Vix autem ulla est per omnia alteri similis. Si id nō continget, ac eadē caussa erit: aut actorum incusanda negligentia, aut de infirmitate personarum querendum contra quas erit iudicatum: aut de gratia quæ testes corruperit, aut de inuidia, aut de ignorantia: aut inueniendum quod caussæ postea accesserit. Quorum si nihil erit, licet tamen dicere multas iudiciorū caussas ad iniquè pronunciandum ualere: ideoq; damnatum Rutiliū, absolutos Clodium atq; Catilinam. Rogandi etiā Iudices, ut rem potius intueantur ipsam, quàm iuriiurando alieno suum donent. Aduersus consulta autem senatus, & decreta principum uel magistratuum, remedium nullum est, nisi aut inuenta quantulacunq; caussæ differentia, aut aliqua uel eorundem uel eiusdem potestatis hominū posterior constitutio, quæ sit priori contraria: quæ si deerunt, lis non erit.

Exempla. Vide Valer. libro 7. cap 7. & 8. Pro Cluē. Pro Milo.

De Rutilii dānatione uide Flori lib. 3.

MOSELLANI.

De præiudiciis] Præiudicium, inquit Asconius Pedianus, dicitur res quæ cum statuta fuerit, affert iudicaturis exemplum quod sequantur. De rescissis] Annihilatis uidelicet per cognitionem iudicum, cuiusmodi iurisconsulti inofficiosum uocant, de quibus rebus est apud Valerium maximū lib. 7. cap 7. & 8 tum & in Pādectis. Qualia in Oppianicum] Hic enim oppianicus de ueneficio Aulo Cluentio parato accusatur, ad quod conuincendum adhibet Cicero in iudicium, quo libertus Fabritii damnatur quasi uenenum is exhibiturus fuisset. In reis deportatis] Relegatis, quemadmodū fieri solebat in quadā capitis diminutione, cum ciuitas quidem amittitur, sed libertas retinetur quod accidit ei cui aqua & igni interdictum fuerit, uel qui in insulā deportatus est. sic Iustinian. li. 1. insti. de cap. diminuit. In duas hastas] Hinc est quod Valerius Maximus iudiciū centumuirale sæpe iudicium hastæ uocat. ipse certè quanquam apud idoneos scriptores de hac antiquitate nihil compertū deprehendi, coniecturis tamē aliquot adducor Centumuiros iudices in duas partes distributos, ut caussas à priore parte iudicatas, posterior denuo accuratius recognosceret discuteretque. Itaq; si in caussa aliqua, altera pars pronūciauit, potuit ex sententiā hoc firmamentum adferri, quo minus recognitio posterioris partis iam facilè in aduersum pronūciare ausa fuerit. Aduersus consulta] Decretum.n. senatus cōscriptum erat, cædem Clodii contra rempublicam esse, quod iudiciū ad caussam Milonis pertinet. Clodium atq; Catilinam] Hic enim cum minorem Africam prætor explicasset, à prouincialibus reus repetundarū, factione optimatum absolutus est. nisi quis malit referre ad mirē planè sententiam quā de huius coniuratione dicit Cæsar apud Salustium in Catilinario. Clodius uerò (ut nō semel indicat Cicero) quū muliebri habitu inductus noctu ingressus, adulterio polluisset sacra Bonæ deæ, quæ matronis adire tantū concessū erat, uiris autem capitale, ab aliquibus matronis agnitus, & inde eiectus, ac mox reus factus, iudicio tamen absolutus est. De Arusp. respon. In Piso. & ad Attic. lib 1. & Plutarchus in uita Ciceronis.

ARGVMENTVM.

Contra famam, aut pro ea, statu finitiuo litigantium utique contendendum: & finitiones diuersas, exemplis in utranque partem confirmandas esse monet.

De rumore & fama. Cap. III.



Amam atq; rumores pars altera consensum ciuitatis, & uelut publicū testimoniū uocat: altera sermonē sine ullo certo authore dispersum, cui malignitas initium dederit, incrementū credulitas: quod nulli non etiam innocentissimo possit accidere fraude inimicorum falsa uulgantium. Exempla utrinque non deerunt.

Cicero in Topicis.

ARGVMENTVM.

Circa tormenta, generalia quædam & specialia tangit. Primum, ut in fama, diuersam tormentorum descriptionem ex accidentibus in utramuis partem generaliter adferri docet. Hinc propria considerari, quis, quem postulet aut offerat, in quem, ex qua caussa, quo quæsitore &c. quæ uariè in utranque partem tractari possint.

De tormentis. Cap. IIII.

Vide Arist. in Rhe. ad Alex. Cicero in parti. & Val. lib. 8. cap. 4.



ICVT in tormentis quoque, qui est locus frequentissimus, cum pars altera, quæstionem, uera fatendi necessitatem uocet, altera sæpe etiam caussam falsa dicendi, quòd alijs patientia facilè mendacium faciat, alijs infirmitas necessarium. Quid attinet de his plura? Plenæ sunt orationes ueterum ac nouorum. Quædam tamen in hac parte erunt propria cuiusque litis. Nam siue de habenda quæstione agetur, plurimum intererit, quis, & quem postulet aut offerat, & in quem, & ex qua caussa, siue iam erit habita, quis ei præfuerit, quis & quo modo sit tortus, an credibilia dixerit, an inter se constantia: perseuerauerit in eo quod cœperat, an aliquid dolore mutarit: prima parte quæstionis, an procedente cruciatu. Quæ utrinq; tam infinita sunt, quam ipsa rerum uarietas.

Propria cuiusque litis in tormentis.

MOSELLANI.

PArs] actoris. Alij] Stupidis. Quem] Liberum an seruum. Caussa] Præsumptione. Quis] Torsit.

ARGVMENTVM.

Docet circa rabulas dupliciter peccati, aut fraude signatorum aut ignorantia, & hoc genus postremum refelli, aliud etiam accusari. Tum unde argumenta ad tabulas refellendas trahantur, & quàm uariè, explicat.

De tabulis. Cap. V.



ONTRA tabulas quoq; sæpe dictum, sæpe dicendum est, cum eas non solum refelli, sed etiam accusari, sciamus esse usitatũ. Cum sit autem in his aut scelus signatorum, aut ignorantia: tutius ac facilius id quod secundo loco diximus, tractatur, quod pauciores rei fiunt. Sed hoc ipsum argumenta ex caussa trahit, si forte aut incredibile est id actum esse quod tabulæ cõtinent: aut (ut frequentius euenit) alijs probationibus æquè inartificialibus soluitur: si aut is in quem signatum est, aut aliquis signator dicitur abfuisse, uel prius esse defunctus: si tempora non congruunt: si uel antecedentia uel insequentia tabulis repugnant. Inspectio ipsa sæpe etiam falsum deprehendit.

ARGVMENTVM.

Iurisiurandi formas quatuor describit, oblationem sui, recusationem alieni delatinnem, aut exactionem alieni, aut recusationem sui, & quo pacti singulæ quæque tractandæ sint. Præterea ex sententia seniorum quos puer audierat, iusiurandum non esse facilè deferendum alteri: nec optionem iudicis aduersario permittendam, neque ex aduocatis partis aduersæ iudicem eligendum præcipit

De iureiurando. Cap. VI.



*VSIVRANDVM litigatores aut offerunt suum aut * non recipiunt oblatum ab aduersario exigunt, aut recusant cum ab ipsis exigatur. Offerre suũ sine illa conditione, ut uel aduersarius iuret, ferè improbum est. Qui tamen id faciet, aut uita se tuebitur, ut eum non sit credibile peieraturum: aut ipsa ui religionis: in qua plus fidei consequetur si id egerit, ut nõ cupide ad hoc descendere, sed ne hoc quidẽ recusare uideatur: aut si caussa modò patietur litis, propter quam deuoratus se ipse non fuerit: aut si præter alia caussæ instrumenta adijcit ex abundanti hanc quoque conscientiæ suæ fiduciam. Qui non recipiet conditionem, à multis contemni iurisiurandi metum dicet: cum etiam philosophi quidam sint reperti, qui deos habere curam rerum humanarum negarent: eum uerò qui nullo offerente iurare sit paratus, & ipsum uelle de caussa sua pronunciare: & quàm id quod offert, leue ac facile credat, ostendere. At is qui defert, agere modestè uidetur, cum litis aduersarium iudicem faciat, & eum cuius cognitio est, onere liberet, qui profectò alieno iureiurando stari quàm suo malit. Quo difficilior recusatio est, nisi forte res est, ea quam credibile sit notam ipsi nõ esse. Quæ excusatio si deerit, hoc unum relinquetur, ut inuidiam sibi quæri ab aduersario dicat, atque id agi, ut in caussa in qua uincere non possit, quæri possit. Itaque hominem quidem malum occupaturum hanc conditionem fuisse, se autem probare malle quæ affirmet, quàm dubium cuiquam relinquere an peierarit. Sed nobis adolescentibus seniores in agendo facti præcipere solebant, ne unquam iusiurandum deferremus: sicut neque optio iudicis aduersario esset permittenda: nec ex aduocatis partis aduersæ iudex eligendus. Nam si dicere contraria turpe aduocato uideretur, „ certè turpius habendum, facere quod noceat. „*

* non respoumt.

Recusatio iurisiurandi alieni.

Cic. de natura Deorum. 1.

Delatio siue exactio.

Recusatio sui iurisiurandi.

Quid cauẽdum in iudicijs.

MOSELLANI.

MEtum] Religionem. Qui deos] Vt Epicurei, Diagoras, Lucianus, Plinius. Nullo offerente] Iurandi conditionem. Id] Iusiurandum. Cognitio] qui cognoscit caussam. Qui] Iudex. Atque id agi] Multi, spectari. Occupaturum] Ante captiuum.

ARGVMENTVM.

Testimonia primum aut diuina esse aut humana tradit: & diuina duobus modis tractari, generaliter, & specialiter, de quibus ad finem capitis loquitur, ubi uarias eorum species enumerat.

Humanorum fieri alia per tabulas, alia à præsentibus. Tabularum aut refellendarum aut confirmandarum rationem, quis sit facilior, primo loco explicat, deinde ad testes præsentes aggreditur, eosque dupliciter aut defendi aut oppugnari posse, uel actione perpetua, uel interrogatione concisa, ostendit. In actionibus tribus modis. Primo locis communibus in utranque partem pro testibus, & contra, generaliter. Secundo specialiter, ita tamen, ut multis inusdamus, ut si Græcorum testimonia eleues, aut eorum qui in caussis repetundarum se reo numerasse pecunias dicunt. Tertio aduersus singulos: quod genus uel orationi permixtum est, uel separatim editum, ut in Vatinium.

His peractis ad modum interrogandi accingitur, & testium duo facit genera, unum uoluntariorum, aliud quibus lege testimonium denuncietur, quorum alii cupidi sint reo nocendi, alii uerũ inuiti dicturi, quod interim accusatori uel cognitũ, sit uel incognitũ. Quæ omnia quomodo uariè ab accusatore & patrono uersanda sint & pertractãda, nõ minus doctè quàm fusè explicat. In testibus tamen interrogandis testem probe nosse præcipuum esse monet, ut pro sua natura quo uolumus facilè perducatur. Atque omnem interrogationem esse aut in caussa aut extra caussam docet. In caussa rem altius repetendo, unde nihil suspecti sit, per Socraticam inductionem extorquendum etiam ab inuitis, quod nobis prosit. Extra caussam de uita testium, de amicitia aut inimicitia cum reo, & cæteris huiusmodi interrogandum, ex quibus uel lædendi cupiditas uel mendacium deprehendi possit. Interrogationis hanc legem esse addit, ut sit circunspecta, ut uerbis quàmmaximè è medio sumptis constet. Porro testes cum tabulis absentium collidi, argumenta quoque cum testibus, & testes cum alijs testibus. Postremo uoces per uinum, somnium, dementiam, uel à paruulis emissas, ad confirmationem aut destructionem sui magnam Oratoris industriam in utramuis partem exigere, & testimonia desiderata, ubi cætera desint, ut pro Cluentio, plurimum uirium habere demonstrat.

De testibus. Cap. VII.



Contra tabulas.

MAXIMVS tamen patronis circa testimonia sudor est. Ea dicuntur aut per tabulas, aut à præsentibus. Simplicior contra tabulas pugna. Nam & minus obstitisse uidetur pudor inter paucos signatores, & pro diffidentia premitur absentia. Si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet. Tacita præterea quadam significatione refragatur his omnibus, quod nemo per tabulas dat testimonium nisi sua uoluntate: quo ipso non esse amicum ei se contra quem dicit fatetur. Neq; tamen protinus cesserit Orator quo minus & amicus pro amico, & inimicus contra inimicum possit uerum (si integra sit ei fides) dicere. Sed latè locus uterque tractatur.

Pro tabulis.

Duplex uia oppugnãdi testes præsentes aut defendendi actio perpetua uel interrogatio.

Cum præsentibus uerò ingens dimicatio est, ideoque uelut duplici contra eos proque his acie confligitur, actionum, & interrogationum. In actionibus primùm generaliter pro testibus, atq; in testes dici solet. Est hic communis locus, cum pars altera nullam firmiorem probationem esse contendit, quàm quæ sit hominum scientia nixa: altera ad detrahendam illis fidem, omnia per quæ fieri soleant falsa testimonia, enumerat. Sequens ratio est, cum specialiter quidem, sed tamen multos pariter inuadere patroni solent. Nam & gentium simul uniuersarum eleuata testimonia ab Oratoribus scimus, & tota genera testimoniorum. ut de auditionibus: non enim ipsos esse testes, sed iniuratorum afferre uoces. ut in caussis repetundarum, qui se reo numerasse pecunias iurant, litigatorum nõ testium habendos loco. Interim aduersus singulos dirigitur actio: quod insectationis genus & permistum defensioni legimus in orationibus plurimis, & separatim editum, sicut in Vatinium testem. Totum igitur excutiamus locum, quando uniuersam institutionem aggressi sumus.

Cicero pro Flacco.

Actio in singulos.

Cicero pro Cecinna.

Domitii Afri libri.

Sufficiebant alioqui libri duo à Domitio Afro in hanc rem compositi, quem adolescentulus senem colui: ut non lecta mihi tantum ea, sed pleraque ex ipso sint cognita. Is uerissimè præcipit, primum esse in hac parte officium Oratoris ut totam caussam familiariter norit: quod sine dubio ad omnia pertinet. Id quomodo contingat, explicabimus, quum ad destinatum huic parti locum uenerimus. Ea res suggeret materiam interrogationi, & uelut i tela ad manum submini strabit. Eadem docebit, ad quæ iudicis animus actione sit præparandus. Debet enim uel fieri uel detrahi testibus fides oratione perpetua: quia sic quisque dictis mouetur, ut est ad credendum uel non credendum antè formatus.

Testiũ duo genera.

Et quoniam duo genera sunt testium, aut uoluntariorum, aut eorum quibus iudex in publicis iudicijs lege denunciare solet: quorum altero utraque pars utitur, alterum accusatoribus tantùm concessum est: separemus officium dantis testes, & refellentis.

Voluntarii testis interrogandi ratio.

Qui uoluntarium producit, scire quid is dicturus sit, potest: ideoque faciliorem uidetur in rogando habere rationem. Sed hæc quoque pars acumen & uigilantiam poscit: prouidendumque, ne timidus, ne inconstans, ne imprudens testis sit. Turbantur enim, & à patronis diuersæ partis inducuntur in laqueum: & plus deprehensi nocent, quàm firmi & interriti profuissent. Multum igitur domi antè uersandi: ac uarijs percontationibus, quales habere ab aduersario possunt, explorandi sunt. Sic fit ut aut constent sibi, aut si quid titubauerint, opportuna rursus eius à quo producti sunt, interrogatione, uelut in gradum reponantur. In his quoq; adhuc qui constiterint sibi, uitandæ sunt insidiæ. nam frequenter subijci ab aduersario solent, & omnia profutura polliciti, diuersa respondent, & authoritatem habent nõ arguentium illa, sed confitentium. Explorandum igitur quas caussas lædendi aduersarium afferant: nec id sat est, inimicos fuisse, sed an desierint, an per hoc ipsum reconciliari uelint: ne corrupti sint: ne pœnitentia propositum mutauerint. Quod cum in ijs quoque, qui ea quæ dicturi uidentur, re uera sciunt, necessarium est præcauere: tum multo magis in ijs qui se dicturos quæ falsa sunt, pollicentur. Nam & frequentior eorum pœnitentia est, & promissum suspectius: & si perseuerauerint, reprehensio facilior.

Testiũ quibus denunciatur, subdiuisio, & quomodo sint interrogandi.

Eorum uero quibus denunciatur, pars testium est quæ reum lædere uelit, pars quæ nolit. Idq; interim scit accusator, interim nescit. fingamus in præsentia scire in utroque enim genere summis artibus interrogantis opus est. Nam si habet testem cupidũ lædendi, cauere debet hoc ipsum, ne cupiditas eius appareat: nec statim de eo quod in iudicium uenit, rogare, sed aliquo circuitu ad id peruenire, ut illi quod maximè dicere uoluit, uideatur expressum. Nec nimium instare interrogationi, ne omnia respondendo testis fidem suam minuat: sed in tantum euocare eum, quantum sumere ex uno satis sit.

Quo pacto testis inuitus tractandus sit.

At in eo qui uerum inuitus dicturus est, prima felicitas interrogantis est extorquere quod is noluerit. Hoc non alio modo fieri potest, quam longius interrogatione repetita. Respondebit enim quæ nocere caussæ non arbitrabitur: ex pluribus deinde quæ confessus erit, eò perducetur, ut quod dicere non uult, negare non possit. Nam ut in oratione sparsa plerunque colligimus argumenta, quæ per se nihil reum aggrauare uideantur, congregatione deinde eorum factum conuincimus: ita huiusmodi testis multa de anteactis, multa de insecutis, loco, tempore, persona, cæteris, est interrogandus, ut in aliquod responsum incidat, post quod illi uel fateri quæ uolumus necesse sit, uel ijs quæ iam dixerit, repugnare. Id si non contingit, reliquum erit ut eum nolle dicere manifestum sit: protrahendusque, ut in aliquo quod uel extra caussam sit, deprehendatur. Tenendus etiam diutius, ut omnia, ac plura quam res desiderat, pro reo dicendo, suspectus iudici fiat: quo non minus nocebit, quàm si uera in reum dixisset. At si (quod secundo loco diximus) nesciet actor quid propositi testis attulerit: paulatim, & (ut dicitur) pedetentim interrogando experietur animum eius, & ad id responsum quod eliciendum erit, per gradus ducet. Sed quia nonnunquam sunt hæ quoque testium artes, ut primò ad uoluntatem respondeant, quo maiore fide diuersa postea dicant: est Oratoris, suspectum testem dum prodest, dimittere.

Defensoris partes in interrogandis testib.

Patronorum in parte expeditior, in parte difficilior interrogatio est. Difficilior hoc, quòd rarò unquam possunt ante iudicium scire quid testis dicturus sit. Expeditior, quòd cum interrogandus est, sciunt quid dixerit. Itaque in eo quod incertum est, cura & inquisitione opus est, quis reum premat, quas & quibus ex caussis inimicitias habeat: eaque in oratione prædicenda atque amolienda sunt siue odio conflatos testes, siue inuidia, siue gratia, siue pecunia uideri uolumus. Et si deficietur numero pars diuersa, paucitatem: si abundabit, conspirationem: si humiles producet, utilitatem: si potentes, gratiam oportebit incessere.

Hæc facie Cice. pro Flac.

Plus tamen proderit caussas propter quas reum lædant, exponere, quæ sunt uariæ, & pro conditione cuiusque litis aut litigatoris. Nam contra illa quæ suprà diximus, simili ratione responderi locis communibus solet, quia & in paucis atque humilibus accusator simplicitate gloriari potest, quòd neminem præter eos* qui possunt scire quæsierit: & multos atque honestos commendare aliquanto est facilius. Verùm interim

* quos putit.

& singulos

& singulos ut exornare, ita destruere contingit, aut recitatis in actione, aut testibus nominatis.

Testiũ natura cognoscenda.

Quod ijs temporibus quibus testis nõ nisi post finitas actiones rogabatur, & facilius & frequentius fuit. Quid autem in quenq; testiũ dicendum sit, sumi nisi ex ipsorum personis non potest.

Reliquæ interrogandi sunt partes. Qua in re primum est, nosse testem. nam timidus terreri, stultus decipi, iracundus concitari, ambitiosus inflari potest: prudens uerò & constans, uel tanquam inimicus & peruicax dimittendus statim, uel non interrogatione, sed breui interlocutione patroni refutandus est: aut aliquo, si continget, urbanè

Interrogatio in caussa.

dicto refrigerandus: aut siquid in eius uitam dici poterit, infamia criminum destruendus. Probos quosdam & uerecundos non asperè incessere profuit. nam sæpe qui aduersus insectantem pugnassent, modestia mitigantur. Omnis autem interrogatio, aut in caussa est, aut extra caussam. In caussa, sicut accusatori præcipimus, patronus quoque altius, & unde nihil suspecti sit, repetita percontatione, priora sequentibus applicando, sæpe eò perducit homines, ut inuitis quod prosit extorqueat.

Ratio interrogandi socratica per inductiones.

Eius rei sine dubio nec disciplina ulla in scholis, nec exercitatio traditur: & naturali magis acumine, aut usu contingit hæc uirtus. Si quod tamen exemplum ad imitationem demonstrandum sit, solum est quod ex dialogis Socraticorum, maximéque Platonis, duci potest: in quibus adeo scitæ sunt interrogatione, ut cum plerisque bene respondeatur, res tamen ad id quod uolunt efficere, perueniat.

Extra caussam.

Illud fortuna interim præstat, ut aliquid quod inter se parum consentiat, à teste dicatur: interim (quod sæpius euenit) ut testis testi diuersa dicat. Acuta autem interrogatio, ad hoc quod casu fieri solet, etiam ratione perducet. Extra caussam quoque multa quæ prosint, rogari solent, de uita testium aliorum, de sua quisque, si turpitudo, si humilitas, si amicitia accusatoris, si inimicitiæ cum reo: in quibus aut dicant aliquid quod prosit, aut in mendacio uel cupiditate lædendi deprehendantur.

Interrogãdi lex.

Sed in primis interrogatio debet esse circunspecta, quia multa contra patronos uenustè testis sæpe respondet, eíque præcipuè uulgò fauetur. Tum uerbis quammaximè ex medio sumptis, ut qui rogatur (is autem est sæpius, & imperitus) intelligat, aut ne intelligere se neget, quod interrogantis non leue frigus est.

Frigus:

*Illæ uero pessimæ artes, testem subornatum in subsellia aduersarij mittere, ut inde excitatus plus noceat, uel dicendo contra reum, cum quo sederit: uel cum adiuuisse testimonio uidebitur, faciendo ex industria multa immodestè atque intemperanter, per quæ non à se tantum dictis detrahat fidem, sed ceteris quoque qui profuerant, auferat * authoritatem.*

* utilitatẽ.

Quorum mentionem habui, non ut fierent, sed ut uitarentur.

Collisio testium cũ tabulis, & argumentorum cũ testibus, & testiam cum testibus.

Sæpe inter se collidi solent, inde testatio, hinc testes. locus utrinque. Hæc enim se pars iureiurando, illa consensu signantium tuetur. Sæpe inter testes, & argumenta quæsitum est. Inde scientiam in testibus & religionem, ingenia esse in argumentis dicitur: hinc testem gratia, metu, pecunia, ira, odio, amicitia, ambitu fieri, argumenta ex natura duci: in his iudicem sibi, in illis alij credere. Communia hæc pluribus caussis, multumque iactata sunt, semperque iactabuntur.

Diuina testimonia.

Aliquando utrinque sunt testes, & quæstio sequitur, ex ipsis, uter meliores uiri. ex caussis, utri magis credibilia dixerint. ex litigatoribus, utri gratia magis ualuerint. His adijcere siquis uolet ea quæ diuina testimonia uocantur, ex responsis, oraculis, ominibus, duplicem sciat eorum esse tractatum: generalem alterum, in quo inter Stoicos & Epicuri sectam secutos pugna perpetua est, regatur'ne prouidentia mundus. specialem alterum, contra parteis diuinationis, ut quæque in quæstionem cadit.

Val. lib. 1. cap. 7.

Aliter enim oraculorum, aliter aruspicum, augurum, coniectorum, & mathematicorum fides confirmari, aut refelli potest, cum sit rerum earum ratio diuersa. Circa eiusmodi quoque instrumenta firmanda, uel destruenda, multum habet operis oratio, siquæ sint uoces per uinum, somnum, dementiam emissæ, uel excepta paruulorum indicia, quos pars altera nihil fingere, altera nihil indicare dictura est.

Testimonia desiderata.

Nec tantum præstari hoc genus potest sed etiam ubi non est, desiderari solet: Pecuniam dedisti, quis numerauit? ubi? unde? Venenum arguis, ubi emi? à quo? quanti? per quẽ dedi? quo conscio? Quæ ferè omnia pro Cluentio Cicero in crimine ueneficij excutit. Hæc de inartificialibus quambreuissimè potui.

MOSELLANI.

Circa testimonia] Circa ea quæ per tabulas aut pee testea formantur. Significatione] Emphasi. Voluntate] Coactus. Quo ipso] Facto. Contra quem] Et per hoc suspectam se reddit, quasi ex odio de testimonium magis quàm ea ueritate. Præsentibus] Testibus. Actionum] Accusationom. Niaa] Firmata. Inuadere] Accusate. Eleuata] Infirmata, quemadmodum in oratione pro Lucio Flacco eleuatur testimonium Græcæ nationis, sic enim Cicero ait, Veruntamen hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo illia literas, do multarum artium disciplinas, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, deinde siqua sibi alia assumunt, non repugno, testimoniorum religionem & fidem nunqua ista natio coluit, totiusque huiusce rei, quæ sit uis, quæ authoritas, quod pondus ignorant. Vnde est illud, Da mihi mutuum testimonium? Non Gallorum, non Hispanorum putatur, totum istud Græcorum est, ut etiam qui Græcæ nesciunt, hoc quibus uerbis à Græcia soleat dici, sciant. Poro hæc ipsa oratio indicat omnes homines hic à Fabio notatos qui refelli possunt testes. De auditionibus] Quæ audita testantur. Diuersa] In foro. Arguentium] Ostendentium.

Illa] Scilicet diuersa. Confitentium] quasi inuitorum.

Satis est] Scilicet eis contra quos dicturi sunt. Per hoc ipsum] testimonium. Euocare] Expiscari. Propositi] Animi. Pedetentim] Prouerbium à tentanda glacie tractum concreti primum fluuij. Interrogando] In iudicio. Incessere] Inuadere reprehensione. His temporibus] Vepote Demosthenis. Post finitas] Scilicet in mediia actionibua. Prudens] Qui usu rerum est doctua. Peruicax] Malignus. Efficere] Comprobare. Ea medio] Sumptia è uulgari consuetudine. Frigua] Ineptitudo. Artes] Fraudes. Subsellia] In eo loco ubi aduersa pars est. Noceat] Aduersetur parti.

Quorum mentionem] Quarum artium. Testatio] Literarum. Testea] Præsentes. Illa] Testationis. Quæsitum] Dubitatum, pugnatum est. Religionem] Iurisiurandi.

Ingenia] quibus argumenta inueniantur. Hinc] Dicitur.

In his] Argumentis. In illis] Testibus. Vtrunque] ab utraque parte litigantium. Quæstio] Controuersia. His] Testibus. Ominibua] Præsagiis. Duplicem] Verborum.

Stoicos] Qui deum omnia prouidere putant. Coniectorum] Interpretum somniorum. Mathematicorum] Astrologorum. Excutit] Explicat.

ARGVMENTVM.

Absolutis argumẽtationib. artificialibus, inartificiales aggressurus, in eos inuehitur qui locia communibus, & iia solia quæ ad delectandũ & mouendos affectus pertinent, deleniti, argumentorum tractationem tanquam asperam refugiunt, cum delectatio & affectuum commotio parum prosint, nisi prius argumentatione doceamus. Deinde generales quasdam probationum diuisionea facit, alias in rebua esse, alias in personis, alias per se inspici, alias ad aliud referri, alias ab antecedentibus, ea consequentibus alias, alias etiam ex pugnantibus, quæ uel ex præterito tempore, uel ex præsenti uel ea futuro petantur. Rursus alias esse necessariaa, credibiles alias, alias non repugnanies. Postremo propositionum hypotheticarum species quatuor enumerat.

De probatione artificiali. Cap. VIII.



ARS altera probationum, quæ est tota in arte, constatq; rebus ad faciendam fidē appositis, plerunq; aut omnino negligitur, aut leuissimè attingitur ab ijs qui argumēta uelut horrida & confragosa uitantes amœnioribus locis desident: neque aliter quàm ij qui traduntur à Poetis gustu cuiusdam apud Lotophagos graminis, & Sirenum cantu deleniti, uoluptatem saluti prætulisse, dum laudis falsam imaginem sequuntur, ipsa, propter quam dicitur, uictoria cedunt. Atqui cætera quæ continuo magis orationis tractatu decurrunt, in auxilium atq; ornamentum argumentorum comparantur, neruisque illis quibus caussa continetur, adijciunt superinducti corporis speciem: ut si fortè quid factum ira uel metu uel cupiditate dicatur, latius quæ cuiusque affectus natura sit, prosequamur. Iisdem laudamus, incusamus, augemus, minuimus, describimus, deterremus, querimur, consolamur, hortamur. Sed horum esse opera in rebus aut certis, aut de quibus tanquam certis loquimur, potest. Nec abnuerim esse aliquid in delectatione, multum uerò in commouendis affectibus: sed hæc ipsa plus ualent cum se didicisse iudex putat: quod consequi nisi argumentatione, aliaq; omni fide rerum non possumus. Quorum priusquam partior species, indicandum reor, esse quædam in omni probationum genere communia. Nam nec ulla quæstio est quæ nō sit aut in re, aut in persona: nec esse argumentorum loci possunt, nisi in ijs quæ rebus aut personis accidunt: eaq; aut per se inspici solent, aut ad aliud referri. nec ulla confirmatio, nisi aut ex antecedentibus, aut ex consequentibus, aut expugnantibus: & hæc necesse est aut ex preterito tempore, aut ex coniuncto, aut ex sequenti petere. Nec ulla res probari nisi ex alia potest: eaq; sit oportet aut maior, aut par, aut minor. Argumenta uerò reperiuntur aut in quæstionibus, quæ etiam separatæ à complexu rerum personarumq; spectari per se possint: aut in ipsa caussa, cū inuenitur aliquid in ea non ex communi ratione ductum, sed eius iudicij de quo cognoscitur, proprium. Probationum præterea omnium aliæ sunt necessariæ, aliæ credibiles, aliæ non repugnantes. Adhuc, omnium probationū quadruplex ratio est, ut uel quia aliquid est, aliud non sit: ut, dies est, nox non est. uel quia est aliquid, & aliud sit: ut. Sol est super terrā dies est. uel quia aliquid nō est, aliud sit: ut, nox nō est, dies est. uel quia aliquid non est, nec aliud sit: ut, nō est rationale, nec homo est. His in uniuersū prædictis partes subijciā.

Odysse. 10. Odyss. 12.

Delectatio & cōmotio nō prosunt nisi ante docueris.

Generalis probationum diuisio.

Cōfirmatio.

Argumenta.

Probationum hypotheticarū quadruplex ratio.

MOSELLANI.

AMœnioribus] In affectibus tractandis. Traduntur] Videlicet ab Homero lib. 9. Odysseæ. Grammis] herbæ Plin lib 13 cap 16. Lotum arborem facit, quæ certe alio nomine dicatur, cuius baccæ fabarum magnitudine tā sunt dulces, ut genti etiam ab earum esu nomen sit inditum. siquidē Lotophagi dicuntur & hos certè ab arbore Homerum intellexisse apparet, alioqui & genus herbæ est, de quo forsan memoria lapsus Fabius hic sentit, nisi quod quibusdā placere uideo ut germinis legatur Mihi si detur libera suspicandi facultas, à semidocto aliquo & temerario castigatore putauerim arborem in germen commutatam, nimirum qui de herba loto aliqua legerit, de arbore autem nihil. Nec ulla res probari] Vnde cum alij loci emergunt à genere ad speciem, à maiore ad minus, ex pari uero fingunt locos à similibus, à definitione, ab interpretatione, à specie ad genus, ac à minore ad maius. Quadruplex ratio] quæ scilicet argumentādo apparet. Fiunt autē argumentationes rhetoricæ ut plurimū conditionalibus, quarū formæ quatuor sunt usitatissimæ, de quibus hic Fabius, & copiosius M. Cicero in Topicis, & Boethius ex Theophrasto in libro de hypotheticis syllogismis, tum Georgius Trapezuntius, & Martianus Capella, uterque in sua dialectica.

ARGVMENTVM.

Artificiales probationes in tres species diuidit, signa, argumēta, & exempla. Quare signa ab argumentis separet, duplicē caussam assignat. Primam, quia signa ad probationes inartificiales propius quàm ad argumenta accedant, secundā, quia si certa sint argumenta non sint, quia non sit ibi quæstio, si dubia, alijs egeāt ad confirmationem sui, quare neutro modo sint argumenta. Verum hæc posterior ratio doctis non probatur. Signa diuidit in necessaria & uerisimilia. Necessaria definit esse quæ se habere aliter non possunt, quorum aliqua recurrant in contrariarum, ut spirare & uiuere, alia non ut moueri & ingredi. Verisimilia definit esse quæ sola ad tollendam dubitationem non sufficiant sed adiuncta cæteris plurimum ualeant, ut sanguis, adiunctis inimicitiis, & minis, ad probandam cædem. Hermagoram nō probat, qui adiuncta sub hæc signa retulit. Et signum generaliter definit id esse quod ex eo de quo quæritur, natum, sub oculos uenit. Et quomodo prognostica ad signa reduci queant, ostendit.

De Signis. Cap. IX.



OMNIS igitur probatio artificialis constat aut signis, aut argumentis. aut exemplis. Nec ignoro plerisque uideri signa partem argumentorum· quæ mihi separandi ratio hæc fuit prima, quòd sunt penè ex illis inartificialibus. Cruenta enim uestis, & clamor, & liuor, & talia, sunt instrumenta, qualia tabulæ, rumores, testes: nec inueniuntur ab Oratore, sed ad eum cum ipsa caussa deferuntur. Altera, quod signa siue indubitata sint, non sunt argumenta: quia ubi illa sunt, quæstio non est: argumento autem nisi in re controuersia locus esse non potest. siue dubia, non potest. siue dubia, non sunt argumenta, sed ipsa argumentis egent. Diuiduntur autem in has primas duas species, quòd eorum alia sunt (ut dixi) quæ necessaria sunt, quæ Græci uocant τεκμήρια: alia non necessaria, quæ σημεῖα. Priora illa sunt, quæ aliter habere se non possunt: quæ mihi uix pertinere ad præcepta artis uidentur. Nam ubi est signum insolubile, ibi ne lis quidem est. Id autem accidit, cum quid aut necesse est fieri, factumve esse, aut certè omnino non potest fieri, uel esse factum: quo in caussis posito, lis non est nisi facti. Hoc genus per omnia tempora perpendi solet. Nam & coisse eam cum uiro, quę peperit, quod est præteriti: & fluctus esse, cum magnus uenti in mare incubuit, quod coniuncti: & eum mori, cuius cor est uulneratum, quod futuri, necesse est. Nec fieri potest ut ibi sit messis, ubi satum non est: ut quis Romæ sit, cum est Athenis: ut sit ferro uulneratus, qui sine cicatrice est. Sed quædam & retrorsus idem ualent, ut uiuere hominem, qui spirat: & spirare, qui uiuit. Quædam in contrarium non recurrunt. Nec enim quia mouetur qui ingreditur, idcirco etiam ingreditur qui mouetur. Quare potest & coisse cum uiro, quæ non peperit: & non esse uentus in mari, cum esset fluctus: nec utique cor eius uulneratum esse, qui perit: ac similiter satum fuisse potest, ubi non fuit messis: fuisse Romæ, qui fuit Athenis: nec fuisse ferro uulneratum, qui habet cicatricem. Alia sunt signa non necessaria, quæ εἰκότα Græci uocant: quæ etiamsi ad tollendam dubitationem sola non sufficiunt, tamen adiuncta cæteris, plurimum ualent. Signum uocant (ut dixi) σημεῖον quanquam id quidam indicium, quidam uestigium nominauerūt, per quod alia res intelligitur, ut per sanguinē cædes. At quia sanguis uel ex hostia respersisse uestem potest, uel è naribus profluxisse, nō utiq; qui uestem cruentā habuerit, homicidiū fecerit. Sed ut per se non sufficit, ita cæteris adiunctū, testimonij loco ducitur, si inimicus, si minatus antè, si eodē loco fuit: quibus signū cū accessit, efficit ut quæ suspecta erant, certa uideantur. Alioqui sunt quædam signa

Signa necessaria. Vide censuram Agricolæ de hoc loco libro 1. c. 22.

Signa non necessaria.

utrique

utrique parti communia, ut liuores, tumores. Nam uideri possunt & ueneficij, & cruditatis. Et uulnus in pectore sua manu, & aliena perisse dicentibus in quo est. Hæc perinde firma habentur, atq; extrinsecus adiuuantur. Eorum autem quæ signa sunt quidem, sed non necessaria, genus Hermagoras putat, non esse uirginem Atalantā, quia cum iuuenibus per syluas uagetur. Quod si receperimus, uereor ne omnia quæ ex facto ducuntur, signa faciamus. Eadem tamen ratione, qua signa, tractantur. Nec mihi uidentur Areopagitæ cum damnauerunt puerum coturnicū oculos eruentem, aliud indicasse, quàm id signum esse perniciosissimæ mentis, multisque malo futuræ, si adoleuisset. Vnde Spurij Melij, Marciq; Manlij popularitas, signum affectati regni est existimatum. Sed uereor ne longe nimium nos ducat hæc uia. Nam si est signum adulteræ, lauari cum uiris, erit & conuiuere cum adolescentibus, deinde etiam familiariter alicuius amicitia uti: ut fortasse corpus uulsum, fractum incessum, uestem muliebrem dixerit mollis & parum uiri signa, sicut (cum signum id propriè sit, quod ex eo de quo quæritur, natum sub oculos uenit) ut sanguis è cæde, ita illa ex impudicitia fluere uideantur.

Contra Hermagoram, quia hæc uerius adiuncta sunt.

Popularitas. Li. li. ab urb. cond. 4. & 5.

Quid signum.

Ea quoque quæ quia plerunque obseruata sunt, uulgo signa creduntur, ut prognostica.

Prognostica ad signa reducūtur.

– Vento rubet aurea Phœbe:

Georg. 1.

Et cornix plena pluuiam uocat improba uoce:

si caussas ex qualitate cæli trahunt, sanè ita appellentur. Nam si uento rubet Luna, signum uenti est rubor. Etsi, ut idem Poeta colligit, densatus & laxatus aer facit ut sit inde ille auium concentus, idem sentiemus. Sunt autem signa etiam parua magnorum, ut uel hæc ipsa cornix. Nam maiora minorum esse nemo miratur.

Ibidem.

MOSELLANI.

Deferuntur] Litigatoribus. Τεκμήρια] Aristoteles Rhetoricorum 1. cap. 3. & Hermagoras. εἰκότα] Verisimilia, aliàs σημεῖα. Idcirco ingreditur qui mouetur] Quia locus arguendi affirmatiuè a specie quidem ad genus ualet, à genere uerò ad speciem non est nisi negatiua consequens, rectè enim sequitur, qui non moueatur, eum nec ingredi. Virginem Atalantam] Filiam regis Colchorum, uenandi studiosam, & à Meleagro amatore in hoc apri capite donatam, etsi Suidas Acasti cuiusdam filiam facit, quam Peleus adamarit, sed de alia sentit opinor. prioris mentionem facit uetustissimus poeta Græcus Musæus. Areopagitę] Iudices Athenienses, qui in Areopago loco Marti sacro (unde & nomen habent) cognoscebant caussas tantum capitis. author Iulios Pollux. Spurii Melii] Spurius Melius, ut narrat Liuius lib. 4. populum Romanū annonæ penuria laborantem, frumento distributo ita sibi conciliauit, ut spem regni conciperet. Verū cū innotuisset gladios ac tela in eius domum comportata, cum iudicium hinc indictum refugeret, à Seruilio Hala magistro equitum cæsus est. Marcique Manlij] Manlius cum æs alienum, quo populus demersus erat, sua largitione dissoluisset, in suspicionē regni affectati uenit, & ex capitolii arce præcipitatus suppliciū dedit Liui⁹ in quinto.

ARGVMENTVM.

Post signa, argumenta aggreditur, quorum nomine enthymemata, epicheremata, & apodixes complectitur, quorum omnium uaria significata & diuersas acceptiones apud græcos esse ostendit: ipse uero quid per illa intelligi uelit, explicat, nempe per enthymema rhetoricum syllogismum imperfectum, e a consequentibus proprie uel repugnantibus: per epicherema ratiocinationem rhetoricam syllogismo affinem: per apodixin euidentem probationem demonstrationibus aptam: per argumentum rationem probationem præstantem qua per aliud colligatur aliud, quo quod dubium erat, confirmetur. Quare in omni caussa cognoscendum, aliqua habenda esse pro certis, ut deos esse & pietatem præstandam parentibus, & quæ sensibus percipiuntur, ut uisu & auditu. Alia credibilia, quorum tria sint genera. Primum firmissimum, ut liberos à parentibus amari. Alterum propensius, ut qui rectè ualeat, in crastinum peruenturum. Tertium non repugnans, in domo furtum factum ab eo qui domi fuit. Quæ ut optimè tractentur, uim naturamque rerum omnium exploratissimam habere conueniat: Locos definit esse argumentorum sedes. Cognitionis eorum commoda proponit deinde diuidit in locos personarum & rerum, inter quos quasi medios locos factorum ponit. Personarum unde argumenta sumantur, hos enumerat, à Genere, Natione, Patria, Sexu, Aetate, Educatione, Habitu, Fortuna, Conditione, Natura animi, Victu, Studiis, Ante actis dictisque, & Nomine. His locos factorum ex caussis impulsricibus subiungit, quæ in omnes tres status cadant: sed bifariam diuiduntur. aut enim nos mouent propter bonorum adeptionem, incrementum, conseruationem, & usum: aut malorum euitationem, liberationem, imminutionem, conuersionem. Et ex quibus praua facta ueniunt, qualis est Ira, Odium, inuidia, Cupiditas, Spes, Ambitus, Audacia Metus. Et fortuita, ut ebrietas, ignorantia, quæ aliquando ad ueniam, aliquando ad criminis probationem ualeant. Item a loco, qui ad omnes tres status pertineat. Et à tempore, quorum aliud generale sit, ut olim, aliud speciale, ut æstate, hyeme, quæ etiam ad omnes status uim adferant. A casu, à facultatibus, quæ in coniecturis maximè sint intuendæ. Ab instrumento & modo, id est ut quicque sit actum. Deinde rerum locos recenset, & finitionem primum, cui genus, speciem, proprium & differens subiicit, ostenditque eam fieri ui sua, etymologia quoque, & partium enumeratione. Et genus ad probandam speciem nihil habere uirium, uerum ad refellendum satis, quia non sequatur, si arbor sit, platanum esse, sed contrà, quia platanus sit, arborem. In specie contraria omnia. Proprium definit esse, quod soli accidat, ut homini sermo, & quod etiam non soli, ut igni calefacere, quibus finitio constituatur, cum differentibus contrà soluatur. His diuisionem subiungit, qua, ex Ciceronis sententia, adiuuari finitionem credit, & quid à partitione differat, ostendit. Ea diuisione argumentum ex remotione nasci, qua modo totum efficitur falsum partes omnes negando, modo unum uerum, omnia præter unum negando, quò dilemmata quoq; referantur. His reliqua subiungit, Ab initio ad summam, & contra. Ab incremento, A Similibus, A dissimilibus, à Contrariis. A repugnantibus: A Consequentibus, ab Adiunctis, quorum multæ sint species. Ex iis quæ sub eandem rationem cadunt. Ab Efficientibus & Effectis, siue à caussis & euentis, à Coniugatis, ex Appositis seu Comparatis, ut maiori, minori, pari, à quibus exempla uim suam trahant. Item à fictione quoties confessa desunt. Postremo à circunstantia, Ex ipso caussarum complexu, quæ cuiusque caussæ propria, & cum nulla alia communia. quæ quomodò elici ex caussis debeant, exemplo luculento de Thessalis & Thebanis subiecto demonstrat: Vnde locorum cognitionem generalem & præceptorum artis mancam esse monet, nisi magna prudentia quæ singularum caussarum sint propria, cognoscamus, quæ omnia ut non in omnem orationem cadant, ita debere cognita & perspecta esse, ut statim in promptu sint & occurrant quæ in quanque caussam incurrere debeant, quam uelocitatem studio exercitatam ita nobis parare debeamus, ut inuentionem nostra non magis remorentur, quàm citharœdi manum sonorum diuersitas, aut scribentium articulos literæ syllabæ ve retardent:

De argumentis. Cap. X.

NVNC de argumentis. Hoc enim nomine complectimur omnia quæ græci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις uocant, quanquam apud illos est aliqua horum nominum differentia, etiam si uis eodem ferè tendit. Nā enthymema (quod nos commentū sanè aut cōmentationem interpretemur, quia aliter nō possumus, Græco melius usuri) unū intellectum habet, quo omnia mente concepta significat, sed nunc de eo non loquimur: alterum, quo sententiam cum ratione: tertium, quo certā quandam argumenti conclusionem uel ex consequentibus, uel ex repugnantibus: quanquā de hoc parum conuenit. Sunt enim qui illud prius epicherema dicant: pluresq; inuenias in ea opinione, ut id demum quo pugna constat, enthymema accipi uelint. Et ideo illud Cornificius contrarium appel-

Enthymematis uaria significata.

Lib. 4. ad Herenniū.

lat: hunc alij rhetoricum syllogismum, alij imperfectum syllogismum uocauerunt, quia nec distinctis, nec totidem partibus concluderetur: quod sanè non utiq; ab Oratore desideratur. Epicherema Valgius aggressionem uocat, * Celsus autem iudicat non nostram administrationē, sed ipsam rem quam aggredimur, id est argumentum quo aliquid probaturi sumus, etiam si nondum uerbis explanatū, iam tamen mente conceptum, epicherema dici. Alijs uidetur non destinata uel inchoata, sed perfecta oratio hoc nomen accipere ultima specie. Ideoq; propria eius appellatio, & maximè in usu posita, est, qua significatur certa quędam sententiæ comprehensio, quæ ex tribus partibus constat. Quidam epicherema rationem appellarunt, Cicero melius ratiocinationem: quanquam & ille nomen hoc duxisse magis à syllogismo uidetur. Nam & statum syllogisticum, ratiocinatiuum appellat, exemplisq; utitur philosophorum. Et quoniam est quædam inter syllogismum & epicherema uicinitas, post uideri hoc nomine rectè abusus.

* al. Verrius.
al. Verrius aūt iudico.
In Rheto. & alibi.

Ἀπόδειξις est euidens probatio, ideoque apud Geometras γραμμικαὶ ἀποδείξεις dicuntur. Hanc & ab epicheremate differre Cæcilius putat solo genere conclusionis, & esse apodixin imperfectum epicherema, eadem caussa qua diximus enthymema à syllogismo distare. Nam & * epicheremati apodixin putant, & esse partem eius cōfirmantem. Vtrunq; autem quanquam diuersi authores, eodem modo finiunt, ut sit ratio per ea quæ certa sunt, fidem dubijs afferens. quæ natura est omnium argumentorum. neque enim certa incertis declarantur. Hæc omnia generaliter πίστεις appellant: quod etsi propria interpretatione dicere fidem possumus, apertius tamen probationem interpretabimur.

Apodixis.
* entimema.

Sed argumentum quoq; plura significat. Nam & fabulæ ad actus scenarum compositæ, argumenta dicuntur: & orationum Ciceronis uelut thema ipse exponens Pedianus, Argumentum, inquit, tale est. & ipse Cicero ad Brutum ita scribit, Veritus fortasse ne nos in Catonem nostrū transferamus illinc mali quid, etsi argumētum simile non erat. Quo apparet omnem ad scribendum destinatam materiam ita appellari. nec mirum, cum id inter opifices quoque uulgatum sit: unde Virgilio Argumentum ingens: uulgoque paulo numerosius opus dicitur argumentosum.

Argumenti complures acceptiones.
Aenei. 7. cir. fi.

Sed nunc de eo dicendum argumento est, quod probationem, indicium, fidem, aggressionem, eiusdem rei nomina Celsus facit, parum, distinctè, ut arbitror. Nam probatio & fides efficitur non tantùm per hæc quæ sunt rationis, sed etiam per inartificialia. Signum autem, quod ille indicium uocat, ab argumentis iam separaui. Ergo cum sit argumentum, ratio probationē præstans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod est dubium, per id quod dubium nō est, confirmat: necesse est esse aliquid in caussa quod probatione non egeat. Alioqui nihil erit quo probemus, nisi fuerit quod aut sit uerum, aut uideatur, ex quo dubijs fides fiat. Pro certis autem habemus primùm quæ sensibus percipiuntur, ut quæ uidemus, audimus: qualia sunt signa. Deinde ea in quæ communi opinione consensum est, Deos esse, præstandam pietatem parentibus. Præterea quæ legibus cauta sunt, quæ persuasione etiam si non omnium hominum, eius tamen ciuitatis aut gentis in qua res agitur, in mores recepta sunt: ut pleraque in iure non legibus sed moribus constant. Siquid inter utranque partem conuenit, siquid probatum est. deinque cuicunque aduersarius non contradicit. Sic enim fiet argumentum, Cum prouidentia mundus regatur administranda est Respublica. ut administranda Respublica sit, si liquebit mundum prouidentia regi. Debet etiam nota esse rectè argumenta tractaturo, uis & natura omnium rerum, & quid quæq; earum plerunque efficiat. hinc enim sunt quæ εἰκότα dicuntur.

De quo argumēto fit in præsentia sermo, & quid sit.
Pro certis habenda.
Vim & naturam rerum omnium, argumenta tractaturo cognita esse oportet ut quę sūt credibilia intelligat: quorū tria sunt genera.

Credibilium autem genera sunt tria. Vnum firmissimum, quod ferè accidit, ut liberos à parentibus amari. Alterum uelut propensius, Eum qui rectè ualeat, in crastinū peruenturum. Tertium tantùm non repugnans, In domo furtum factum ab eo qui domi fuit. Ideoque Aristoteles in secundo de arte Rhetorica libro diligentissimè est executus quid cuique rei, & quid cuique homini soleat accidere: & quas res, quousque homines, quibus rebus aut hominibus uel conciliasset uel alienasset ipsa Natura: ut diuitias qui sequatur, aut ambitum, aut superstitionem: quid boni probent, quid mali petant, quid milites, quid rustici: quo quæque modo res uitari uel appeti soleat. Verùm hoc exequi mitto. Non enim longum tantum, sed etiam impossibile, ac potius infinitum est: præterea positum in communi omnium intellectu. Siquis tamen desiderauerit, à quo peteret, ostendi. Omnia autem credibilia, in quibus pars maxima consistit argumentationis, ex huiusmodi fontibus fluunt, An credibile sit à filio patrem occisum, incestum cum filia commissum: & contrà ueneficium in nouerca, adulterium in luxurioso: Illa quoque, An scelus palàm factum, an falsum dixerit propter exiguam summam: quia suos quisque horum uelut mores habet, plerunque tamen, non semper: alioqui indubitata essent, non argumenta.

Horat. in arte poet.

Excutiamus nunc argumentorum locos: quanquam quibusdam ij quoque de quibus supra dixi, uidentur. Locos appello, non ut uulgo nunc intelliguntur, in luxuriā, & adulterium, & similia: sed sedes argumentorum, in quibus latent, ex quibus sunt petenda. Nam ut in terra non omni generantur omnia, nec auem aut feram reperias, ubi quæque nasci aut morari soleat, ignarus: & piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus etiam littoribusque discreta sunt, nec Helopem nostro mari, aut Scarum ducas: ita non omne argumentum undique uenit ideoque non passim quærendum est. Multus alioqui error est: & exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus inuenire nisi casu. At si scierimus ubi quicq; nascatur, cum ad locum uentum erit facilè quod in eo est, peruidebimus.

Quid loci argumētorū: & quomodo diuidantur.

In primis igitur argumenta sæpe à persona ducenda sunt: cum sit, ut dixi, diuisio ut omnia in hæc duo partiamur, res, atque personas: caussa, tempus, locus, occasio, instrumentorum, modus, & cætera, rerum sint accidentia. Personis autem non quicquid accidit, exequendum mihi est, ut plerique fecerunt, sed unde argumenta sumi possunt. Ea porro sunt, Genus: nam similes parentibus ac maioribus suis filij plerunque creduntur: & nonnunquam ad honestè turpiterq; uiuendum inde caussæ fluunt. Natio: nam & gentibus proprij mores sunt nec idem in Barbaro, Romano, Græco, probabile est. Patria: quia similiter etiā ciuitatum leges, instituta, opiniones habent differentiam. Sexus: ut latrocinium facilius in uiro, ueneficium in fœmina credas. Aetas: quia aliud alijs annis magis conuenit. Educatio & disciplinæ: quoniam refert à quibus, & quo quisque modo sit institutus. Habitus corporis: ducitur enim frequenter in argumentum species libidinis, robur petulantiæ. his contraria in diuersum. Fortuna: nec enim idem credibile est in diuite, ac paupere: propinquis amicis clientibus abundante, & hic omnibus destituto. Conditionis etiam distantia est. nam clarus an obscurus, magistratus an priuatus, pater an filius, ciuis an peregrinus, liber an seruus, maritus an cælebs, parens liberorum an orbus sit, plurimū distat. Animi natura: etenim auaritia, iracūdia, misericordia, crudelitas seueritas,

Loci à personis.
A genere.
A natione.
A patria.
A sexu.
Ab ætate.
Ab educatione.
Ab habitu.
A fortuna.
A cōditione.
A natura animi.

aliaque

A uictu. A studiis

aliaq; his similia afferunt fidem frequēter, aut detrahunt: sicut uictus, luxuriosus, an frugi, an sordidus, quæritur. Studia quoq;: nam rusticus, forensis, negociator, miles, nauigator, medicus, aliud atq; aliud efficiunt. Intuendū & quid

Ab affectibus. Ab ante actis, dictisque.

affectet quisque, locuplex uideri an disertus, iustus an potens. Spectantur ante acta dictaque. Ex præteritis enim æstimari solent præsentia. His adyciunt quidam cōmotionem, hanc accipi uolunt temporariū animi motū, sicut irā, pauorem. Consilia autem & præsentis & præteriti & futuri temporis: quæ mihi, etiam si personis accidunt, referenda tamen ad illā partem argumentorum uidentur, quā ex caussis ducimus: sicut habitus quidam animi quo tractatur

A nomine idest etymologia.

amicus, inimicus. Ponunt in persona & nomen, quod quidem ei accidere necesse est, sed in argumentum rarò cadit: nisi cum aut ex caussa datum est, ut sapiens, magnus, plasius: aut & ipsum alicuius cogitationis attulit caussam, ut Lētulo coniurationis, quòd libris Sibyllinis Aruspicumq; responsis dominatio dari tribus Cornelijs dicebatur, seque eum tertium esse credebat post Syllam Cinnamq;, quia & ipse Cornelius erat. Nam & illud apud Euripidem, frigi-

In Phœnissis.

dum sanè, quòd nomen Polynicis ut argumentum morum frater incessit. Iocorum tamen ex eo frequens materia, qua Cicero in Verrem non semel usus est. Hæc ferè circa personas sunt, aut his similia. Nec enim complecti omnia uel hac in parte, uel in cæteris possumus, contēti rationem plura quæsituris ostendere. Nunc ad res transeo, in quibus maximè sunt personis iuncta quæ agimus, ideoque prima tractanda. In omnibus porro quæ fiunt, quæritur aut quare, aut ubi, aut quando, aut quomodo, aut per quæ facta sunt. Ducuntur igitur argumenta ex caussis factorum,

Loci factorū ex caussis impulsricibus.

uel futurorumquorum materiam, quā ὕλην alij, δύναμιν alij nominauerunt, in duo genera. sed quaternas utriusq; diuidunt species. Nam ferè uersatur ratio faciendi circa bonorum adeptionem, incrementū, conseruationem, usum: aut * malorum euitationem, liberationem, imminutionem, conuersionem, nanq; & hæc in deliberando plurimum ualent. Sed has caussas habent recta: praua contrà ex falsis opinionibus ueniunt. Nam est his initium ex ijs quæ creduntur bona aut mala: inde errores existunt, & pessimi affectus: in quibus sunt ira, odiū, inuidia, cupiditas, spes, ambitus, audacia, metus, cæteraq; generis eiusdem. Accedūt aliquando fortuita, ebrietas, ignorantia. Quæ interim ad ueniam ualent, interim ad probationem criminis: ut siquis dum alij insidiatur, alium dicatur, intermisse.

* in scriptis codicib. legitur duntaxat, aut malorū euitationem, & imminutionē, nanque & hæc &c.

Caussæ.

Caussæ porrò non ad conuincendū modò quod obycitur, sed ad defendendum quoq; excuti solent, cum quis se rectè fecisse, id est

Cap. 6. A finitione.

honesta caussa contendit. qua de re latius in tertio libro dictum est. Finitiones ex caussis interim pendent. Antyrannicida, qui tyrānum à quo deprehensus in adulterio fuerat occidit. An sacrilegus, qui ut hostes urbe expelleret, arma

A loco, ex quo argumenta ducuntur ad coniecturā qualitatē, & finitionem.

templo affixa detraxit. Ducuntur argumenta & ex loco. Spectatur enim ad fidem probationis, montanus an planus, maritimus an mediterraneus, cōsitus an incultus, frequens an desertus, propinquus an remotus, opportunus cōsilijs, an aduersus. quam partem uidemus uehementissimè pro Milone tractasse Ciceronem. Et hæc quidem ac similia ad coniecturam frequentius pertinent: sed interim ad ius quoq;, priuatus an publicus, sacer an prophanus, noster an alienus: ut in persona, magistratus, pater, peregrinus. Hinc enim quæstiones oriuntur: Priuatam pecuniam sustulisti, uerùm quia de templo, non furtum, sed sacrilegium est. Occidisti adulterum, quod lex permittit: sed quia in lupanari, cædes est. Iniuriam fecisti, sed quia magistratui, maiestatis actio est. Vel contra, Licuit, quia pater eram, quia magistratus. Sed circa facti controuersiam argumenta præstant circa iuris lites materiam quæstionum. Ad qualitatem quoque frequenter pertinet locus. Neq; enim ubique idem aut licet, aut decorum est. Quinetiam in qua quicq; ciuitate quæratur, interest. Moribus enim & legibus distant. Ad cōmendationem quoq; & inuidiam ualet. Nam & Aiax apud Ouidium.

Ante rates, inquit, agimus caussam, & mecum confertur Vlysse. Meta. 13.

Et Miloni inter cætera obiectum est quod Clodius in monumentis ab eo maiorum suorum esset occisus. Ad suadendi momenta idem ualet, sicut tempus, cuius tractatum sub

A tēpore. Sup. fo. 43.

iungam. Eius autem (ut alio loco iam dixi) duplex significatio est. Generaliter enim & specialiter accipitur. Prius illud est, Nūc, Olim, Sub Alexandro, Cum apud Ilion pugnatum est. denique, præteritum, instans, futurum. Hoc sequens habet & constituta discrimina, æstate, hyeme, noctu, interdiu: & fortuita, in pestilentia, in bello, in conuiuio. Latinorum quidam satis significari putauerunt, si illud generale, hoc speciale uocarent. Quorum utrorumq; ratio & in consilijs quidem, & in illo demonstratiuo genere uersatur: sed in iudicijs frequentissima est. Nam & iuris quæstiones facit, & qualitatem distinguit, & ad coniecturam plurimum confert: ut cum interim probationes inexpugnabiles afferat, quales sunt si dicatur (ut suprà posui) signator, qui ante diem tabularum decessit: aut commisisse aliquid uel cum infans esset, uel cum omnino natus non esset.

Cap. de tabulis.

Præter id, quòd omnia facilè argumenta aut ex ijs quæ ante rem facta sunt, aut ex coniunctis rei, aut insequentibus ducuntur. Ex antecedentibus, Mortem minatus es, noctu existi, proficiscentem antecessisti. Caussæ quoque factorum, præteriti sunt temporis. Sed tempus subtilius quidam quàm necesse erat diuiserunt, ut esset iuncti, sonus auditus est: adhærentis, clamor sublatus est: insequentis illa, latuisti, profugisti, liuores & tumores apparuerunt. Iisdem temporum gradibus defensor utetur ad detrahendam ei quod obijcitur, fidem. In his omnis factorum dictorumque ratio uersatur, sed dupliciter. Nam fiunt quædam, quia aliud postea futurum est: quædam, quia aliud antea factum est: ut cum obijcitur reo lenocinij speciosæ marito, quòd adulterij damnatam quandam emerit: aut parricidij reo luxurioso: quòd dixeris patri, Non amplius me obiurgabis. Nam & ille non quia emit, leno est: sed quia leno erat, emit. Nec hic quia sic erat locutus, occidit: sed quia erat occisurus, sic locutus est. Casus autem, qui

A casu.

& ipse præstat argumentis locum, sine dubio est ex insequentibus: sed quadam proprietate distinguitur: ut si dicam, Melior dux Scipio quàm Annibal: uicit Annibalem. Bonus gubernator: nunquam fecit naufragium: Bonus agricola: magnos sustulit fructus. Et contrà, Sumptuosus fuit, patrimonium exhausit, turpiter uixit, uel omnibus inuisus est. Intuendæ sunt, præcipuéque in coniecturis, & facultates. Credibilius est enim occisos à pluribus pauciores, à firmioribus imbecilliores, à uigilantibus dormientes, à præparatis inopinantes. Quorum contraria in diuersum ualent.

A facultate quæ in cōiecturis præcipuè intuenda est.

Hæc & in deliberando intuemur, & in iudicijs ad duas res solemus referre, an uoluerit quis, an potuerit. nam & uoluntatem spes facit. Hinc illa apud Ciceronem coniectura, Insidiatus est Clodius Miloni, non Milo Clodio: Ille cum seruis robustis, hic cum mulierum comitatu: ille in equo, hic in rheda: ille expeditus, hic penula irretitus. Facultati: autem licet instrumentū coniungere. Sunt n. in parte facultatis & copia. Sed ex instrumēto aliquādo etiā signa nascuntur, ut spiculū in corpore inuētum. His adijcitur modus,

Ab instrumento. A modo.

modus, quem τρόπον dicunt, quo quæritur quemadmodum quid sit factum: id quod tum ad qualitatem scriptumque pertinet: ut si negemus adulterum ueneno licuisse occidere, sed ferro oportuisse. tum ad coniecturam quoque ut si dicam bona mente factum, ideoque palàm: mala, ideoque ex insidijs, nocte, in solitudine. In rebus autem omnibus de quarum ui aut natura quæritur, quasque etiam citra complexum personarum, cæterorumque ex quibus fit caussa, per se intueri possumus, tria sine dubio rursus spectanda sunt, an sit, quid sit, quale sit.

An sit, quid sit, quale sit.

Sed quia sunt quidam loci argumentorum his omnibus communes, diuidi hæc tria genera non possunt: ideoq; locis potius, ut quosq; incurrent, subijcienda sunt. Ducuntur igitur argumenta ex finitione, seu fine: nam utroque modo traditur.

Ex finitione.

Eius duplex ratio est. Aut enim simpliciter quæritur, sit'ne hoc uirtus. aut antecedente finitione, quid sit uirtus. Id aut uniuersum uerbis complectimur, ut, Rhetorice est bene dicendi scientia. aut per partes, ut, Rhetorice est rectè inueniendi, & disponendi, & eloquendi cum firma memoria, & cum dignitate actionis, scientia. Præterea finimus aut ui, sicut superiora: aut ἐτυμολογίᾳ, ut assiduum ab ære dando, & locupletem à locorum, pecuniosum à pecorũ copia.

Cicero in Topicis.

Finitioni subiecta maximè uidentur genus, species, differens, proprium. Ex his omnibus argumenta ducuntur.

Genus.

Genus ad probandam speciem minimum ualet, plurimum ad refellendam. Itaq; non quia est arbor, platanus est: at quod non est arbor, utique platanus non est. Nec quod non est uirtus utique non potest esse iustitia. Itaque à genere perueniendum est ad ultimam speciem: ut, homo est animal, non est satis, id enim genus est: mortale, etiam si est species, cum alijs tamen communis finitio: rationale, nihil supererit ad demonstrandum quod uelis.

Species.

Contrà species firmam probationem habet generis, infirmam refutationẽ. Nam quod iustitia est, utique uirtus est, quod non est iustitia, potest esse uirtus, si est fortitudo, constantia, continentia. Nunquam itaq; tolletur à specie genus, nisi ut omnes species quæ sunt generi subiectæ, remoueantur: hoc modo, Quod neque immortale est, neque mortale, animal non est. His adijciunt propria, & differentia. Proprijs confirmatur finitio, differentibus soluitur.

Proprium.

Proprium autem est aut quod soli accidit, ut homini sermo, risus: aut quod utiq; accidit, sed non soli, ut igni calefacere. Et sunt eiusdem rei plura propria, ut ipsius ignis lucere, calere. Itaque quodcunque proprium deerit, soluet finitionem: non utiq; quodcunque erit, confirmabit. Sæpissime autem quid sit proprium cuiusque, quæritur: ut si per ἐτυμολογίας dicatur, Tyrannicidæ proprium est tyrannũ occidere, negemus. nõ enim si traditum sibi eum carnifex occiderit, tyrannicida uocetur: nec si imprudens, uel inuitus. Quod autem proprium non erit, differens erit: ut aliud est seruum esse, aliud seruire: qualis esse in addictis quæstio solet.

Differens.

Qui seruus est si manumittatur, fit libertinus, non idem addictus: & plura, de quibus alio loco. Illud quoq; differens uocant, quum genere in species diducto, species ipsa discernitur. Animal, genus: mortale, species: terrenum uel bipes, differens. Nondum enim proprium est, sed iam differt à marino uel quadrupede. Quod non tam ad argumentum pertinet, quàm ad diligentem, finitionis comprehensionem. Cicero genus & speciem, quam eandem formam uocat, à finitione diducit, & ijs quæ ad aliquid sunt, subijcit: ut si ciuis argentum omne legatũ est, petat signatum quoq; utatur genere: at si quis cum legatum sit ei quæ uiro materfamilias esset, neget deberi ei quæ in manum non conuenerit, specie: quoniã duæ formæ sint matrimoniorum. Diuisione autem adiuuari finitionem docet, eamq; differre à partitione: quòd hæc sit totius in partes, illa generis in formas. Partes incertas esse, ut quibus constet Respublica: formas certas, ut quot sint species Rerumpublicarum, quas tres accipimus, quæ populi, quæ paucorum, quæ unius potestate regerentur. Et ille quidem non his exemplis utitur, quia scribens ad Trebatium, ex iure ea ducere maluit: ego apertiora posui.

A diuisione, ex qua argumenta ex remotione.

Propria uerò ad coniecturæ quoq; pertinet partem: ut quia proprium est boni, rectè facere: iracundi uerbis excandescant. At contrà quædam in quibusdam utiq; non sunt & ratio quamuis ex diuerso, eadem est. Diuisio & ad probandum simili uia ualet, & ad refellendum. Probanti interim satis est unum habere, hoc modò, Vt sit ciuis, aut natus sit oportet, aut factus. Neganti utrunq; tollendum est. nec natus nec factus est. Fit hoc & multiplex, idque est argumentorum genus ex remotione, quo modò efficitur totũ falsum, modò id quod relinquitur, uerum.

Ex remotione.

Totum falsum est hoc modo, Pecuniam te credidisse dicis: aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti, aut inuenisti, aut surripuisti. Si neque domi habuisti, neque ab aliquo accepisti, & cætera, non credidisti. Reliquum fit uerum sic, Hic seruus, quem tibi uendicas, aut uerna tuus est, aut emptus, aut donatus, testamento relictus, aut ex hoste captus, aut alienus. deinde remotis prioribus, supererit alienus. Periculosum, & cum cura intuendum genus: quia si in proponendo unum quodlibet omiserimus, cum quoq; tota res soluitur. Tutius quod Cicero pro Cecinna facit, cũ interrogat, Si hæc actio non sit, quæ sit? Simul enim remouentur omnia. Vel cum duo ponentur inter se contraria, quorum tenuisse utrumlibet sufficiat: quale Ciceronis est, Vnum quidem certè nemo erit tam iniquus Cluentio, qui mihi non concedat, si constet corruptum illud esse iudicium, aut ab Habito, aut ab Oppianico esse corruptum, si doceo non ab Habito, uinco ab Oppianico. si ostendo ab Oppianico, purgo Habitũ.

Formæ dilemmatum.

Fit etiã ex duobus, quorum necessaria est alterutrum eligendi aduersario potestas: efficiturque, ut utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio, Vtrum cum Cottam appetisset, aut cum ipse sese conaretur occidere, telum ei è manibus ereptum est? Et pro Vareno, Optio uobis datur, utrum uelitis casu illo itinere Varenum usum esse, an huius persuasu & inductu. Deinde utraque facit accusatori contraria. Interim duo ita proponuntur, ut utrunlibet electum, idem efficiat: quale est, Philosophandum est, etiã si non est philosophandum. Et illud uulgatum, Quò schema, si intelligitur? Quò si non intelligitur? Et, Mentietur in tormentis, qui dolorem pati potest: mentietur, qui non potest.

Pedianus in diuinatione Cic. & Gell. lib. 5. cap. 15.

Vt sunt autẽ tria tempora, ita ordo rerum tribus momentis consertus est. habent enim omnia initium, incrementũ, summam: ut iurgium, deinde cædes. Est ergo hic quoq; argumentorum locus inuicem probantium. Nam & ex initijs summa colligitur: quale est, Non possum togam prætextam sperare, cum exordium pullum uideam.

Ab initio.

& contrà, Non dominationis caussa Syllam arma sumpsisse, argumentum est dictatura deposita. Similiter & ex incremento in utranq; partẽ ducitur ratio, cum in coniectura, tum etiam in tractatu æquitatis, an ad initium summa referenda sit: id est an ei cædes imputanda sit, à quo iurgium cœpit.

Ab incremento.

Est argumentorum locus ex similibus, Si continentia uirtus, utique & abstinentia. Si fidem debet tutor, & procurator. Hoc est ex eo genere, quod ἐπαγωγὴν græci uocant Cicero inductionem.

A similibus.

Ex dissimilibus, Non si lætitia bonum, & uoluptas. Non quod mulieri, idem pupillo.

A dissimilibus.

Ex contrarijs. Frugalitas bonum, luxuria enim malum. Si malorum causa bellum est, erit emendatio pax. Si ueniam

A contrarijs.

meretur

A pugnantibus.
A cõsequẽtibus adiũctisve.

meretur qui imprudens nocuit, non meretur præmium qui imprudens profuit. Ex pugnantibus, Qui est sapiens, stultus non est. Ex consequentibus, siue adiunctis, Si est bonum iustitia, rectè iudicandum. Si malum perfidia, non est fallendum. Idem retro. Nec sunt his dissimilia, ideoq́ue huic loco subijcienda, cum & ipsa naturaliter congruant: Quod quis non habuit, non perdidit. Quem quis amat, sciens non lædit. Quem quis hæredem suum esse uoluit, charum habuit, habet, habebit. Sed cum sint indubitata, uim habent penè signorum immutabilium. Sed hæc consequentia dico ἀκόλουθα. est enim consequens sapientiæ bonitas. illa sequentia ἑπόμενα, quæ postea facta sunt, aut futura. Nec sum de nominibus anxius. uocet enim ut uoluerit quisque, dum uis rerum ipsa manifesta sit, appareatq́ue, hoc temporis, illud esse naturæ. Itaque non dubito hæc quoque consequentia, quamuis ex prioribus dent argumentum ad ea quæ sequuntur. Quorum quidam duas species esse uoluerunt: actionis, ut pro Oppio, Quos educere inuitos in prouinciam non potuit, eos inuitos retinere qui potuit? Temporis, in Verrem, Si finem Prætoris edicto afferunt Calendæ Ianuarij, cur non initium quoque edicti nascatur à Calendis Ianuarij? Quod utrunque exemplum tale est, ut idem in diuersum, si retroagas, ualeat. Consequens enim est, eos qui inuiti duci non potuerint, inuitos non potuisse retineri. Illa quoque quæ ex rebus mutuam confirmationem præstantibus ducuntur, quæ proprij generis uideri quidam uolunt, & uocant ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα, Cicero ex rebus sub eandem rationem uenientibus, fortiter consequentibus iunxerim: Si portorium Rhodijs locare honestum est, & Hermacreonti conducere. &, Quod discere honestum, & docere. Vnde illa non hac ratione dicta, sed efficiens idem Domitij Afri sententia est pulchra, Ego accusaui, uos damnastis. Est inuicem consequens & quod ex diuersis idem ostendit: ut qui mundum nasci dicit, per hoc ipsum & deficere significet, quia deficit omne quod nascitur. Simillima est his argumentatio qua colligi solent ex ijs quæ faciunt, ea quæ efficiuntur, aut contra: quod genus à caussis uocant. Hæc interim necessariò fiunt, interim plerunque, sed non necessariò. Nã corpus in lumine utique umbram facit, & umbra ubicunque est, ibi esse corpus ostendit. Alia sunt, ut dixi, non necessaria, uel utrinque, uel ex altera parte Sol colorat: non utique qui est coloratus, à sole est. Iter puluerulentum facit: sed nec omne iter puluerem mouet: nec quisquis est puluerulentus, ex itinere est. Quæ utique fiunt, talia sunt. Si sapientia bonum uirum facit, bonus uir est utique sapiens. Ideoq́ue boni est honestè facere: mali, turpiter: & qui honestè faciunt, boni: qui turpiter, mali rectè iudicantur. Ad hoc, exercitatio plerunque robustum corpus facit: sed non quisquis est robustus, exercitatus: nec quisquis exercitatus, robustus est. Nec quia fortitudo præstat ne mortem timeamus, quisquis mortem non timuerit, uir fortis erit existimandus. Nec si capitis dolorem facit, inutilis hominibus Sol est. Et hæc ad hortatiuum maximè genus pertinent. Virtus facit laudem, sequenda igitur: at uoluptas infamiam fugienda igitur. Rectè autem monemur, caussas non utique ab ultimo esse repetendas: ut Medea,

Actio 3.
ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα.
De inuentione.
Ab efficientibus & effectis, siue à caussis & euentis.
Caussæ in argumẽtũ nõ trahendæ.
Ennius in Medea.

Vtinam ne in nemore Pelio-

Quasi uero id eam fecerit miseram aut nocentem, quòd illic ceciderit

Accius.
* si par tibi esses, nõ ego nũc essem mis.

A biegna ad terram trabes. Et Philocteta Paridi,
Si * imperasses tibi, ego nunc non essem miser.

Quo modo peruenire quò libet, retro caussas legentibus licet. His illud adijcere ridiculum putarem, nisi eo Cicero uteretur, quod coniugatum uocant: ut, Eos qui rem iustam faciant, iustè facere. quod certè non eget probatione. Quod compascuum est, compascere licere. Quidam hæc quæ uel ex caussis uel ex efficientibus diximus, alieno nomine uocant ἐκβάσεις, id est exitus. Nam nec hic aliud tractatur, quàm quid ex quoque eueniat. Apposita uel comparatiua dicuntur, quæ minora ex maioribus, maiora ex minoribus, paria ex paribus confirmantur. Coniectura ex maiore, Si quis sacrilegium facit, faciet & furtum. Ex minore, Qui facilè ac palàm mentitur, peierabit. Ex pari, Qui ob rem iudicandam pecuniam accepit, & ob dicendum falsum testimonium accipiet. Iuris confirmatio est eiusmodi, Ex maiore, Si adulterum occidere licet, & loris cædere. Ex minore, Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem? Ex pari, Quæ pœna aduersus interfectorem patris iusta est, eadem aduersus matris. Quorum omnium tractatus uersatur syllogismis. Illa magis finitionibus aut qualitatibus prosunt, Si robur corporibus bonum non est, minus sanitas. Si furtum scelus, magis sacrilegium. Si abstinentia uirtus, & continentia. Si mundus prouidentia regitur, administranda est Respublica. Si domus ædificari sine ratione non potest, quid agendum in naualium cura, & armorum? Ac mihi quidem sufficeret hoc genus. sed in species secatur. Nam & ex pluribus ad unum, & ex uno ad plura (unde est, Quod semel, & sæpius) & ex parte ad totum, & ex genere ad speciem, & ex eo quod continet, ad id quod continetur, & ex difficilioribus ad faciliora, & ex longè positis ad propiora, & ad omnia quæ contra hæc sunt, eadem ratione argumenta ducuntur. Sunt enim & hæc maiora & minora, aut certè uim similem obtinent: quæ si persequamur, nullus erit ea concidendi modus. Infinita est enim rerum comparatio, iucundiora, grauiora, magis necessaria, honestiora, utiliora. Sed mittamus plura, ne in eam ipsam quam uito loquacitatem incidam. Exemplorum quoque ad hæc infinitus est numerus, sed paucissima attingam. Ex maiore, pro Cecinna, Quod exercitus armatos mouet, id aduocationem togatorum non uidebitur mouisse? Ex faciliore, in Clodium & Curionem, Ac uide an facilè fieri tu potueris, cum is factus non sit, cui tu concessisti. Ex difficiliore, Vide quæso Tubero, ut qui de meo facto non dubitem, de Ligarij audeam confiteri. Et ibi, An sperandi Ligario caussa non sit, cum mihi apud te locus sit etiam pro altero deprecandi? Ex minore, pro Cecinna, Itane uerò scire esse armatos sat est ut uim factam probes, in manus eorum incidere non est satis? Ergo ut breuiter contraham summam, ducuntur argumenta à personis, caussis, locis, tempore (cuius tres partes diximus, præcedens, coniunctum, insequens) facultatibus (quibus instrumentum subiecimus) modo (id est ut quicque sit factum) finitione, genere, specie, differentibus, proprijs, remotione, diuisione, initio, incrementis, summa, similibus, dissimilibus, pugnantibus, consequentibus, efficientibus, effectis, euentis, iugatis, comparatione, quæ in plureis diducitur species. Illud adijciendum uidetur, duci argumenta non à confessis tantùm, sed etiam à fictione, quod Græci καθ' ὑπόθεσιν uocant. Et quidem ex omnibus ijsdem locis quibus superiora, quia totidem species esse possunt fictæ, quot ueræ. Nam fingere hoc loco est proponere aliquid, quod si uerum sit, aut soluat quæstionem aut adiuuet: deinde id de quo quæritur, facere illi simile. Id quò facilius accipiant iuuenes nondum scholam egressi, primò familiaribus magisq́; usitatis exemplis ostendam. Lex est, Qui parentes non aluerit, uinciatur. Non alit quis, & uin-

A coniugatis.
Vide Rodolphũ lib. 1. c. 10.
Ab appositis uel comparatiuis.
Coniectura à maiori, minori, pari.
Ex iure, à maiori, minori, pari.
Ad finitionẽ aut qualitatẽ, à minori, maiori, pari.
Cõparationis species.
Exemplorũ uis etiã ex cõparatione.
A maiore.
A faciliori.
A difficiliori Pro Ligario.
A minori.
Sũma locorum tractatorum.
A fictione.

cula nihilo minus recusat. Vtitur fictione, si miles, si infans sit, si Reip. caussa absit. Et illa contra optionem fortium, si tyrannidem petat, si templorum euersionem. Plurimumque ea res uirium habet contra scriptum. Vtitur his Cicero pro Cecinna, Vnde tu, aut familia, aut procurator tuus. Si me uillicus tuus solus deiecisset: non familia deiecisset, ut opinor, sed aliquis de familia. Si uero ne habeas quidem seruum præter eum qui me deiecerit, & alia in eodem libro plurima. Verùm eadem fictio ualet & ad qualitates, Si Catilina cum suo concilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset iudicare, condemnaret L. Murænam. Et ad amplificationem, Si hoc tibi inter cœnam in illis immanibus poculis tuis accidisset. Sic &, Si Respub. uocem haberet.

Cicer. pro Muræna.

Philip. 2.

Epilogus quid in hac argumētorum tractatione agendū sit, breuiter admonens.

Has ferè sedes accepimus probationum in uniuersum: quas neque generatim tradere sat est, cum ex qualibet earum innumerabilis argumentorum copia oriatur: neque per singulas species exequi patitur natura rerum: quod qui sunt facere conati, duo pariter subierunt incommoda, ut & nimium dicerent, nec tamen totum. Vnde plurimi cum in hos inexplicabiles laqueos inciderunt, omnem etiam quem ex ingenio suo poterant habere conatum, uelut adstricti certis legum uinculis perdiderunt: & magistrum respicientes, naturam ducem sequi desierunt. Nam ut per se non sufficit scire omnes probationes aut à personis aut à rebus peti, quia utrunque in plura diuiditur: ita ex antecedentibus & iunctis & insequentibus trahenda esse argumenta qui acceperit, protinus in hoc sit instructus, ut quid in quaque caussa dicendum sit, ex his sciat: præsertim cum plurimæ probationes in ipso caussarum complexu reperiantur, ita ut sint cum alia lite nulla communes, eaque sint & potentissima, & minimè obuia, quia communibus ex præceptis propria inuenienda sunt.

Propria caussarū argumenta quæ dicantur. A circūstantia.

Hoc genus argumentorum sanè dicamus ex circunstantia, quia περίστασιν dicere aliter non possumus: uel ex iis quæ cuiusque caussæ propria sunt: ut in illo adultero sacerdote, qui lege qua unius seruandi potestatem habebat, se ipse seruare uoluit, proprium est controuersiæ dicere, Non unum nocentem seruabis, quia te dimisso adulteram occidere non licebit. Hoc enim argumentum lex facit, quæ prohibet adulteram sine adultero occidi. Et illa, in qua lex est, ut argentarij dimidium ex eo quod debebant, soluerent, creditum suum totum exigerent. Argentarius ab argentario solidum petit. Proprium ex materia est argumentum creditoris, idcirco adiectum esse in lege, ut argentarius totum exigeret. Aduersus alios enim non opus fuisse lege: cum omnes præterquam ab argentarijs totum exigendi ius haberent.

In controuersijs quæ scripto cōstāt, multa ambiguitas.

Cum multa autem nouantur in omni genere materiæ, tum præcipuè in ijs quæstionibus quæ scripto constant, quia uocum est in singulis ambiguitas frequens, adhuc in coniunctis magis. Et hæc ipsa plurium legum aliorumve scriptorum uel congruentium uel repugnantium complexu uariantur necesse est: cum res rei, aut ius iuris quasi signum est: Non debui tibi pecuniam, nunquam me appellasti. Vsuram non accepisti, ultro à me mutuatus es. Lex est, Qui patri proditionis reo non affuerit, exhæres sit. Negat, nisi si pater absolutus sit. Quid signi? Lex altera, Proditionis damnatus, cum aduocato exulet. Cicero pro Cluentio P. Popilium & Tib. Guttam dicit non iudicij corrupti, sed ambitus esse damnatos. Quid signi? quòd accusatores eorum, qui erant ipsi ambitus damnati, è lege sint post hanc uictoriam restituti.

Nō solū argumēta inueniēda, uerū etiā quō

Nec minus in hoc cura debet adhiberi, quid proponendum, quàm quomodo sit quod proposueris, probandum. Hic omnino vis inuentionis si non maior, certè prior. Nam ut tela superuacua sunt nescienti quid petat: sic argumenta, nisi prouideris cui rei adhibenda sint. Hoc est quod comprehendi arte non possit.

probare possis, prudenter proponendum.

Ideoque cum plures eadem didicerint, generibus quidem argumentorum similibus utentur: alius tamen alio plura, quibus utatur, inueniet. Sit exempli gratia proposita controuersia, quæ minimè communes cum alijs quæstiones habet: Cum Thebas euertisset Alexander, inuenit tabulas quibus centum talenta mutua Thessalis dedisse Thebanos continebatur. Has, quia erat usus commilitio Thessalorum, donauit his ultro. postea restituti à Cassandro Thebani reposcunt Thessalos. Apud Amphictyonas agitur. Centum talenta & credidisse eos constat, & non recepisse. Lis omnis ex eo quòd Alexander ea Thessalis donasse dicitur, pendet. Constat illud quoque, non esse his ab Alexandro pecuniam datam. Quæritur ergo, an perinde sit quod datum est, ac si pecuniam dederit. Quid proderunt argumentorum loci, nisi hæc prius uidero, nihil eum egisse donando, non potuisse donare, non donasse? Et prima quidem actio facilis ac fauorabilis, repetentium iure, quod vi sit ablatum: sed hinc aspera & uehemens quæstio exoritur de iure belli, dicentibus Thessalis hoc regna, populos, fines gentium atque urbium contineri. Inueniendum contrà est quo distet hæc caussa à cæteris quæ in potestatem uictoris uenirent: nec circa probationem res hæret, sed circa propositionem. Dicamus in primis in eo quod in iudicium deduci potest, nihil ualere ius belli: nec armis erepta, nisi armis posse retineri. Itaque ubi illa ualeant, non esse iudicem: ubi iudex sit, illa nihil ualere. Hoc inueniendum est, ut adhiberi possit argumentum. Ideo captiuos, si in patriam suam redierint, liberos esse, quia bello parta, non nisi eadem vi possideantur. Proprium est & illud caussæ, quòd Amphictyones iudicant: ut alia apud Centumuiros, alia apud priuatum iudicem in ijsdem quæstionibus ratio sit. Tum secundo gradu non potuisse donari à uictore ius, quia id demum sit eius, quod ipse teneat: ius, quod sit incorporale, apprehendi manu non posse. Hoc reperire difficilius, quàm cum inueneris, argumentis adiuuare; ut alia sit conditio hæredis, alia uictoris: quia ad illum ius, ad hunc res transeat. Proprium deinde materiæ, ius publici crediti transire ad uictorem non potuisse, quia quod populus crediderit, omnibus debeatur: & quamdiu quilibet unus superfuerit, esse eum totius summæ creditorem: Thebanos autem non omnes in Alexandri manu fuisse. Hoc non extrinsecus probatur, quæ uis est argumenti, sed ipsum per se ualet. Tertij loci pars prior magis uulgaris, non in tabulis esse ius: itaque multis argumentis defendi potest. Mens quoque Alexandri duci debet in dubium, honorarit eos, an deceperit. Illud iam rursus materiæ proprium, & uelut nouæ controuersiæ, quòd restitutione recepisse ius, etiam si quod amiserint, Thebani uidentur. Hic & quid Cassander uelit, quæritur: sed uel potentissima apud Amphictyonas æqui tractatio est.

Docet cognitionem locorū generalē, atq; artis præcepta nō satis esse, nisi magna prudētia quæ singularū caussarū propria sint, cognouerimus.

Hæc non idcirco dico, quòd inutilem horum locorum, ex quibus argumenta ducuntur, cognitionem putem, alioqui nec tradidissem: sed ne si qui cognouerint ista, si cætera negligant, perfectos se protinus atque consummatos putent: & nisi in cæteris quæ mox præcipienda sunt, elaborauerint, mutam quandam scientiam consecutos intelligant. Nec enim artibus editis factum est ut argumēta inueniremus: sed dicta sunt omnia antequam præciperentur: mox ea scriptores obseruata & collecta ediderunt. Cuius rei probatio est, quòd exemplis eorum ueteribus utuntur, & ab Oratoribus illa repetunt: ipsi nullum nouum, & quod dictum

ctum non sit, inuenirunt. Artifices ergo illi, qui dixerunt: sed habenda ijs quoque gratia est, per quos labor nobis detractus est. Nam quæ priores beneficio ingenij singula inuenerunt, nobis & non sunt requirenda, & nota omnia. Sed non magis hoc sat est, quàm palæstram didicisse, nisi corpus exercitatione, continentia, cibis, ante omnia natura iuuetur: sicut contrà ne illa quidem satis sine arte profuerunt. Illud quoque studiosi eloquentiæ cogitent, neque omnibus in caussis ea quæ demonstrauimus, cuncta posse reperiri: neque cum proposita fuerit materia dicendi, scrutanda singula, & uelut ostiatim pulsanda, ut sciant an ad probandum id quod intendimus, fortè respondeant: nisi cum discunt, & adhuc usu carent. Infinitam enim faciet ipsa res dicendi tarditatem, si semper necesse sit ut tentantes unumquodque eorum, quod sit aptum atque conueniens, experiendo noscamus: nescio an etiam impedimento futura sint, nisi & animi quædam ingenita natura, & studio exercitata uelocitas, rectà nos ad ea quæ conueniūt caussæ, ferant. Nam ut cantus uocis plurimum iuuat sociata neruorum concordia, si tamen tardior manus, nisi inspectis dimensisque singulis quibus quæque uox fidibus iungenda sit, dubitet, potius fuerit esse contentum eo quod simplex canendi natura tulerit: ita huiusmodi præceptis debet quidem aptata esse & cithara modo intenta ratio doctrinæ: sed hoc exercitatione multa consequendum, ut quemadmodum illorum artificum, etiam si aliò spectent, manus tamen ipsa consuetudine ad graues, acutos, mediosque horum sonos fertur: sic Oratoris cogitationem nihil moretur hæc uarietas argumentorum & copia, sed quasi offerat se, & occurrat: & ut literæ syllabæque scribentium cogitationem non exigunt, sic rationes sponte quadam sequantur.

μή τι πάντα δύναται. [margin]

Locos argumētorū, & præcepta artis, cognita & pspecta & semper in prōptu esse debere. [margin]

MOSELLANI.

ENchymemata] Conceptus animi. Epicheremata] Inchoata argumenta. Apodixes] Demonstrationes. Interpretamur] Ex ratione Græcæ uocis, quæ deriuatur à uerbo ἐνθυμέομαι, quod cogito & in animo commíniscor significat. Sententiam] Vt, credo hunc authorem huius cædis, quia heri cum occiso rixabatur.

Tertium] Scilicet intellectum. Contrarium] quia ex contrariis rationem trahit. Imperfectum] qui tantum duabus propositionibus exponatur. Quod sane] Totidem partibus concludere syllogismum. Vulgus aggressionem] quia ἐπιχειρέω aggredior significat, & uelut operi manus admoueo: ab ἐπὶ, quod ad significat, & χεὶρ manus ut intelligas hoc uocabulo quandam argumenti quasi præparationem & destinationem, etiamdum suis partibus non explicatam. γραμμικαὶ] Lineares demonstrationes. Quæque earum] Vt quid sequatur ad quanque rem: uerbi gratia sequitur ad inuidiam nocendi cupiditas. unde argumentum trahitur pro reo contra actorem inuidum. sic in iuuene luxurioso facilè hæret crimen adulterii uel stupri, auaritia in senibus, ueneficium in nouerca. An credibile sit] Sic Horatius in arte poetica quid cuique ætati hominum uel gratum uel aduersum sit, uersibus aliquot perscribit. Porrò meo iudicio non est compendiosius iter ad hanc doctrinam ut felicissimè discere liceat, quàm ea comœdiis & Tragœdiis. Alioqui indubitata] Si semper usuuenirent. Aut Scarum ducas] Quoniam authore Plin. lib 9. cap. 54. & Opiano de natura piscium, in Rhodio mari agit. Ea porrò sunt genus] Triplicem intellectum apud Porphyrium philosophū habet uocabulum genus. primus est, quo omnes eiusdem familiæ collectos uniuersim generis appellatione comprehendimus. Alter non admodum à priori discrepat. siquidem familiæ originē ac uelut caput hoc modo genus dicimus. Hæ duæ acceptiones hoc loco à Fabio designantur. Porrò tertius Dialecticorum est, apud quos est genus, quod de pluribus speciebus subiectis dicitur ut animal de homine & equo. Similes parentibus ac maioribus] Hinc est quod Euripides dicit, nisi generis fundamentum rectè iactum fuerit, necesse est infelices esse qui inde nascuntur. & profectò Plutarchos in commentario de liberis educandis, plurimum interesse censet, quibus quisque parentibus nascatur, etiam quod ad ingenium & mores attinet. Quare Diogenes cum petulantem adolescentem conspiceret, Vere, inquit, pater ebrius te proseminauit. Petulantiæ] Audaciæ. Contraria] Deformitas & imbecillitas. Studia] Professiones. Forensis] Rabula. Commotionem] Affectionem.

Consilia autem] Consilia hic accipe quasdam animi inductiones, & quasi uoluntates, ut cum dicimus: nescio quo consilio hoc factum sit. & Græci significantius hoc ostendunt, apud quos consilium à uoluntate nomen habet, siquidem βούλομαι uolo, & βουλὴ, ῆς, consilium. Per quæ] Tanquam instrumenta. Ratio] Caussa. Adeptionem] Quæ prima est species alterius generis. Incrementum] Secunda species. Proueniunt] Promanant. Cæteraq; eiusdem generis] ut amor, immodica lætitia. Caussæ] Eorum quæ facta sunt. Qua de re] Contentione iuris, libro tertio dictum, ubi de statibus agit. Mediterraneus] Inter maria conclusus. Pro Milone] Ciceronem, dum probare contendit haudquaquam esse uerisimile, si Milo animum occidendi Clodium habuisset, quòd negocium in uia Appia frequentissima tentare uoluisset. Ad coniecturam] Dum quæritur an aliquid factum sit. Contrà licuit] Quam iniuriam feci. Præstant] Loci. Quæratur] Sit in dubio. Valet] Locus. Et Miloni] Habebat enim Clodiorum familia conditoria sua in uia Appia, in qua cæsus est Clodius. Testatur hoc Cicero in oratione pro Milone. Qualitatem] æstimationem rerum. Speciosæ] Vxoris. Damnatam] Vt eam postea duceret, ut ex ea lucrum & quæstum faceret. Casus] accidentalis caussa, quæ ex euentu cognoscitur aliàs ad affectum misericordiæ destinata, de quibus rebus copiosè est de naturali auscultatione apud Aristotelem lib. 2. Seruus] Exiuit. Penula] Veste ambulatoria. Quæritur] Ambigitur. Incurrent] Subiacebunt cuique loco. ἐτυμολογία.] Vocis ratione, dum ex uocis origine argumentum ducimus, ut si quis dicat philosopho iure honorem exhiberi, quãdò nulli tam debeatur, quàm sapientiæ studioso. Cicero in Topicis ueriloquium uocat. Subiecta] Tanquam partes ex quibus constent. Addictus] Addicti dicuntur, qui cum soluendo non sunt, à magistratibus addicuntur creditori in seruitutem, tantisper uidelicet, dum seruiendo æs alienum rependerint. Hi ergo tametsi interim seruiunt, non tamen sunt serui, quoniam serui si manumittantur, postea dominorum libertini sunt, sed addicti iam seruitutis onere liberati, deinceps pro libertis non habentur. Quæ ad aliquid sunt] Nam genus aliquod non dicitur, nisi respectu speciei subiectæ. Rursum species eodem modo ad genus refertur, quemadmodum filius & pater se respiciunt, ut alter ab altero distare non possit. Signatum] Nam si argentum omne legatum est, & signatum argentum, est quoque argentum, sequitur & hoc esse legatum, siquidem signatum argentum, species est argenti. Quæ uiro materfamilias] Huiusmodi enim uxor apud iurisconsultos tantum dicitur materfamilias, quæ scilicet probatis moribus in manum & potestatem uiri cum uniuersa dote uenit. quæ simpliciter uxor est, suū habet peculium, sibique non marito lucratur. In manum] Potestatem mariti cum omnibus bonis suis. Accipimus] Apud Aristotilem in Politicis. Ille] Cicero. In quibusdam utique] Vt si probatur non adesse propria, tum quoque necesse est non esse ea quibus adesse hæc propria non poterant, ut si dicas. male & turpiter uiuit, ergo bonus non est. nam uita turpis locum non habet in bono uiro. Diuisio] Generis in species. Vnum] Membrum. Remotione] Omnium mēbrorum. Efficitur totum] Ex enumeratione partium quæ omnes negantur, ut Cicero hunc locum in Topicis uocat à partium enumeratione. Interrogat] Ebutium aduocatum.

Non fit] eiusmodi ut aduersarium attingat. Oppianico] Aduersario. Appetisset] Animo occidendi. Casu] Forte fortuna. Vulgatum] Exemplum. Intelligitur] Sic se habere. Togam prætextam] Auro gemmisq; contextam.

Exordium] Exordiri propriè significat texturam filiorum incipere, hinc exordium textile illud primum filum propriè significat, unde per translationem de quouis initio dicitur. non ergo rectè sperauerís ex sordido exordio unquam tibi fore togam auro gemmisque intextam. atque haud scio, an non hoc exemplum prouerbii loco olim iactatum sit uulgò, quo significetur eius rei haudquaquam prosperum fore exitum, cuius initium fuerit parum faustum. Pullum] Nigrum, sordidum.

Et contrà] colligitur initium ex fine. Inductionem] Quòd uidelicet ex simili concesso inducatur aliud non diuersum, sed concedendum. Mulier] Permittitur iure.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Ad exempla, tertium huius diuisionis membrum, accedit, quæ Græci paradeigmata uocent, quo nomine omnia similia quoque complectantur, quod & se facturum hoc capite promittit: quanuis Latinos sciat, exemplum, rerum gestarum authoritatem, & simile, quod græci dicunt parabolam, uocare maluisse. His adiungit quæ ex trinsecus in caussam adhibentur uulgo recepta & persuasione populari, authoritatesve, ut si quid ita diis responsum, uisum gentibus, populis, sapientibus uiris, claris ciuibus, illustribus poetis, non quidem caussis accommodata, aut earum propria: nam sic sub testimonia quæ inartificialia sunt, caderent sed liberis odio & gratia mentibus tantum dicta factaque, quia aut honestissima aut uerissima uidebantur, quæ aliunde accersita, per se nihil ualeant, nisi ad aliquam præsentis disceptationis utilitatem ingenio applicentur. Quid sit inductio Socratica, & quomodo à ratiocinatione differat, exponit: nempe ut in argumentatione concludatur, quod in inductione interrogetur. Omnia ex hoc loco ducta, aut similia esse, aut dissimilia, aut contraria, aut ex maiori, aut ex minori, aut pari, ostendit. Exemplum definit, aut rei gestæ, aut tanquam gestæ utilem ad persuadendum id quod intenderis, commemorationem. Intuendum esse an totum simile sit, an ex parte: ut ex eo aut omnia sumamus, aut quæ erunt utilia. Exempla quædam tota aliquando commemorari, quædam strictim attingi.

Fabulosorum exemplorum, Aesopicorum Apologorum, & Prouerbiorum eandem rationem esse: maximè si ueris subiungantur, & plurimum posse præsertim in animis simplicium, & imperitorum. Similitudinem & eius species exequitur, parabolam, analogiam, & imaginem, quas etiam definitione explicat. Et imaginis quidem, quam icona græci uocant, rariorem usum, formarum aliarum frequentiorem esse commonet, quæ in controuersiis maxime sint efficaces, si ex iure ciuili petantur. Exempla profert ex Ciceronis topicis, quibus facile occurri possit argumentatione ex dissimilibus sumpta. Quare adhibendum magna cura iudicium, ne fallaces similitudines nos pro ueris & germanis decipere possint.

De exemplis. Cap. XI.



Sub exemplis cōtinētur & similia.

Ertivm genus ex iis quæ extrinsecus adducuntur in causam, græci uocant παράδειγμα, quo nomine & generaliter usi sunt in omni similium appositione, & specialiter in iis quæ rerum gestarum authoritate nituntur. Nostri ferè similitudinem uocare maluerunt, quod ab illis παραβολή dicitur: hoc alterum, exemplum: quanquam & hoc, simile est: & illud, exemplum. Nos quò facilius propositum explicemus, utrunq; παράδειγμα esse credamus, & ipsi appellemus exemplū.

De inuēt. 1

Nec uereor ne uidear repugnare Ciceroni, qui collationem separabat ab exemplo. Nam idem omnem argumētationem diuidit in duas partes, inductionem, & ratiocinationem, ut plerique græcorum in παραδείγματα & ἐπιχειρήματα: dixeruntq; παράδειγμα ῥητορικὴν ἐπαγωγήν.

Inductio Socratica.

*Nam illa qua plurimum Socrates est usus, hanc habuit uiam, ut cum plura interrogasset quæ fateri aduersario necesse esset, nouissimè id de quo quærebatur, inferret, cui simile concessisset. Id est inductio. Hoc in * oratione fieri non potest: sed quod illic interrogatur, hic ferè sumitur.*

* ratiocinatione.

*Sit igitur illa interrogatio talis, Quod est pomum generosissimum? nonne quod optimum? concederetur. Quid equus? qui generosissimus? nonne qui optimus? & plura in eundem modum. Deinde, cuius rei gratia rogatum est, quid homo? nonne is generosissimus, qui optimus? fatendum erit. Hoc in testium interrogatione ualet plurimū, in oratione perpetua dissimile est. etenim sibi ipse respondet Orator. Quod pomum generosissimum? puto quod optimum: & equus, qui uelocissimus: ita hominum, non qui claritate nascendi, sed qui uirtute maximè excellet. Omnia igitur ex hoc genere sumpta necesse est aut similia esse, aut dissimilia, aut contraria. * Similitudo assumitur interim & ad orationis ornatum, sed illa cum res exiget: nunc ea quæ ad probationem pertinent, exequar.*

* Dissimilitudo.

Quid exēplum propriè dictū.

* suadēdū.

*Potentissimum autem est inter ea quæ sunt huius generis, quod propriè uocamus exemplum, id est rei gestæ, aut ut gestæ, utilis ad * persuadendum id quod intenderis, commemoratio. Intuendum igitur, totum simile sit, an ex parte: ut aut omnia ex eo sumamus, aut quæ utilia erunt.*

A simili.

A dissimili.

A cōtrario.

In Verrem act. 3.

Simile est, Iure occisus est Saturninus sicut Gracchi. Dissimile, Brutus occidit liberos proditionem molientes, Manlius uirtutem filii morte multauit. Contrarium, Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit, Verres eadem sociis abstulit. Et probandorum & culpandorum ex his confirmatio eosdem gradus habet. Etiam in iis quæ futura dicemus, utilis similium admonitio est: ut si quis dicens Dionysium idcirco petere custodes salutis suæ, ut eorum adiutus armis tyrannidem occupet: hoc referat exemplum, eadem ratione Pisistratum ad dominationem peruenisse.

Exēplū totū simile.

Sed ut sunt exempla interim tota similia, ut hoc proximum: sic interim ex maioribus ad minora, ex minoribus ad maiora ducuntur.

A maiorib.

A minorib.

Valer. li. 2. tit. de insti. ant. q.

Si propter matrimonia uiolata urbes euersæ sunt, quid fieri adultero par est? Tibicines cum ab urbe discessissent, publicè reuocati sunt: quanto magis principes ciuitatis uiri, & bene de Republica meriti, cum inuidia cesserint, ab exilio reducendi? Ad exhortationem uerò præcipuè ualent imparia.

Ab imparibus.

Admirabilior in fœmina quàm in uiro uirtus. Quare si ad fortiter faciendum accendatur aliquis, non tantum afferent momenti Horatius & Torquatus, quantum illa mulier cuius manu Pyrrhus est interfectus: & ad moriendum non tam Cato & Scipio, quàm Lucretia: quod ipsum est ex minoribus ad maiora. Singula igitur horum generum ex Cicerone (nam unde potius?) exempla ponamus.

Simile.

Simile est hoc pro Muræna, Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo uiro peterem: superaui tamēn dignitate Catilinam, gratia Galbam.

Maius.

Maius minoris, pro Milone, Negant intueri lucem esse fas ei qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum iudicium de capite uidit M. Horatii fortissimi uiri, qui nondum libera ciuitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, cum sua manu sororem esse interfectam fateretur.

Minus.

Minus maioris, Occidi, non Spurium Melium, qui annona leuanda, iacturaque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi, &c. deinde, Sed eum (auderet enim dicere, cum patriam periculo liberasset) cuius nefarium adulterium in puluinaribus. & totus in Clodium locus.

Dissimile, & quot modis fiat.

* casus

Cōtrariū: Valer. li. 4. tit. de animi moderat.

*Dissimile plures * caussas habet. fit enim genere, modo, tempore, loco, cæterisque, per quæ ferè omnia Cicero præiudicia quæ de Cluentio uidebantur facta, subuertit: Contrario uerò exemplo censoriam notam, laudando censorem Aphricanum, qui eum quem peierasse conceptis uerbis palàm dixisset, testimonium etiam pollicitus si quis contradiceret, nullo accusante, traducere equum passus est. quæ quia erāt longiora, non suis uerbis exposui. Breue autem apud Virgilium contrarii exemplum est,*

Aeneid.

At non ille, satum quo te mentiris, Achilles,
Talis in hoste fuit Priamo—

Exēpla quędā latius, quędā strictius adducenda.

Quædam autem ex iis quæ gesta sunt, tota narrabimus: ut Cicero pro Milone, Pudicitiam cū eriperet militi Tribunus militaris in exercitu Caii Marii, propinquus eius Imperatoris, interfectus ab eo est, cui uim afferebat. Facere enim probus adole-

scens

ſcens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit: atq; hunc ille ſummus uir ſcelere ſolutum, periculo liberauit. Quædam ſignificare ſatis erit, ut idem, ac pro eodem, Neque enim poſſet aut Hala ille Seruilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut me Conſule Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos interfici nefas eſſet. Hæc ita dicentur, prout nota erunt, uel utilitas cauſſæ aut decor poſtulabit.

Fabuloſa exempla.

Eadem ratio eſt eorum quæ ex poeticis fabulis ducuntur, niſi quòd iis minus affirmationis adhibetur: cuius uſus qualis eſſe deberet, idem optimus author ac magiſter eloquentiæ oſtẽdit. Nam huius quoque generis eadem in oratione reperietur exemplum: Itaque hoc, iudices, non ſine cauſſa etiã fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt, eum qui patris ulciſcendi cauſſa matrem necauiſſet, uariatis hominum ſententiis, non ſolum humana, ſed etiam ſapientiſſimæ deæ ſententia liberatum.

Pro Milone.

Illæ quoque fabulæ, quæ etiam ſi originem non ab Aeſopo acceperunt (nã uidetur earum primus author Heſiodus) nomine tamen Aeſopi maximè celebrantur, ducere animos ſolent præcipuè ruſticorum, & imperitorum: qui & ſimplicius quæ ficta ſunt audiunt, & capti uoluptate, facilè iis quibus delectantur, conſentiunt. Siquidem & Menenius Agrippa plebem cum Patribus in gratiam traditur reduxiſſe nota illa de membris humanis aduerſus uentrem diſcordãtibus fabula. Et Horatius ne in poemate quidem humilem generis huius uſum putauit, in illis uerſibus,

Aeſopici apologi & prouerbia.

Liuius dec. 1. lib. 2.

Olim quod uulpes ægroto cauta leoni, &c.

Αἶνον Græci uocant, & αἰσωπείους, ut dixi, λόγους μυθικούς: noſtrorum quidam non ſanè recepto in uſum nomine apologationem. Cui confine eſt παροιμίας genus illud, quod eſt uelut fabella breuior, & per allegoriam accipitur, Non noſtrum, inquit, onus: bos clitellas?

Epiſt. lib. 1. epiſt. 1.

Proximas exempli uires habet ſimilitudo, præcipuéque illa quæ ducitur citra ullam translationem mixturam ex rebus penè paribus. Vt qui accipere in Campo conſueuerunt, iis candidatis quorum nummos ſuppreſſos eſſe putant, inimiciſſimi ſolent eſſe: ſic eiuſmodi Iudices infeſti tum reo uenerant.

Similitudo, & eius ſpecies.

Cicero pro Cluentio.

Nam παραβολὴ, quam Cicero collationem uocat, longius res quæ comparentur, repetere ſolet. Nec hominum modò inter ſe opera ſimilia ſpectantur, ut Cicero pro Muræna facit, Quòd ſi è portu ſoluentibus, ii qui iam in portum ex alto inuehuntur, prædicere ſummo ſtudio ſolent & tempeſtatum rationem, & prædonum, & locorum: quòd natura fert, ut iis faueamus qui eadem pericula quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo me tandem animo eſſe oportet propè iam ex magna iactatione terram uidentem, in hunc, cui uideo maximas reip. tempeſtates eſſe ſubeundas?

A parabola.

Sed & à mutis atque etiam inanimis interim huiuſmodi ducitur. Et quoniam ſimilium alia facies in tali ratione, admonendum eſt, rarius eſſe in oratione illud genus quod εἰκόνα græci uocant (quo exprimitur rerum aut perſonarum imago: ut Caſſius, Quis iſtã faciem planipedis ſenis torquens?) quàm id quo probabilius fit quod intendimus: ut ſi animum dicas excolendum, ſimilitudine utaris terræ, quæ neglecta ſentes atque dumos, culta fructus creat: aut ſi ad curam Reipub. horteris, oſtendas apes etiam, formicasque, non modò muta, ſed etiam parua animalia, in commune tamen laborare. Ex hoc genere dictum illud eſt Ciceronis, Vt corpora noſtra ſine mente, ita ciuitas ſine lege, ſuis partibus ut neruis ac ſanguine & membris uti non poteſt. Sed ut hac corporis humani pro Cluentio, ita pro Cornelio, equorum: pro Archia, ſaxorum quoque uſus eſt ſimilitudine. Illa (ut dixi) propiora, ut remiges ſine gubernatore, ſic milites ſine imperatore nihil ualere.

Ab imagine, cuius rarus ſit uſus.

Solent tamen fallere ſimilitudinum ſpecies: ideoque adhibendum eſt his iudicium. Neque enim ut nauis utilior noua quàm uetus, ſic amicitia: uel ut laudanda quæ pecuniam ſuam pluribus largitur, ita quæ formam. Verba ſunt in his ſimilia, uetuſtatis, & largitionis: uis quidem longè diuerſa, pecuniæ, & pudicitiæ. Itaque in hoc genere maximè quæritur, an ſimile ſit quod infertur.

Adhibẽdũ iudiciũ, ne nos fallant ſimilitudinũ ſpecies.

Etiam in illis interrogationibus Socratis, quarum paulò antè feci mentionem, cauendum ne incautè reſpondeas: ut apud Aeſchinem Socraticum malè reſpondit Aſpaſia Xenophontis uxor: quod Cicero his uerbis transfert, Dic mihi, quæſo, Xenophontis uxor, ſi uicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quid ſi ueſtem & cæterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat, quàm tu habes, tuum, an illius malis? Illius uero, reſpondit. Age, inquit, ſi uirum illa meliorem habeat, quàm tu habes, uirum ne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit, merito. male enim reſponderas, ſe malle alienum aurum, quàm ſuum: nam eſt id improbum. At ſi reſpondiſſet, malle ſe aurum ſuum tale eſſe, quale illud eſſet, potuiſſet pudicè reſpondere, malle ſe uirum ſuum talem eſſe, qualis melior eſſet.

De inuẽ. 1.

Scio quoſdam inani diligentia per minutiſſimas iſta partes ſecuiſſe, & eſſe aliquid minus ſimile, ut ſimia homini, & ut marmora deformata prima manu: aliquid plus, ut illud, Non ouum tam ſimile ouo. Et diſſimilibus ineſſe ſimile, ut eſt formicæ & elephanto genus, quia ſunt animalia. Et ſimilibus diſſimile,

Plautus in Capt.

- ut canibus catulos, & matribus hædos:

Vir. Aegl. 1.

differunt enim ætate. Contrariorum quoque aliter accipi oppoſita, ut noctem luci: aliter noxia, ut frigidam febri: aliter repugnantia, ut uerum falſo: aliter diſparata, ut dura non duris. Sed quid hæc ad præſens propoſitum magnopere pertineant, non reperio.

Contrariorum modi.

Illud eſt annotandum magis, argumenta duci ex iure ſimili: ut Cicero in Topicis, Ei cui domus uſus fructus relictus ſit, non reſtituturum hæredem ſi corruerit, quia non reſtituat ſeruum ſi is deceſſerit. Ex contrario, nihil obſtat quò minus iuſtum matrimonium ſit mente coeuntium, etiam ſi tabulæ ſignatæ non fuerint. Nihil enim proderit ſignaſſe tabulas, ſi mentem matrimonii non fuiſſe conſtabit. Ex diſſimili, quale eſt Ciceronis pro Cecinna: Vt ſiquis me exire domo coegiſſet armis, haberem actionem: ſiquis introire prohibuiſſet, non haberem? Diſſimilia ſic deprehenduntur, Non ſi qui argentum omne legauit, uideri poteſt ſignatam quoque pecuniam reliquiſſe: ideo etiam quod eſt in nominibus, dari uoluiſſe creditur.

Arg. ex iure ſimili.

A cõtrario.

A diſſimili.

Ἀναλογίαν quidam à ſimili ſeparauerũt, nos eam ſubiectam huic generi putamus. Nam ut unum ad decem, ſic decem ad centum, ſimile certè eſt: & ut hoſtis, ſic malus ciuis. quanquam hæc ulterius quoque procedere ſolent. Si turpis dominæ conſuetudo cum ſeruo, turpis domini cum ancilla. Si mutis animalibus finis uoluptas, idem homini. Cui rei facillimè occurrit ex diſſimilibus argumentatio, Non idem eſt dominum cum ancilla coiſſe, quod dominam cum ſeruo. Nec ſi mutis finis uoluptas, rationalibus quoque. Immo ex contrario, quia mutis, ideo non rationalibus.

Analogia ſimili ſubiecta.

Adhibetur extrinſecus in cauſſam & authoritas. Hæc ſecuti Græcos, à quibus κρίσεις dicuntur, iudicia aut iudicationes uocant, non de quibus ex cauſſa dicta ſententia eſt: (nam ea quidem in exemplorum locum cedunt) ſed ſiquid ita uiſum gentibus, populis, ſapientibus uiris, claris ciuibus, illuſtribus poetis, referri poteſt. Ne hæc quidem uulgò dicta, & recepta perſuaſione populari, ſine uſu fuerint teſtimonia.

Ab authoritate, quæ exemplis adiicitur.

Sunt enim quodammodo uel potentiora etiam, quòd non caussis accommodata, sed liberis odio & gratia mentibus: ideo tantum dicta factáque, quia aut honestissima, aut

A iudicio gẽtis. *uerissima uidebantur. An uero me de incommodis uitæ*

Thraces. *disserentem non adiuuabit earum persuasio nationum, quę fletibus natos, lætitia defunctos prosequuntur? Aut si misericordiam commendabo iudici, nihil proderit quòd pru-*

Ciuitatis. *dentissima ciuitas Atheniensium, non eam pro affectu, sed*

Sapientis. *pro numine accepit? Nam illa septem præcepta sapientum, nonne quasdam uitæ leges existimamus? Si caussam*

Clari ciuis. *ueneficij dicat adultera, non Marci Catonis iudicio damnata uideatur, qui nullam adulteram non eandem esse ueneficam dixit? Iam sententijs quidem poetarum non ora-*

Poetæ. *tiones modò sunt refertæ, sed libri etiam philosophorum: qui quanquam inferiora omnia præceptis suas ac literis*

Iliad β. *credunt, repetere tamen authoritatem à plurimis uersibus non fastidierunt. Neque est ignobile exemplum, Megareos ab Atheniensibus, cum de Salamine contenderent, uictos Homeri uersu, qui tamen ipse non in omni editione reperitur, significans Aiacem naues suas Atheniensibus*

Vulgi *iunxisse. Ea quoque quæ uulgo recepta sunt, hoc ipso quòd*

Plautus in Trucul *incertum authorem habent, uelut omnium fiunt: quale est, Vbi amici, ibi opes. &, Conscientia mille testes. &*

De senectu. *apud Ciceronem, Pares autem (ut est in uetere prouerbio) cum paribus facillimè congregantur. Neque enim durassent hæc in æternum, nisi uera omnibus uiderentur.*

Deorũ authoritas ex respõsis. *Ponitur à quibusdam, & quidem in parte prima, Deorum authoritas, quæ est ex responsis: ut Socratem esse sapien-*

Actione.3. *tissimum. Id rarum est: tamen utitur eo Cicero in libro de Aruspicum responsis: & in concione contra Catilinam, cum signum Iouis columnæ impositum populo ostendit: & pro Ligario, cum caussam C. Cæsaris meliorem, quia hoc dij iudicauerint, confitetur. Quæ cum propria caussæ sunt, diuina testimonia uocantur: cum aliunde arcessuntur, argumenta. Nonnunquam contingit iudicis quoque, aut aduersarij, aut eius qui ex diuerso agit, dictum aliquod aut factum assumere ad eorum quæ intendimus, fidem. Propter quod fuerunt qui exempla & has authoritates, probationum inartificialium esse arbitrarentur, quòd ea non inueniret Orator, sed acciperet. Plurimum autem refert. Nam testis, & quæstio, & his similia, de*

* renũciãt. *ipsa re quæ in iudicio est, * pronunciant: extrà petita, nisi ad aliquam præsentis disceptationis utilitatem ingenio applicantur, nihil per se ualent.*

MOSELLANI.

CVius mano Pyrrhus] Nam cum uictor Argos ingressus esset Pyrrhus, & pauperculum quendam obuium equo prosternere pararet, anicula quædam periclitantis filii casu mota, rapta è tecto tegula, eaq; in Pyrrhi caput deiecta, hostem occidit. Plutarchus in uita Pyrrhi. Scipio] Malo tamen hoc loco eum intelligere, qui primus omnium suorum, alijs detrectantibus, contempto mortis periculo, hostilem murum transcendit, cuius meminit Lucius Florus lib. 58. Illæ quoque fabulæ] Gellius certè lib. 2. cap. circiter penultimo, magna cum laude fabulas illas, quibus inter se muta animantia confabulantur, Aesopo tribuit. At quia Quintilianus noster hoc loco tractationem quidem earum in soluto & simplicis orationis uel sermonis genere Aesopo permittit, sed originem plane refert ad Hesiodum, hac nimirum usus coniectura, quòd in Hesiodi Georgicis subinde eædem fabulæ narrantur, atque etiã ad allegoriam trahuntur; iam constat multis seculis Hesiodum Aesopo antiquiorem, adeo ut apud Plutarchum historiæ scriptor Ephorus uel Homero uetustiorem faciat: nec admodum à Fabij iudicio dissentit Callistratus Græcus scriptor in imaginum descriptionibus. αἰσωπονῶντες.] Suspicor plane librariorum incuria uerbum omissum. neque enim Græci hoc fabularum genus simpliciter αἰσωπικόν nominant, sed ab authore sic cognominant, ut testatur idem Callistratus in descriptione imaginum. atque haud scio an non ex eadem scripturæ consideratione coniectura sumi possit hic legendum αἰσωπείων nomine possessiuo. Porrò αἰσωπεῖον sonat ab Aesopo factum uel scriptum. παροιμίας.] Hinc enim Græcis prouerbium habet nomen, quòd cuiuis iuxta uiam, uel obuium sit, à παρὰ quod est iuxta, & οἶμος uia. Non nostrum] Ad hunc modum & legit & exponit Erasmus in tertia Adagiorum editione, indicans ex epistola Ciceronis ad Atticum hunc usum esse prouerbij, si quis prouinciam ad se non pertinentem, aut parum uiribus suis aptam recuset, neque enim munus bouis est gestare clitellas, sed asinorum & mulorum. Vt aquam frigidam] Haud scio an nõ rectius legatur frigidam, ut simpliciter intelligas hoc morbi genus, quod frigore concutit uniuersa membra, genus planè oppositum febri. nam ut à feruendo febris dicitur, quam immodice calor uexat, ita contrarius morbus à frigore immodico, à Fabio frigida dici potest uideri. Græci certè utrunque genus suo uocabulo efferunt. etenim febrem calidam ab igne πυρετὸν uocant: frigidam uerò à maris & aquæ rigore ἠπίαλον dicunt: & ad hunc modum his uocabulis usus Lucianus. Porrò ueteres Latini frigidas febres ex legibus XII. tabularum querqueras nuncuparunt. Nihil autem uetat quo minus ad maiorem curiositatem eorum quos hic damnat Fabius, frigidam aquam legamus, ut quæ noxia uideatur pota febrientibus. Homeri uersu] Homerus hac de re.2. Iliados scribit, & certè Aristoteles Rhetoricorum 1. hos Homeri uersus agnoscit.

ARGVMENTVM.

Postcaquam unde argumenta ducerentur, ostendit: quemadmodum ijs oporteat uti, apertissimè docet. Ergo de argumentorum usu loquitur, de quo tredecim præcepta tradit. Primum, argumentum oportere esse confessum, quia dubia dubiis probari non possint. Secundum, Quædam esse quæ alijs probanda sint, ut iure occidit, quia erat insidiator, probandum erit insidiatorem eum fuisse. Tertium, illa esse firmissima, quæ ea dubijs facta sunt certa, ut si conuincatur qui negabat. Quartum, argumenta, si infirma sunt, congreganda, si firma, singulis instandum. Quintum, Quædam argumenta non nuda ponenda, sed amplificatione uestienda, ut quæ cuiusque affectus uis sit, iræ aut odij, dicatur. Sextum, proferendam esse caussam cuiusque affectus, ut si odium est, ex inuidiane, an ex iniuria, & uetus, an nouum, atque erga quem intelligatur. Septimum, non esse omnibus argumentis quæ inuenerimus, iudicem onerandum, quia tædium adferant, & fidem detrahant. Octauum, in rebus apertis non esse argumentandum. Nonum, patheticas probationes èa affectibus ductas, multum ualere, & potentissimum esse, si qui ijs utitur, uir optimus sit, & habeatur. Decimum, intuendum quis sit apud quem dicimus, & quod illi maximè probabile uideatur, requirendum. Vndecimum, probationes ex asseueratione inter cætera etiam aliquid posse, Ego hoc feci, tu mihi dixisti, &, O facinus indignum. Duodecimum, probationes ex sua cuiusque persona firmiores esse, ut si dicatur adultera uenefica, meretrix proterua, sceleratus filius quem accuset parens. Decimumtertium, argumenta prout caussæ cuiusque ratio postulabit, ordinanda, uno excepto, ne à potentissimis ad leuissima decrescat oratio, nam in principio aut medio poni posse si caussa exiget, nunquam uero in fine, nisi totam caussam debilitare uelimus. Postremo breuitatis suæ in tractandis argumentis rationem reddens, declamatores ineptos taxat, omnia ad uoluptatem referentes, non ad imitationem ueritatis.

De usu argumentorum. Cap. XII.



ÆC ferè de probatione uel ab alijs tradita, uel usu percepta in hoc tempus sciebam. Nec mihi fiducia est, ut ea sola esse contendam: quinimmo hortor ad quærendum, & inueniri posse fateor: quæ tamen ad secta fuerint, non multum ab his abhorrebunt. Nunc breuiter quemadmodum sit utendum his, subiungam. Traditum ferè est, argumentum oportere esse confessum. Dubijs enim probari dubia qui possunt?

Quædam tamen quæ in alterius rei probationem ducimus, ipsa probanda sunt. Occidisti uirum, eras enim adultera. Prius de adulterio conuincendum est: ut cum id cœperit esse pro certo, fiat incerti argumentum. Spiculum I. Præceptum circa usum argumentorũ. II.

lum tuum in corpore occisi inuentum est. negat suum. ut
III. *probationi prosit, probandum est. Illud hoc loco mone*
re inter necessaria est, nulla esse firmiora, quàm quæ ex du
bijs facta sunt certa. Cædes à te commissa est, cruentam
enim uestem habuisti. Non est tam graue argumentum
si fatetur, quàm si conuincitur. Nam si fatetur, mul-
tis ex caussis potuit cruenta esse uestis. Si negat, hic cauf
sa cardinem ponit: in quo si uictus fuerit, etiam in sequen
tibus ruit. Non enim uidetur in negando mentiturus fuis
IIII. *se, nisi desperasset id posse defendi si confiteretur. Fir-*
missimis argumentorum, singulis instandum, infirmiora
congreganda sunt: quia illa per se fortia, non oportet cir-
cunstantibus obscurare, ut qualia sunt appareant: hæc im
becilla natura, mutuo auxilio sustinentur. Itaque si non
* nō sunt *possint ualere quia magna * sunt, ualebunt quia multa*
sunt quæ ad eiusdem rei probationem omnia spectant: ut
si quis hæreditatis gratia hominem occidisse dicatur, Hæ-
reditatem sperabas, & magnam hæreditatem, & pau-
per eras, & tum maximè à creditoribus appellabaris: &
offenderas eum cuius hæres eras, & mutaturum tabulas
sciebas. Singula leuia sunt, & communia: uniuersa ue-
rò nocent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine.
V. *Quædam argumenta ponere satis non est, adiuuāda sunt:*
ut si cupiditas caussa sceleris fuit, quæ sit uis eius: ira,
quantum efficiat in animis hominum talis affectio. Ita &
firmiora erunt ipsa, & plus habebunt decoris, si non nu-
dos & uelut carne spoliatos artus ostenderint. Multum
VI. *etiam refert, si argumento utemur odij, utrum hoc ex in-*
uidia sit, an ex iniuria, an ex ambitu: uetus, an nouum:
aduersus inferiorem, parem, an superiorem: alienum, an
propinquum. Suos habent omnia ista tractatus, & ad uti
litatem partis eius quam tuemur, referenda sunt. Nec
VII. *tamen omnibus semper quæ inuenerimus argumentis one*
randus est iudex: quia & tædium afferunt, & fidem de-
trahunt. Neque enim potest iudex credere satis esse ea po
tentia, quæ non putamus ipsi sufficere qui dicimus. In
rebus uero apertis argumentari tam sit stultum, quàm in
VIII. *clarissimum solem mortale lumen inferre. His quidam*
Patheticæ *probationes adijciunt quas παθητικάς uocant, ductas ex*
pbationes. *affectibus. Atque Aristoteles quidem potentissimum pu*
Rheto.2. *tat ex eo qui dicit, si sit uir optimus: quod ut optimum est,*
ita longe quidem, sed sequitur tamen, uideri. Inde enim
Val. Maxi- *illa nobilis Scauri defensio, Quintus Varius Sucronensis*
mus lib. 3. *ait Aemilium Scaurum Rempub. populi Romani prodi-*
cap. 7. *disse: Aemilius Scaurus negat. Cui simile quiddam fecis-*
se Iphicrates dicitur, qui cum Aristophontem, quo accu-
sante similis criminis reus erat, interrogasset an is acce-
pta pecunia Rempub. proditurus esset, isque id negasset:
XI. *Quod igitur, inquit, tu non fecisses, ego feci? Intuen-*
dum autem & qui sit apud quem dicimus: & id quod illi
Probatio *maximè probabile uideatur, requirendum. Qua de re*
ex asseuera *locuti sumus & in procemij & suasoriæ præceptis. Alte-*
tione. *ra ex * asseueratione probatio est, Ego hoc feci. Tu mihi*
* affirma- *hoc dixisti, &, O facinus indignum. & similia. Quæ non*
tione. *debent quidem deesse orationi, & si desunt, multum no-*
cent: non tamen habenda sunt inter magna præsidia, cum
hoc in eadem caussa fieri ex utraque parte similiter possit.
XII. *Illæ firmiores, ex sua cuiusque persona probationes,*
quæ credibilem rationem subiectam habent: ut uulnera-
tus aut filio orbatus non fuerit alium accusaturus, quàm
nocentem: quandò si negocium innocenti facit, liberet eum
noxa qui admiserit. Hinc & patres aduersus liberos, &
aduersus suos quisque necessarios authoritatem petunt.
Quæsitum etiam, potentissima argumenta primone po-
nenda sint loco, ut occupent animos: an summo, ut inde di XIII.
mittant: an partita primo summoque, ut Homerica di- Argumētorum dispositio.
spositione in medio sint infirma: an à minimis crescant.
Quæ prout ratio caussæ cuiusque postulabit, ordinabun- Ilia. 4. ubi
tur, uno (ut ego censeo) excepto, ne à potentissimis ad imbecilliores Nestor
leuissima decrescat oratio. Ego hæc breuiter demon- in medio
strasse contentus, ita posui, ut locos ipsos & genera quàm collocat.
possem apertissimè ostenderem. Quidam executi sunt uer
bosius, quibus placuit proposita locorum communium ma
teria, quo quæque res modo dici posset, ostendere: sed mi-
hi superuacuum uidebatur. Nam & ferè apparet quid in
inuidiam, quid in auaritiam, quid in testem inimicum,
quid in potentes amicos dicendum sit. Et de omnibus his
omnia dicere infinitum est, tam hercule, quàm si contro-
uersiarum, quæ sunt, quæque futuræ sunt, quæstiones, ar-
gumenta, sententias tradere uelim. Ipsas autem argu-
mentorum uelut sedes, non me quidem omnes ostendisse
confido, plurimas tamen. Quod eo diligentius facien- In declamatores inceptos.
dum fuit, quia declamationes quibus ad pugnam foren-
sem uelut præpilatis exerceri solebamus, olim iam ab illa
uera imagine orandi recesserunt, atque ad solam composi-
tæ uoluptatem, neruis carent, non alio medius fidius uitio
dicentium, quàm quo mancipiorum negociatores, formæ
puerorum uirilitate excisa lenocinantur. Nam ut illi ro-
bur ac lacertos, barbamque ante omnia, & alia quæ na-
tura propria maribus dedit, parum existimant decora:
quæque fortia, si liceret, forent, ut dura molliunt: ita nos
habitum ipsum orationis uirilem, & illam uim strictè ro-
bustéq; dicendi, tenera quadam elocutionis cute operimus:
& dum læuia sint ac nitida, quantum ualeant, nihil inter
esse arbitramur. Sed mihi naturam intuenti, nemo non
uir spadone formosior erit: nec tam auersa unquam uidebi
tur ab opere suo Prouidentia, ut debilitas inter optima in
uenta sit. Nec id ferro speciosum fieri putabo, quod si na-
sceretur, monstrum erat. Libidinem iuuet ipsum effœmi-
nati sexus mendacium, nunquam tamen hoc continget ma
lis moribus regnum, ut si quæ preciosa fecit, fecerit & bo-
na. Quapropter eloquentiam licet hanc (ut sentio enim
dicam) libidinosam resupina uoluptate auditoria pro-
bent: nullam esse existimabo, quæ ne minimum quidem in
se indicium masculini & incorrupti, ne dicam grauis &
sancti uiri, ostendet. An uerò statuarum artifices, picto-
resque clarissimi, cum corpora quàm speciosissima fingen
do pingendoue efficere cuperent, nunquam in hunc incide-
runt errorem, ut Bagoam aut Megabyzum aliquem in
exemplum operis sumerent sibi, sed Doryphoron illum Plutarchus
aptum uel militiæ uel palæstræ, aliorumq; iuuenum belli- in uita Alexan. Pli. li.
cosorum & athletarum corpora, quæ esse decora uerè exi- 35. c. 10. &
stimarint: nos qui Oratorem studemus effingere, non ar- li. 34. ca. 8.
ma, sed tympana eloquentiæ demus? Igitur & ille quem & Cice. in
instituimus, adolescens, quàm maximè potest componat se Orat.
ad imitationem ueritatis: initurusque frequenter foren-
sium certaminum pugnam, iam in schola uictoriam spe-
ctet, & ferire uitalia ac tueri sciat: & præceptor id ma-
ximè exigat, & inuentam præcipuè probet. Nam ut ad
*peiora iuuenes laude ducuntur, ita laudari in bonis * mal* * gaudent
lent. Nunc illud mali est, quòd necessaria plerunque si-
lentio transeunt, nec in dicendo uidetur inter bona utili- De caussis
tas. Sed hæc & in alio nobis tractata sunt opere, & in hoc corrup. elo.
sæpe repetenda. Nunc ad ordinem inceptum reuertamur.

MOSELLANI.

Bagoam] Celebrat præter alios Bagoam Lucianus locis aliquot, ut qui Alexandro Magno fuerit in deliciis. Megabyzum] Et hic inter effœminatos Darii regis cōcubinos

nos refertur. Certè Plinius recenset quendã sacerdotẽ hoc nomine lib 35. cap 10. Doryphoron] Celebratũ puerũ, cuius uirilitatem etiã pictura & statuis honoratam tradit Plin. lib. 34. cap. 8.

ARGVMENTVM.

Confirmationem ordine sequitur refutatio. Eam dupliciter accipi docet, pro defensoris actione tota, & quarta orationis parte, quæ ex aduerso dicta utrinq; refellit, & confirmationi subiungitur. Vtriusq; eandem esse conditionem, & ex iisdem locis argumenta sumi ad confutandum, qui sumebãtur ad confirmandum: eundem quoque in utraque elocutionis habitũ. Defendere quàm accusare multo esse difficilius, ex officiorũ utriusque cõparatione probat. Refutanti esse duo intuenda: quid & quo modo quidque obiectũ sit. Et illud, sit ne caussæ proprium, an extra ad caussam pertinens. Si caussæ sit propriũ: aut negandũ factum, aut nomen facti, aut iure defendendum, aut cũ his nõ erit locus, transferendum. tum quæ neganda, defendenda, uel transferenda sint, tradit. Deprecationẽ uero meram, apud iudices seueros locũ non habere: uerùm apud principem, aut populum liberũ pro suo arbitratu iudicantem, ualere aliquando. sed tunc ad deliberatiuas potius quàm ad iudiciales pertinere: id tamẽ raro sine aliqua defensionis specie fieri, quæ uia defendendi quinquepartita ad tres status referatur, coniecturam, finitionem, & qualitatem, sub qua translatio & deprecatio contineantur. Si plura sint quæ aduersarius obiicit, & infirma, aut molesta, quæ facilè dilui queant, simul inuadenda, sin turba ualitura sint, separanda, quod reo sæpius expediet, quàm accusatori, cuius est multa simul congerere. Si refutatu difficilia erunt, efficere oportere ut nostra cum illorum argumentis comparata, ualentiora uideantur. Falsa ab aduersario obiecta, obscura, sine teste aut argumento facta, satis esse negare. Contraria, superuacua, & stulta reprehendere oportere, quod ad caussam non pertinet, contemnere, quod nobis obiicitur uelut aduersum, ostendere caussæ nostræ coniunctum esse, & pro nobis facere. Contra similia, dissimile quid assumendum. Itidem contra iudicata & exempla agendum, quæ si dubia sint, fabulosa esse uocanda. Rationem intuendi quid aduersarii obiiciant, docuit. Iam, quomodo proponant, intuendum monet. Si minus efficaciter locutus est, eius uerba ponenda, si contra nos efficaciter, eandem rem uerbis mutatis & mitioribus proferendam. nec unquam eius dicta cum sua confirmatione ponenda, nisi irridere illum uelimus. Si erit ordo rei quam narrat incredibilis, totum crimen exponendum, si contextu nocebit, per partes dissoluendum. Vitiose proposita, & reprehensio facilia hæc esse, communia, contraria, quæ in actione aduersarii inuenienda sint, dubia pro necessariis posita, controuersa pro confessis, communia pluribus pro propriis, uulgaria, superuacua, serius constituta, & supra fidem. Item si crimen augeat, cum est probandum, si de facto disputet, cum de authore quæritur, si impossibilia aggrediatur, si pro effectis uixdum inchoata relinquat, si quæstionis summam non intueatur, si non ad proposita respondeat, quod tamen permittatur, cum mala caussa adhibitis extrinsecus remediis tuenda est, quod optimè fit cum pro criminibus uirtutes commemorantur. Refutantium duo genera notat, Vnum eorũ qui contenti his quæ meditata domo attulerunt, aduersariis nõ respondent. Alterum eorum qui nimia diligentia omnibus uerbis & sententiolis respondendum putant. Vitam quoque, uultum, incessum, habitum rectè incusari. Nonnulla etiam minuendæ inuidiæ caussa, quæ asperius dicta sunt, eludi, quod patronis maximè conceditur. Declamatorum uitia reprehendit, & quid ad ipsos pertineat, quoque à ueris actionibus declamatio differat, ostendit.

Locos communes, ad probationem singulorum argumentorum, aut plurium etiam aliquando multum ualere. aliquando ad totius caussæ inclinationem, qui an singulis quæstionibus subiiciendi sint, an totam caussam docendi prius iudices, cum ipsius caussæ utilitate deliberandum. Confirmationis & refutationis pro uarietate personarum hunc ordinem esse contendit, ut actor sua prius confirmet, tum opposita ab aduersario refutet, defensor uero à refutatione incipiat.

De refutatione, Cap. XIII.

Duę refutationis species.

REFVTATIO dupliciter accipi potest. Nam & pars defensoris tota est posita in refutatione: & quæ dicta sunt ex diuerso, debẽt utrinq; dissolui: & hæc est propriè, cui in caussis quartus assignatur locus. Sed utriusq; similis conditio est. Neq; uerò ex aliis locis ratio argumentorum in hac parte peti potest, quàm in cõfirmatione: nec locorum aut sententiarum, aut uerborum & figurarum alia est cõditio. Affectus plerunq; hæc pars mitiores habet. Nõ sine caussa tamen difficilius semper est creditum (quod Cicero sæpe testatur) defendere, quàm accusare: Primum, quòd est res illa simplicior. proponitur enim uno modo, dissoluitur uariè: cum accusatori satis sit plerunque, uerum esse id quod obiecerit: patronus neget, defendat, transferat, excuset, deprecetur, molliat, minuat, auertat, despiciat, derideat: quare in directa ferè, atque, ut sic dixerim, clamosa est actio. Hinc mille flexus & artes desiderantur. Accusator præmeditata pleraq; domo affert: patronus etiam inopinatis frequenter occurrit. Accusator dat testem: patronus ex re ipsa refellit. Accusator criminũ inuidia, etsi falsa sit, materiam dicendi trahit, de parricidio, sacrilegio, maiestate: quæ patrono tantum neganda sunt. Ideoq; accusationibus etiam mediocres in dicendo suffecerunt: bonus defensor nemo, nisi qui eloquentissimus, fuit. Nam ut quod sentio semel finiam, tanto est accusare quàm defendere, quanto facere quam sanare uulnera, facilius.

In Oratore. Refutare quàm obiicere difficilius, & quã obrem.

Plurimum autem refert, & quid protulerit aduersarius, & quomodo. Primum igitur intuendum est, id cui responsuri sumus, propriũ sit eius iudicij, an ad caussam extrà arcessitum. Nam si est proprium: aut negandum, aut defendendũ, aut transferendum. extra hæc in iudiciis ferè nihil est. Deprecatio quidem, quæ est sine ulla specie defensionis: rara admodũ, & apud eos solos iudices, qui nulla certa pronunciandi forma tenentur: quanquam illæ quoq; apud C. Cæsarẽ & Triumuiros pro diuersarum partiũ hominibus actiones, etiam si precibus utuntur, adhibent tamen patrocinia: nisi hoc non fortissimè defendentis est, dicere, Quid aliud egimus Tubero, nisi ut quod hic potest, nos possemus? Quòd siquãdo apud principem, aliúmve cui utrum uelit liceat, dicendum erit dignum quidẽ morte eum pro quo loquemur, clementi tamen seruandum esse uel talem: primum omnium non erit res nobis cum aduersario, sed cum iudice: deinde forma deliberatiuæ magis materiæ, quàm iudicialis utemur. Suadebimus enim ut laudem humanitatis potius quàm uoluptatem ultionis concupiscat. Apud iudices quidẽ secundum legem dicturos sententiam, de confessis præcipere ridiculum est.

Quid, & quomodo quidque sit obiectũ in refutando, cõsiderãdũ.

Dep̃catio.

Pro Ligario.

Ergo quæ neq; negari neq; transferri possunt, utiq; defendenda sunt, qualiacunq; sunt; aut caussa * cadendum.

Quæ defendenda. * cedẽdum

Negandi duplicem ostendimus formam: aut non esse factum: aut non hoc esse, quod factum sit. Quæ neque defendi neque transferri possunt, utique neganda: nec solum si finitio potest esse pro nobis, sed etiam si nuda inficiatio superest. Testes erũt? multa in eos dicere licet. Chirographũ? de similitudine literarũ disserendũ. Vtique nihil erit peius quàm confessio. Vltima est actionis controuersa, cum defendendi negandive non est locus, translatio. Atqui quædam sunt quæ neq; negari neq; defendi neq; transferri possunt. Adulterij rea est quæ cum anno uidua fuisset, enixa est. lis non erit. Quare illud stultissimè præcipitur, quod defendi non possit, silentio dissimulandum, si quidem est id de quo iudex pronunciaturus est.

Quæ neganda.

Quæ transferenda.

At si extra caussam sit adductum, & tamen coniunctum, malim quidem dicere, nihil id ad quęstionem, nec esse in his morandum, & minus esse quàm aduersarius dicit: tamen uelut huic simulationi obliuionis ignoscam. Debet enim bonus aduocatus pro rei salute breuem negligentiæ reprehensionem non pertimescere. Videndum etiam, simul nobis plura aggredienda sint, an amolienda singula. Plura simul inuadimus, si aut tam infirma sunt, ut pariter impelli possint: aut tam molesta,

Extra caussam adductum.

Cũ plura aggredimur.

ut pedem

ut pedem conferre cum singulis non expedias. Tum enim toto corpore enitendum, & ut sic dixerim, directa fronte repugnandum est. Interim si resoluere ex parte diuersa dicta difficilius erit, nostra argumenta cum aduersariorũ argumentis conferemus, si modò, hæc ut ualẽtiora uideantur, effici poterit. Quæ uerò turba ualebunt, diducenda erunt: ut quod paulò antè dixi: Hæres eras, & pauper, & magna pecunia appellabaris à creditoribus, & offenderas, & mutaturum tabulas testamenti sciebas. Vrgẽt

Cum singula.

uniuersa. At si singula quæq; dissolueris, iam illa flamma quæ magna congerie conualuerat, diductis quibus alebatur, concidet: ut si uel maxima flumina in riuos diducuntur, qualibet transitum præbent. Itaq; propositio quoq; secundum hanc utilitatem accommodabitur, ut ea nunc singula ostendamus nunc complectamur uniuersa. Nam interim quod pluribus collegit aduersarius, sat est semel proponere: ut si multas caussas faciendi, quod arguit, reo dicet accusator fuisse nos non enumeratis singulis, semel hoc intuendum negemus, quia non quisquis caussam faciendi sceleris habuit, & fecerit. Sæpius tamen accusatori congerere argumenta, reo dissoluere expediet.

Quomodo refutãdum quodq;.

Id autem quod erit ab aduersario dictũ, quomodo refutari debeat, intuendum est. Nam si erit palàm falsum, negare satis est: ut pro Cluentio Cicero, eum quem dixerat accusator epoto poculo concidisse, negat eodem die mortuum. Palàm etiam contraria & superuacua & stulta reprehendere, nullius est artis: ideoq; nec rationes eorum nec exempla tradere

Obscurum

necesse est. Id quoq; (obscurum uocant) quod secretò & sine teste aut argumento dicitur factum, satis natura sua infirmum est. Sufficit enim quòd aduersarius non probat.

Cõtrarium efficere, artis est.

Item si ad caussam non pertinet. Sed tamen interim oratoris est efficere ut quid aut contrariũ esse, aut à caussa diuersum, aut incredibile, aut superuacuum, aut nostra potius caussæ uideatur esse coniunctum. Obijcitur Oppio, quòd de militum cibarijs detraxerit, asperum crimen; sed id contrarium ostẽdit Cicero, quia ijdem accusatores obiecerint Oppio quòd is uoluerit exercitum largiendo corrumpere. Testes in Cornelium accusator lecti à Tribuno codicis pollicetur: facit hoc Cicero superuacuum, quia idem fateatur

In Diuinat.

ipse. Petit accusationẽ in Verrem Quintus Cæcilius, quòd fuerat quæstor eius: ipsum Cicero ut pro se uideretur effecit.

Loci communes à cõiectura, finitione, qualitate.

Cætera quæ proponuntur, cõmunes locos habent. Aut enim coniectura excutiuntur, an uera sint: aut finitione, an propria: aut qualitate, an inhonesta, iniqua, improba, inhumana, crudelia, & cætera quæ ei generi accidunt. Eaq; non modò in propositionibus aut rationibus, sed in toto genere actionis intuẽda. An sit crudelis, ut Labieni Rabirium lege perduellionis: Inhumana, ut Tuberonis Ligarium exulem accusantis, atq; id agẽtis, ne ei Cæsar ignoscat. Superba, ut in Oppium ex epistola Cottæ reum factum. Proinde præcipites, insidiosæ, impotentes deprehenduntur. Ex quibus tamen fortissimè inuaseris quod est aut omnibus periculosum, ut dicitur Cicero pro Tullio, Quis
" hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium
" periculo potest, ut eũ iure potuerit occidere, à quo metuisse
" se dicat ne ipse posterius occideretur? Aut ipsis iudicibus, ut pro Oppio monet pluribus, ne illud actionis genus in

Contẽnenda.

equestrem ordinem admittant. Nonnunquam tamẽ quædam bene contemnuntur, uel tanquam leuia, uel tanquam ad caussam nihil pertinentia. Multis hoc locis facit Cicero. Sed hæc simulatio interim hucusq; procedit, ut quæ dicendo refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus.

Similium cõfutatio.

Quoniam uerò maxima pars eorum similibus constat, rimandum erit diligentissimè, quid sit in quoq; quod assumitur, dissimile. Id in iure facilè deprehenditur. Est enim scriptum de rebus utiq; diuersis, tantoq; magis ipsarũ rerum differentia potest esse manifesta. Illas uerò similitudines quæ ducũtur ex mutis animalibus, aut inanimis, facile est eludere. Exempla rerum uariè tractanda sunt, si nocebunt. quæ si uetera erũt, fabulosa dicere licebit: si indubia,

Exemplorum.

maximè quidem dissimilia. Neq; enim fieri potest, ut paria sint omnia: ut si Nasica post occisum Gracchũ defendatur exẽplo Halæ, à quo Melius est interfectus: Melium regni affectatorẽ fuisse, à Graccho leges modò latas esse populares: Halam magistrũ equitum fuisse, Nasicam priuatum esse dicatur. Si defecerint omnia, tum uidendũ erit, an obtineri possit ne illud quidem rectè factum. Quod de exemplis, idẽ etiam de iudicatis obseruandum.

Iudicatorum. Animaduertẽdum quo quicque modo accusator dixerit.

Quod autẽ posui, referre, quo quicq; modo accusator dixerit, huc pertinet, ut si est minus efficaciter elocutus, ipsa eius uerba ponantur: si acri & uehemẽti fuerit usus oratione, eandem rem nostris uerbis mitioribus proferamus: ut Cicero pro Cornelio, Codicẽ attigit. & protinus cum quadã defensione: ut si pro luxurioso dicendũ sit, Obiecta est paulo liberalior uita. Sic & pro sordido parcũ, pro maledico liberũ dicere licebit. Vtiq; nunquã cõmittendum est, ut aduersariorum dicta cũ sua cõfirmatione referamus, aut etiam* loci alicuius executione adiuuemus, nisi cum eludẽda: Apud

*loci alicu. excussione. Cicero pro Muræna.

exercitũ mihi fueris, inquit: tot annis forum nõ attigeris: abfueris tandiu: & cum tã longo interuallo ueneris, cum ijs qui in foro habitarint, de dignitate cõtendas? Præterea in cõtradictionibus interim totum crimen exponitur: ut Cicero pro Scauro contra Bostarem facit, uelut orationẽ diuersæ partis imitatus. Aut pluribus propositionibus iunctis: ut pro Vareno, Cũ iter per agros & loca sola faceret cum Populeno, in familiam Ancharianam incidisse dixerunt: deinde Populenum occisum esse illico Varenum uinctum adseruatum, dũ hic ostẽderet quid de eo fieri uellet. Quod est utiq; faciẽdum, si erit incredibilis rei ordo, et ipsa expositione fidẽ perditurus. Interim per partes dissoluitur, quod cõtextu nocet: & plerunq; id est tutius. Quædã contradictiones natura sunt singulæ: id exempli non eget.

Cõmunia optimè refutantur.

Cõmunia bene apprehenduntur, nõ tantùm quia utriusq; sunt partis, sed quia plus prosunt respondenti. Neq; enim pigebit, quod sæpe monui, referre. Cõmune qui prior dicit, contrarium facit. Est enim cõtrarium, quo aduersarius bene uti potest. Atenim non uerisimile est tantum scelus M. Cottam esse cõmentum. Quid? hoc uerisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum? Artificis autẽ est inuenire in

Cõtraria in actione aduersarii inuenienda.

actione aduersarij, quæ inter semet ipsa pugnent, aut pugnare uideantur: quæ aliquando ex rebus ipsis manifesta sunt, ut in caussa Cæliana, Clodia aurũ se Cælio cõmodasse dicit, quod signum magnæ familiaritatis est: uenenũ sibi paratũ, quod summi odij argumẽtum est. Tubero Ligariũ accusat, quòd is in Africa fuerit: & queritur quòd ab eo ipse in Africam non sit admissus. Aliquando uero præbet eius rei occasionem minus considerata ex aduerso dicentis oratio: quod accidit præcipuè cupidis sententiarum, ut ducti occasione dicendi, nõ respiciant quid dixerint, dum locum præsentem non totam caussam intuentur. Quid tam uideri potest contra Cluentium, quàm censoria nota? Quid tam contra eundem, quàm filium ab Egnatio corrupti iudicij quo Cluentius Oppianicum circumuenissent, crimine exhæredatum? At hæc Cicero pugnare inuicem ostendit: Sed tu Acci consideres censeo diligẽter, utrum censorium iudicium graue uelis esse, an Egnatij. Si Egnatij, leue est quod censores de cæteris subscripserunt. Ipsum enim Egnatium quem tu grauem esse uis, ex senatu eiecerunt. Sin au-

tem censorium, hunc ipsum Egnatium quem pater censoris subscriptione exhæredauit, censores in senatu, cum patrem eijcerent, retinuerunt. Illa magis uitiosè dicuntur, quàm acutè reprehenduntur, argumentum dubiũ pro necessario, controuersum pro confesso, commune pro proprio, uulgare, superuacuum, constitutum contra fidem.

Reprehẽsu facilia uitia.

Nam & illa accidunt parum cautis, ut crimen augeant, quod probandum est: de facto disputent, cum de authore quæratur: impossibilia aggrediantur: pro effectis relinquant uixdum inchoata: de homine dicere quàm de caussa malint: hominum uitam rebus assignent: ut si quis decemuiratũ accuset, non Appium. manifestis repugnent: dicant quod aliter accipi possit: summam quæstionis non intueantur: nõ ad proposita respondeant: quod unum aliquando recipi potest, cum mala caussa adhibitis extrinsecus remedijs tuenda est: ut cum peculatus reus Verres fortiter & industriè tuitus contra piratas Siciliã dicitur.

Quando licet non respõdere ad proposita. Actio.7.

Eadem aduersus contradictiones nobis oppositas præcepta sunt: hoc tamen amplius, quòd circa eas multi duobus uitijs diuersis laborant. Nã quidam etiam in foro tanquam rem molestã & odiosam prætereunt: & ijs plerunq; quæ cõposita domo attulerunt, contenti, sine aduersario dicunt: & scilicet multo magis in scholis, in quibus non solùm contradictiones omittuntur, uerùm etiã materiæ ipsæ sic plerunq; finguntur, ut nihil dici pro parte altera possit.

Vitium nolentiũ contradictionibus occurrere.

Alij diligentia lapsi, uerbis etiam uel sententiolis omnibus respondendum putant: quod est & infinitum, & superuacuũ non. n. caussa reprehenditur, sed actor: quem ego semper uideri malim sic disertum, ut si dixerit quod rei prosit, ingenij credatur laus esse, non caussæ: si forte quod lædat, caussæ, non ingenij culpa. Itaq; illæ reprehensiones, aut obscuritatis, qualis in Rullum est: aut infantiæ in dicendo, qualis in Pisonem: aut inscitiæ rerum uerborumq;, et insulsitatis etiam, qualis in Antonium est,* animo dantur, ut iustis odijs. suntq; utiles ad conciliandum ijs quos inuisos facere uolueris, odium. Alia respondendi patronis ratio: & aliquando tamen eorum non oratio modò, sed uita etiam, uultus deniq;, incessus, habitus rectè incusari solet: ut aduersus Quintium Cicero, non hæc solùm, sed ipsam etiam prætextam demissam ad talos, insectatus est. Presserat enim turbulentius concionibus Cluentium Quintius.

Nimis occurrẽtium.

Phil. 2. & 3.

* accõmodantur iustis od.

Pro Cluẽ.

Eludenda.

Nonnunquam eleuandæ inuidiæ gratia, quæ asperius dicta sunt, eluduntur: ut à Cicerone Triarius. Nam cum Scauri columnas per urbẽ plaustris uectas esse dixit, Ego porrò, inquit, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportaui. Et magis hoc in accusatores concessum est, quibus conuitiari aliquando patrocinij fides cogit. Illa uerò aduersus omnes & recepta, & non inhumana conquestio, si callidè quid tacuisse, breuiasse, obscurasse, distulisse dicuntur. Defensionis quoq; permutatio reprehenditur sæpe, ut Accius aduersus Cluentium, Aeschines aduersus Ctesiphontem facit: cum ille Ciceronem lege usurum modò, hic minimè de lege dicturum Demosthenem quæritur. Declamatores uerò in primis sunt admonendi, ne contradictiones eas ponant, quibus facillimè responderi possit: neu sibi stultum aduersarium fingant. Facimus autem, quòd maximè uberes loci, popularesque sententiæ nascuntur, materiam dicendi nobis quod uolumus ducentibus: ut non sit inutilis ille uersus. Non malè respõdit, malè enim prior ille rogarat. Fallet hæc nos in foro consuetudo, ubi aduersario, non ipsi nobis respondebimus.

Declamandi & uerè agendi discrimen.

Aiunt Accium interrogatum cur caussas non ageret, cum apud eum in Tragœdijs tanta uis esset, hanc reddidisse rationem, quòd illic
„ ea dicerentur quæ ipse uellet, in foro dicturi aduersarij es-
„ sent quæ minimè uellet.

Acci⁹ trag.

Ridiculum est ergo in exercitationibus quæ foro præparantur, prius cogitare quid responderi, quàm quid ex diuerso dici possit. Et bonus præceptor non minus laudare discipulum debet si quid pro diuersa, quàm si quid pro sua parte acriter excogitarit. Rursus * aliquid in scholis permittendum semper, in foro rarò. Nam loco à petitore primo contradictione uti qui possumus, ubi uera res agitur, cum aduersarius adhuc nihil dixerit? Incidunt tamen plerique in hoc uitium uel consuetudine declamatoria, uel etiam cupiditate dicendi: dantque de se respondentibus uenustissimos lusus, cum modò se uerò nihil dixisse, neque tam stultè dicturos: modò bene admonitos ab aduersario, & agere gratias, quòd adiuti sint, iocantur: frequentissimè uerò, id quod firmissimum est, nunquam ijs responsurum aduersarium fuisse, quæ proposita non essent, nisi illa sciret uera esse, & ad fatendum conscientia esset impulsus: ut pro Cluentio Cicero, Nam hoc persæpe dixisti, tibi sic renunciari, me habere in animo caussam hanc præsidio legis defendere. itane est? ab amicis imprudentes uidelicet prodimur? & est nescio quis de ijs quos amicos nobis arbitramur, qui nostra consilia ab aduersarium deferat? Quisnam hoc tibi renunciauit? quis tam improbus fuit? cui ego autem narraui? Nemo (ut opinor) in culpa est nimirum tibi istud lex ipsa renunciauit.

* illud

Cõtra declamatores.

At quidam contradictione non contenti, totos etiam locos explicant, Scire se hoc dicturos aduersarios, & ita persecuturos. Quod factum uenustè nostris temporibus elusit Vibius Crispus, uir ingenij iucundi & elegantis: Ego uerò, inquit, ista non dico. quid enim attinet illa bis dici?

Stultè præoccupãtes taxat.

Nonnunquam tamen aliquid simile contradictioni poni potest, si quid ab aduersario testationibus comprehensum, in aduocationibus iactatum. Respondebimus enim rei ab illis dicta, non à nobis excogitata: aut si id genus erit caussæ, ut proponere possimus certa, extra quæ dici nihil possit: ut cum res furtiua in domo deprehensa sit, dicat necesse est reus, aut se ignorante illatam, aut depositam apud se, aut donatam sibi. quibus omnibus etiam si proposita non sint, responderi potest. At in scholis rectè & contradictionibus occurremus, ut in utrunque locum, id est primum & secundum, simul exerceamur. quod nisi fecerimus, nunquam utemur contradictione. non enim erit cui respondeamus.

Quãdo cõtradictionibus ut uetis uti liceat.

Est & illud uitium, nimium soliciti, & circa omnia momenta luctantis. Suspectam enim facit iudici caussam, & frequenter quæ statim dicta omnem dubitationem sustulissent, dilata, ipsis præparationibus fidem perdunt, quia patronus & alijs crediderit opus fuisse.

Solicitudinis nimiæ uitium.

Fiduciam igitur Orator præ se ferat, semperque ita dicat, tanquam de caussa optimè sentiat. Quod (sicut omnia) in Cicerone præcipuum est. Nam illa summa cura securitatis est similis, tantaque in oratione authoritas, ut probationis locum obtineat, dubitare nobis non audentibus. Porrò qui scierit quid pars aduersa, quid nostra habeat ualentissimum, facilè iudicabit quibus maximè rebus uel occurrendum sit, uel instandum.

Fiduciam præ se ferat Orator.

Ordo quidem in parte nulla minus affert laboris. Nam si agimus, nostra confirmanda sunt primum: tum quæ nostris opponuntur, refutanda. Si respondemus, prius incipiendum est à refutatione. Nascuntur autem ex his quæ contradictioni opposuimus, aliæ contradictiones, eunt q; interim longius: ut gladiatorũ manus quæ secundæ uocantur, fiunt & tertiæ, si prima ad euocandũ aduersarij ictum prolata erat: & quarta, si geminata captatio est, ut bis cauere, bis repetere oportuerit. Quæ ratio & ultrà ducit. Sed illa

Ordo probationis & refutationis in agendo.

etiam quam suprà ostendi, simplicem ex affectibus atque ex affirmatione sola probationem recipit refutatio: qualis est illa Scauri, de qua suprà dixi: quin nescio an etiam frequentior, ubi quid negatur. Summa rei primũ inuenda. *Videndum præcipuè utriq; parti, ubi sit rei summa. Nã ferè accidit ut in caussis multa dicantur, de paucis iudicetur. In his probandi refutandiq; ratio est, sed adiuuanda uiribus dicentis, & adornanda. Quamlibet enim sint ad dicendum quod uolumus accommodata, tamen erunt infirma, nisi maiore quodam Oratoris spiritu impleantur.* Cõmunes loci quãdo adhibendi. *Quare & illi communes loci de testibus, de tabulis, de argumentis, alijsq; similibus, magnam uim animis iudicum afferunt, & hi proprij quibus factum quoq; laudamus, aut contrà, iustum uel iniustum docemus, maius aut minus, asperius aut mitius. Ex his autem alij ad comparationem singulorum argumẽtorum faciunt, alij ad plurium, alij ad totius caussæ inclinationem. Ex quibus sunt qui præparent animum iudicis, sunt qui confirment. Sed præparatio quoque aut confirmatio aliquando totius caussæ est, aliquando partium, & perinde ut cuiq; conueniunt, subijcienda. Ideoq; miror inter duos diuersarum sectarum uelut duces non mediocri contentione quæsitum, singulisne quæstionibus subijciendi essent loci, ut Theodoro placet: an prius docendus iudex quàm mouendus, ut præcipit Apollodorus: tanquam perierit hæc ratio media, & nihil cum ipsius caussæ utilitate sit deliberandum. Hæc præcipiunt qui ipsi non dicunt in foro: ut *acies à securis ociosisq; compositæ, ipsa pugnæ necessitate turbentur. Nanq; omnes ferè qui legem dicẽdi quasi quædam mysteria tradiderunt, certis non inueniẽdorum modò argumentorum locis, sed concludendorum quoq; nos præceptis alligauerunt: de quibus breuissimè prælocutus, quid ipse sentiam, id est quid clarissimos Oratores fecisse uideam, non tacebo.*

*artes

ARGVMENTVM.

De argumentorum inuentione, quæ è locis eruantur, deque eorum usu tam ad confirmandum quàm ad confutandum, locutus, de eorundem dispositione & forma tractare aggreditur. Et quia Rhetores frequentissimè enthymematis & epicherematis utantur, de his præcipuè loquitur. Quid sit enthymema, repetit: duplex esse ostendit: ex consequentibus cum propositione & coniuncta probatione, & ex repugnantibus, quod aliquãdo multiplicetur coniunctis multis contrarijs. Quorum omnium optimum illud esse censet, cui, proposito contrario, uel dissimili, ratio statim subiungitur, exemplum eius profert ex Demosthene. tum quo differat à syllogismo, & rectè à quibusdam syllogismũ imperfectum uocari, docet. Epicherematis partes secundum uarias opiniones enumerat nam quid sit, suprà capite de argumentis dixit. duas, tres, quatuor, quinq; secundum diuersos recẽset. Secundum Ciceronem quinq; propositionem, rationem, assumptionem, eius probationem, & conclusionem. Verum quia ratio propositioni, & probatio assumptioni succedãt, ipse eorum sententiam comprobat, qui tres solummodo partes epicherematis fecerunt, propositionem, assumptionem, & conclusionem, in quibus forma non sit semper eadem. Nam aliquando idẽ concludi quod intendi, aliquando non idem, sed quod uim habeat parem, aliquando etiam diuersum, & propositionem, assumptionemque, aut confessas esse quæ probatione non egeant, aut dubias, quæ eadem egeant. Hãc inter syllogismum & epicherema differentiam assignat, quod syllogismorum uariæ formæ sint, & uera colligant ueris, nec partium ordinem muteot, quasi immutabili necessitate cõstricti: minutius etiam & scrupulosius omnia scrutentur, & ad liquidum confessumq; magis perducere uelut, cum epicheremata circa credibilia uersentur, partium ordinẽ & numerum frequenter mutent, & inuertant, non concise & minutim, sed ample, late, copiose, ornate, eloquentiæ magna ui ubiq; affusa, quod susceperunt probent. Postremo refellẽdi epicherematis rationem subiungit, nempe propositionem assumptionẽue falsam, aut non ex ijs conclusionem sequi ostendendo.

Quid enthymema, & quotuplex: quibus constet epicherema, & quomodo refellatur. Cap. XIIII.



Igitur enthymema, & argumentum ipsum, id est rẽ quæ probationi alterius adhibetur, appellant, & argumenti elocutionem. Eam uerò dixi duplicem. Ex consequentibus, quod habet propositionẽ, coniunctamq; et protinus probationẽ: quale pro Ligario, Caussa tum dubia, quòd erat aliquid in utraq; parte quod probari posset: nunc melior ea certè iudicanda est, quã etiam dij adiuuerũt. Habet enim propositionem, probationemq;, non habet conclusionem. Ita est ille imperfectus syllogismus. Ex pugnantibus uerò, quod etiam solum enthymema quidam uocant, fortior multo probatio est. Tale est Ciceronis pro Milone. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius uitam si putetis per uos restitui posse, nolitis. Quod quidẽ etiam aliquando multiplicari solet, ut est ab eodem & pro eodem reo factum. Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impunè non est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitauit occidere? Optimum autem uidetur enthymematis genus, cum proposito dissimili uel contrario ratio subiungitur: quale est Demosthenis, Nõ enim siquid unquam contra leges factum est, idq; tu es imitatus, idcirco te cõuenit pœna liberari: quin è contrario dãnari multo magis. Nam ut si quis eorum dãnatus esset, tu hæc non scripsisses: ita damnatus tu si fueris, non scribet alius. Epicherematos & quatuor, & quinq;, & sex etiam facta sunt partes à quibusdã. Cicero maximè quinq; defendit, ut sit propositio, deinde ratio eius. tum assumptio, & eius probatio, quinta complexio: quia uerò interim et propositio nõ egeat rationis, & assumptio probationis, nonnunquam etiã complexione opus non sit, & quadripartitam, et tripartitã, & bipartitã quoq; fieri posse ratiocinationem. Mihi & plurimis nihilo minus authoribus tres summũ uidentur. Nã ita se habet natura, ut sit de quo quæratur, & per quod probetur: tertium adijci potest uelut ex consensu duorum antecedentium. Ita erit prima intẽtio secunda assumptio, tertia connexio. Nam confirmatio primæ, ac secundæ partis exornatio, eisdem cedere possunt, quibus subijciuntur. Sumamus autem ex Cicerone quinq; partiũ exemplum. Melius gubernantur ea quæ consilio reguntur, quàm quæ sine consilio administrantur. Hanc primam partẽ numerant, eam deinceps rationibus uarijs, & quàm copiosissimis uerbis approbari putant oportere. Hoc ego totũ cum sua ratione, unum puto: alioqui si ratio pars est, est autem uaria ratio, plures partes esse dicantur. Assumptionẽ deinde ponit: Nihil autem omnium rerum melius quàm omnis mundus administratur. Huius assumptionis quarto in loco aliam porrò inducunt probationẽ, de quo idem quod suprà dico. Quinto inducunt loco complexionem, quæ aut id infert solũ, quod ex omnibus partibus cogetur, hoc modo, Consilio igitur mundus administratur. aut unum in locum cum conduxeris breuiter propositionẽ & assumptionem, adiungit quid ex his conficiatur, ad hunc modum, Quòd si melius geruntur quæ consilio, quàm quæ sine consilio administrantur: nihil autem omnium rerum melius quàm omnis mundus administratur: consilio igitur mundus administratur. Cui parti cõsentio. In tribus autẽ quas fecimus partibus, non est forma semper eadem, sed una, in qua idẽ cõcluditur quod intẽditur. Anima immortalis est.

Enthymema quid, & eius species.

Cõtra Aeschinem.

Epicherematos partes, & tractãdi ratio. De inuen. lib. 2.

Rhetor. 1.

Forma partiũ epicherematis.

Nam quicquid ex seipso mouetur, immortale est: anima autem ex seipsa mouetur: immortalis igitur est anima. Hoc sic non solùm in singulis argumẽtis sed in totis caussis quæ sunt simplices, & in quæstionibus. Nam & hæ primam habent propositionem. Sacrilegium commisisti, hominem occidisti. Non quisquis hominem occidit, cædis reus tenetur. Deinde rationem. Sed hæc in caussis & quæstionibus longior, quàm in singulis argumentis. Et plerunq; summa complexione, uel per enumerationem, uel per breuem conclusionem testantur quid effecerint. In hoc genere propositio dubia est. de hac enim quæritur. Altera est complexio non par intentioni, sed uim habens parem.

Platonis argumentatio ĩ Axiocho.

Mors nihil ad nos. nam quod est dissolutum, sensu caret: quod autem sensu caret, nihil ad nos. In alio genere non eadem propositio est, quæ connexio. Omnia animalia meliora sunt quàm inanima, nihil autem melius est mũdo, mundus igitur animal. Hic potest uideri de re cõtentio. Potuit enim sic constitui ratiocinatio, Animal est mũdus, omnia enim animalia meliora sunt quàm inanima. Cæterum hæc propo-

Propositio.

sitio aut confessa est, ut proxima: aut probanda, ut, Qui beatam uitam uiuere uolet, philosophetur oportet. Non enim conceditur. Cætera sequi, nisi confirmata prima par-

Assumptio.

te, non possunt. Est & assumptio interim confessa: ut, Omnes autem uolunt beatam uitam uiuere. Interim probãda, ut illa, Quod est dissolutum, sensu caret: cum soluta corpore anima, an sit immortalis, uel ad tempus certum maneat, sit in dubio. Quam assumptionem alij rationem uocant, alij epicherema.

Epicherema & syllogismus quò differant.

Epicherema autem nullo differt à syllogismis, nisi quòd illi & plures habent species, & uera colligunt ueris: epicherematis frequentior circa credibilia est usus. Nam si contingeret semper controuersa confessis probare, uix esset in hoc genere usus Oratoris. Nam quid ingenio est opus ut dicas, Bona ad me pertinent, solus enim sum filius defuncti, uel solus hæres, cum iure bonorũ possessio testati secundum tabulas testamenti detur: ad me igitur pertinent? Sed cum ipsa ratio in quæstionem uenit, efficiendum est certum id quod probaturi sumus, quod incertum est: ut si ipsa fortè intentione dicatur. Aut filius non es, aut non es legitimus, aut non es solus. Itemq; Aut hæres non es, aut iustum testamentum non est, aut capere non potes, aut habes cohæredes. Efficiendum est iustum, propter quod bona adiudicari nobis debeant. Sed tum est necessaria illa summa connexio, cum interuenit oratio

Pro Milone.

largior. Aliquando sufficiunt intentio ac ratio. Silent leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei qui expectare uelit, antè iniusta pœna luenda sit, quàm iusta repetenda. Ideóque id enthymema quod est ex consequentibus, rationi simile dixerunt. Sed & singula quoq; interim rectè ponuntur: ut ipsum illud, Silent leges inter arma. Et à ratione fas est incipere, deinde concludere: ut ibidem. Quòd si XII. tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderet, interfici impunè uoluerunt: quis est qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet? Variat autem hic adhuc, & rursus rationem tertio loco ponit, Cum uideat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus. Prioris autem partis duxit ordinem. Insidiatori autem & latroni quæ potest inferri iniusta nex? hæc intentio. Quid comitatus nostri, quid gladij uolunt? hæc ratio. Quos habere certè non liceret, si uti illis nullo pacto liceret, hæc ex intentione & ratione connexio.

Quot modis, possit epicherema refelli.

Huic generi probationis tribus occurritur modis, id est per omnes partes. Aut enim expugnatur intentio, aut assumptio, aut conclusio, nonnunquam omnia: sed hæc omnia tria fiunt. Intentio expugnatur, Iure occidi eum, qui insidiatus sit. Nam prima statim pro Milone quæstio est, an sic ei fas lucẽ intueri, qui à se hominem necatum esse fateatur. Expugnatur assumptio omnibus ijs quæ de refutatione diximus. Et ratio quidem nonnunquam est uera, cum eius propositio uera non sit. Interim ueræ propositionis falsa ratio est. Virtus bonum est, uerum est, si quis rationem subijciat, quòd ea locupletes faciat, ueræ intentionis falsa sit ratio. Connexio aut uera negatur, cum aliud colligit quàm id quod ex prioribus conficitur: aut nihil ad quæstionem dicitur pertinere. Non est uera sic. Insidiator iure occiditur. nam qui curauit ut uim afferat ut hostis, debet etiã ut hostis repelli. rectè igitur Clodius ut hostis occisus est. Non utique. Nondum enim Clodium insidiatorem ostendimus, sed fit uera connexio. Rectè igitur insidiator ut hostis occiditur. Nihil ad nos. Nondum enim Clodius insidiator apparet. Sed ut potest esse uera connexio, & tamen falsa intentio, & ratio: ita si illa uera sunt, nunquã est falsa connexio. Enthymema ab alijs oratorius syllogismus, ab alijs pars dicitur syllogismi, propterea quòd syllogismus utiq; conclusionem & propositionem habet, & per omnes partes efficit quod proposuit: enthymema tantum intentum intelligi contentum sit.

Enthymema pars syllogismi, & quo differat à syllogismo.

Syllogismus talis, Solum bonum uirtus: nam id demum bonum est, quo nemo malè uti potest. uirtute nemo malè uti potest. bonum est ergo uirtus. Enthymema ex consequentibus, Bonum est uirtus, qua nemo malè uti potest. Et contrà, Non est bonum pecunia: non enim bonum, quo quisquam malè uti potest: pecunia potest quis malè uti: non igitur bonum est pecunia. Enthymema ex pugnantibus, An bonum est pecunia, qua quisque potest malè uti? Si pecunia quæ est in argento signato, argentum est: qui argentum omne legauit, & pecuniam quæ est in argento signato, legauit. Argentum autem omne legauit: igitur & pecuniam quæ est in argento, legauit. Habebit formam syllogismi. Oratori satis est dicere, Cum argentum legauerit omne, pecuniam quoq; legauit, quæ est in argento. Peregisse mihi uideor sacra tradentium artes, sed consilio locus superest.

Quatenus syllogismo, qui rarior est, & enthymematis etiã & epicherematis oratori utendum.

Nanque ego ut in oratione syllogismo quidem aliquando uti nefas non duco, ita constare totam, aut certè confertam esse aggressionum & enthymematum stipatione minimè uelim. Dialogis enim & dialecticis disputationibus erit similior, quàm nostri operis actionibus, quę quidem inter se plurimum differunt. Nanq; illi homines docti, & inter doctos uerum quærentes, minutius & scrupulosius scrutantur omnia, et ad liquidum confessumq; perducunt: ut qui sibi & inueniendi & iudicandi uendicent partes, quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν uocant. Nobis ad aliorum iudicia componenda est oratio, & sæpius apud omnino imperitos, atque aliarum certè ignaros literarum loquendum est: quos nisi & delectatione allicimus, & uiribus trahimus, & nonnunquam turbamus

Quare turbandi homines affectibus. Eloquẽtia qualis esse uelit.

affectibus: ipsa quæ iusta ac uera sunt, tenere non possumus. Locuples & speciosa uult esse eloquentia: quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis & crebris, & in unam propè formam cadentibus concisa, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam seruitute, & ex copia satietatem, & ex amplitudine fastidium tulerit. Feratur igitur non semitis, sed campis: non uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed ut latissimi amnes totis uallibus fluat, ac sibi uiam, siquando non acceperit, faciat. Nam quid lege miserius illa uelut præformitas infantibus literas persequentium, & ut Græci dicere solent, quem mater amictum dedit, solicitè custodientium?

Propositio

Grecorum adagium.

Propositio ac conclusio ex consequentibus & repugnantibus, non inspiret, non augeat, non mille figuris variet ac verset: ut ea nasci, & ipsa provenire natura, non manu facta, & arte suscepta, magistrum fateri ubiq; videantur? Quis unquam sic dixit Orator? Nonne apud ipsum Demosthenem paucissima huiusmodi reperiuntur? Quæ apprehensa Græci magis (nam hoc solum nobis peius faciunt) in catenas ligant, & inexplicabili serie connectunt, & indubitata colligunt, & probant confessa, & se antiquis per hoc similes vocant. Deinde interrogati, nunquam respondebunt quem imitentur. Sed de figuris alio loco.

Græci Oratores ad seruilem argumētandi legem magis adstricti quā latini.

Nunc illud adijciendum, ne ijs quidem consentire me, qui semper argumenta sermone puro & dilucido & distincto, cæterum minimè lato ornatoque putant esse dicenda.

Argumēta quo sermone tractanda.

Namq; ea distincta quidem ac perspicua debere esse confiteor: in rebus verò minoribus etiam sermone ac verbis quammaximè proprijs, & ex usu. At si maior erit materia, nullum ornatum his, qui modò non obscuret, subtrahendum puto. Nam & sæpe plurimum lucis affert ipsa translatio, cum etiam ipsi Iurisconsulti, quorum summus circa verborum proprietatem labor est, littus esse audeant dicere, quà fluctus eludit.

Iuriscōsultorum labor circa verborum proprietatem.

Quoque quid natura magis asperum, hoc pluribus condiendum est voluptatibus: & minus suspecta argumentatio, dissimulatione: & multum ad fidem adiuuat audientis voluptas. Nisi forte existimamus. Ciceronem malè in hac ipsa argumentatione dixisse, silere leges inter arma, & gladium nobis interim ab ipsis porrigi legibus. His tamen habendus modus, ut sint ornamento, non impedimento.

MOSELLANI.


Nihil autem aliud melius est mundo] Apparet planè, hoc quod Rodolphus Agricola, homo ut doctissimus, sic & diligentissimus, libro Dialecticorum primo affirmat, Fabium ipsum tametsi artificem differendi summū, quod ad tractanda argumenta pertineat, paululum negligentem, obiter magis aliorum quàm suam referre sententiam, id quod uel hic locus indicare poterit. nam cum in proposita ratiocinatione medium terminum & in propositione & in assumptione prædicari faciat, usque ita, ut assumptio sit negatiua, iuxta Aristotelis sententiam in Analyticis nihil inferri poterat aliud quā negatiuum: hic autem affirmatiuè concluditur, mundum animal esse, & per hoc haud dubium quin improba sit ratiocinatio. Huc pertinet quod hodie Dialecticorum uulgus tradit, conclusionem semper deteriori præmissarum inhærere. nam si altera harum fuerit negatiua, & conclusio negabit, & si particulariter proponatur in altera, conclusio quoque eandem rationem imitabitur. Quamobrem, tametsi inuitus, sic mutandam esse censeo lectionem, ut aut sine uel præter rem legatur, id quod ratio subiuncta satis apertè demonstrare uidetur. Cæterum hæc propositio aut confessa est, ut, qui beatam uitam uiuere uolet, philosophetur oportet. hoc enim conceditur. aut proxima probanda: ut, mors nihil ad nos. Cætera sequi] Nisi confirmata prima parte non possunt. Est & assumptio] Aristoteles priorum resolutoriorum cap. 21. & 24. probat manifestissimè, rectè argumentandi forma seruata, in omni figura ex falsis quidem datis colligi posse uerum, at ex ueris non nisi uerum. quare subolet mihi certè mendum esse in uerbis Fabii, & in priore parte legendum, falsa intentio, & postea, uera connexio, in hunc modum, sed ut ipsa esse falsa, si illa uera sint, nunquam est falsa connexio. *Τοπικὴ*] Sic maximè diuidunt Dialecticam Stoici, quemadmodum in sua Dialectica indicat Martianus Capella, uidelicet ut ratio inueniendi & eliciendi argumenta ex locis quos uocant, appelletur τοπικὴ, uerùm ea scientia, qua iam inuenta argumenta, & è sedibus suis educta, in modum ac figuram rectè ordinantur, nūcupatur Græce κριτικὴ, hoc est iudicatoria, ἀπὸ κρίνω quod est iudico, unde κριτής.

FINIS LIBRI QVINTI.



M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA,

LIBER SEXTVS.



ARGVMENTVM.

Hæc præfatio, materiæ quæ libro sexto tractatur, aptissima est. maioribus enim affectibus abūdat, & hic liber perorationem tractat, quæ mouendis in omnem partem affectibus accommoda est. Deplorat immaturum filii maioris interitum, qui cū singularibus ingenii animiq; uirtutibus emineret, ad hoc opus scribendum edendumue, sibi parenti, præter tres alias caussas, quas initio repetit, ueluti calcar dum uiueret subiiciebat. Cuius morte, ut antè uxoris & filii minoris, cum scriberet de corruptæ eloquentiæ caussis, debilitatus, opus iam longè progressum intermisisse, & studia sua distulisse fatetur, at tandem proculcatis doloribus, & spretis omnibus fortunæ ludibriis, ad opus inceptū redite, & quia clari uiri aduersorum solatium à literis petant, & quia gloriosius sit, aliorum quàm priuatis commodis insudare, qui totus locus ad conciliandam beneuolentiam pertinet.

Procemium, in quo de fortuna sua queritur.



Tres caussas repetit operis condendi, quibus quarta filius accedebat.

Haec Marcelle Victori ex tua uolūtate maximè ingressus, tum siqua ex nobis ad iuuenes bonos peruenire posset utilitas, nouissimè penè, & necessitate quadā officij delegari mihi, sedulò laborabā, respiciens tamē illam curam meæ uoluptatis qui filio, cuius eminens ingenium, solicitā quoq; parentis diligentiam merebatur, hanc optimā partem relicturus hæreditatis uidebar: ut si me, quod æquum & optabile fuit, fata intercepissent, præceptore tamen patre uteretur.

Deploratio immaturæ mortis filii.

At me fortuna id agentem diebus ac noctibus, festinantemq; metu meæ mortalitatis, ita subitò prostrauit, ut laboris mei fructus ad neminem minus quàm ad me pertineret. Illum enim de quo summa conceperam, & in quo spem unicam senectutis meæ reponebam, repetito uulnere orbitatis amisi. Quid nunc agam? aut quem ultra esse usum mei dijs reprobātibus credam?

Quintil liber de corruptæ eloquētiæ caussis.

Nam ita fortè accidit, ut eum quoq; librum quē de caussis corruptæ eloquentiæ emisi, iam scribere aggressus, simili ictu ferirer. Tunc igitur optimum fuit, infaustum opus, & quicquid hoc est in me infelicium literarum, super immaturum funus cōsumpturis uiscera mea flammis iniicere, neq; impiam uiuacitatem nouis insuper curis fatigare. Quis enim mihi bonus parens ignoscat, si studere amplius possum? ac non oderit hanc animi mei firmitatem, si quis in me est alius usus uocis, quàm ut incusem deos, superstes omnium meorum? nullam terras despicere prouidentiam testes? si non meo casu, cui tamen nihil obijci, nisi quòd uiuam, potest: at illorum certè, quos utiq; immeritos mors acerba damnauit: erepta mihi prius eorundem matre, quæ nondum expleto ætatis undeuicesimo anno duos enixa filios, quamuis acerbissimis rapta fatis, felix decessit. Ego uel hoc uno malo sic eram afflictus, ut me iam nulla fortuna posset efficere felicem.

Quintil. uxor.

Nam cū omni uirtute quæ in fœminas cadit, functa insanabilē attulit marito dolorē, tum ætate ea, puellari presertim meæ cōparata, po-

test & ipsa numerari inter uulnera orbitatis. Liberis tamen superstitibus oblectabar: & quod nefas erat, sana, sed optabat ipsa, me saluo maximos cruciatus præcipiti uia effugit. Mihi filius minor quintum egressus annum, ut in malis agerem, prior alterum ex duobus eruit lumen. Non sum ambitiosus in malis, nec augere lachrymarum caussas uolo: utinamque esset ratio minuendi. Sed dissimulare qui possum, quid illi gratiæ in uultu, quid iucunditatis in sermone? quos ingenij igniculos, quam præstantiam placidæ, & (quod scio uix posse credi tantùm) altæ mentis ostenderit? qualis amorem quicunque alienus infans mereretur. Illud uerò insidiantis, quò me ualidius cruciaret, fortunæ fuit, ut ille mihi blandissimus, me suis nutricibus, me auiæ educanti, me omnibus qui sollicitare solent illas ætates, anteferret. Quapropter illi dolori, quem ex matre optima, atque laudem omnem supergressa, paucos ante menses ceperam, gratulor. Minus enim est quod flendum meo nomine, quàm quod illius gaudendum est. Vna post hæc Quintiliani mei spe ac uoluptate nitebar: & poterat sufficere solatio. Non enim flosculos, sicut prior, sed iam decimum ætatis ingressus annum, certos atque deformatos fructus ostenderat. Iuro per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos manes numina doloris mei, has me in illo uidisse uirtutes ingenij, non modò ad percipiendas disciplinas, quo nihil præstantius cognoui, plurima expertus, studijque iam tum non coacti (sciunt præceptores) sed probitatis, pietatis, humanitatis, liberalitatis: ut prorsus posset hinc esse tanti fulminis metus: quod obseruatum ferè est, celerius occidere festinatam maturitatem: & esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat, inuidiam, ne uidelicet ultra quàm homini datum est, nostra prouehantur. Etiam illa fortuita aderant omnia, uocis iucunditas claritasque, oris suauitas, & in utracunque lingua, tanquam ad eam demum natus esset, expressa proprietas omnium literarum. Sed hæc spes adhuc: illa maiora, constantia, grauitas, contra dolores etiam ac metus robur. Nam quo ille animo, qua medicorum admiratione, mensium octo ualetudinem tulit? ut me in supremis consolatus est? quàm etiam deficiens, iamque non tunc ipsum illum alienatæ mentis errorem circa solas literas habuit? Tuosne ego, o meæ spes inanes, labentes oculos, tuum fugientem spiritum uidi? Tuum corpus frigidum exangue complexus, animam recipere, auramque communem haurire amplius potui? dignus his cruciatibus quos fero, dignus his cogitationibus. Tene consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum patris admotum, te auunculo prætori generum destinatum, te omnium spe Atticæ eloquentiæ candidatum, superstes parens tantum ad pœnas, amisi? Et si non cupido lucis, certè patientia uindicet te reliqua mea ætate. Nam frustra mala omnia ad crimen Fortunæ relegamus. Nemo nisi sua culpa diu dolet. Sed uiuimus, & aliqua uiuendi ratio quærenda est: credendumque doctissimis hominibus, qui unicum aduersorum solatium literas putauerunt. Siquando tamen ita resederit præsens impetus, ut aliqua tot luctibus alia cogitatio inseri possit, non iniustè petierim moræ ueniam. Quis enim dilata studia miretur, quæ potius non abrupta esse mirandum est? Tum si qua minus fuerint effecta ijs quæ leuius adhuc afflicti cœperamus, imperitiæ aut fortunæ remittantur: quæ siquid mediocrium alioqui nostro ingenio uirium fuit, ut non extinxerit, debilitauit tamen. Sed uel propter hoc nos contumacius erigamus, quòd illam ut perferre nobis difficile est, ita facile contemnere. Nihil enim sibi aduersus me reliquit, & infelicem quidem, sed certissimam tamen attulit mihi ex his malis securitatem. Boni autem consulere nostrum laborem uel propter hoc certum est, quòd in nullum iam proprium usum perseueramus, sed omnis hæc cura ad alienos, ut alienis utilis (si modò quid utile scribimus) spectat. Nos miseri, sicut facultates patrimonij nostri, ita hoc opus alijs paramus, alijs relinquemus.

Quintil. filius minor.

Quintil. filij maioris uirtutũ cõmemoratio & laus.

Plin. lib. ii. cap. v i. Literæ unicũ aduersorũ solatiũ.

MOSELLANI.

VLnere orbitatis] Alludit Fabius ad etymologiam orbitatis siquidem oculi ob rotunditatem orbes dicuntur, unde quia liberos nostros nõ minus quàm oculos ipsos amamus, qui liberis spoliantur, perinde ac ἀντίφασιν orbi dicũtur, quasi oculis capti. Porrò Fabius noster hic per lumẽ oculũ intelligit. Quod nefas erat] Subindicat Fabius per hoc quod dicit nefas erat (quod didicit homo cordatissimus Platone præceptore) nõ fas esse ex hoc corporis carcere emigrare antequã is qui animã indidit, hoc est deus, ipse iubeat, quæ diuina planè sententia tractatur copiosè apud Platonem in de republica, & Ciceronem in somnio Scipionis, quod ea dicto Platonis libro traductum est. Igniculos ingenij] Hic uocat quasdam futuræ eruditionis uelut scintillas, unde maxima eruditionis flamma postea fit profectura, breuiter uocat sic Cicero animi nostri propẽsionẽ uel ad uirtutes, uel ad scientias, idq; Platonicorũ more, qui animis nostris scientiarum omniũ atq; uirtutũ seminaria innata statuunt, quã quæstionem tractat Plato in Menone. Illius] Matris scilicet nomine, quæ ante filium erepta, doloris sensu caret, ut uel hinc appareat, suprà felix legendũ esse. Flosculos] Indicia & spẽ futuræ eruditionis. Infelicẽ conscientiã] Quæ ea nouit, quæ nihil prosunt. Manes] Per umbrã & animã filij mei, & naoris.

Fulminis] Quo postea prostratus proiectusq; est. Festinatã maturitatẽ] Sic in primo libro præcox illud ingeniorum genus idẽ Fabius non temere unquam ad frugẽ peruenire asserit, & Accius tragœdiarum scriptor apud Gelliũ sic ait, Quod in pomis est, itidẽ esse aiunt in ingenijs. quæ dura & acerba nascũtur, post fiunt mitia, atque iucunda sed quæ gignuntur uieta & mollia, atque in principio sunt uuida, non matura mox fiunt, sed putrida. Relinquendum igitur ingeniis, quod dies atque ætas mitificet. Tum Cato apud Plinium libro 7. hoc idem testatur, senilem iuuentam præmaturæ mortis signum, ad filium scribẽs, & Plinius ipse, magna hominum admonitione scribit, qui speciosissime floreant, celerrimè marcescere. lib 21. cap 1. Inuidiam] Fatorum & prouidentiæ. Spes] Præmaturæ iuuentæ. Errorem] Id est moribundam & euanidam opinionem. Agere enim animam, est luctari animam cum corpusculo. Tuosne ego, ô spes inanes] imitatio est Ciceronis in oratione pro Milone in epilogo. Fugientem spiritum] Alludit hic Fabius ad Hippocratis & quorundam aliorum ueterum sententiã, qui animam aliud nihil esse putarunt, quàm spiritum & flatum per omnes corpora partes diffusum. Adoptione] Id est per hoc quòd te consul adoptauit nuper in filium. Atticæ eloquentiæ] Inter omnia eloquentiæ genera, nullum magis celebrant scriptores, quàm Atticum, propterea quòd inter Asianum, quod nimia copia redundat, & Laconicum nimia breuitate, accisum, medium sit utrinque temperatum, id quod indicat Cicero cum alibi, tum in Oratore perfecto, quem librum qui legerit accuratè, haudquaquam dubitabit quin hoc loco Atticæ eloquentiæ legendum sit. Sed & Terentius in Eunucho cum per ironiam omnibus numeris perfectam eloquentiam in milite glorioso ostendere uellet, ait in persona Gnathonis, Diam'in hoc Atticam esse eloquentiam? Candidatum] In Romana republica qui ambiebant magistratum, dignitatem eo honore candidati uocabantur, quoniam candidis uestibus erant amicti, nimirum ad integritatem morum atque innocentiam ostendendam, per quam magistratu digni uideri possint. hinc per translationem candidatum eloquentiæ dixit Fabius pro eo qui non multum abfit ab huius gloriæ palma. Superstes] Adscribendum est hoc loco ante superstes, parens amisi, uel simile aliquid, alioqui nullus colligi potest sensus, ut sit ordo, Te omni spe Atticæ eloquentiæ candidatum parens amisi, superstes tantum pœnis, siue ad pœnas. has si non cupido lucis, certe patientia uindicet à reliqua mea ætate.

Ad

Ad crimen fortunæ] Hunc locum Plinius uelut exponens libro 2. cap. 7. sic ait. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusq; horis, omnium uocibus fortuna sola inuocatur, & una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuitiis colitur, uolubilisque, à plerisque uerò & cæca, est existimata, uaga, inconstans, incerta, uaria, indignorumque fautrix huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utranq; paginam facit. Et Iuuenalis Satyra 10.

Nullum numen abest, si sit prudentia. sed te
Nos facimus fortuna deam, cæloque locamus.

Sua culpa dolet dui] Quòd uidelicet ex animo amet: atque excutit tristitiam: & uiri est omnia mala extrinsecus obuenientia pectoris robore fortiter perferre: cum Stoicis authoribus nihil malum censendum, quod non nostro uitio contingit. Effecta] Elaborata, expolita Fortunæ] quæ ingenium tot malis oppressit. Alioqui] Præter calamitatem qua obrutus fueram. Propter hoc] Quòd uidelicet tot malis ingenium nostrum debilitatum fuerit. Illam] Inuidiam fortunæ. Boni autem consulere] In bonam partem accipere.

ARGVMENTVM.

Perorationem uariè uocari docet, eiusq; duplicem rationem esse, Vnam quæ argumentorum repetitione, alteram quæ affectibus constet. Priorem, enumerationem uocari, cuius officium sit memoriam reficere, & totam caussam ante oculos ponere, Legem siue modum, breuiter per capita decurrere, Elocutionē, quę omnia grauiter & cum pondere dicat, sententiis apta excitet, & figurarum uarietate distinguat, locum habere in caussis multiplicibus, & quæ pluribus argumentis defensæ sunt, & tam actori quàm patrono communem esse. Alteram, quæ affectuum commotione constat, utrique communem esse, magis tamen actori quàm patrono, & uerbis fieri uel rebus. Verbis totam caussam uelut sub oculos statuendo, quod maximè miserabile uel inuidiosum uidebitur, quo moueri iudex possit, latius prosequendo, Atrocissima quæ obiiciuntur, faciendo, & uariis circunstantiis amplificando, ut à loco, à tempore, à personis, & reliquis similibus in omnem partem, quod propriè accusatoris est, ad quem miserationem mouere nonnunquam etiam pertinere ait, cum casum eius quem ulciscitur, aut liberorum aut parentum solitudinem conqueritur, aut futuri temporis imagine, quid accusatori uel iudicibus futurum sit si reus absoluatur, præmonet, Sed affectus frequentius moueri, iudicem à miseratione auertendo, quid dicturum facturumve aduersarium putet, occupando, quid iudices rogantibus respondere debeant, docendo. A defensore quoque maximos affectus & miserationem moueri ostendit, de aduersariorum calumnia, conspiratione, aut crudelitate conquerendo, dignitatem rei, studia fortia, cicatrices bello susceptas, nobilitatem, aut maiorum merita commendando, quæ omnia uariis circunstantiis amplificanda sint. Per prosopopœias aut se ipsum, aut res mutas, aut ipsum reum loquentem inducendo. Miserationem tamen ut non longam esse oportere, ita ad finem usque orationis attolli semper, atque crescere debere, admonet. Hactenus uerbis, nunc etiam rebus & factis magnos affectus moueri ostendit, miserabilia quædam faciendo, Reos qui periclitantur, squallidos, deformes, aut eorum liberos parentesve producendo, per eosdem obsecrando, deos inuocando, cicatrices aduerso pectore pro Rep. susceptas ostentando, ut in caussa Aquilii fecit Antonius, gladium cruentum, uestes sanguine perfusas proferendo, ut in funere Cæsaris, stratos iacendo, genua complectendo, nisi personæ grauitas, aut uita anteacta, aut rei conditio prohibeat, cum omnia cum dignitate facienda sint, neque quicquam sit tam risu dignum, aut etiam odiosum, quàm mimica scenicave ad commouendos affectus gesticulatio. In caussis quoque priuatis esse perorationis genus utrunque, & quod ex argumentorum enumeratione est, quodque ex lachrymis constat, nisi fortè caussa sit parua, aut leuis, quæ nihil tale recipiat. Porro ad lachrymas mouendas aggredi quenquam prohibet, nisi summis ingenii uiribus præditus sit. Discutere miserationem non esse minus Epilogi proprium, quàm mouere, cum oratione continua, tum etiam urbanè dictis, quibus iudex à lachrymis ad iustitiam reducatur. Et leniores interdum esse epilogos, quibus aduersariis satisfacimus aliqua dignitate & modestia præditis. Postremo affectus non solum in procemio & Epilogo esse, uerumetiam per totam orationem spargi, ubi crimina exposita sint, quamuis præcipuè in epilogo dominentur.

De conclusione, seu peroratione. Cap. I.

PERORATIO sequebatur, quam cumulum quidam, conclusionē alij uocant. Eius duplex ratio est, posita aut in rebus, aut in affectibus. Rerum repetitio et cōgregatio, quę gracè dicitur ἀνακεφαλαίωσις, à quibusdā latinorum enumeratio, & memoriā iudicis reficit, & totā simul caussam ponit ante oculos, & etiā si per singula minus mouerat, turba ualet. In hac quæ repetemus, quābreuissimè dicēda sunt, &, quod Græco uerbo patet, decurrēdum per capita. Nā si morabimur, nō iam enumeratio, sed altera quasi fiet oratio. Quæ autē enumerāda uidentur, cum pondere aliquo dicenda sunt, & aptis excitanda sententijs, et figuris utiq; uariā da: alioqui nihil est odiosius recta illa repetitione uelut memoriæ iudicum diffidentis. Sunt autem innumerabiles: optimeq; in Verrē Cicero, Si pater ipse iudicaret, quæ diceret cum hæc probarētur? & deinde subiecit enumerationē. Aut cum idē in eundē, per inuocationē deorum spoliata à Prætore tēpla dinumerat. Licet & dubitare num quid nos fugerit, et quid responsuri sint aduersarij his et his: aut quā spē accusator habeat omnibus ita defensis. Ille uerò iucundissima, si contingat aliquod ex aduersario ducere argumentum: ut si dicas, Reliquit uerò hāc partē caussæ. aut, Inuidia premere maluit. aut, Ad preces cōfugit. et, Meritò cum sciret hæc & hæc. Sed nō sunt singulæ species prosequēdæ, ne sola uideantur, quæ forte nunc dixero: cum occasiones & ex caussis, & ex dictis aduersariorum, & ex quibusdā fortuitis quoq; oriātur. Nec referēda modò nostra, sed postulādum etiā ab aduersarijs, ut ad quædā respondeāt. Id autē si & actionis superfuerit locus, & ea proposuerimus, quæ refelli nō possunt. Nā prouocare quæ desint fortia, nō arguentis est, sed monentis. Id unum epilogi genus uisum est plerisq; Atticorum, et philosophis ferè omnibus, qui de arte Oratoria scriptum aliquid reliquerunt. Id sensisse Atticos credo, quia Athenis affectus mouere etiā per præconē prohibebatur Orator. Philosophos minus miror, apud quos uitij est loco, affici; nec boni mores uidētur, sic à uero iudicē auerti: nec cōuenire bono uiro uitijs uti. Necessarios tamē affectus fatebuntur, si aliter obtineri uera & iusta & in cōmune profutura nō possint. Cæterum illud cōstitit inter omnes, etiam in alijs partibus actionis, si multiplex caussa sit, & pluribus argumētis defensa, utiliter ἀνακεφαλαίωσιν fieri solere: sicut nemo dubitauerit multas esse caussas, in quibus nullo loco sit necessaria, si breues et simplices fuerint. Hæc pars perorationis accusatori patronoq; æquè cōmunis est.

Affectibus quoq; eisdē ferè utuntur: sed rarius hic, ille sæpius ac magis. Nā huic cōcitare iudices, illi flectere cōuenit. Verū & accusator habet interim lachrymas ex miseratione eius rei quē ulciscitur: et reus de indignitate calūniæ cōspirationis uehemētius interim queritur. Diuidere igitur hæc officia cōmodissimū, quæ plerumq; sunt, ut dixi, procemio similia sed liberiora, plenioraq;. Inclinatio.n. iudicū ad nos, petitur initio parcius, cū admitti satis est, & oratio tota superest. In epilogo uerò est qualē animū iudex cōsiliū ferat, & iā nihil amplius dicturi sumus, nec restat quò seruemus. Est igitur utrisq; cōmune, cōciliare sibi, auertere ab aduersario iudicē: cōcitare affectus, et cōponere. Et breuissimū quidē hoc præceptū dari utriq; parti potest, ut totas caussæ suæ uires Orator ante oculos ponat: et cū uiderit quid inuidiosum fauorabile, inuisum, miserabile aut sit in rebus, aut uideri possit: ea dicat, quibus, si iudex esset ipse, maximè moueretur. Sed certius est ire per singula. Et

Enumerationis officia, lex seu modus & elocutio.

Vide Aristotelē in principio Rhetoric. lib. 1.

Anacephalæosi quando utendū, & quando non.

Affectus.

Affectus ex parte accusatoris.

quæ conciliant quidem accusatorem, in præceptis exordij iam diximus. Quædam tamen quæ illic ostendere satis est, in peroratione implenda sunt magis, si contra impotentẽ, inuisum, perniciosum suscepta caussa est: si iudicibus ipsis aut gloriæ damnatio rei, aut deformitati futura absolutio. Nam egregiè in Vatinium Caluus, Factum, inquit, ambitum scitis omnes, & hoc uos scire omnes sciunt. Cicero quidem in Verrem etiam emendari posse infamiam iudiciorũ damnato reo dicit: quod est unum ex supradictis. Metus etiam si est adhibendus ut facit idem, hunc habeat locũ fortiorem quàm in proœmio. Qua de re quid sentirem, alio iã libro exposui. Concitare quoque inuidiam, odium, iram, liberius in peroratione contingit: quorum inuidiam gratia, odium turpitudo, iram offensio iudicis facit, si contumax, arrogans, securus sit, quæ non ex facto modò, dictove aliquo, sed uultu habitu, aspectu moueri solet. Egregieq; nobis adolescẽtibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis uidebatur, græca quidem, sed in hunc sensum, Erubescit Cæsarem timere.

Act. 2.

Act. vii.

Lib. iiii.

Affectus quibus mouẽtur.

Atrocitatis amplificatio ex uariis circunstantiis.

Summa tamen concitandi affectus accusatori in hoc est, ut id quod obijcit, aut quàm atrocissimum, aut etiam, si fieri potest, quàm maximè miserabile esse uideatur. Atrocitas crescit ex his, quid factum sit, à quo in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo: quæ omnia infinitos anfractus habent. Pulsatum querimur: de re primùm ipsa dicendum: tum si senex, si puer, si magistratus, si probus, si bene de Republica meritus. Etiam si percussus sit à uili aliquo contemptoque: uel ex contrario à potente nimium, uel ab eo à quo minimè oportuit. Et si die forte solenni, aut ijs temporibus, cum iudicia eius rei maximè exercerentur, aut in solicito ciuitatis statu. Item in theatro, in templo, in concione. Crescit inuidia & si non errore, nec ira: uel etiam si forte ira, sed iniqua, quòd patri affuisset, quòd respondisset, quòd honores cõtrà peteret: et si plus etiam uideri potest uoluisse quàm fecit. Plurimum tamen affert atrocitatis, modus, si grauiter, si contumeliose: ut Demosthenes ex parte percussi corporis, ex uultu ferientis, ex habitu inuidiam Midiæ quærit.

Cõtra Midiam.

Occisus est, utrum ferro, an igne, an ueneno, uno uulnere an pluribus, subitò an expectatione tortus, ad hanc partem maximè pertinet. Vtitur frequenter accusator & miseratione, cum aut eius casum quem ulciscitur, aut liberorum aut parentum solitudinem conqueritur. Etiam futuri temporis imagine iudices mouet, quæ maneant eos casus, qui de vi & iniuria questi sunt, nisi uindicentur: fugiendum de ciuitate, cedendum bonis aut omnia quæcunque inimicus fecerit, perferenda. Sed sæpius id est accusatoris, auertere iudicẽ à miseratione qua reus sit usurus, atque ad fortiter iudicandum concitare. Cuius loci est etiam occupare quæ dicturum facturumve aduersarium putes. Nam & cautiores ad custodiam suæ religionis iudices facit, & gratiam responsuris aufert, cũ ea quæ prædicta sunt ab accusatore, iam si pro reo petentur, non sint noua: ut Seruius Sulpitius contra Aufidiam, ne signatorum ab ipsis discrimen obijciatur sibi, præmonet.

Miseratione accusator etiã interdũ mouet.

Necnon ab Aeschine, quali sit usurus Demosthenes actione, prædictum est. Docendi interim quoque Iudices, quid rogantibus respondere debeant: quod est unum repetitionis genus. Periclitantem uerò commendat dignitas, & studia fortia, & suscepta bello cicatrices, et nobilitas & merita maiorũ. Hoc quod proximè dixi, Cicero atq; Asinius certatim sunt usi: pro Scauro patre hic, ille pro filio. Commendat & caussa periculi, si suscepisse inimicitias ob aliquod factum honestum uidetur: præcipuè bonitas, humanitas, misericordia. Iustè enim tunc petere ea quisq; uidetur à iudice, quæ alij ipse præstiterit. Referẽda pars hæc quoq; ad utilitatẽ Reipublicæ, ad iudicũ gloriã, ad exẽplum, ad memoriã posteritatis.

Iudices docendi.

Affectus pro defensore.

Miseratio.

Plurimũ tamen ualet miseratio, quę iudicẽ flecti nõ tantùm cogit, sed motũ quoq; animi sui lachrymis confiteri. Hæc petentur aut ex ijs quæ passus est reus, aut ex ijs quæ tum maximè patitur, aut ex ijs quæ damnatum manent: quæ & ipsa duplicantur cum dicimus ex qua illi fortuna, & in quam recidendum sit. Affert in his momentum & ætas, & sexus, & pignora: liberi dico, & parentes, & propinqui. Quæ omnia tractari uariè solent. Nonnunquam etiam & ipse patronus has partes subit: ut Cicero pro Milone, O me miserum, ò me infelicem. Reuocare me tu in patriam Milo potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non potero? Maximeque si (ut tunc accidit) non conuenient ei qui accusatur, preces. Nam quis ferret Milonem pro capite suo supplicantem, qui à se uirum nobilem interfectum, quia id fieri oportuisset, fateretur? Ergo & ille captauit ex illa præstantia animi, fauorem, et in locum lachrymarum eius ipse successit.

Patroni persona pro reo.

His præcipuè locis utiles sunt prosopopœiæ, id est fictæ alienarum personarum orationes, quales litigatorem decent, uel patronum. Mutæ tamen res mouent, aut cum ipsis loquimur, aut cum ipsas loqui fingimus. Ex personis quoque trahitur affectus. Non enim audire iudex uidetur aliena mala deflentes, sed sensum ac uocem auribus accipere miserorum: quorum etiam mutus aspectus lachrymas mouet: quantoq; essent miserabiliora si ea dicerent ipsi, tanto sunt quadam sua portione ad afficiendum potentiora, cum uelut ipsorum ore dicuntur: ut scenicis actoribus eadem uox, eadem pronunciatio plus ad mouendos affectus sub persona ualet. Itaque idem Cicero quanquã preces non dat Miloni, eumque potius animi præstantia commendat, accommodauit ei tamen & uerba, & conuenientes etiam forti uiro conquestiones. O frustra, inquit, mei suscepti labores. O spes fallaces. O cogitationes inanes meæ. Nunquam tamen debet esse longa miseratio: nec sine caussa dictum est, Nihil facilius quàm lachrymas inarescere.

Prosopopœiæ.

Affectus ex personis.

Nam cum etiam ueros dolores mitiget tempus, citius eua nescat necesse est illa quam dicendo effinximus imago: in quà si moramur, lachrymis fatigatur auditor, & requiescit, et ab illo quẽ cœperat impetu, ad rationẽ redit. Nõ patiamur igitur frigescere hoc opus: et affectum cum ad summũ perduxerimus, relinquamus: nec speremus fore, ut alie na quisquã diu ploret. Ideoq; cũ in alijs, tũ maximè in hac parte debet crescere oratio: quia quicquid nõ adijcit prioribus, etiã detrahere uidetur: et facilè deficit affectus, qui descẽdit.

Cicero in Part. & de inuent. 1.

Lachrymarũ quis modus.

Nõ solũ autẽ dicendo, sed etiã faciendo quædã, lachrymas mouemus: unde et producere ipsos qui periclitentur, squallidos atq; deformes, et liberos eorũ ac parẽtes, institutũ, & ab accusatoribus ostẽdi cruentũ gladiũ, et lecta è uulneribus ossa, et uestes sanguine perfusas uidemus, & uulnera resolui, ac uerberata corpora nudari. Quarũ rerũ ingẽs plerunq; uis est, uelut in rẽ præsentẽ animos hominũ ducentiũ. Et populũ Rom. egit in furorẽ prætexta Caij Cæsaris prolata in foro cruẽta. Sciebatur interfectũ eum, corpus deniq; ipsũ impositũ lecto erat: uestis tamẽ illa sanguine madẽs, ita repræsentauit imaginẽ sceleris, ut nõ occisus esse Cæsar, sed tũ maximè occidi uideretur. Sed nõ ideo probauerim, quod factum & lego, & ipse aliquando uidi, depictam tabulam supra Iouem in imaginem rei cuius atrocitate iudex erat commouendus. Quæ enim est actoris infantia, qui mutã illã effigiẽ magis quã orationẽ pro se putet locuturã? At sordes, & squallores, & propinquorum quoq; similẽ habitũ scio profuisse, & magnũ ad salutẽ momẽtum preces attulisse. Quare & obsecratio illa iudicum

Affectus facto mouẽ.

Sueto. in uita Cæsaris, & Appianus lib. ii. bel. ciuil.

Obsecratio.

per

per charissima pignora, utique si & reo sint liberi, coniunx parentes, utilis erit. Et deorum etiam inuocatio, uelut ex bona conscientia profecta uideri solet. Statum denique iacere, & genua complecti: nisi tamen persona nos, & anteacta uita, & rei conditio prohibebit. Quędam enim tam fortiter tuenda, quàm facta sunt. Verum sic est habenda autoritatis ratio, ne sit inuisa securitas. Fuit quondam inter hæc omnia potentissimum id, quo Lucium Muræuam Cicero accusantibus clarissimis uiris eripuisse pręcipuè uidetur. Persuasit enim nihil esse ad præsentem rerum statum utilius, quàm pridie Calend. Ianuarias ingredi Consulatum. Quod genus nostris temporibus totum penè sublatum est, cum omnia curæ tutelaque unius innixa, periclitari nullo iudicij exitu possint. De accusatoribus & reis sum locutus, quia in periculis maximè uersatur affectus. Sed priuatæ quoque caussæ utrunque habent perorationis genus: & illud quod est ex enumeratione probationum, & hoc quod ex lachrymis: si aut statu periclitari, aut opinione litigator uidetur. Nam in paruis quidem litibus has tragœdias mouere, tale est, quale si personam Herculis & cothurnos aptare infantibus uelis. Illud ne indignũ quidem admonitione, ingens in epilogis meo iudicio uerti discrimen quomodo se dicenti, qui excitatur, accommodet. Nam & imperitia, & rusticitas, & rigor, & deformitas afferunt interim frigus: diligenterque hæc sunt actori prouidenda. Equidem repugnanteis eos patrono, & nihil uultu commotos, & intempestiuè ridentes, & facto aliquo uel ipso uultu risum mouentes sæpe etiam uidi, præcipuè uero cum aliqua uelut scenicè fiunt. Transtulit patronus aliquando puellam, quæ soror esse aduersarij dicebatur (nam de hoc lis erat) in aduersa subsellia, tanquam in gremio fratris relicturus. at is à nobis præmonitus discesserat. Tum ille alioqui uir facundus, inopinata rei casu obmutuit, & infantem suam frigidissimè reportauit. Alius imaginem mariti pro rea proferre magni putauit: at ea se piùs risum fecit. Nam & ij quorum officij erat ut traderent eam ignari qui esset epilogus, quoties respexisset patronus, offerebant palàm, & prolata nouissimè, deformitate ipsa, (nam senis cadaueri infusa) præteritam quoque orationis gratiam perdidit. Nec ignotum quid Glyconi, cui Spiridion fuit cognomen, acciderit. Huic puer, quem in ius produxerat, quid fleret interrogabat, ex pædagogo se uellicari respondit. Sed nihil illa contra Cepasios Ciceronis fabula efficacius ad pericula epilogorum. Omnia tamen hæc tolerabilia, quibus actionem mutare facile est. at qui à stylo non recedunt aut conticescant ad hos casus, aut frequentissimè falsa dicunt. Inde est enim, Tendit ad uestra genua supplices manus. &, Hæret in complexu liberorum miser. &, Reuocat ecce me. etsi nihil horum is de quo dicitur faciat. Et è scholis hæc uitia, in quibus omnia liberè fingimus, & impunè, quia pro facto est quicquid uolumus. non admittit hoc idem ueritas fori. Egregiè Cassius dicenti adolescentulo, Quid me torno uultu intueris Seuere? Non mehercule, inquit, faciebam, sed sic scripsisti, ecce. & quàm potuit truculentissimè eum aspexit. Illud præcipuè monendum, ne quis nisi summis ingenij uiribus ad mouendas lachrymas aggredi audeat. Nam ut est longè uehementissimus hic cum inualuit affectus, ita si nihil efficit, tepet quem melius infirmus actor tacitis iudicum cogitationibus reliquisset. Nam & uultus, & uox, & ipsa illa excitati rei facies, ludibrio etiam plerunque sunt hominibus quos non permouerunt. Quare metiatur ac diligenter æstimet uires suas actor: & quantum onus subiturus sit, intelligat. Nihil habet ista res medium, sed aut lachrymas meretur, aut risum. Non autem commouere tantum miserationem, sed etiam discutere, epilogi est proprium, quum oratione continua, quæ motos lachrymis iudices ad iustitiam reducat, tum etiam quibusdam urbanè dictis: quale est, Date puero panem, ne ploret. Et corpulento litigatori, cuius aduersarius item puer circa iudices erat, ab aduocato latus, Quid faciam? ego te baiulare non possum. Sed hæc tamen non debent esse mimica. Ita neque illum probauerim, qui inter clarissimos sui temporis Oratores fuit, qui pueris in epilogum productis, talos proiecit in medium, quos illi diripere cœperunt. Nanque hæc ipsa discriminis sui ignorantia potuit esse miserabilis. Neque illum, qui cum esset cruentus gladius eius ab accusatore prolatus, quo is hominem probabat occisum, subitò ex subsellijs ut territus fugit, & capite ex parte uelato, cum ad agentem ex turba prospexisset, interrogauit an iam ille cum gladio recessisset. Fecit enim risum, sed ridiculus fuit. Discutienda tamen oratione huiusmodi scenæ. Egregieque Cicero, qui & contra imaginem Saturnini pro Rabirio grauiter, & contra iuuenem cuius subinde uulnus in iudicio resoluebatur, pro Vareno multa dixit urbane. Sunt & illi leniores epilogi, quibus aduersario satisfacimus: si forte sit eius persona talis, ut illi debeatur reuerentia, aut quum amicè aliquid commonemus, & ad concordiam hortamur: quod est genus egregiè tractatum à Passieno, cum Domitiæ uxoris suæ pecuniariam litem aduersus fratrem eius Ænobarbum ageret. Nam quum de necessitudine multa dixisset, de fortuna quoque, qua uterque abundabat, adiecit, Nihil uobis minus deest, quàm de quo contenditis. Omnes autem hos affectus, etiam si quibusdam uidentur in prooemio atque in epilogo sedem habere, in quibus sanè sunt frequentissimi, tamen aliæ quoque partes recipiunt, sed breuiores, ut cum ex his plurima sint reseruanda. At hic, si usquam, totos eloquentiæ aperire fontes licet. Nam ex his, si bene diximus reliqua, possidemus iam iudicum animos: & confragosis atque asperis euecti, tota pandere possumus uela: & cum sit maxima pars epilogi amplificatio, uerbis atque sententijs uti licet magnificis, atque ornatis. Tunc est commouendum theatrum, quum uentum est ad ipsum illud, quo ueteres tragœdiæ comœdiæque clauduntur, Plaudite. In alijs autem partibus tractandus affectus erit ut quisque nascetur. Nam neque exponi sine hoc res atroces & miserabiles debent. Cũ de qualitate alicuius rei quæstio est, probationibus uniuscuiusque rei rectè subiungitur. Vbi uero coniunctam ex pluribus caussam agimus, etiam necesse erit uti pluribus quasi epilogis: ut in Verrem Cicero fecit. Nam & Philodamo, & Nauarchis, & cruciatis ciuibus Romanis, & alijs plurimis suas lachrymas dedit. Sunt qui hos μερικὰς ἀνακεφαλαιώσεις uocent, quo partitam perorationem significant. Mihi non tam partes eius quàm species uidentur. Siquidem hæc epilogi & perorationis nomina ipsa apertè satis ostendunt hanc esse consummationem orationis.

Inuocatio. Prostratio.

Affectus in priuatis caussis.

Vide Chiliades.

Scenica gesticulatio ridicula & odiosa.

Cera cada uer simulerant infusum.

Pro Cluen.

Vires metiendæ.

Miseratio quomodo discutiẽda.

Leniores epilogi.

Affectus etiã per totam oratio nem spargendi, sed in epilogi maximè dominantur.

Vbi affecti bus utendum.

Act. 3. & 7.

MOSELLANI.

SEquebatur] In numeratione partium orationis. Rebus] Resumendis, repetendis. ἀνακεφαλαίωσις] Siquidem κεφαλὴ Græcis in caput significat, & cuiusque rei summã. Hinc uerbum κεφαλαιόω, quod significat in capita & summas colligo. nã ἀνά rursum & retro significat. Intellige ergo etiam Græci nominis ratione, per caussæ totius summas & capita decurrendum in peroratione uel peroranti, non etiam immorandam singulis repetendis. Alioqui] Nisi hoc feceris. Impotentem] Id est potentem qui abutatur sua potentia. Inuisum] Qui omnium inuidiæ subiacet, & per hoc ostendit infamiæ fore iudicibus absolutionem Vatinij. Iudiciorum] Quibus hactenus ab

solutis

solutus esset Verres. Singula] scilicet dicta sparsim in oratione. Turba] hoc est cum aceruatim & indigeste oculis iudicis quæque caussæ capita subiicit in peroratione. Epilogi] ἐπίλογος græcis sonat collectionem cum delectu. Siquidem deriuatur à uerbo ἐπιλέγω, quod significat eligo. Monet ergo ex uocabuli quoque ratione, ex toto orationis corpore summas tantummodo, & capita rerum, & uelut ordines in peroratione colligere, quæ si animo conciptat iudex nihil periculi sit etiam si alia forsan exciderint. Summa] Caput artis. Atrocitas] Grauitas. Anfractus] Posset legi pro aufractus tractatus: simplicius enim esset, & Fabio magis dignum. Demosthenes] In oratione qua pro se in Midiam dixit. Ser. Sulpitius] Orator & Iurisperitus, cui M. Cicero de claris Oratoribus iuris ciuilis scientiæ palmam tribuit, quique, ut idem testatur, in secunda arte, hoc est Iurisperitorum literis, maluit esse primus, quàm in prima arte, hoc est eloquentia, secundus, quare obiter & præter professum eloquentiam tractauit. Hoc] genere commendationis. Asinius] Gallus. Ex personis] Cum Orator assumit sibi personam litigatorum. Portione] Mutuo quodam respectu inter duo: ut quemadmodum sese habent quinque ad decem, sic decem ad uiginti. Impetu] Principio & initio affectus. Frigescere] Immorando. Descendit] cui aliquid detrahitur in progressu.

ARGVMENTVM.

Qui in affectibus mouendis fieri oporteret, ea cutus, hoc capite quo id modo consequi possimus ostēdit. Primum omnium affectum commouendorum laudes simpliciter & comparate prædicat, iisque eloquentiam uerè regi, & suas uires omnes diffundere demonstrat. Affectus diuidit in Pathos & Ethos, id est in concitatos & mites compositosque: quorum hi comediæ, tragœdiæ alii similes uideri possint. Quid uniusque proprium, & quomodo inter se differant, amplè docet. Nempe hos uniuscuiusq; personæ mores, & rerum omnium naturam magna cum delectatione, procul ab ira, odio & furore exprimere: illos totos circa iram, odium, metum, inuidiam, & miserationem uersari, per quæ orationis grauitas, aut atrocitas, uim rebus indignis, asperis, aut inuidiosis addat. In quibus hoc præcipuum & summum esse contendit, ut qui commouere alios uelimus, prius commoueamur: & qui lachrymas aliis excutere conamur, in fletum primum prorumpamus ipsi. Id facile fieri posse si quas græci phantasias, latini uisiones uocant, animis concipiamus, per quas rerum absentium imagines ita nobis repræsentemus, ut cernere uideamur ipsi, ut quæ in quæque re acerba accidere soleant, imaginemur, & oculis animisque subiiciamus sic enim fore ut ἐνάργεια, quam euidentiam dicimus, consequatur: quæ alios quoque non uulgariter & permoueat & perturbet.

De diuisione affectuum, & quomodo mouendi sint. Cap. II.



VANVIS autem pars hæc iudicialium caussarum sit summa, præcipueq; constet affectibus, & aliqua de his necessario dixerim, non tamen potui, ac ne debui quidem locum istum in unam speciem concludere. Quare adhuc opus superest, cum ad obtinenda quæ uolumus, potentissimum, tũ supradictis multo difficilius, mouendi iudicum animos, atque in eum quem uolumus habitum formandi, & uelut transfigurandi. Qua de re pauca, quæ postulabat hæc materia, sic attigi, ut magis quid oporteret fieri quàm quo id modo consequi possemus, ostenderem. Nunc altius omnis rei repetenda ratio est. Nam & per totam (ut diximus) caussam locus est affectibus: & eorum non simplex natura, nec in transitu tractanda, quo nihil maius afferre uis orandi potest. Nam cætera forsitan tenuis quoque & angusta ingenij uena, si modò uel doctrina uel usu sit adiuta, generare atque ad frugem aliquam perducere queat. Certè sunt, semperque fuerunt non parum multi, qui satis peritè, quæ essent probationibus utilia, reperirent: quos equidem non contemno, sed hactenus utiles credo, nequid per eos iudici sit ignotum: atque (ut dicam quod sentio) dignos, à quibus caussas diserti docerentur. Qui uerò iudicem rapere, & in quem uellet habitum animi posset perducere, quo dicto flendum & irascendum esset, rarius fuit. Atque hoc est quod dominatur in iudiciis. hæc eloquentiam regunt. Nanque argumenta plerunque nascuntur ex caussa, & pro meliore parte plura sunt semper: ut qui per hæc uicit, tantum non defuisse sibi aduocatum sciat. Vbi uero animis iudicum uis afferenda est, & ab ipsa ueri contemplatione abducenda mens, ibi proprium Oratoris opus est. Hoc non docet litigator: hoc libellis non continetur. Probationes enim efficiunt sanè ut caussam nostram meliorem esse iudices putent: affectus præstant ut etiam uelint. Sed id quia uolunt, credunt quoque. Nam cum irasci, fauere, odisse, misereri cœperint, agi iam rem suam existimant: & sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor, ita omnem inquirendæ ueritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus: æstu fertur, & uelut rapido flumini obsequitur. Ita argumenta ac testes quid egerint, pronunciatio ostendit: commotus autem ab Oratore iudex, quid sentiat, sedens adhuc atq; audiens confitetur. An cum ille, qui plerisque perorationibus petitur, fletus erumpit, non palàm dicta sententia est? Huc igitur incumbat Orator, hoc opus eius, hic labor est: sine quo cætera nuda, ieiuna infirma, ingrata sunt. adeò uelut spiritus operis huius atque animus est in affectibus. Mouendorum affectuũ laus. Amor cæcus.

Horum autem, sicut antiquitus traditum accepimus, duæ sunt species: Alteram græci πάθος uocant, quam nos uertentes rectè ac propriè affectum dicimus: Alteram ἦθος, cuius nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus: mores appellantur: atque inde pars quoque illa philosophiæ ἠθική, moralis est dicta. Sed ipsam rei naturam spectanti mihi, non tam mores significari uidentur, quàm morum quædam proprietas. nam ipsis quidem omnes habitus mentis continentur. Cautiores, uoluntatem complecti, quam nomina interpretari maluerunt. Affectus igitur hos concitatos, illos mites atque compositos esse dixerunt. in altero uehementer commotos, in altero lenes. denique hos imperare, illos persuadere. hos ad perturbationem, illos ad beneuolentiam præualere. Adiiciunt quidam peritorum πάθος temporale esse. Quod ut accidere frequentius fateor, ita nonnullas credo esse materias, quæ continuum desiderent affectum. Nec tamen minus artis aut usus hi leniores habent, uirium atque impetus non tantundem exigunt. In caussis uero etiam pluribus uersantur, immo secundum quendam intellectum in omnibus. Nam cum nisi ex illo & hoc loco nihil ab Oratore tractetur: quicquid de honestis, & utilibus, dunque faciendis & non faciendis dicitur huc uocari potest. Quidam commendationem atque excusationem propria huius officij putauerunt: nec abnuo esse ista in hac parte, sed non concedo ut sola sint: quin illud adhuc adiicio, πάθος atque ἦθος esse interim ex eadem natura, ita ut illud maius sit, hoc minus: ut amor πάθος, charitas ἦθος. Interdum diuersa inter se, sicut in epilogis. Nanque πάθος concitat, ἦθος solet mitigare. Affectuum species, Pathos, Ethos. Ethica.

Propria tamen mihi huius nominis exprimenda natura est, quatenus appellatione ipsa non satis significari uidetur. ἦθος quod intelligimus, quodque à docentibus desideramus, id erit, quod ante omnia bonitate commendabitur: non solum mite ac placidum, sed plerunque blandum & humanum, & audientibus amabile atq; iucundum: in quo exprimendo summa uirtus ea est, ut fluere omnia ex natura rerum hominumque uideantur, quò mores dicentis ex oratione pelluceant, & quodammodo agnoscantur. Quod est sine dubio inter coniunctas maximè personas, quoties perferimus, Quid propriè sit ethos, & quomodo ut in oratione eluceat, efficiendum.

perferimus, ignoscimus, satisfacimus, monemus, procul ab ira, procul ab odio. Sed tamen alia patris aduersus filiũ, tutoris aduersus pupillum, mariti aduersus uxorem moderatio est. Hi enim præ se ferunt eorum ipsorum à quibus læduntur, charitatem: neque alio modo inuisos eos faciunt, quàm quòd amare ipsi uidentur. Alia cum senex adolescentis, alia cum conuitium honestus inferioris fert. Hic enim tantùm concitari, illic etiam affici debet. Sunt & illa ex eadem natura, sed motus adhuc minoris, ueniam petere, adolescentiæ defendere amores. Nonnunquam etiam leuis alieni caloris derisus ex hac forma uenit: sed non his ex locis tantum, uerùm aliquanto magis propria sunt uirtutes simulationis, satisfaciendi, rogandi, & εἰρωνείας, quæ diuersum ei quod dicit, intellectum petit. Hinc etiam ille maior ad concitandum odium nasci affectus solet, cum hoc ipso quòd nos aduersarijs submittimus, intelligitur tacita impotentiæ exprobratio. Namque eos graues & intolerabiles id ipsum demonstrat, quod cedimus: & ignorant cupidi maledicendi aut affectatores libertatis, plus inuidiam quàm conuitium posse. nam inuidia aduersarios, conuitiũ nos inuisos facit. Ille iam penè medius affectus est, ex amoribus & ex desiderijs amicorum & necessariorum. Nam & hoc maior est, & illo minor. Non parum significanter etiam illa in scholis ἤθη dixerimus, quibus plerunque rusticos, superstitiosos, auaros, timidos secundum conditionem propositorum effingimus. Nam si ἤθη mores sunt, cum hos imitamur, & ex his ducimus orationem. Deniq; hoc omne, bonum & comem uirum poscit. Quas uirtutes cum etiam in litigatore debeat Orator, si fieri potest, approbare, utique ipse aut habeat, aut habere credatur. Sic proderit plurimum caussis, quibus ex sua bonitate faciet fidem. Nam qui dum dicit, malus uidetur, utique malè dicit. non enim uidetur iusta dicere, alioqui ἦθος uideretur. Quare ipsum etiam dicendi genus in hoc placidum debet esse ac mite. nihil superbum, nihil elatum saltem ac sublime desideret. Propriè iucundè, credibiliter dicere, sat est. Ideoq; & medius ille orationis modus maximè conuenit.

Ironia.

Inuidia.
Conuitiũ.

Diuersum est huic quod πάθος dicitur, quodq́ue nos affectum propriè uocamus: & ut proximè utriusque differentiam signem, illud comœdiæ, hoc tragœdiæ simile. Hæc pars circa iram, odium, metum, inuidiam, miserationem, ferè tota uersatur. Quæ quibus ex locis ducenda sint, & manifestum omnibus, & à nobis in ratione procemij atque epilogi dictum est. Et metum tamen duplicem intelligi uolo: quem patimur: & quem facimus. Et inuidiam: nanq; altera inuidum, altera inuidiosum facit. Hoc autem hominis, illud rei est, in quo & plus habet operis oratio. Nam quædam uidentur grauia per se, parricidium, cædes, ueneficium. quædam efficienda sunt. Id autem contingit, aut cum magnis alioqui malis grauius esse id quod passi sumus ostenditur: quale est apud Virgilium,

Pathos quomodo mouẽdum.
Metus duplex.
Inuidia duplex.
Grauia.
Aenid. 3.

O felix una ante alias Priameia uirgo,
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori -

Quàm miser enim casus Andromachæ, si comparata ei felix Polyxena? Aut cum ita exaggeramus iniuriam nostram, ut etiã quæ multo minora sunt intoleranda dicamus: Si pulsasses, defendi non poteras: uulnerasti. Sed hæc diligentius, cum ad amplificationem uenerimus, dicemus. Interim notasse contentus sum, non id solum agere affectus, ut quæ sunt ostendantur acerba ac luctuosa, sed etiam ut quæ toleranda haberi solent, grauia uideantur: ut cum in maledicto plus iniuriæ, quàm in manu: in infamia plus pœnæ dicimus, quàm in morte. Namque in hoc eloquentiæ uis est ut iudicem non ad id tantum impellat, in quod ipsa rei natura duceretur: sed aut qui non est, aut maiorem quàm est, faciat affectum. Hæc est illa quæ δείνωσις uocatur, rebus indignis, asperis, inuidiosis addens uim oratio: qua uirtute præter alios plurimum Demosthenes ualuit. Quòd si tradita mihi sequi præcepta sufficeret, satisfeceram huic parti, nihil eorum quæ legi uel didici, quod modò probabile fuit, omittendo: sed mihi in animo est, quæ latent penitus, ipsa huius loci aperire penetralia: quæ quidem non aliquo tradente sed experimento meo, ac natura ipsa duce accepi. Summa enim (quantum ego quidem sentio) circa mouendos affectus in hoc posita est, ut moueamur ipsi. Nam & luctus & iræ & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si uerba uultumq́ue tantùm, non etiam animum accommodauerimus. Quid enim aliud est caussæ, ut lugentes utique in recenti dolore disertissimè quædam exclamare uideantur, & ira nonnunquam indoctis quoque eloquentiam faciat, quàm quod illis inest uis mentis, & ueritas ipsa morum? Quare in ijs quæ uerisimilia esse uolemus, simus ipsi similes eorum qui uerè patiuntur, affectibus: & à tali animo proficiscatur oratio, qualem facere iudicem uolet. An ille dolebit, qui audiet me, qui hoc dicam, non dolentem? irascetur, si nihil ipse qui in iram concitat, idq́ue exigit, simile patietur? Siccis agenti oculis lachrymas dabit? fieri non potest. Nec incendit nisi ignis, nec madescimus nisi humore: nec res ulla dat alteri colorem, quem ipsa non habet. Primum est igitur, ut apud nos ualeant ea quæ ualere apud iudicem uolumus: afficiamurq́ue antequam afficere conemur. At quomodo fiet ut afficiamur? Neque enim sunt motus in nostra potestate. Tentabo etiam de hoc dicere. Quas φαντασίας Græci uocant, nos sanè uisiones appellemus: per quas imagines rerum absentium ita repræsentantur animo, ut eas cernere oculis, ac præsentes habere uideamur. has quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentissimus. Hunc quidam dicunt εὐφαντασίωτον, qui sibi res uoces, actus, secundum uerum optimè finget: quod quidem nobis uolentibus facilè continget. Nam ut inter otia animorum, & spes inanes, & uelut somnia quædam uigilantium ita nos hæ de quibus loquimur imagines prosequuntur, ut peregrinari, nauigare, prœliari, populos alloqui, diuitiarum quas non habemus, usum uideamur disponere nec cogitare, sed facere. hoc animi uitium ad utilitatem non transferemus? Vt hominem occisum querar: non omnia quæ in re præsenti accidisse credibile est, in oculis habebo? non percussor ille subitus erumpet? non expauescet circumuentus? exclamabit? uel rogabit? uel fugiet? non ferientem, non concidentem uidebo? non animo sanguis, & pallor, & gemitus, extremus denique expirantis hiatus insidet? Insequetur ἐνάργεια, quæ à Cicerone illustratio & euidentia nominatur: quæ non tam dicere uidetur, quàm ostendere: & affectus non aliter, quàm si rebus ipsis intersimus, sequentur. An non ex his uisionibus illa sunt,

Lib. 8.

δείνωσις.

Affectuum mouendorum summa, ut moueamur ipsi.

Motus in nobis excitãdi ratio.

De orat. 3. & Acad. quæst. li. 4.

Excussi manibus radij, reuolutaq́ue pensa? &c.
Leuique patens in pectore uulnus?
Et equus ille in funere Pallantis,
-positis qui insignibus-
It lachrymans, guttisq́ue humectat grandibus ora?
Quid? non idem poeta penitus ultimi fati cepit imaginem, ut diceret,
- Et dulceis moriens reminiscitur Argos?

Aeneid. 9. & 10.
Aenei. 11.

Vbi uero miseratione opus erit, nobis ea de quibus queri
mur, accidisse credamus, atque id animo nostro persuadeamus. Nos illi simus, quos grauia, indigna, tristia passos queramur. Nec agamus rem quasi alienam, sed assumamus

Huc refer Polum histrionem, de quo Gellius lib. 7. cap. 5.

mus parumper illum dolorem. Ita dicemus, quæ in simili nostro casu dicturi essemus. Vidi ego sæpe histriones atque comœdos, cum ex aliquo grauiore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi. Quod si in alienis scriptis sola pronunciatio ita falsis accedit affectibus, quid nos faciemus, qui illa cogitare debemus, ut moueri periclitantium uice possumus? Sed in schola rebus quoque ipsis affici conuenit, easque ueras sibi fingere, hoc magis, agimus, & naufragium, & periclitantem: quorum inducere personas quid attinet, nisi affectus assumimus? Hæc dissimulanda mihi non fuerunt, quibus ipse, quantuscunque sum, aut fui, (uam peruenisse me ad aliquod nomen ingenij credo) frequenter motus sum. ut me non lachryma solùm deprehenderint, sed pallor, & uero similis dolor.

MOELLANI.

TAbulam supra Iouem] Duplex hinc accipi poterit intellectus, quòd scilicet & ipsum Iouem tanquã facti testem subpinxerint, uel quòd depictam tabulam suprà Iouis statuam in Capitolio appenderint. Neq; enim quisquam commissurus uidetur, ut mendacii & sceleris sui deos uelut probatores inducere audeat, maximè cum Homerus grauiter planè scribat, deos ipsos ad nullum malum constanter auxiliaturos. Fuit quondam] Antequam respublica sub imperium unius uenisset.

L. Murænam) Cum uidelicet & ipse Catilina Consulatum peteret, quo magistratus prætextu per cõiurationem suam rem publicam opprimeret. Itaque ad depellendam eam à republica pestem, consultum fuerat. L. Murænam per fas ac nefas magistratum arripere. atque hanc esse huius loci summam, colligitur partim ex oratione pro L. Muræna, partim pro L. Flacco. Has tragœdias mouete] Mouere tragœdias quasi prouerbialiter usurpatur à scriptoribus, pro eo quod est affectuum uim omnem, & ingentem rerum tumultum ostendere, sumpta tralatione à miserabili tragicorum exitu, qui nunquam sine mortis comploratione terminatur, unde & grauia & ampla uerba et argumento conueniunt, id quod indicat Horatius in Arte.

Telephus & Peleus, cum pauper & exul uterque
Proiicit ampullas, & sesquipedalia uerba,

Si curat cor spectantis tetigisse querela. Imperitia] Inelegantia. Rigor] Inhabilitas. Deformitas] Dedecus. Afferunt] Perorationi. Fratris] Recusantis. Frigidissimè] Magno omnium risu. Hæc] tolerabilia hactenus uitia recensuimus. Inde est enim illud] Peruulgatũ. Qualitate] Aestimatione. Nauarchis] Principibus nautarum. Philodamo] Ciue Syracusano. Cruciatis ciuibus] in medio foro. μερικοὺς] Partiales perorationes.

ARGVMENTVM.

Risus excitati uim, excitandi difficultatem, difficultatis caussas, unde facultas eius, quàm uariè nominetur, quo loco, quibus eius speciebus, & quomodo utendum, quis eius modus, & quæ oratori in risu cauenda, quomodo diuidatur, unde petatur, & ex quibus locis, & quid urbanitas sit, hoc capite tradit. Vim habere docet ad affectus tristes soluendos, exemplo iuuenum Tarentinorum, qui Pyrrhum risu placarunt, ad aduertendum ab intentione, ad reficiendum, & renouandum. Difficultatem eius mouendi ex eo colligit, quòd Demosthenes & Cicero eo in genere perfecti esse non potuerunt, cum hic in eo nimius, ille procul ab excitandis risus facultate abfuerit. Caussas difficultatis has esse contendit, quia risus plerunque sit anceps ratio, propter uaria hominum iudicia, qui non ratione aliqua de dictis ridiculis iudicent, sed quodam animi latente motu, quod etiam salse dicta, parum sint honorifica, quodque eius rei nulla sit exercitatio, nulli præceptores. Facultatem risus excitandi in natura esse & occasione positam, non in arte quantus eius rei nonnulla obseruatio sit, & præcepta tradita. Ridiculi hæc nomina tradit, urbanum, cui rusticum opponitur, uenustum, salsum, facetum, iocosum, dicax: & quid quodque significet, explicat. His quo quis loco utatur, & quomodo, apud quem, ex qua caussa, plurimũ referre affirmat, cum alijs in conuictu & sermone quotidiano sit utendum, alijs in pugna forensi: ubi oratori cauenda hæc monet, uultum gestumque distortum, dicacitatem scurrilem, & scenicam obscœnitatem, affectationem & captationem ridiculi, iocum in atroci caussa aut miserabilis, dictum petulans, superbum, loco & tempori alienum: præparatum, domo allatum, quod in plures conuenit, & multorum studia labefactat. Ridiculum diuidit, ut sit aliud in rebus aut factis, aliud in uerbis seu dictis, quibus tertium genus adiicit, quod in decipiendis expectationibus dictisq; aliter accipiendis uersetur, quod è medijs rebus uocat, in quibus risum petamus uel ex nobis, uel ex alijs. Ex alijs reprehendendo, refutando, eleuando, repercutiendo, eludendo. Ex nobis, nostra ridicula indicando, & aliqua subabsurda, non quidem per imprudentiam, sed per simulationem, per quam uenustissima futura sunt. In his risum cõciliari ostendit aut ex corpore, aut ex animo, aut ex iis quæ extrà sunt posita, tribus modis: uel ex ostendendo, & sub oculos subiiciendo, uel narratione explicando, uel dicto notando: quæ singula subiectis exemplis manifesta facit. Ex quibus locis petatur risus, infinitum esse ait, ut tamen confusionem tollat, ex his peti tradit, ex locis argumentorum, ex tropis, ex figuris dictionum & sententiarum, quorum omnium species dinumerat. Ridiculum ex uerbis, quibus modis uenustè fiat, quatenus amphibolias & ænigmata recipiat, primum exequitur. Hinc quæ ex ui rerum fiant multo acriora & elegantiora tractat, quorum usum exemplis è figuris sententiarum, tropis & locis argumentorum, latissimè docet. His perfectis tertium propositæ diuisionis membrum aggreditur, quod medium inter res & uerba uocauit, & ad decipiendas expectationes, uel dicta aliter intelligenda accommodatum esse dixit, & omnium longè uenustissimum, quod per inopinatum fiat occurrendo, simulando, dissimulando, ambiguum aliquid ponendo, aliena aut sua fingendo, contra simulantem simulando. Inter quæ leuia ridicula iucundissima esse contendit, quæ urbana dici debeant. Postremò quibus urbanitas adiuuetur, & quid sit, contra Domitium Marsum definit, nempe Latinis uirtutem esse, qua nihil absonium, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque uerbis, neque ore, gestu've possit deprehendi, qualis Græcis atticismos fuit.

De risu. Cap. III. et IV

HVIC diuersa uirtus, quæ risum iudicis mouendo, & illos tristes soluit affectus, & animum ab intentione rerum frequenter auertit, & aliquando etiam reficit, & à satietate uel à fatigatione renouat. Risus soluit affectus

Quanta sit autem in ea difficultas, uel duo maximi oratores, alter Græcæ, alter Latinæ eloquentiæ principes, docent. Nam plerique Demostheni facultatem huius rei defuisse credunt, Ciceroni modum. Nec uideri potest noluisse Demosthenes, cuius pauca admodum dicta, nec sanè cæteris eius uirtutibus respondentia, palàm ostendunt non displicuisse illi iocos, sed non contigisse. Noster uerò non solum extra iudicia, sed in ipsis etiam orationibus habitus est nimius risus affectator. Mihi quidem, siue id rectè iudico, siue amore immodico præcipui in eloquentia nutu laboro, mira quædam uidetur in eo fuisse urbanitas. Nam & in sermone quotidiano multa, & in altercationibus, & interrogandis testibus plura quàm quisquam dixit facetè: & illa ipsa quæ sunt in Verrem dicta frigidius, alijs assignauit, & testimonij loco posuit: ut quo sunt magis uulgaria, eo sit credibilius illa ab Oratore non ficta, sed passim esse iactata. Vtinam Quintus, & libertus eius Tyro, aut alius quisquis fuit qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsissent, & plus iudicij in eligendis quàm in congerendis studij adhibuissent: minus obiectis calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, ut in omni eius ingenio, facilius quid reijci, quàm quid adijci possit, inuenient. Affert autem summam rei difficultatem primùm, quòd ridiculum dictum plerunque falsum est, hoc semper humile, sæpe ex industria deprauatum: præterea nunquam honorificum: tum uaria hominum iudicia in eo, quia non ratione aliqua, sed motu quodam, nescio an enarrabili, iudicatur. Neque hoc ab ullo satis explicari puto, licet multi tentauerint. Vnde risus quidem non solùm facto aliquo dicto've, sed interdum quodam etiam corporis tactu*

Risus spè mouendi difficultas.

Vrbanitas Ciceronis.

Act. 3.

* Vtinãq; libertus eius. Macro. Sat. 2. ca. 1.

Difficultatis caussæ.

tactu lacessitur. Præterea non una ratione moueri solet. Neque enim acutè tantum ac uenustè, sed stultè, iracundè, timidè dicta aut facta ridentur. Ideoq; anceps eius rei ratio est, quòd à derisu non procul abest risus. Habet enim, ut Cicero dicit sedem in deformitate aliqua & turpitudine. Quæ cum in alijs demonstrantur, urbanitas: cum in ipsum dicentem recidunt, stultitia uocatur. Cum uideatur autem res leuis, & quæ à scurris, mimis, insipientibus denique sæpe moueatur, tamen habet uim nescio an imperiosissimam, & cui repugnari minimè potest. Erumpit enim etiam inuitis sæpe, nec fultus ope: nec uultus modò ac uocis exprimit cōfessionem, sed totum corpus ui sua concutit. Rerum autem sæpe (ut dixi) maximarum momenta uertit, cum odium iramque frequentissimè frangat. Documento sunt iuuenes Tarentini qui multa de Pyrrho rege secutius inter cœnam locuti, cum rationem facti reposcerentur & neque negari res, neque defendi posset, risu sunt & opportuno ioco elapsi. Nanque unus ex his, Immo, inquit, nisi lagena defecisset, occidissemus te. Eaque urbanitate tota est inuidia criminis dissoluta. Verùm hoc quicquid est, ut non ausim dicere carere omnino arte, quia nonnullam obseruationem habet, suntque ad id pertinentia & à Græcis & à Latinis composita præcepta: ita planè affirmo præcipuè positum esse in natura & occasione. Porro natura non tantùm in hoc ualet, ut acutior quis atque habilior sit ad inueniendum: nam id sanè doctrina posset augeri: sed inest proprius quibusdam decor in habitu atque uultu, ut eadem illa minus dicente alio uideantur urbana esse. Occasioni uero & in rebus est tanta uis, ut sæpe adiuti ea non indocti modò, sed etiam rustici salsè dicant in eum quisquis aliquid dixerit prior. Sunt enim longè uenustiora omnia in respondendo, quàm in prouocando. Accedit difficultati, quod eius rei nulla exercitatio est, nulli præceptores. Utique in conuiuijs & sermonibus multi dicaces: sed quia in hoc usu quotidiano proficimus, oratoria urbanitas rara nec ex arte propria, sed ad hanc consuetudinem accommodata. Nihil autem uetabat & componi materias in hoc idoneas, ut controuersiæ permistis salibus fingerentur: uel res proponi singulas ad iuuenum talem exercitationem. Quin illę ipsæ, quæ dictæ sunt, ac uocantur, quas certis diebus festæ licentiæ dicere solebamus, si paulùm adhibita ratione fingerentur, aut aliquid in his serium quoque esset admistum, plurimum poterunt utilitatis afferre: quæ nunc iuuenum, uel sibi ludentium exercitatio est. Pluribus autem nominibus in eadem re uulgo utimur: quæ tamen si diduceas, suam propriam quandam uim ostendent. Nam & urbanitas dicitur: qua quidem significari uideo sermonem præ se ferentem in uerbis & sono & usu proprium quendam gustum urbis, & sumptam ex conuersatione doctorum tacitam eruditionem: denique cui contraria sit rusticitas. Venustum esse, quod cum gratia quadam & uenere dicatur, apparet. Salsum in consuetudine pro ridiculo tantùm accipimus: natura non utique hoc est: quanquam & ridicula oporteat esse salsa. Nam & Cicero, omne quod salsum sit, ait esse Atticorum: non quia sunt maximè ad risum cōpositi: & Catullus cū dicit,

Nulla in tam magno est corpore mica salis,

hoc dicit, nihil in corpore eius esse ridiculum. Salsum igitur erit, quod non erit insulsum, uelut quoddam simplex orationis condimentum, quod sentitur latente iudicio uelut palato, excitatque & à tædio defendit orationem. Sanè tamen ut ille in cibis paulo liberalius aspersus sit tamen non sit immodicus, affert aliquid propriæ uoluptatis: ita hi quoque in dicendo habent quiddam quod nobis faciat audiendi sitim. Facetum quoque non tantum circa ridicula opinor consistere. Neque enim diceret Horatius facetum carminis genus natura concessum esse Virgilio. Decoris hanc magis, & excultæ cuiusdam elegantiæ appellationem puto. Ideoque in epistolis Cicero hæc Bruti refert uerba, Næ illi sunt pedes faceti, ac delicijs ingredienti molles. Quod conuenit cum illo Horatiano,

—Molle atque facetum Virgilio.

Iocum uero accepimus, quod est contrarium serio. Nā & fingere, & terrere, & promittere interim, iocus est. Dicacitas sine dubio à dicendo, quod est omni generi commune, ducta est: propriè tamen significat sermonem cum risu aliquo incessentem. Ideo Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant. Proprium autem materiæ de qua nunc loquimur, est ridiculum. Ideoque hæc tota disputatio à Græcis περὶ γελοίου inscribitur. Eius prima diuisio traditur eadem quæ est omnis orationis, ut sit positum in rebus, aut in uerbis. Usus autem maximè simplex. Aut enim ex alijs risum petimus, aut ex nobis, aut ex rebus medijs. Aliena aut reprehendimus, aut refutamus, aut eleuamus, aut repercutimus, aut eludimus. Nostra, ridicula indicamus, & ut uerbo Ciceronis utar, dicimus aliqua subabsurda. Nanque eadem quæ si imprudentibus excidant, stulta sunt: si simulamus, uenusta creduntur. Tertium est genus, ut idem dicit, in decipiendis expectationibus, dictis aliter accipiendis, cæterisque quæ neutram personam contingunt, ideoque à me media dicuntur. Item ridicula aut facimus, aut dicimus. Facto risus conciliatur interim admista grauitate: ut Marcus Cælius Prætor, cum sellam eius curulem Consul Isauricus fregisset, alteram posuit loris intentatam. dicebatur autem Cos. à patre aliquando cæsus flagris. Interim sine respectu pudoris, ut in illa pyxi de Cæliana. quod neque oratori, neque ulli graui uiro conueniat. Idem autem de uultu gestuque ridiculo dictum sit: in quibus est quidem summa gratia, sed maior cum captare risum non uidentur. Nihil enim ex ijs quæ dicuntur salsa dicitur salsius. Quanquam autem gratiam plurimum dictis seueritas affert, fitq; ridiculum id ipsum, quia qui dicit, non ridet: est tamen interim & aspectus & habitus oris & gestus non inurbanus, cum ijs modus contingit, id porro quod dicitur, aut est lasciuum & hilare, qualia Galbæ pleraque: aut contumeliosum, qualia nuper Iunij Bassi: aut asperum, qualia Cassij Seueri: aut lene, qualia Domitij Afri. Refert, his ubi quis utatur. Nam in conuiuijs & quotidiano sermone lasciua humilibus, hilaria omnibus conueniunt. Lædere nunquam uelimus, longeque absit propositum illud, Potius amicum quàm dictum perdidi. In hac quidem pugna forensi malim mihi lenibus * interdicere: quanquam & contumeliosè & asperè dicere in aduersarios permissum est: cum accusare etiam palàm, & caput alterius iustè petere concessum sit. Sed hic quoque tamen inhumana uideri solet fortunæ insectatio uel quia culpa caret, uel quia recidere etiam in ipsos qui obiecerunt, potest. Primùm itaque considerandum est, & à quo, & in qua caussa, & apud quem, & in quem, & quid dicat. Oratori minimè conuenit distortus uultus, gestusque, quæ in mimis rideri solent. Dicacitas etiam scurrilis & scenica huic personæ alienissima est. Obscœnitas uero nō à uerbis tantùm abesse debet, sed etiam à significatione: Nam si quando obijci potest, non in omni loco exprobranda est. Oratorem præterea ut dicere urbanè uolo, ita uideri affectare id, planè nolo. Quapropter ne dicet quidem salsè quoties poterit, & dictum potius aliquando perdet, quàm minuet authoritatem. Nec accusatorem autem atroci

2. de Orat. Vrbanitas. Stultitia. Risus uis. Val. lib. 7. cap. 1. Natura quid ad risum ualet. Occasio. Dicta. Ridiculi nomina uaria. Vrbanitas. Rusticitas. Venustum. Salsum. 2. de Orat. In epigrā.

Facetum. Ser. 1. Sat. 10. Iocus. Dicacitas. Summa ridiculi diuisio. 2. de Orat. Facto ridiculo risus cōciliatur. Pro Cęlio. Dicta ridicula. Vbi, quibus & quomodo utendū sit. * nec licere. Oratori in risu quę cauenda, & quis modus seruādus.

atroci in caussa nec patronum in miserabili iocantem feret quisquam. Sunt etiam iudices quidam tristiores, quàm ut risum libenter patiantur. Solet interim accidere, ut id quod in aduersarium dicimus, aut in iudicem conueniat, aut in nostrum quoque litigatorem: quanquam aliqui reperiuntur qui ne id quidem quod in ipsos recidere possit, euitent: quod fecit Longus Sulpitius, qui cum ipse fœdissimus esset, cum contrà quem iudicio liberali aderat, ne faciem quidem habere liberi hominis dixit: cui respondens Domitius Afer, Et tu, inquit, ex animi sententia Longe? qui malam faciem habet, liber non est? Vitandum etiam, ne petulans, ne superbum, ne loco ne tempori alienum, ne præparatum & domo allatum uideatur quod dicimus. Nam aduersus miseros, sicut suprà dixeram, inhumanus est iocus. Sed quidam ita sunt receptæ authoritatis, & notæ uerecundiæ, ut nocitura sit in eos dicendi petulantia. Nam de amicis iam præceptum est. Illud non ad orandi ferè consilium, sed ad omnia pertinet, ne lacessat hoc modo quem lædere sit periculosum, ne aut inimicitiæ graues insequantur, aut turpis satisfactio. Male etiam dicitur, quod in plures conuenit, si aut nationes totæ incessantur, aut ordines, aut conditio aut studia multorum. Ea quæ dicit uir bonus, omnia salua dignitate ac uerecundia decent. Nimiũ enim risus precium est, si probitatis impendio constat. Vnde autem concilietur risus, & quibus ex locis peti soleat, difficillimum est dicere. Nam si species omnes persequi uelimus, nec modum reperiemus, & frustra laborabimus. Neque enim numerosi minus sunt loci ex quibus hæc dicta, quàm illi ex quibus ea quas sententias uocamus, ducuntur neque alij. Nam hic quoque est inuentio & elocutio, atq; ipsius locutionis uis, alia in uerbis, alia in figuris. Risus igitur oriuntur aut ex corpore eius in quem dicimus: aut ex animo, qui factis ab eo dictisque colligitur, aut ex his quæ sunt extra posita. Intra hæc enim est omnis uituperatio: quæ si grauius posita sit, seria est: si leuius, ridicula. Hæc aut ostenduntur, aut narrantur, aut dicto notantur. Rarum est autem, ut oculis subijcere contingat, ut fecit

Ostensio. 2. de Ora. * Crassus, habet Plinius lib. 35 cap 4.

C. Iulius, * qui cum Helmio Manciæ sæpius obstrepenti sibi diceret, Iam ostendam qualis sis: isque planè instaret interrogatione, qualem se tandem ostensurus esset, digito demonstrauit imaginem galli in scuto Mariano Cimbrico pictam, cui Mancia tum simillimus est uisus. Tabernæ autem erant circa forum, ac scutum illud signi gratia positum.

Narratio.

Narrare quæ salsa sint, in primis est subtile, & oratorium: ut Cicero pro Cluentio narrat de Cepasio atq; Fabritio: ac Marcus Cælius de illa C. Lelij collegaq; eius in prouinciam festinantium contentione. Sed in his omnibus cum elegans & uenusta exigitur tota expositio, tum id est festiuissimum, quod adijcit Orator. Nam & à Cicerone sic est Fabritij fuga illa condita. Itaque cum callidissimè se putaret dicere, & cum illa uerba grauissima ex intimo artificio deprompsisset: Respicite Iudices hominum fortunas, respicite uarios durosque casus, respicite C. Fabritij senectutem: cũ hoc respicite, ornandæ orationis caussa sæpe dixisset, respexit ipse: at Fabritius à subsellijs demisso capite discesserat, & cætera quæ adiecit: nam est notus locus: cum iure hoc solum esset, Fabritium à iudicio recessisse. Et Cælius cum omnia uenustissimè finxit, tum illud ultimum sic subsecutus: Quomodo transierit, utrum rate, an piscatorio nauigio, nemo sciebat. Siculi quidem, ut sunt lasciui & dicaces, aiebant in Delphino sedisse, & sic tanquam Ariona transuectum. In narrando autem Cicero consistere facetias putat, dicacitatem in iacendo. Mirè fuit in hoc genere uenustus Afer Domitius, cuius oratio

Pro Clu.

Domitius Afer.

nibus complures huiusmodi narrationis insertæ reperiuntur: sed dictorum quoque ab eodem urbanè, sunt editi libri. Illud quoque genus est positum non in hac ueluti iaculatione uerborum, & inclusa breuiter urbanitate, sed in quodam longiore actu: quod de Crasso contra Brutum Cicero in secundo de oratore libro, & alijs quibusdam locis narrat. Nam cum Brutus in accusatione Cn. Planci, ex duobus lectoribus ostendisset contraria L. Crassum patronum eius in oratione quàm de Colonia Narbonensi habuerit, suasisse ijs quæ de lege Seruilia dixerat, tres excitauit & ipse lectores, hisq; patris eius dialogos dedit legendos: quorum cum in Priuernati unus, alter in Albano tertius in Tiburti sermonem habitum complecteretur, requirebat ubi essent eæ possessiones. Omneis autem illas Brutus uendiderat: & cum paterna manciparet prædia, turpis habebatur. Similis in apologis quoque, & quibusdam etiam interim historijs exponendis gratia consequi solet. Sed acutior est illa atque uelocior in urbanitate breuitas. Cuius quidem duplex est forma, dicendi, ac respondendi: sed ratio communis in parte. Nihil enim in lacessendo dici potest, quod non etiam in repercutiendo. At propria quædã sunt respondentium: illa etiam ira concitatis afferre solent: hæc plerunque in altercatione, aut in rogandis testibus requiruntur. Cum sint autem loci plures ex quibus dicta ridicula ducantur, repetendum est mihi, non omneis eos oratoribus conuenire. In primis autem ex amphibolia, neque illa obscura, quæ Asellanæ more captent, nec qualia uulgo iactantur à uilissimo quoque, conuersa in maledictum ferè ambiguitate. Ne illa quidem, quæ Ciceroni aliquando, sed non in agendo, exciderint, ut dixi, cum is candidatus qui coqui filius habebatur, coram eo suffragium ab alio peteret, Ego quoque tibi iure fauebo. Non quia excludenda sint omnino uerba duos sensus significantia, sed quia rarò belle respondeant nisi cum prorsus rebus ipsis adiuuantur. Quare non hoc modo penè & ipsum scurrile Ciceronis est in eundem, de quo supra dixi, Isauricum, Miror quid sit quòd pater tuus homo constantissimus te nobis uarium reliquit: sed illud ex eodem genere præclarum, cum obijceret Miloni accusator in argumentum factarum Clodio insidiarum quòd Bouillas ante horam nonam diuertisset, ut expectaret dum Clodius à uilla sua exiret, & identidem interrogaret quo tempore Clodius occisus esset, respondit, Sero. Quod uel solum sufficit, ut hoc genus non totum repudietur. Nec plura modò significari solent, sed etiam diuersa: ut Nero de seruo pessimo dixit, Nulli apud se plus fidei haberi nihil ei neque occlusum neque obsignatum esse. Peruenit res usque ad ænigma: quale est Ciceronis in Pletorium Fonteij accusatorem, cuius matrem dixit dum uixisset, ludum: postquam mortua esset, magistros habuisse. Dicebantur autem, dum uixit, infames fœminæ ad eam cõuenire solitæ: post mortem eius bona ueníbant. quanquam hic ludus per translationem dictus est, magistri per ambiguitatem. In metalapsin quoque cadit ratio dictorum: ut Fabius maximus incusans Augusti congiariorum quæ amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit. Nam congiarium cum sit commune liberalitatis atque mensuræ, à mensura, ducta immutatio est rerum. Et hæc tam frigida, quàm est nominum fictio, adiectis, detractis, mutatis literis: ut Acisculum, quia esset pactus, Pacisculum: & Placidum nomine, quia is acerbus natura esset, Acidum: & Tullium, cum fur esset, Tollium, dictos inuenio. Sed hæc eadem genera commodius in rebus quàm in nominibus respondent. Afer enim uenuste Manlium Suram multum in agendo discursantem, salientem, manus iactantem, togam

Ridiculorum libri.

Notatio cuius duplex forma.

Ridiculum quatenus ex uerbis petendũ. Amphibolia.

Vide Donatum in Adelphos Terent.

Aenigmatica.

Metalepsica. Cõgiariũ. Adiectis, detractis, & mutatis literis.

gam deijcientem & reponentem, non agere dixit: sed satagere. Est enim dictum per se urbanum, satagere, etiam si nulla subsit alterius uerbi similitudo. Fiant & detracta & adiecta aspiratione, & binis coniunctis uerbis similiter sæpius frigida, aliquando tamen recipienda. Eademque conditio est in ijs quæ à nominibus trahuntur. Multa ex hoc Cicero in Verrem, sed ut ab alijs dicta: modo futurum ut omnia uerreret, cum diceretur Verres: modò Herculi quẽ expilauerat, molestiorem apro Erymanthio fuisse: modò malum Sacerdotem, qui tam nequam uerrem reliquisset: quia Sacerdoti Verres successerat. Præbet tamen aliquando occasionem quædam fœlicitas hoc quoque genere bene utendi: ut pro Cecinna Cicero in testem Sex. Clodium Phormionem, Nec minus niger, inquit, nec minus confidẽs quàm ille Terentianus est Phormio. Acriora igitur sunt & elegantiora, quæ trahuntur ex ui rerum. In his maxime ualet similitudo, si tamen ad aliquid inferius leuiusque referatur: qua iam ueteres illi iocabantur, qui Lentulum Spintherem, & Scipionem Serapionẽ esse dixerunt. Sed ea non ab hominibus modo petitur, uerumetiam ab animalibus: ut nobis pueris Iunius Bassus, homo in primis dicax, Asinus albus uocabatur. Et Sarmentus seu Publius Blessus Iunium hominem nigrum & macrũ & pandum, fibulam ferream dixit. Quod nunc risus petendi genus frequentissimum est. Adhibetur autem similitudo interim palàm, interim inseri solet parabolæ: cuius est generis id Augusti, qui militi libellum timidè porrigenti, Noli, inquit, dubitare tanquam assem elephantodes. Sunt quædam etiam uerisimilia: unde Vatinius, cum reus agente in eum Caluo, candido frontem sudario tergeret, idque ipsum accusator in inuidiam uocaret: Quanuis reus sum, inquit, & panem candidum edo. Adhuc est subtilior illa ex simili translatio, cũ quod in alia re fieri solet, in aliam mutuamur. Ea dicatur sanè fictitius Chrysippus, cũ in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, & post dies paucos Fabij Maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit. Et Pedo de Mirmillone qui Retiarium consequebatur, nec feriebat, Viuum, inquit, capere uult. Iungitur amphibolię similitudo: ut L. Galba pilam negligenter petenti, Sic, inquit, petis tanquam Cæsaris candidatus. Nã illud petis, ambiguum est, securitas similis. Quod hactenus ostendisse satis est. Cæterum frequentissima aliorum generum cum alijs mistura est: eaque optima, quæ ex pluribus constat. Eadem dissimilium ratio est. Hinc eques Romanus, ad quem in spectaculis bibentem cum misisset Augustus qui ei diceret, Ego si prandere uolo, domum eo: Tu enim, inquit, non times ne locum perdas. Ex contrario nõ una species. Neq; enim eodem modo dixit Augustus præfecto quẽ ignominia notabat subinde interponẽti precibus. Quid respondebo patri meo? Dic me tibi displicuisse: quo Galba penulam roganti, Non possum commodare: domi maneo: cum cœnaculum eius perplueret. Tertium adhuc illud (siquidem ut ne auctorem ponam, uerecundia ipsius facit) Libidinosior es, quàm ullus spado: quo sine dubio & opinio decipitur, sed ex contrario. Et hoc ex eodem loco est sed nulli priorum simile, quod dixit Marcus Vestinus cum ei nunciatum esset, * aliquando desinet putere. Onerabo librum exemplis, similemque ijs qui risus gratia componuntur, efficiam, si persequi uoluero singula ueterum.

Ex omnibus argumentorum locis eadem occasio est. Nam & finitione usus est Augustus de Pantomimis duobus, qui alternis gestibus contendebant, cum eorum alterum saltatorem dixit, alterum interpellatorem. Et partitione Galba, cum penulam roganti respondit, Non pluit, non est opus tibi, si pluit, ipse utar. Proinde genere, specie, proprijs, differentibus, iugatis, adiunctis, consequentibus, antecedentibus, repugnantibus, caussis, effectis, comparatione parium, maiorum, minorum, similis materia præbetur. Sicut in tropos quoque omneis cadunt. An non plurima καθ' ὑπερβολὴν dicuntur? quale refert Cicero de Memmio homine prælongo, caput eum ad fornicem Fabij offendisse. Et quod P. Oppius dixit de genere Lentulorum cum assiduè minores parentibus liberi essent in nascendo, decrescere genus Lentulorum. Interim utrunque. Quid ironia? nonne etiam quæ sit uerissima, ioci propè genus est? Qua urbane usus est Afer, cum Didio Gallo, qui prouinciam ambitiosissimè petierat, deinde impetrata ea tanquã coactus querebatur, Age, inquit, aliquid, & Reipublicæ caussa elabora. Quaque Cicero usus est, cum Vatinij morte nunciata, cuius parum certus dicebatur author, Interim, inquit, usura fruar. Idem per allegoriam M. Cœlium melius obijcientem crimina quàm defendentem, Boná dextram, malam sinistram habere dicebat. Emphasi Liuius dixit ferro cotem Accium Nanium incidisse. Figuras quoque mentis, quæ σχήματα διανοίας dicuntur, res eadem recipit omneis, in quas nonnulli diuiserunt species dictorum. Nam & interrogamus, & dubitamus, & affirmamus, & minamur, & optamus. Quædam ut miserantes, & quædam ut irascentes dicimus. Ridiculum est autem omne quod apertè fingitur. Stulta reprehendere facillimum est: nam per se sunt ridicula. Sed rem urbanam facit aliqua ex nobis adiectio. Stultè interrogauerat exeuntem de theatro Carpathium Titius Maximus, an spectasset: fecit Carpathius dubitationem eius stultiorem dicendo, Non, sed in orchestra pila lusi. Refutatio cum sit in negando, redarguendo, defendendo, eleuando, ridicule negauit Manius Curius. Nam cum eius accusator, in Sipario omnibus locis aut nudum eum in neruo, aut ab amicis redemptum ex alea, pinxisset, Ergo ego (inquit) nunquam uici. Redarguimus interim apertè, ut Cicero Vibiũ Curium multum de annis ætatis suæ mentientem: Tum ergo cum unà declamabamus, non eras natus. Interim & simulata assensione, ut idem Fabiæ Dolabellæ dicenti triginta se annos habere, Verum est, inquit: nam hoc iam uiginti annis audio. Belle interim subijcitur pro eo quod neges, aliud mordacius, ut Iunius Bassus quærente Domitia Passieni, quòd incusans eius sordes, calceos eam ueteres diceret uendere solere: Non mehercule, inquit, hoc unquam dixi, sed emere te solere. Defensionem imitatus est eques Romanus, qui obijcienti Augusto quòd patrimonium comedisset. Meum, inquit, putaui. Eleuandi ratio est duplex, ut aut ueniam quis, aut iactantiam minuat: quemadmodum C. Cæsar Pomponio ostendenti uulnus ore exceptum in seditione Sulpitiana, quod ipse se passum pro Cæsare pugnantem gloriabatur, Nunquam fugiẽs respexeris, inquit. Aut crimen, obiectũ, ut Cicero obiurgantibus quòd sexagenarius Popiliam uirginem duxisset, Cras mulier erit, inquit. Hoc genus dicti, consequens uocant quidam, atq; illi simile, quo Cicero Curionem semper ab excusatione ætatis incipientem, facilius quotidie procemium habere dixit: quia ista natura sequi & cohærere uideantur. Sed eleuandi genus est etiam caussarum relatio, qua Cicero est usus in Vatinium, qui pedibus æger, cum uellet uideri cõmodioris ualetudinis factus, & diceret se iam bina millia passuum ambulare: Dies enim, inquit, longiores sunt. Et Augustus nuncianti-bus Tarraconensibus palmam in ara eius enatam, Apparet, inquit, quàm sæpe accendatis. Transtulit crimen Cassius Seuerus. Nam cum obiurgaretur à Prætore, quòd ad

nocati

Satagere. Ad. 6. Ridiculũ ex rebus. Similitudo. Plin. lib. 7. cap 12. Val. lib. 9. titu. 15. Cic. ad Attic. lib. 6. Translatio ex simili. Similitudo iuncta amphiboliæ. * Deest hic aliqd. Ex argumẽtorum locis. Ex tropis. 2. de Orat. Ironia. Allegoria. Emphasi. Ex figuris sententiarum. Ridiculũ in respondendo. Refutatio. Redargutio. Defensio. Eleuatio.

uocati eius L. Varo Epicureo Cæsaris amico conuitium fecissent, Nescio, inquit, qui conuitiati sint: & puto Stoico fuisse.

Repercussio.

Repercutiendi multa sunt genera: uenustissimum, quod etiam similitudine aliqua uerbi adiuuatur: ut Trachallus dicenti Suellio, Si hoc ita est, is in exilium: si non est ita, redij, inquit.

Elusio:

Elusit Cassius Seuerus obijciente quodam quòd ei domo sua Proculeius interdixisset, respondendo, Nunquid ego illuc accedo? Sic eluditur & ridiculum ridiculo: ut diuus Augustus, cum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent, & Dolabella per iocū, tentans tamen ioci sui euentum, dixisset, Imperator, torque me dona: Malo te, inquit, ciuica donare. Mendacium quoq; mendacio: ut Galba dicente quodam, Victoriato se uno in Sicilia quinq; pedes longam murænam emisse: Nihil, inquit, mirum: nam ibi tam longe nascuntur, ut ijs piscatores pro restibus utantur.

Confessionis simulatio.

Contraria est neganti confessionis simulatio, sed ipsa quoque multum habet urbanitatis. Sic Afer cum ageret contra libertum Claudij Cæsaris, & ex diuerso quidā conditionis eiusdem cuius erat litigator, exclamasset, Præterea tu semper in libertos Cæsaris dicis? Nec mehercule, inquit, quicquam proficio. Cui uicinū est, non negare quod obijcitur, cum & id palàm falsum est, & inde materia bene respondendi datur: ut Catulus dicenti Philippo, Quid latras? Furem uideo, inquit.

Cicero. 2. de Orato. Ridiculum in seipsum, scurrilem.

In se dicere, non est ferè nisi scurrarum, & in oratore utiq; minimè probabile. Quod fieri totidem modis, quot in alios, potest. Ideoque hoc, quamuis frequens sit, transeo. Illud uerò etiamsi ridiculum, indignum tamen est homine liberali, quod aut turpiter, aut impotenter dicitur: quod fecisse quendam scio, qui humiliori liberè aduersus se loquenti, Colaphū, inquit, tibi ducam, & formulam scribam, quòd caput durū habeas. Hic enim dubium est, utrum ridere audientes, an indignari debuerint.

Tertiū diuisionis membrum de expectatione decipienda. 2. de Orat. Occurrendo. Simulādo.

Superest genus decipiendi opinione, aut dicta aliter intelligendi, quæ sunt in omni hac materia uel uenustissima. Inopinatum & à lacessente poni solet: quale est quod refert Cicero, Quid huic abest, nisi res & uirtus? Aut illud Afri, Homo in agendis caussis optimè uestitus. Et in occurrendo, ut Cicero audita falsa Vatinij morte, cum Ouinium libertum eius interrogasset, Rectè'ne omnia? dicenti, Rectè, Mortuus est, inquit. Plurimus autem circa simulationem & dissimulationem risus est, quæ sunt uicina, & propè eadem: sed simulatio est certam opinionem animi sui imitantis: dissimulatio, aliena parū se intelligere fingentis. Simulauit Afer, qui cum in caussa subinde dicentibus Celsinam dicere, cognouisset quòd erat potens fœmina: Quis est, inquit, iste? Celsinā enim uideri sibi uirum finxit. Dissimulauit Cicero, cum Sex. Annalis testis reum læsisset, & instaret identidem accusator ei, Dic M. Tulli, num quid potes de Sexto Annali? Versus tunc dicere cœpit de libro Ennij annali sexto,

Qui potis ingentis caussas euoluere belli.

Ambiguitas.

Cui sine dubio frequentissimam dat occasionem ambiguitas: ut Casselio, qui consultori dicenti, Nauem diuidere uolo: Perdes inquit. Sed auerti intellectus etiam aliter solet, cum ab asperioribus ad leniora deflectitur: ut qui interrogatus quid sentiret de eo qui in adulterio deprehensus esset, Tardum fuisse respondit.

2. de Ora, & Acad. 2.

Ei confine est quod dicitur per suspicionem: quale illud apud Ciceronem, querēti quòd uxor sua è fico se suspendisset: Rogo des mihi surculum ex illa arbore, ut inseram. Intelligitur enim quod non dicitur. Et hercle omnis salsè dicendi ratio in eo est, ut aliter quàm est, rectum uerumque dicatur. Quod fit totum fingendis aut nostris aut alienis persuasionibus, aut dicendo quod fieri non potest.

Aliena fingendo.

Aliena finxit Iuba, qui querēti quòd ab equo suo esset aspersus, Quid tu, inquit, me Hippocentaurum putas?

Sua fingēdo.

Sua C. Cassius, qui militi sine gladio discurrenti, Heus commilito, pugno bene uteris, inquit. Et Galba de piscibus, qui cum pridie ex parte adesi, & uersati postero die appositi essent, Festinemus, alij subscœnant, inquit. Tertium illud Ciceronis (ut dixi) aduersus Curium. fieri enim certè non poterat, ut cum declamaret, natus non esset. Est & illa ex ironia fictio, qua usus est C. Cæsar. Nam cum testis diceret, à reo fœmina sua ferro petita, & esset facilis reprehensio cur illam potissimum partem corporis uulnerare uoluisset: Quid enim faceret, inquit, cum tu galeam & loricam haberes?

Simulatio cōtra simulationem.

Vel optima est simulatio contra simulationem: qualis illa Domitij Afri fuit. Vetus habebat testamentum, & unus ex amicis recentioribus sperans aliquid ex mutatione tabularum falsam tabulam intulerat, cōsulens eum, an primipilaris ei testamento suaderet ordinare suprema iudicia. Noli, inquit, facere: offendis illum.

Lenia iucūdissima.

Iucundissima sunt autē ex his omnibus lenia, & (ut sic dixerim) boni stomachi: ut Afer ingrato litigatori conspectum eius uitanti in foro, per nomēclatorem missum ad eum, Amas me, inquit, quòd te non uidi? Et dispensatori, qui cum ad reliqua non respōderet, dicebat subinde: Non comedi panem & aquam bibo: Pasce, & redde quod debes. Quæ ὑποκοριστικὰ uocant. Est gratus iocus, qui minus exprobrat quam potest, ut idem dicenti candidato, Semper domum tuam colui cum posset palàm negare, Credo, inquit, & uerum est. Interim de se dicere, ridiculum est, & quod in alium, si absentem diceret, urbanum non esset, quoniam ipsi palàm exprobratur, mouet risum: quale Augusti est, cum ab eo miles nescio quid improbè peteret, ueniret contrà Martianus quem suspicabatur & ipsum aliquid iniustè rogaturū: Nō magis, inquit, faciam commilito quę petis, quàm quod Martianus à me petiturus est.

Versus urbani.

Adiuuant urbanitatem & uersus commodè positi, seu toti ut sunt: quod adeò facile est, ut Ouidius ex tetrasticho Macri carmine librū in malos poetas composuerit. quod fit gratius, si qua etiam ambiguitate conditur: ut Cicero in Accium hominem callidū & uersutum, cum is in quadam caussa suspectus esset, Nisi qua Vlysses rate euasit Laertius. Seu uerbis ex parte mutatis, ut in eum qui cum antea stultissimus esset habitus, post acceptam hæreditatem primus sententiam rogabatur, Cuius hæreditas est, quā uocant sapientiam: pro illo, facultas est. Seu fictis nouis uersibus. Simile est quod παροιμία dicitur, & prouerbia opportunè aptata, ut de homine in aquā lapso. & ut alleuaretur roganti, Tollat te, qui non nouit.

Horat. Epistola. 1. ad Sæuam. Plutarch. in uita Cice.

Ex historia etiam ducere urbanitatem, eruditum: ut Cicero fecit, cum ei testem in iudicio Verris rogāti dixisset Hortensius, Non intelligo hæc ænigmata: Atqui debes, inquit, cum Sphingem domi habeas. Acceperat autem ille à Verre Sphingem æneam magnæ pecuniæ. Subabsurda illa constant stultis simili imitatione, & quæ nisi fingantur, stulta sunt: ut qui mirantibus quòd humile candelabrum emisset, Pransorium erit, inquit. Sed illa similia absurdis sunt acria, quæ tanquam sine ratione dicta feruntur, ut seruus Dolabellæ cum interrogaretur an dominus eius auctionem proposuisset, Domum, inquit, uendidit. Deprehensi interim pudorem suum ridiculo aliquo explicant: ut qui testem dicentem se à reo uulneratum, interrogauerat an cicatrices haberet: cum ille ingentem in femore ostendisset, Latus, inquit, oportuit. Contumelijs quoque uti bellè datur: ut Hispo obijcienti bis acerba crimina accusatori, Mentiris, inquit. Et Fuluius propinquus legato interroganti, an in tabulis quas proferebat, chirographus esset: Et uerus, inquit, domine. Has aut accepi species, aut inueni frequentissimas,

Epilogus, cui adijcit his tum urbanitatis genus.

m.is, ex quibus ridicula ducerentur. Sed repetā necesse est infinitas esse tam salsæ dicēdi, quàm seuerè, quas præstas persona, locus, tēpus, casus denique, qui est maximè uarius. Itaq; hæc ne omisisse uiderer, attigi: illa autē quæ de usu ipso & modo iocandi cōplexus sum, adeò infirma, sed planè necessaria.

Domitius Marsus.

Hic adijcit Domitius Marsus, qui de urbanitate diligentissimè scripsit, quædam non ridicula, sed cuilibet seuerissimæ orationi conuenientia eleganter dicta, & proprio quodam lepore iucunda: quæ sunt quidē urbana, sed risum tamen non habent. Neq; enim ei de risu, sed de urbanitate est opus institutum, quàm propriā esse nostræ ciuitatis ait: & serò sic intelligi cœptam, postquam

Vrbs:

Vrbis appellationem, etiam si nomen propriū non adijceretur, Romam tamen accipi sit receptū. eamq; sic finit,

Vrbanitas.

Vrbanitas est uirtus quædam in breue dictum coacta, & apta ad delectandos mouendosq; homines in omnem affectum, maximè idonea ad resistendum, uel lacessendū, prout quæq; res ac persona desiderat. Cui si breuitatis exceptionem detraxeris, omneis orationis uirtutes complexa sit. Nam sic constat rebus & personis: & quod in utrisq; oporteat dicere, perfecta eloquentia est. Cur autem breuem eam esse uoluerit, nescio quidem. At quam in eodem libro dicat fuisse, & in multis, narrandi urbanitatem, paulò pòst ita finit, Catonis (ut ait) opinionē secutus, Vrbanus homo erit, cuius multa bene dicta responsaq; erunt, & qui in sermonibus, circulis, conuiuijs, itē in concionibus, omni deniq; loco ridicule commodeq; dicet. Risus erant, quicunq; hæc faciet orator. Quas si recipimus finitione, quicquid bene dicitur & urbanè, dicti nomen accipiet. Cæterùm illi qui hoc proposuerat, consentanea fuit illa diuisio, ut dictorū urbanorū alia seria, alia iocosa alia media faceret. Nam eadē est omniū bene dictorum. Verùm mihi etiā iocosa quædam uidentur posse non satis urbanè referri.

Vrbanitas secūdū Fabi. quid sit.

Nam meo quidē indicio, illa est urbanitas, in qua nihil absonū, nihil agreste, nihil inconditū, nihil peregrinum, neq; sensu, neq; uerbis, neq; ore gestu'ue possit deprehendi: ut non tam sit in singulis dictis, quàm in toto colore dicēdi: qualis apud Græcos atticismos ille redolens Athenarum proprium saporem.

Seriorum tria genera secundum Marsum.

Ne tamen iudicium Marsi hominis eruditissimi subtrahā, seria partitur in tria genera, honorificum, contumeliosum, medium. Et honorifici ponit exemplum Ciceronis quoq; pro Ligario apud Cæsarem, Qui nihil soles obliuisci, nisi iniurias.

Epist. lib. 8: In Catil. orat. 4.

Et contumeliosi, quod Attico scripsit de Pompeio & Cæsare, Habeo quem fugiam, quem sequar non habeo. Et medij, quod ἀποθεγματικὸν uocat, & est cū ita dixit, Neq; grauem mortē accidere forti uiro posse, neq; immaturam consulari, neq; miserā sapiēti. Quæ omnia sunt optimè dicta: sed cur propriè nomē urbanitatis accipiant, nō uideo. Quod si non solùm totus (ut mihi uidetur) orationis color meretur, sed etiā singulis dictis tribuendum est: illa potius urbana esse dixerim, quæ sunt generis eiusdē, quæ ridicula dicuntur, & tamen ridicula non sunt: ut de Pollione Asinio serijs iocisq; pariter accōmodato dictū est, Esse eū omniū horarū. Et de actore facilè dicente ex tempore, Ingenium eū in numerato habere. Etiā Pompeij quod refert Marsus, in Ciceronem diffidentem eius partibus, Transi ad Cæsarem, me timebis. Erat enim, si de re minore aut alio animo aut denique non ab ipso dictum fuisset, quod posset inter ridicula numerari. Etiam illud quod Cicero Cereliæ scripsit, reddens rationem cur illa C. Cæsaris tempora tā patienter toleraret: Hæc aut animo Catonis ferenda sunt aut Ciceronis stomacho. Stomachus enim ille habet aliquid ioco simile. Hæc quæ mouebant, dissimulanda mihi non fuerunt, in quibus ut errauerim, legentes tamen non decipi, indicata diuersa opinione, quam sequi magis probantibus liberum est.

MOSELLANI.

DE risu } Virtute mouendorum affectuum. Noluisse } Risum mouere. Contigisse } Per naturæ felicitatem. Calumniantibus foret } Adeo ut Vatinius Ciceronis æmulos in sua oratione scurram consularem eum uocitarit, nimirum ob immodicam risus affectationem. Certè historiam hanc sic Macrobius recenset libro secundo Saturnal. quo loco huius facultatis in re Latina principes duos facit, alterum comicum Plautum, alterum Marcum Tullium. Porrò hic amor immodicus in eam rusticam Theocriti musam, ita imponere solet, ut sæpe non pulchra, pulchra tamen uideantur. Sic apud Flaccum, Balbinum amatorem amasiæ suæ Agnæ delectat Polypus, morbus omnium fœdissimus, & in recentioribus Bucolicis quispiam amicam suam altero oculo inutilem uel ipsius Dianæ formæ præfert. Salsum } Mordax. Hoc } quod sequitur. Vt Cicero dicit } secundo de Oratore. Sed inest proprius } Id est festiuus & tetricus, unde & Martialis canit. Nec grata est facies, cui Gelasinus abest. Porrò authore Suida gelasinus eam apud Græcos sonat lineam, quæ sub ipso mento uelut canalis apparet in hominibus gratiosis dum rident, mirum uocabulu factū ἀπὸ τοῦ γελᾶν, id est rideo. Sunt enim longè uenustiora } Quin & facilius est tela obiecta ab aduersario in ipsum retorquere, quam noua ex proprio ingenio depromere. Dicaces } Festiui. Materias in hoc idoneas } Vt est materia Erasmi in laude Stultitiæ, & Senecæ in morte Claudij. Festæ } Scilicet cognominatæ. Conuersatione } Ciuilitate. Atticorum } qui hac uirtute omnes excelluerunt. Insulsum } Inconditum. Hi } Attici. Facetum Virgilio } Quia ut res ipsa indicat, Virgiliana illa grauitas procul est ab omni risu. aut ergo facetum hoc loco aliud quiddam à risu significat, aut Horatius iocando insigniter lapsus est. Ciceronis utar } Ciceronis uerba in secundo de Oratore. Imprudentibus } Nobis inuitis. Conciliatur } mouetur. Vt in illa pixide } Qua uidelicet Marcus Cælius per Licinium familiarem, Clodiæ impudicæ mulieri uenenum porrexisse accusabatur, quam rem rumor in obscœnam fabulam uertit, quasi Cœlius stuprum obtulisse Clodiæ uideretur. quam rem Cicero in oratione pro Marco Cœlio uerecundè his uerbis significat. Hic etiam, inquit, miramur si illam commentitiam pyxidem obscœnissima sit fabula consecuta? nihil est quod in eiusmodi mulierem non cadere uideatur. Audita, & peruulgata, & percelebrata sermonibus res est. Percipitis animis Iudices iamdudum, quid uelim, uel potius quid nolim dicere, quod etiam si est factum, à Cœlio certè non est factum. Quid enim attinebat? est enim ab aliquo fortasse adolescente non tam insulso quàm non uerecundo. Sin autem est fictum, non illud quidem modestum, sed tamen non est infacetum mendacium, quod profectò nunquam hominum sermo atque opinio comprobasset, nisi omnia quæ cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare aptè uiderentur. Salsius } quàm & uultu & gestu risum mouere. Lene } Molle. Refert } Interest. Obscœnitas } Turpitudo. Obiici potest } Ab aduersario obscœnitas. Iudicio liberali } Iudicio instituto ad hoc, ut in libertatem ex seruitute assereretur reus. Liberale iudicium apud ueteres erat, quo contendebatur, liber'ne quispiā, an seruus esset. Omnia } quæ aguntur. Helmiu mancipi } Mancipes dicebantur Romæ, qui aliquid à Republica uel emebant uel concedebant siquidem ut notat Festus, sublata manu significabant populo, se publicum aliquid conduxisse aut emisse. Is } Helmius. In Scoto Cimbrico } Cosmographi certò pronunciāt, eos esse Cimbros populos, quos uulgus hodie Dacos appellat. Siquidem Ptol. atq; alij Dacos non longè à ripis Histri ponunt, ubi hodie putantur habitare VValachi. Cepasio } Oratore qui aderat. Putaret se } Cepasius patronus Fabricij. Ipse } Cepasius. In Delphino sedisse } Herodotus historiarum libro primo hanc fabulam historiæ loco sic ferè narrat, fuisse hunc Arionem nobilissimum citharœdum, qui à rege Corinthi Periandro in Siciliam missus ut principes uiros arte sua exhilararet, cum naue regrediens opulentus, nautis ipsis spem lucri ingentis dedisset, atque illi hominē in mare præcipitare statuerent, precibus obtinuit, ut antequam in mare desiliret, liceret sibi nouissimè citharam pulsare, ubi impetrauit, in nauis prora genibus nixis bellissimè ad citharam cecinit, adeo ut Delphinus cantilenæ suauitate demulsus, naui allueret. quod ubi uidit Arion in piscis dorsum desilit, sicq; è maris periculo est euectus. In hoc genere } Facetiarum.

rum. Dictorum] Dicta hic uocat Fabius quæ ca lem à Macrobio dicteria appellentur, nimirum quæ in aduersarium acutè iaciuntur. Actu] Ductu orationis. Cicero in secundo de Oratore] Vnde hæc sublegit Fabius, faciarum uocabulo cau illationem intelligit, quæ sit in perpetua oratione uodequaq; uelut diffusa. Alijs quibusdam] in Bruto. Narrat] In persona Cæsaris. Cn. Planci] Quem defendebat Crassus. Duobus lectoribus] Qui recitatant duas Crassi orationes. Dialogos] tres.

Atellanæ more] Est autem Atellana, quemadmodum indicat Diomedes in tertio, genus fabulæ mimicæ, magna obscuritate humanæ uitæ consuetudinem utcunq, imitans: sic dictum ab Atella Oscorum ciuitate, ubi primum frequentari cœpit hoc comœdiæ genus. Fere ambiguitate] Aristoteles in Elenchis sophisticis duo genera facit ambigui sermonis, alterum quidem appellatur ὁμωνυμία, æquiuocatio, cum uidelicet uarius est uocis eiusdem usus. Latini recentiores æquiuocationē dicunt, ex quo ut plurimum risus conciliatur. de eo hic Fabius maximè sentit. Alterum genus est quod idem philosophus ait ex diuersa sermonis & multiplici structura distinctioneque alium atq; alium sensum accipere, ἀμφιβολίαν Græci uocant, Latini generaliori uocabulo ambiguitatem. Maledictum] Dicterium conuitiosum. Agendo] Orando Exciderunt] Per incogitantiam. Ipsum] Dictum. Varium] Inconstantem. Eodem genere] Ambiguitatis. Bouillas] Prædium. Quod] Dicterium. Occlusum] Quid uidelicet omnia sua audacia perstringeret.

Magistros] Scilicet auctionis, qui bona eius sub hasta uendiderint. Nam ut colligitur ex uno & altero loco epistolarum Ciceronis ad Atticum, qui præerant hastæ sub qua bona ueniebāt, Magistri appellabantur. Quò referunt quidā & Ciceronis locū qui est in epistolarū familiarium lib 7. Sed heus tu, manum de tabula, magister ad est citius quàm putaramus, significat enim Dictatorem Cæsarem ad fore, qui proscriptorum ciuium bona sub hasta diuendat Et ne quenquam sua fraudemus laude, primus (quod equidem sciam) hunc locū Fabij illustrauit Ludouicus Cælius in lectionibus Antiquis. In metalipsin quoq; cadit] Ea figura fit, ait Erasmus, cum gradatim itur ad hoc quod ostenditur. Sic Virgilius primo Aeneid. de uentis, Sed pater omnipotens speluncis abdit atris. Nam per atras ostendit nigras esse, per nigras uerò tenebrosas, & per hoc in præceps profundas. Ad eum modum & hic ex muneris paruitate statim intelligis Augusti parcitatem, quæ tamen magis est conspicua si contratorum amplitudo comparetur. Heminaria esse dixit] Sipontinus pontifex in commentariis latinæ linguæ, hoc loco heminam legit. Porrò hemina uocabulum à Græcis ortum, dimidiatum sextarium sonat. sed utraq; lectio probabilis est. Porro mos erat principibus Romanis, populi animos liberalitate sibi conciliare, quę res cœpit à uini congiariis propinandis, sed postea uocabulum & ad alia liberalitatis genera deflexum est. Indicat hæc omnia Suetonius in Cæsaribus. Sed satagere] Satagere, anxiè multa agere, id quod Græci πολυπραγμονεῖν dicunt, id est multa simul facere, uerum ita, ut nullum pro dignitate conficias. Sic Terentius amatorem adolescentem rerum suarum satagere dicit. hoc est plus habere quod agat quodq́, sit solicitus Et in euangelio translato Martha satagit circa frequens ministerium. Hanc uerò uerborum diuersa significantium similitudinem Græci παρονομασίαν uocant. Cicero de Orat. 3. agnominationem interpretatur, & in eam figuram hanc dictorū speciem reuocat in secundo eiusdem operis uolumine. Fiunt & detracta] Vt si dicas per iocum, hic ciuitatem non honorat, sed onerat. Et binis coniunctis uerbis] Verbi gratia si quempiam stultè sapientem Græca compositione μωρόσοφον diaeris, à σοφος, quod sapientem significat, & μωρὸς stultum, quo uocabulo usus est Erasmus in declamatione Stultitiæ. Huc pertinent quæ per contrarietatem dicimus, sanctam iactantiam, diuitem paupertatem, prudentem simplicitatem. Lentulum Spintherem] Siquidem qui longi sunt, & per hoc tardi, proprio uocabulo Lentuli dicuntur. Sed aurum lentum dicimus, quòd in longas laminas diduci possit. Itaque ad eam similitudinem Lantulum olim uocatum simp ices Romam Spintherem dixerunt. Porrò spinther stimulum significat oblongum capitatum, quo mu ieres acus lineas affigunt: Græcis autem σπινθὴρ flammam significat

Scipionem Scrapionem] Indicat Festus Pompeius, Næuii carmen citans, deformes & immundas anus olim Scrapeas dici solitas, nimirum uocabulo factitio à sono quē id hominum genus screando edit. Hinc coniicio & Scipionem per iocum Scrapionem appellatū. Nam quod codices Serapionē habent, naq; in re, neq; in uoce Scipionis conuenit. Asinus albus] Albus nimirum quòd insignis esset. & præter cæteros notabilis. Asinus uerò, quòd in obuium quemq; præter delectum dicteria iaceret haud aliter ac asini citra discrimen quemuis adrudiunt. Patis] Stans & pilam capras, & magistratū, quem mirum quàm facilè illis Cæsar concedebat. Verecundia] Ipsius uel dicteri, uel authoris. Quàm ullus spado] Spado autem libidinosus esse non possit, nimirum quòd libidinis instrumento caret. Mat. Vestinius] Legandum sentio, Festiuius, cum ei renunciatum esset, aliquando desinet pluere. Desinet putere] Locum corruptū nemo dubitat, sed qui restituere conetur, itidem est nemo. Nos certè citra præiudicium aliorū legendum censemus. Cū ei renunciatū esset aliquando desinere pluere. Nā renunciare alicui, pro eo quod est repulsam pati, apud Latinos scriptores frequens est. Porrò pluere usurpari pro eo quod est aduersam fortunā sentire, testari potest Horatius, cum huc uelut alludēs in Odis canit.

Sperat infestis, metuit secundis.
Alteram sortem bene præparatum
Pectus, informes hyemes reducit Iuppiter idem.
Et alter hoc ualut exponens sic scribit,
Fidere Batte decet, melius cras forsan habebis,
Spes est in uiuis non est spes ulla sepultis,
Et quandoq; pluit deus, & quandoq; serenat.

Augustus de Pantomimis] Pantomimi apud scriptores Latinos sunt, qui gestibus corporis in omnē partem flexis, nullā sententiam non imitantur, id quod uocis ratio indicat, siquidē πᾶν omne sonat Græcis, & μιμέω imitor. Per hyperbolen] Transgressionem ueritatis supra modū Ad fornicē Fabij] Ad arcum erectum in honorem Fabii. Constat ex Plin. naturalis historiæ lib. 18 atq; item Macrobii Saturnalis, complura Romanorum nomina à legominibus mutuo r ssc assumpta. sic à fabis dicti Fabii, à pisis Pisones, a cicere Cicerones, à lente Lentuli. Suspicor ergo dicteriū de quo hic Fabius agit, per iocū reuocasse Lentulorum humilitatē ad ipsius familiæ originem, nimirū quæ debebatur minutissimo legominis generi lenti, à quo non degenerarent Lentuli. Porrò qualecunq; hoc fuit dicteriū, per intolerandam alicuius librarii supinitatem omissum est. De theatro] Quo actus fabularū inter se distinguebantur in ueterū comicis & tragicis spectaculis. tegebant. n. hoc uelū umbraculo suo actores tantisper, dū personas inter sa commutarent, nimirum pro actus sequētis ratione In Orchestra] Nā in ea theatri parte se ad spectaculū edendū exercebant actores & gladiatores. tum & aliorum exercitiorū, quæ ad corpus attinebant, locus erat, ut indicat post Isocratē Vitruuius lib 6. Porrò pila nō nisi in campo ludimus Domitia] Vxore, quemadmodum Caius Cæsar meminit. Curionē] Oratorē nullius penè memoriæ, ut scribit Cicero de claris Oratoribus. Malo te ciuica donare] Quæ donabatur ab imparatore ei qui ciuem in acie, aut etiā ex oppugnatione urbiū liberasset, quemadmodū de militaribus hisce coronis scribit in Noctibus Gellius Victoriato] Numulo cui sculptura inerat Victoriæ Romanæ, cuius adhuc ænea aliquot nomismata circunferuntur Porrò æstimationē eius si cū nostri seculi monera cōferre desideras, ex cure quæ supar hac re scripsit Gulielmus Budæus in lib. de Asse & eius partibus. Impotenter] Cū immodica potētia. Decipiendi] Aduersariū. Inopinatū] dicterium. Cassellio] Dedit occasionē. Inserā] In hortum.

Hippocentaurū] Poetæ finxerunt in Thessalia monstra fuisse olim, quorū pectus, manus, & caput humanā faciem imitarētur, cætera pars esset equina Iam festiuiter Iuba se Hippocentaurū nagat, quandoquidam equū cui insideat, sua uoluntate ab aspergendo luto arcere non possit, quare hanc molestiā sibi uitio uertendam non esse. Vetus] Amicus quispiam. Eum] Qui uetus testamentum habet. Primipilaris] Romani, ut testatur T. Liuius, cohortes suas in centurias distribuere solebant, præfectis singulis centuriis quos à centuria Centuriones, ab armatura uerò graui quam gerebant, Primipilos, quòd ex his qui pila gererent, primi essent, dixerunt. Porrò authore Vegetio, pilum hastile est graue, quinq; pedes & semis longū. Hinc dignitas ipsa primipilatus nuncupabatur, & homo primipilaris, qui primipili authoritatem habuisset Versus commodius positi] Sic & M. Cicero in præfatione sua in Catone maiore ad Titum Pomponium Atticum scripta, gratiam ex uersibus duobus & semis illius antiquissimi Ennii quærit. Nisi qua Vlysses] Fuit enim Laertes, quemadmodum Odysseæ primo scribit Homerus, pater Vlyssis, tamen eum Tleemachus Vlyssis filius appellat auum & Ouidius Vlyssem patronymico uocabulo Laertiadem nominat. Porrò significat Cicero Accium aduersarium non nisi dolis euadere potuisse, & non aliter quàm Vlysses effugerit à manibus Cyclopis, primum per dolum inimici oculo eruto, deinde hac occasione naue conscensa, qua de re iucundissimè fabulatur Homerus Odysseæ lib. 9. Facultas] Quia & Fabius in aaltce præfationis in hunc sextum librum, pro hæreditate faculta-

tem patrimonii dixit. Nouis uersibus] Vel nouis uersibus legendum, quos ipsi scilicet pro tempore fingemus, quemadmodũ authore Dionysio Halicarnasensi, ipsi Isocrati in orationibus plus quinquaginta exciderunt. Nec defuerunt qui aliquot apud Ciceronem obseruarint. Et Liuius historias suas ab hemisthichio heroico incepit, id quod ipse Fabius obseruauit in nono. Vel totum illud, seu fictis notis uersibus, tanquam suppositicium à glossematario quopiam adscriptum, eradendum, quia præter notos uersus fingere aliud nihil est, quam quod supra dixit, eos ponere uerbis ex partes mutatis. Deinde nullum adnectit exemplum, per quod huic membro locus esse possit, tamẽ quod sequitur de prouerbio, aptissimè cohæret proxime cum eo quod præcessit, Cuius hæreditas est, quod iam uocant sapientiam. Tollat te qui non nouit] Hæc Fabii uerba aliorqui obscura interpretatur uelut Horatius in epistolis, agena de scurra plano, qui sponte sua sæpe cadens, tanquã crure fracto miserandis uocibus prætereuntes implorabat, ut homo tolleretur, peregrinus autem quisquam ac doli ignarus, si quando allucutuius accessisset, à scurra ludibrio habebatur. Verum ubi iam eius simulatio pletisq; innotuisset, isq; uere aliquando fracto crure tolli quæreret, nemo subuenit omnibus Planũ solitos agere ludos arbitrantibus. Cum Sphingem domi] Porro constat, siue ex historia, siue ex fabula, apud Thebas monstrum quoddã latitasse, quod prætereuntibus ænigmata dissoluenda proponeret, atq; inter cætera proposuit, quodnam animal esset mane quadrupes, meridie bipes, uesperi tripes: hoc cum nemo concere posset, tandem Oedipus superuenit, asserens hominem significari, qui mane, id est in infantia, manibus loco pedum uteretur, meridie uerò bipes & erectus incederet, uesperi autem, hoc est in senectute, scipioni innixus fieret tripes.

Auctionem proposuisset] Publicam licitationem rerum suarum, hoc est cum certatim emptores rem pluris ac pluris licitantur. An in tabulis] Ex ambiguitate forsan risum quæsiuit, cui locum dat etymologia. Siquidem chirographus ex uocabuli ratione est scriptura eiusuis manu facta, à χεὶρ, quod manum sonat, & γράφω, etiamsi usus est pro scriptura quam quis pro prius digitis exarauit, quod genus Iurisconsulti ὀλόγραφα dicunt, Ausonio certè Theodosius Augustus scribès αὐτόγραφα uocat.

Nam sicut ista rebus] Hic locus à nemine, quod sciam, hactenus restitutus, utcunque potest corrigi, si in hunc modum legatur, Nam sic dicere, ut ista rebus & personis conueniant, quod in utrisq; oportet, perfectæ eloquentiæ est. Aut si propius sulnam lectionis tuam uoluerit, sic ordina, nam sic ut ista rebus & personis conueniant, quod in utrisq; oportet, dicere, perfectæ eloquentiæ est. Colore dicendi] In comœdiis ueterum Græcorum spirare adhuc testatur Fab lib. 1. Quem sequar] Id est, Pompeius parum mihi uidetur par esse repellendis Cæsaris copiis, ut non admodum tutum sit eius partis esse, id quod ad Pompeii contumeliam dictum uideri potest. Vnde idem Cicero apud Macrob. cum ad pompeii partes se tandem contulisset, interrogatus quando uenisset, respondit, sero, & caussam subdens, nihil enim hic, inquit, apparati est. Cicero Cerelia] In epistolis familiaribus Mouebant me] In Domitio Marso. Illic] In examinatione testium. Nationes totæ incessantur] A quo tamen non temperauit sibi Marcus Cicero. nam in oratione pro Lucio Flacco, cares omnes lacessit, item & Phrygas, adde Græciã uniuersam, nisi quòd rei asperitatem interiectis interim laudibus Athenienfium atq; Lacedæmoniorum lenit, & inuidiã minuit.

ἀποφθεγματικῶν] Siquidem ἀποφθέγγομαι loquor, sono, pronuncio, hinc sapienter, breuiter, scitèque uel dicta uel responsa Græci uocant ἀποφθέγματα. Neq; grauem mortem] qui credit animam immortalem, immo iuxta Platonis disputationem in Phædone, nouit hanc uitam aliud esse nihil, quàm perpetuam quandam miseriam, in qua uidelicet anima corporis uinculo uelut carcere quopiam deuineatur, porro mortem demum transitũ esse, & ueram illam & cælestem animæ genuinam uitam, quam & in hoc mundo nos pro uirili meditari iubet idem Plato, cum Philosophiã dicit aliud esse nihil, quàm mortis meditationem.

Omnium horarum] Sic Tiberius Augustus apud Suetonium duos profitetur se in familia habere omnium horarum homines, cum quibus iucundissimè consuetudinem habeat. Porrò cuiusmodi esse debeat seris iocisque accommodatus, scribit feliciissimè Gellius libro 12 cap 4 Et in eundem usum multa congerit Erasmus, qui prouerbium ex hoc dicterio fecit. Transi ad Cæsarem] Alludit dictorum hoc ad sententiam uerissimam, qua aliena nobis semper magis placere quàm nostra dicuntur: quam feliciter extulit qui dixit,

Vicinumque pecus grandius uber habet.

Vsque adeo nostri nosmet pœnitet. Atq; huius argumenti sententiam conscripsit Flaccus in sermonibus. Qui fit Mecœnas.

ARGVMENTVM.

Principio huius capitis rationem reddit cur altercationis præcepta statim inuentioni, ante reliquas rhetoricæ partes, subiungat, nempe quòd illa tota ex sola inuentione pendeat, nec quidquam à dispositione mutuetur, neque multum à reliquis tribus partibus adiuuetur. Describit altercationem orationẽ esse breuem, atq; concisam, quæ intentione aut depulsione constet, interrogando q; aut respondendo fiat, qua descriptione, quid à perpetua actione differat, satis indicat. Locum habere aut in caussis quæ solis probationibus inartificialibus, ut in testium interrogatione, uel etiam mixtis, continentur. Nam & separatim fit altercatio, & perpetuæ etiam actioni potest inseri. Altercandi hęc præcepta tradit, opus esse primum magna ingenii uelocitate animi præsentia, & acrimonia, ut ex tempore quiduis dici possit, ad quod caussas, instrumenta, tempora, locos & personas familiariter nosse, plurimum profuturum sit. Præterea iracundiæ uitio carendum esse, & moderatione utendum Omnia etiam non solum refutanda, sed ut banè contemnẽda, eleuanda, & ridenda. At que in altercando præcipuum esse semper, id de quo quæritur, & quid efficere uelimus, in oculis habere. Atq; id quidem ingenii acumine præstari, quod à natura proficiscens, etiam arte iuuetur: Postremò multas huius acuminis commoditates ad omnia quæ uolumus egregiè præstanda, quas stupidi, indocti, & elamosi non assequantur, dinnmerat.

De altercatione. Cap. V.

ALTERCATIONIS præcepta poterant uideri tunc inchoanda, cũ omnia quæ ad continuam orationẽ pertinent, peregissem: nam est usus eius ordine ultimus: sed cum sit posita in sola inuentione, neq; habere dispositionẽ possit, nec elocutionis ornamenta magnopere desideret, aut circa memoriam & pronunciationem laboret: prius quàm secundam quinq; partium, hanc, quæ tota ex prima pendet, tractaturus non alieno loco uideor: quam scriptores ideo fortasse alij reliquerũt, quia satis cæteris perceptis, in hac quoq; uidebatur esse profectum. Constat enim aut intentione, aut depulsione, de quibus satis traditum est: quia quicquid in actione perpetua circa probationes utile est, id & in hac breui atque concisa prosit necesse est. Nec alia dicuntur in altercatione, sed aliter, aut interrogando, aut respondendo. Cuius rei ferè omnis obseruatio in illo testium loco excussa nobis est. Tamen quia latius hoc opus aggressi sumus, neque perfectus orator sine hac uirtute dici potest, paululum impendamus huic quoq; peculiaris opera quæ quidem in quibusdã caussis ad uictoriam uel plurimum ualet. Nã ut in qualitate generali, in qua rectè ne factũ quid, an cõtrà sit, quæritur, perpetua dominatur oratio, & quæstionẽ finitionis actionis plerunque satis explicat, & omnia penè in quibus de facto cõstat, aut coniectura artificiali ratione colligitur: ita in ijs caussis (quæ sunt frequentissimæ) quę uel solis extra artẽ probationibus uel mistis cõtinentur, asperrima in hac parte dimicatio est, nec alibi dixeris magis mucrone pugnari. Nã & firmissima quæq; memoriæ iudicis inculcãda sunt, & præstandũ quicquid in actione promisimus, & refellenda mendacia. Nusquã est deniq; qui cognoscit, intentior. Nec immerito quidam, quanquam in dicendo mediocres, hac tamen altercandi præstãtia meruerunt nomen patronorum. At quidam litigatoribus suis illum modò ambitiosum declamandi sudorem præstitisse contenti, cum turba laudantium destituunt subsellia, pugnamq; illam decertatoriam imperitis ac sæpe pullata turba relinquunt. Itaque uideas alios plerunque iudicijs priuatis ad actiones uocari, alios ad probationes. Quæ si diuidenda sunt officia, hoc certè magis necessarium est: pudendumque dictu si plus litigatoribus prosunt minores. In publicis certè iudicijs uox illa præconis, præter patronos, ipsum qui egerit, citat.

Cur de altercatione hoc loco loquatur.

Lib. 5. Discrimen altercationis ab actione perpetua.

Lib. 5. ca. 7.

In quibus caussis sit altercationi locus.

Præcepta altercandi.

Opus est igitur in primis ingenio ueloci ac mobili, animo præsenti & acri. Non enim cogitandum, sed dicendum statim est, & propè sub conatu aduersarij, manus erigenda. Quare cum in omni parte huiusce officij plurimum faciat, totas non diligenter modò sed etiam familiariter nosse caussas: tum in altercatione maximè necessarium, est, omnium personarum, instrumentorum, temporum, locorū habere notitiam: alioqui & tacendum est sæpe, & alijs subijcientibus, plerunq; studio loquendi fatuè modò accedendū: quo nōnunquam accidit, ut in nostra credulitate, aliena studia erubescamus. Neq; tantum hoc ipsis monitoribus clarescit: quidam faciunt apertè quòd rixemur. Videas enim plerosq; ira percitos exclamantes, ut iudex audiat contrarium id esse quod admoneatur, sciatq; ille qui pronunciaturus est, in caussa malum quod tacetur.

Vitio iracūdiæ careat altercator.

Quare bonus altercator uitio iracundiæ careat. Nullus enim rationi magis obstat affectus, & fert extra caussam, & plerunque deformia conuitia facere ac mereri cogit, & ipsos nonnunquam iudices incitat. Melior moderatio, ac nonnunquam etiam patientia. Neq; enim refutanda tantùm quæ contrario dicuntur, sed contemnenda, eleuanda, ridenda sunt: nec usquam plus loci reperit urbanitas: odium mordet & pudor contra turbantes audendum, & impudentiæ fortiter resistendum. Sunt enim quidam præduri in hoc oris, ut obstrepant ingenti clamore, & medios sermones intercipiant, & omnia tumultu confundant: quos ut non imitari, sic acriter propulsare oportebit: & ipsorum improbitas retundenda: & Iudices uel præsidētes magistratus appellandi frequenter, ut loquendi uices seruentur. Nam est res animi iacentis, & mollis supra modum frontis, fallitq; plerumq;, quòd probitas uocatur, quæ est imbecillitas.

Acumē in altercando ualet plurimum.

Valet autem in altercatione plurimum acumen: quod sine dubio ex arte non uenit. natura enim non docetur, arte tamen adiuuatur. In qua præcipuum est semper id in oculis habere, de quo quæritur. & quod uolumus efficere: quia propositum tenentes in rixam non ibimus: nec caussæ debita tempora, conuitiando conteremus: gaudebimusq; si hoc aduersarius facit. Omnia tempora ferè parata sunt meditatis diligenter quæ aut ex aduerso dici, aut responderi à nobis possint. Nonnunquam tamen solet hoc quoq; esse artis genus, ut quædam in actione dissimulata subitò in altercando proferantur: & inopinatis eruptionibus, & ex insidijs citissimo facto simillimum. Id autem tum faciendum, cum est aliquid cui responderi non statim possit: potuerat autem, si tempus ad disponendum fuisset. Nam quod fideliter firmum est, à primis statim actionibus arripere optimum est quò sæpius diutiusque dicatur.

Clamosi in indocti.

Illud uix saltem præcipiendum uidetur, ne turbidus & clamosus tantùm sit altercator, & quales ferè sunt qui literas nesciunt. Nam improbitas licet aduersario molesta sit, iudici inuisa est. Nocet etiam diu pugnare in ijs quæ obtinere non possis. Nam ubi uinci necesse est, expedit cedere: quia siue plura sunt de quibus quæritur, facilior erit in cæteris fides: siue unum, mitior solet irrogari pœna uerecundiæ. Nam culpam præsertim deprehensam pertinaciter tueri culpa altera est. Dum stat acies, multi in re consilij atque artis est, ut errantem aduersarium trahas, & ire quàm longissimè cogas, ut uana interim spe exultet. Ideo quædam bene dissimulantur instrumenta. Instant enim, & sæpe discrimen omne committunt, quod deesse nobis putant, & faciunt probationibus nostris authoritatem postulando. Expedit etiam dare aliquid aduersario, quod pro se putet: quod apprehendens, maius aliquid cogatur dimittere.

Dilēmata in altercando utilia.

Duas interim res proponere, quarum utram libet malè sit electurus: quod in altercatione fit potentius, quàm in actione: quia in illa nobis ipsi respondemus, in hac aduersarium quasi confessum tenemus. Est in primis acuti uidere quo iudex dicto moueatur, quid respuat: quod ex uultu sæpissimè, & aliquando etiam dicto aliquo facto ue eius deprehenditur. Et instare proficientibus: & ab ijs quæ non adiuuant, quàm mollissimè pedem oportet referre. Faciunt hoc medici quoq; ut remedia perinde perseuerent adhibere, uel desinant, ut illa recipi uel respui uident. Nonnunquam si rem euoluere propositam facile non sit, inferenda est alia quæstio: atque in eam, si fieri potest, iudex auocandus. Quid enim cum respondere non possis, agendum est, nisi ut aliud inuenias, cui aduersarius respondere non possit? In plerisq; iudex est auocandus, ut dixi, qui circa testes est locus, & personis modò distat, quòd hic patronorum inter se certamen, illic pugna inter testem & patronum.

Lib. 5.

Exercitatio uerò huius rei longè facilior. Nam est utilissimum, frequenter cum aliquo qui sit studiorum eorundem, sumere materiam uel ueræ uel etiam fictæ controuersiæ, & diuersas partes altercationis modo tueri: quod idem etiam in simplici genere quæstionum fieri potest. Ne illud quidem ignorare aduocatum uolo, quo quæque ordine probatio sit apud iudices proferenda: cuius rei eadem in argumentis ratio est, ut potentissima prima & summa ponantur. Illa enim ad credendum præparant iudicem, hæc ad pronunciandum.

Argumentorum ordo.

ARGVMENTVM.

Priusquam ad dispositionem transeat, quæ libro septimo tractatur, eorū opiniones refutat, qui iudicium inuentioni subiiciebant, tanquam rhetoricæ secundam partem. Contra quos libro tertio disputauit. Ostendit ergo iudicium sic per omnes orationis partes fusum, ut sanguis per uniuersum corpus, & naturale esse, cum non magis arte tractetur quàm gustus & sapor, & maximè tribus primis rhetoricæ partibus, inuentioni dispositioni & elocutioni permixtum. Hanc inter iudicium & consilium differentiam assignat, quòd consilium latentibus rebus, iudicium se proferentibus adhibeatur, quoque hoc frequentissimè certum sit, illud uero arte petitum, & reconditum. Quædam ex iudicio consilioue cauenda sequendaque admonet, quæ exemplis ex Demosthene & Cicerone petitis manifesta reddit.

De iudicio & consilio. Cap. VI.

His pro nostra facultate tractatis, non dubitassem transire protinus ad dipositionem, quæ ordine ipso sequitur: nisi uererer, ne quoniam fuerunt qui iudiciū inuētioni subiungerent, prateriisse hunc locū quibusdam uiderer, qui mea quidem opinione adeo partibus operis huius omnibus connexus ac mistus est, ut ne à sententijs quidem aut uerbis saltem singulis possit separari: nec magis arte traditur, quàm gustus aut odor. Ideoque nos quid in quaque re sequendum cauendumque sit, docebimus, ut ad ea iudicium dirigitur.

Cic. de Orato. & de inuent. 1.

Præcipuum igitur, ne quod effici non potest, aggrediamur: ut contraria uitemus, & communia: ne quid in eloquendo corruptum obscurumque sit: referatur oportet ad sensus, qui non docentur. Nec multum à iudicio credo distare consilium, nisi quòd illud ostendentibus se rebus adhibetur, hoc latentibus, & aut omnino nondum repertis, aut dubijs: & quòd iudicium frequentissimè certum est: consilium uerò est ratio quædam altè petita, & plerunq; plura perpendens & comparans, habensque in se & inuentionem, & iudicationem.

Iudicium quid distet à consilio.

Sed ne hæc quidem præcepta in uniuersum spectanda sunt. nam ex re sumitur, cui locus ante actionem est frequenter. Nam Cicero summo consilio uidetur in Verrem uel contrahere tempora dicendi maluisse,

quàm in eum annum quo erat Q. uiu. Hortensius Consul futurus, incidere. Et in ipsis actionibus primum ac potentissimum obtinet locum. nam quid tacendum, quid diffitendum sit, exigere, consilij est: negare sit satius, an defendere: ubi procemio utendum, & quali: narrandum'ne, & quomodo: iure prius pugnandum, an æquo: quis sit ordo utilissimus: tum omnes colores, asperè ad leuiter, an etiam submisse loqui expediat. Sed hæc quoque ut quisque passus est locus, monuimus: idemque in reliqua parte faciemus. pauca tamen exempli gratia ponam, quibus

Exempla consilii.

manifestius appareat quid sit quod demonstrari posse præ

Olynth. 2.

ceptis non arbitror. Laudatur consilium Demosthenis, quòd cum suaderet bellum Atheniensibus parum id prosperè expertis, nihil adhuc factum esse ratione demonstrat poterat enim emendari negligentia. At si nihil esset erra

Olynth. 3.

tum, melioris in posterum spei non erat ratio. Idem cum offensam uereretur si obiurgaret populi segnitiem: in asserenda libertate Reipublicæ, maiorum laude uti maluit, qui eam fortissimè administrassent. Nam & faciles habuit aures, & natura sequebatur ut melior probanteis pe

Ciceronis prudentia.

iorum pœniteret: Ciceronis quidem uel una pro Cluentio quamlibet multis exemplis suffecerit oratio. Nam quod in eo consilium maximè mirer? primam'ne expositionem, qua matri, cuius filium premebat authoritas, abstulit fidem? an quod idem corrupti iudicij crimen transferre in aduersarium maluit, quàm negare propter inueteratam (ut ipse dicit) infamiam? An quòd in re inuidiosa, legis auxilio nouissimè est usus? quo genere defensionis etiam offendisset nondum præmollitas iudicum mentes. an quòd seipsum inuito Cluentio facere testatus est? Quid pro Milone? quòd non ante narrauit, quàm præiudicijs omnibus reum liberaret? quòd insidiarum inuidiam in Clodium uertit? quanquam re uera fuerat pugna fortuita: quòd factum & laudauit, & tamen uoluntatem Milonis remouit? quod illi preces non dedit, & in earum locum ipse successit? Infinitum est enumerare, ut Cotta detraxerit authoritatem: ut pro Ligario se opposuerit: Cornelium ipsa confessionis fiducia eripuerit. Illud dicere satis habeo, ni

Cõsilii uis.

hil esse non modò in orando sed in omni uita, prius consilio: frustraque sine eo tradi cæteras artes: plusque uel sine doctrina prudentiam, quàm sine prudentia facere doctrinam. Aptare etiam orationem locis, temporibus, perso-
» nis, esse eiusdem uirtutis. Sed hic quia latius fusus est lo-
» cus, mistusque cum elocutione, tractabitur cum præcipe-
» re de aptè dicendo cœperimus.


MOSELLANI.

VT'ne à sententiis] Quia per iudicii facultatem dignosci mus quæ sententia sit grauis, quæ uulgaris & languida. in uerbis autem per eandem uirtutem discernimus propria ab impropriis. Consilium uero est ratio quædam, quæ quid sit humile, quid sordidum, quid magnificum, propriè significat. in qua re totius eloquentiæ, immo eruditionis fundamentum consistit. Porrò si arte iuuari posset hæc res, certè maximè ad rem pertinuerit feliciter statim primis ab annis institutum esse, ac deinde non nisi in optimis quibusque scriptoribus uersari, maximè uerò, si quid ipse iudicare ualeo, in Fabio, Plutarcho, quibus si quem adiicere uoles ex recentioribus, erit is citra controuersiam Erasmus. Gustus aut odor] Quia quemadmodum gustus & odor sensus sunt corporis, rebusque corporeis sentiendis à natura sortiti, sic quidam est rationis & ingenii sensus, per quem sunt res soli intellectui obuiæ. Distare consilium] Certè ex superioris seculi hominibus maximè Hermolaus Barbarus proxime ad hanc uirtutem accessisse uidetur. quæ profectò tanta est, ut citra eam frustra discendi laborem sis subiturus:

FINIS LIBRI SEXTI.

M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA,

LIBER SEPTIMVS.



ARGVMENTVM.

Transitionem facit ab iis quæ hactenus de inuentione & motu dicta sunt, ad dispositionem, cuius tractationi hunc septimum adduxit, uires eius & laudes hac præfatione prædicat, & cur secundum in ordine partium Rhetorices locum obtineat, rationem reddit. Omnia præclaris similitudinibus illustrat.

Præfatio de dispositionis utilitate.



E inuentione (ut arbitror) satis dictum est. Neque enim ea demum quæ ad docendum pertinent, executi sumus, uerumetiam motus animorum tractauimus. Sed ut opera extruentibus, satis non est, saxa atque materiam, & cætera ædificanti utilia congerere, nisi disponendis ijs collocandisque artificium manus adhibeatur: sic in dicendo quamlibet abundans rerum copia, cumulum tantum habeat atque congestum, nisi illas easdem dispositio in ordinem digestas, atque inter se commissas deuinxerit. Nec immeritò secunda quinque partium posita est, cum sine ea prior nihil ualeat. Neque enim, quanquam fusis omnibus membris, statua sit, nisi collocetur: & siquam in corporibus nostris aliorumue animalium partem permutes atque transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium sit tamen. Et artus etiam leuiter loco moti, perdunt quo uiguerunt usum: & turbati exercitus sibi ipsi sunt impedimento. Nec mihi uidentur errare, qui ipsam rerum naturam stare ordine putant: quo confusio, peritura sint omnia. Sic oratio carens hac uirtute, tumultuetur necesse est, & sine rectore fluitet, nec cohæreat sibi: multa repetat, multa transeat, uelut nocte in ignotis locis errans: nec initio nec fine proposito, casum potius quàm consilium sequatur. Quapropter totus hic liber seruiat dispositioni. quæ quidem si certa aliqua uia tradi in omnes materias ullo modo posset, non tam paucis contigisset. Sed cum infinitæ litium formæ fuerint, futuræque sint, & tot seculis nulla reperta sit caussa quæ esset tota alteri similis, sapiat oportet actor, & uigilet, & inueniat, & iudicet, & consilium à seipso petat. Neque inficias eo, quædam esse quæ demonstrari possint, eaque non omittam.

Pro hoc. 7. libro uide Sulpitii institutiones.

Dispositionis laus.

Nulla caussa tota alteri similis.

ARGVMENTVM.

Quia ad bonam dispositionem faciendam necessarium est, quæ multiplicia sunt, in suas partes aut species secare, principio statim capitis, quid partitio aut diuisio sit, & quo inter se differant, diffinitione explicat, nempe ut partitio sit totius in partes, diuisio generis in species sectio. Post hæc dispositionem finit esse utilem rerum ac partium in loco distributionem. Huius ordinem naturalem esse commonet, ut primæ quæstiones primo loco tractentur, uerumetiam id plerunq; caussæ utilitate mutari, neq; semper eandem esse actori quę defensori rationem,

Dimosthenis & Aeschinis eaemplo docet Ergo quid ipse dispo nédo cum præceptis tum ratione sæpe factitarit, ut ad bonam dispositionem uiam sternat, aperit, ea quo facienda esse hæc elicimus. Omnia quę in caussa uersantur, tam ea quæ pro aduersarijs, quàm quæ pro nobis faciant, & quid efficere uterque uelit, cognoscenda. atque oculis subiicienda. Ante omnia actori hanc esse dispositionem seruandam, ut primo & summo loco firmissima, in medio infirmiora collocet, Reo grauissimum quodque primum refutandum, nisi leuiora multa falsa palàm erunt, per quæ in grauissimo detrahamus aduersarijs fidem, cum aliqua tamen præfatione & excusatione dilati criminis. Anteactæ uitæ crimina plerunque prima purganda. Intuendum esse diligenter si quæstio simplex sit, aut coniuncta: Si simplea, an unũ respondeamus, an plura. Si unum, an illud sit in re, an in scripto. Si plura, quæ sint illa, & quo ordine ponenda: nempe ut ab infimis ad potentissima perueniamus. Si quæstio coniuncta, quàm diuersi sint status. Item à prima specie retrorsum quærendum esse usque ad primam generalem quæstionem: uel à genere ad extremam speciem descendendum: ut si quis accuset te furti, quæras an furto sit illi quid sublatum, an auferri potuit, an habuit quod auferretur. Eacerpendum esse quid cum aduersario nobis conueniat, si pro nobis facit, & partiendo multiplicandum quia hæc congregatio accusantem adiuuet, separatio defendentem. In tota aliquando materia faciendum esse, ut multis prolatis remotione partium aut specierum utentes, id unum remaneat, quod magnopere cum cupiebamus. Et excutiendũ esse quicquid dicit, & uelut reiectione facta, ad optimum perueniendum, quod diuisioni atque inuentioni uiam facillimam præstat, ut occisus est Clodius, à Milone, an ab alio? A Milone iure, an iniuria? iure uoluntate igitur, an imprudentia, an necessitate? necessitate, &c. Et quia plurimæ sunt caussæ in quibus utra pars prior dicere debeat, incertum sit, hoc in foro diiudicari ait uel atrocitate formularum, uel modo petitionum, uel sorte, quanquam id in multis inuentu uideatur difficillimum. Oculatiores quæstiones, & in ipsis sententias, uerba figuras, colores, ingenio, cura & eaercitatione inueniri. Atque in diligendis quæstionibus utilia speciosis esse præponẽda Omnia subiectis exemplis fusissimè etiam descriptis explanat.

De dispositione facienda. Cap. I.

Diuisio.
Partitio.

Dispositio aliquando utilitate mutatur.



IT igitur (ut suprà significaui) diuisio, rerum plurium in singulas partitio, singularum in partes, discretus ordo, & recta quædam locatio prioribus sequentia annectens: dispositio, utilis rerum ac partium in locos distributio. Sed meminerimus ipsam dispositionem plerunque utilitate mutari, nec eandem semper primam quæstionem ex utraque parte tractandam. Cuius rei ut cætera exempla præteream, Demosthenes quoq; atque Aeschines possunt esse documento, in iudicio Ctesiphontis diuersum secuti ordinem: cum accusator à iure, quo uidebatur potentior, cœperit: patronus omnia uel penè omnia ante ius posuerit, quibus iudicem quæstioni legũ præpararet. Aliud enim alio docere prius expedit: alioqui semper petitoris arbitrio diceretur. Denique in accusatione mutua, ut se uterque defendat priusquam aduersarium arguat, omnium rerum necesse est ordinem esse diuersum.

Tota caussa familiariter cognoscenda, & quid sit in quo cõtrouersia uersetur.
Themata, proposita.

Igitur quid ego sim secutus, quod partim præceptis, partim usurpatum ratione cognoueram, promam: nec unquam dissimulaui. Erat mihi curæ in controuersiis forensibus, nosse omnia quæ in caussa uersarentur. Nam in schola certa sunt. & pauca, & ante declamationem exponuntur, quo θέματα Græci uocant, Cicero proposita. Cum hæc in conspectu quodammodo collocaueram, non minus pro aduersa parte quàm pro mea cogitabam. Et primùm (quod non difficile dictu est, sed tamen ante omnia intuendum) constituebam quid utraque pars uellet efficere, tum per quid, hoc modo. Cogitabam quid primum petitor diceret. Id aut confessum erat, aut controuersum. Si confessum, non poterat ibi esse quæstio. Transibam ergo ad responsum partis alterius, idem intuebar: nonnunquam etiam quod inde obtinebatur, confessum erat. Vbi primùm cœperat non conuenire, quæstio oriebatur. Id tale est, Occidisti hominem, occidi. conuenit: transeo. Rationem reddere debet reus quare occiderit. Adulterum, inquit, cum adultera occidere licet. legem esse certum est. Tertium iam aliquid uidendum est, in quo pugna consistat. Non fuerunt adulteri, fuerunt: quæstio, de facto ambigitur, coniectura est. Interim uero & tertium confessum est, adulteros fuisse: sed tibi, inquit accusator, illos non licuit occidere. exul enim eras, & ignominiosus. de iure quæritur. At si protinus dicenti, occidisti: respondeatur, non occidi: statim pugna est. Sic explorandum est ubi controuersia incipiat, & considerari debet quæ primam quæstionem faciat. Intentio simplex. Occidit Saturninum Rabirius. coniuncta, Lege de sicarijs commisit L. Varenus. Nam C. Varenum occidendo, & Cn. uulnerando, & Salarium item occidendo, eadit. Nam sic diuersæ propositiones erunt. quod idem de petitionibus dictum sit. Verùm ex coniuncta propositione plures esse quæstiones ac status possunt, si aliud negat reus, aliud defendit, aliud iure actionis excludit. In quo genere agenti est dispiciendum, quid, quoque loco diluat. Quod pertinet ad actorem, non planè dissentio à Celso, qui sine dubio Ciceronem est secutus. Instat tamen huic parti uehementius, ut putet primo firmum aliquid esse ponendum, summo firmissimum, imbecilliora medio: quia & initio mouendus sit iudex, & summo impellendus. At pro reo plerunque grauissimum quicque primum mouendum est, ne illud spectans iudex, reliquorum defensioni sit auersior. Interim tamen & hoc mutabitur, si leuiora illa palàm falsa erunt, grauissimi defensio difficilior: ut detracta prius accusatoribus fide, aggrediamur ultimum, iam iudicibus omnia uana esse credentibus. Opus erit tamen præfatione, qua & ratio reddatur dilati criminis, & promittatur defensio, ne id quod non statim diluemus, timere uideamur. Anteactæ uitæ crimina plerunque prima purganda sunt, ut id de quo laturus est sententiam iudex, audire propitius incipiat. Sed hoc quoque pro Vareno Cicero in ultimum distulit: non quid frequentissimè, sed quid tum expediret, intuitus.

Quid quo loco sit ponendum, & quæ dispositio actori conueniat, quæ reo.

Vt pro Muræna.

Intẽtio simplea quomodo tractanda.

Cum simplex intentio est, uidendum est an unum aliquid respondeamus, an plura. Si unum, in re quæstionem instituamus, an in scripto. Si iure, negandum sit quod obijcitur, an tuendum. Si in scripto, in qua specie iuris pugna sit, & in ea de uerbis, an uoluntate quæratur. Id ita consequemur, si intuiti fuerimus quæ sit lex quæ litem faciat, hoc est, qua iudicium sit constitutum. Nam quædam in scholasticis ponuntur ad coniungendam modò actæ rei seriem: ut, Pater expositum qui agnouerit, solutis alimentis recipiat. Minus dicto audientem filium liceat abdicare. Qui expositum recepit, imperat ei nuptias locupletis propinqui: ille ducere uult filiam pauperis educatoris. Lex de expositis ad affectum pertinet, iudicium pendet ex lege abdicationis: Nec tamen semper ex una lege quæstio est, ut in ἀντινομίᾳ. His spectatis apparebit circa quæ pugna sit. Coniuncta defensio est, qualis pro Rabirio, Si occidisset, rectè fecisset: sed nõ occidit. Vbi uerò multa contra unam propositionem dicimus, cogitandum est primùm quicquid dici potest: tum ex his quo quicque loco dici expediat, ordinandum. In quo non idem sentio, quod de propositionibus paulò antè, quodque de argumentis probationum loco concessi, aliquando nos incipere à firmioribus. Nam uis quæstionum semper crescere debet, & ad

Defensio seu quæstio & coniuncta, & quis ordo in ea seruandus.

& ad potentissima ab infirmissimis peruenire, siue sunt eiusdem generis, siue diuersi.

Iuris quæstiones.

Iuris autem quæstiones solent esse nonnunquam ex aliјs atque aliјs conflictationibus facti semper idem spectant, in utroque genere similis ordo est.

Dissimiliū quæstionū ordo.

Sed prius de dissimilibus, ex quibus infirmissimū quicque primum tractari oportet. Ideoq; quasdam quæstiones executi donare solemus, & concedero. Neq; enim transire ad alias possumus, nisi omissis prioribus. Quod ipsum ita fieri oportet, non ut damnasse eas uideamur, sed omisisse, quia possimus etiam sine eis uincere. Procurator alicuius pecuniam petit ex fœnore hæreditario: potest incidere quæstio, an huic esse procuratorē liceat. Finge nos, postquam tractauimus, remittere, uel etiam conuinci: quæratur, an ei cuius nomine litigatur, procuratorem habēdi sit ius. Discedamus hinc quoq;, recipit materia quæstionem, an ille cuius nomine agitur hæres sit fœneratoris, an ex asse hæres. Hæc quoq; concessa sint, quæritur an debeatur. Contrà nemo tam demens fuerit, ut id quod firmissimum duxerit se habere, remittat, & ad leuiora transcendat. Huic in schola simile est, Non abdicabis adoptatum: ut hunc quoq;, non uirum fortem: ut & fortem, non quicunq; uoluntati tuæ non paruerit: & ut in alia omnia subiectis sit, non propter opinionem: & ut propter opinionem, non propter talem opinionem. Hæc iuris quæstionum differentia est. In factis autem ad idem tendentia sunt plura: ex quibus aliqua citra summam quæstionem remitti solent: ut si is cum quo furti agitur, dicat, Proba te habuisse, proba perdidisse, proba furto perdisse, proba mea fraude. Priora enim remitti possunt: ultimum non potest.

Ordo similium. Aliud præceptum dispositionis pro defensore.

Solebam & hoc facere præcipuè, ut uel ab ultima specie (nam ea ferè est, quæ continet caussam) retrorsum quærerem usq; ad primam generalem quæstionem, uel à genere ad extremā speciem descenderem, etiam in suasorijs: ut deliberat Numa, an regnum offerentibus Romanis recipiat. Primum id est genus, an regnādum, an in ciuitate aliena, an Romæ, an laturi sint Romani talem regem. Similiter & in controuersijs. Optet enim uir fortis alienam uxorem. Vltima species est, an optare possit alienam uxorem Generale est, an quicquid optaueris, accipere debeat: inde an ex priuato, an nuptias, an maritum habentem. Sed hoc non quemadmodum dicitur, ita & quæritur. Primum enim occurrit ferè, quod est ultimum dicendum, ut hoc, Non debes alienam uxorem optare. Ideoq; diuisionem perdit festinatio. Non oportet igitur offerentibus se contentum esse: quæratur aliquid quod est ultra, si ne uiduam quidem: adhuc plus, si nihil ex priuato: ultimum retrorsum, quod idem à capite primum est, si nihil iniquum. Itaque propositione uisa quod est facillimum, cogitemus si fieri potest, quid naturale sit primum responderi. Id si tanquam res agatur, & nobis ipsis respondendi necessitas sit, intueri uoluerimus occurrit. Si id non contigerit, se ponamus id quod primum se obtulerit, & ipsi nobiscum sic loquamur: Quid si hoc non esset? id iterum & tertium, & dum nihil sit reliqui. Ita inferiora quoque scrutabimur, quæ tractata faciliorem nobis iudicē in summa quæstione facient. Non dissimile huic est & illud præceptum, ut à cōmunibus ad propria ueniamus. Ferè enim communia generalia sunt. Commune est, tyrannum occidit: proprium, * Vtriatum tyrannum occidit, mulier occidit, uxor occidit.

**uirum tamen tyran·*

Quod cū aduersario nobis conuenit, excerpēdum, & multiplicādū si pro nobis facit.

Solebam & excerpere quid mihi cū aduersario conueniret, si modò id pro me erat: nec solum premere confessionem sed partiendo multiplicare: ut in illa controuersia, Dux qui competitorem patrem in suffragijs uicerat captus est. Euntes ad redimendum eum legati, obuium habuerunt patrem reuertentem ab hostibus. is legatis dixit, Serò itis Excusserunt illi patrem, & aurum in sinu eius inuenerunt: ipsi perseuerarunt ire quò intenderant: inuenerunt ducem crucifixum, cuius uox fuit, Cauete proditorem. Reus est pater. Quæ conueniunt? Proditio nobis prodita est, & prodita à duce, quærimus proditorem. te isse ad hostes fateris, & isse clam, & ab his incolumem redisse, aurum retulisse, & aurum occultum habuisse. Nam quod fecit, id nonnunquam potentius fit in propositione: quæ si animos occuparit, propè aures ipsi defensioni præcluduntur. In totum autem congregatio criminum accusantem adiuuat, separatio defendentem.

Aliud præceptum de facienda remotione partiū, ut id unum remaneat, qd uolumus.

Solebam id quod fieri & in argumentis dixi, in tota facere materia ut propositis extra quæ nihil esset, omnibus, deinde cæteris remotis, solum id superesset quod credi uolebam, ut in præuaricationum criminibus, Vt absoluatur reus, aut innocentia ipsius fit, aut interueniente aliqua potestate, aut ui, aut corrupto iudicio, aut difficultate probationis, aut præuaricatione Nocentem fuisse confiteris, nulla potestas obstitit, nulla uis, corruptum iudicium nō quereris, nulla probādi difficultas fuit: quid superest, nisi ut præuaricatio fuerit? Si omnia amoliri non poteram, tamen plura amoliebar. Hominem occisum esse constat, non in solitudine, ut à latronibus suspicer, non prædæ gratia, quia inspoliatus est: non hæreditatis spe, quia pauper fuit. odium igitur in caussa. quis inimicus? Quæ res autem faciliorem diuisioni uiam præstat, eadem inuentioni quoque, excutere quicquid dicitur, potest, & uelut reiectione facta ad optimum peruenire. Accusatur Milo quòd Clodium occiderit: aut fecit, aut non. Optimum erat negare: si non potest, occidit: ergo aut iure, aut iniuria. Vtique iure: aut uoluntate igitur, aut necessitate. nam ignorantia prætendi non potest. Voluntas anceps est. Sed quia ita id homines putant, adiungenda defensio, ut id pro Republica fuerit. Necessitate, subita igitur pugna, non præparata. alter igitur insidiatus est. Vter? profectò Clodius. Videt ne ut ipsa rerum necessitas deducat ad defensionem? Adhuc, Aut utique uoluit occidere insidiatorem Clodium, aut non. Tutius si noluit. Fecerunt ergo serui Miloni, neque iubente neque sciente Milone. At hæc tam timida defensio detrahit authoritatē illi, quia rectè dicebamus occisum. Adijcitur, Quod suos quisque seruos in tali re facere uoluisset. Hoc eo est utilius, quòd sæpe nihil placet, & aliquid dicēdum est. Intueamur ergo omnia: ita apparebit aut id quod optimum est, aut id quod minimè malum. Propositione aliquando aduersarij utendum: & esse nonnunquam communem eam suo loco dictum est.

Vtra pars prior dicere debeat.

Multis millibus uersuum scio apud quosdā esse quæsitum, quomodo inueniremus utra pars deberet prior dicere: quod in foro uel atrocitate formularū, uel modo petitionum, uel nouissimè forte dijudicatur. In schola quæri nihil attinet, cū in declamationibus ijsdem narrare, & contradictiones soluere, tam ab actore quàm à defensore concessum sit. Sed in plurimis controuersis ne inueniri quidem potest: ut in illa, Qui tres liberos habebat, Oratorem, Philosophum, & Medicum, testamento quatuor partes fecit, & singulas singulis dedit: unam eius esse uoluit, qui esset utilissimus ciuitati. Contendunt quis primus dicat: incertum est, propositio tamen certa. Ab eo enim cuius personam tuebimur, incipiendum erit.

De quæstionibus occultioribus quæ ingenio cura & exercitatione inueniuntur.

Et hæc quidem de diuidendo in uniuersum præcipi possunt. At quomodo inueniemus etiam illas occultiores quæstiones? scilicet quomodo sententias, uerba, figuras, colores? Ingenio, cura, exercitatione. Non tamen ferè unquam nisi imprudentem fugerint, si (ut dixi) naturam sequi ducem uelit. Sed pleriq; eloquentiæ famam affectantes, con-

tenti sunt locis speciosis modò, uel nihil ad probationẽ conferentibus. Alij nihil uitantes, ea quæ in oculos incurrunt, æxquirenda putant. Quod quò facilius appareat, unam de schola controuersiam nõ ita sanè difficilem aut nouam pro

Exemplo docet in dirigendis quæstionibus utilia speciosis esse præponenda.

ponam in exemplum: Qui reo proditionis patri non affuerit, exhæres sit. proditionis damnatus, cum aduocato exulet. Reo proditionis patri disertus filius affuit, rusticus nõ affuit: damnatus abijt cum aduocato in exilium. Rusticus cum fortiter fecisset, præmij nomine impetrauit restitutionem patris, & fratris. Pater reuersus intestatus decessit: petit rusticus partem bonorum, orator totum sibi uendicat. Hic illi eloquentes, quibusque nos circa lites raras solicitiores, ridiculi uidemur, inuadent personas fauorabiles.

Pro rustico contra disertum.

Actio pro rustico contra disertum, pro uiro forti contra imbellem, pro restitutore contra ingratum, pro eo qui parte contentus sit, contra eum qui fratri nihil dare ex paternis uelit. Quæ omnia sunt in materia, & multum iuuant, uictoriam tamen non tradunt. In hac quærentur sententiæ, si fieri poterit, præcipites, uel obscuræ. Nam ea nũc uirtus est, ut pulchrè fuerit eum materia tumultu & clamore transactum. Illi uerò quibus propositum quidem melius, sed cura in proximo est, hæc uelut innatantia uidebũt, excusatum esse rusticum, qui non interfuerit iudicio, nihil collaturus patri: sed ne disertum quidem habere quod imputet reo, cum is damnatus sit. Dignum esse hæreditate restitutorem, non auarum, impium, ingratum, qui diuidere nolit cum fratre, eoq; sic merito. Quæstionem quoque illam primam scripti & uoluntatis, qua non expugnata non sit sequentibus locus. At qui naturam sequetur, illa cogitabit profectò, primo hoc dicturum rusticum, Pater intestatus duos nos filios reliquit, partem iure gentium peto. Quis tam imperitus, quis tam procul à literis, quin sic incipiat, etiam si nescierit quid sit propositio? Hanc communem omnium legem leuiter adornabit, ut iustam. Nempe sequetur, ut quæramus quid huic tam æquæ postulationi respondeatur.

Pro diserto contra rusticum,

At id manifestum est. Lex est quæ iubet exhæredem esse eum, qui patri proditionis reo non affuerit: tu autem non affuisti. Hanc propositionem necessariò sequitur legis laudatio, & eius qui non affuerit, uituperatio. Adhuc uersamur in confessis: redeat animus ad petitorem: nunquid non hoc cogitet necesse est, nisi qui sit planè hebes? Si lex obstat, nulla lis est, inane iudicium est: atqui & legem esse, & hoc quod ea puniat, à rustico factum, extra dubitationem est. Quid ergo dicemus? Rusticus eram. Sed lex erat, omnes complectitur: nihil proderit. Quæramus ergo, num infirmari in aliqua parte lex possit. Quid aliud (sæpius dicam) natura permittit, quàm ut cum uerba contrà sint, de uoluntate quæratur? Generalis igitur quæstio, uerbis, an uoluntate sit standum. Sed enim in commune de iure omni disputandum semper, nec unquam satis iudicatum est. Quærendum igitur in hac ipsa qua consistimus, an aliquid inueniri possit quod scripto aduersetur. Ergo quisquis non affuerit, exhæres erit? quisquis sine exceptione? Iam se illa uel ultro offerent argumenta. Filius infans & æger non affuit, & qui aberat, & qui militabat, & qui in legatione erat. Iam multum acti est: posset aliquis non affuisse, & hæres esse. Transeat nunc idem ille qui cogitauit, ut ait

Tibicem latinus. Pro Muræna.

Cicero, tibicinis Latini modo ad disertum: Ut ista concedã tu nec infans es, nec æger eras, nec absuisti, nec militasti, nec in legatione fuisti. Non aliud occurrit quàm illud, Sed rusticus sum. Contrà quod palàm est, dicet, Ut agere non potueris, assidere potuisti. & uerum est. quare redeundum est rustico ad animum legumlatoris: Impietatũ punire uoluit, ego autem impius non sum. Contra quæ disertus, Tu impiè fecisti, inquit, cum exhæredationem meruisti: licet te postea uel pœnitẽtia uel ambitus ad hoc genus optionis adduxerit. Præterea propter te damnatus est pater. Videbaris enim de caussa pronunciasse. Ad hæc rusticus. Tu uerò caussa dãnationis fuisti: multos offenderas: inimicitias domui contraxeras. Hæc coniecturalia. Illud quoque quod loris loco rusticus dicit, patris fuisse tale consilium, ne uniuersam domum periculo subijceret. Hac prima quæstione scripti & uoluntatis continentur. Intendamus ultrà animum, uideamusque an aliquid inueniri præterea possit quo id modo fiat. Sedulò imitor quærentem, ut quærere doceã, & omisso speciosiore illo styli genere, ad utilitatẽ me summitto discentium.

Ex persona patris.

Omnes adhuc quæstiones ex persona petitoris ipsius duximus: cur non aliquid circa patrẽ quærimus? Dictum uerò est, Cui quis non affuerit, exhæres erit. Cur non conamur & hic quærere, num cuicunque non affuerit? Facimus hoc sæpe in ijs controuersiis, in quibus petuntur in uincula, qui parentes suos non alunt, an eum qui testimonium in filium impietatis reum dixit? an eum qui filium lenoni uendidit? In hoc de quo loquimur patre, quid apprehendi potest? Damnatus est. Nunquid igitur lex ad absolutos tantum patres pertinet? dura prima fronte quæstio. Non desperemus, credibile hoc uoluisse legumlatorem, ne auxilia liberorum innocentibus deessent. Sed hoc dicere rustico uerecundum est, quia innocentem fuisse patrem fatetur. Dat aliud argumentum controuersia. Damnatus proditionis cum aduocato exulet. Vix uidetur posse fieri, ut pœna filio eadem, patri & si affuerit, & si non affuerit, constituta sit. Præterea lex ad exules nulla pertinet. Non ergo credibile est, de non aduocato damnati scriptum. An possint enim bona esse ulla exulis, rusticus in utraque parte dubium facit. Disertus & uerbis inhærebit, in quibus nulla exceptio est: & propter hoc ipsum pœnam esse constitutam eis qui non affuerint, ne periculo exilij deterreantur ab aduocatione, & rusticum innocenti non affuisse dicet.

Ex uno statu duæ generales quæstiones fiunt:

Illud protinus non indignum quod annotetur, posse ex uno statu duas generales fieri quæstiones, an quisquis, an cuicunque. Hæc ex duabus personis quæsita sunt. E tertia autem, quæ est aduersarij, nulla oriri quæstio potest: quia nulla sit ei de sua parte controuersia. Nondum tamen cura deficiat. Ista enim omnia dici possent etiam non restituto patre. Nec statim eò tendamus, quod occurrit ultro, à rustico restitutum. Quid subtiliter quæret, aliquid spectabit ultrà. Nam ut genus speciem sequitur, ita speciem genus præcedit. Fingamus ergo ab alio restitutum, ratiocinatiua atque collectiua quæstio orietur, an restitutio pro sublatione iudicij sit, & perinde ualeat, ac si iudicium non fuisset. Vbi tentabit rusticus dicere, sic impetrare quidem aliter potuisse suorum restitutionem uno præmio, nisi patre perinde ac si accusatus non esset, reuocato: quæ res, aduocati quoque pœnam, tanquam is non affuisset, remiserit. Tum ueniemus ad id quod primum occurrebat, à rustico restitutum esse patrem. Vbi rursus ratiocinamur, an rusticus restitutor accipi debeat pro aduocato, quando id præstiterit, quod aduocatus petijt: nec improbum sit pro simili accipi, quod plus est. Reliqua iam æquitatis sunt, utrius iustius sit desiderium. Id ipsum adhuc diuiditur, etiam si uterque sibi totum uendicaret, nunc utique, cum alter semissem, alter uniuersa, fratre excluso. Sed his tractatis, etiam magnum momentum habet apud iudices patris memoria, cũ præsertim de bonis eius quæratur. Erit ergo coniectura, qua mente pater intestatus decesserit. Sed ea pertinet ad qualitatẽ, quæ alterius status instrumentum est. Plerunque autem

in fine

in fine caussarum de æquitate tractabitur, quia nihil liben tius iudices audiunt. Aliquando tamen hunc ordinem mutauit utilitas: ut si in iure minus fiducia erit, æquitate iudicem præparemus. Nihil habui amplius quod in uniuersum præciperem. Nunc eamus per singulas caussarum iudicialium partes, quas ut persequi ad ultimā speciem, id est ad singulas lites controuersiasq; non possum: ita de generalibus scribere licet, ut quæ in quem statum frequentissimè incidant, tradam. Et quia naturu prima quęstio est, factumne sit, ub hac ordiar.

MOSELLANI.



Commissas deuinxerit] Committere hoc loco uocabulum proprium architectorum est, duo uel saxa uel ligna inter se coaptata cōstringentium, idq; uel interfusa calce in ipsam rimā, uel ferro impacto in utrunq;, uel bitumine, uel quouis alio ferrumine. Hinc commissura dicitur ipsa coniunctio, atque ea pars qua sic duo inter se committuntur. Hæc ex Vitruuio.

ARGVMENTVM.

Hactenus de d spositione in uniuersum, nunc de eadem specialius in singulis statibus: quorum natura primus est coniecturalis, quo an sit res quæritur, præcipere aggreditur. Ergo à coniectura orditur, quam primum diuidit, nā ante lib. 3. definierat. Eam aut in re, aut in animo, & utranq; trium temporum esse docet: præsentis, præteriti, & futuri. Quæ in re sit, quæstionem habere generalem, aut specialem, generalem, ut an mundus prouidentia gubernetur. specialem, ut an regnū affectet Manlius. Ex præterito indicia esse, & facturum caussas, ut cum quæritur unde bellum. Quæ fiunt, & futura sunt, ex præteritis colligi. Animi coniecturas in omnia etiam tempora cadere, & esse ubi persona est, & de facto constat, ut qua mente Ligarius in Africa fuerit, &c. Per coniecturas etiam de qualitate & quantitate quæri: ut an sol maior terra? An luna globosa? Coniecturæ quæ accusatione & defensione constet, triplex genus esse: Vnum de authore & facto. Alterum de facto tantum. Tertium de authore tantùm. Ex tertio, criminum translationes in alium, & mutuas accusationes nasci, quæ uaria inter se comparatione uel ex toto, uel ex parte aliqua constent. In quibus nostra defensio accusationem aduersarij præcedere debeat, rationes subiungit. Tū quo quæq; modo tractanda sint, siue negentur, siue confessa sint, fusissimè explicat. Addit & coniecturam duplicē accusationi mutuæ simillimam, ut in qua tyrannicidii duo medici præmiū petant, quorum primus uenenum dedit, quo non est ille mortuus, alter antidotum quia statim decessit. Vbi personæ, caussæ, facultates, tempora, instrumenta, testimonia, nō aliter quàm in mutua accusatione comparentur. Qua etiā ratione tractari illud oporteat, in quo de duobus citra accusationem quæritur utrum factū sit. Coniecturæ locos & tractationem adiūgit, eam his tribus capitibus contineri ostendit, an uoluerit, an potuerit, an fecerit. In primo tria spectari, personas, caussas, & cōsilia, & quid de unoquoq; in utranq; partem dicendum sit, copiosissimè tradit. In secundo, an potuerit, locum, tēpus, difficultates, occasiones, quæ etiam ad animi coniecturam ualeant, considerari. In tertio, in quo an fecerit quæritur, coniuncta, consequentia, signa, antecedentia, antedicta & facta nostra & aliena discuti. Ad quam rationem reliqua omnia coniecturæ genera reduci possint, ut furti, crediti, depositi, proditionis, affectatæ tyrannidis, adulterii, falsi, nisi quod adulterii caussæ aliquid habeāt proprii, quia duorum plerunq; discrimen sit, & de utriusq; uita dicere oporteat. quæ ratio in crimine falsi ferè sit eadem.

Cōiecturę diuiso.

De coniectura. Cap. II.



Oniectura omnis, aut de re, aut de animo est. Vtriusq; tria tempora, præteritum, præsens, futurum. De re & generales quæstiones sunt, & definitę, id est & quæ non continentur, & quæ continentur. De animo quæri non potest, nisi ubi persona est, & de facto constat. Ergo cum de re agitur: aut quid factum sit, in dubiū uenit, aut quid fiat, aut quid sit futurum: ut in generalibus, an atomorum concursu Mundus sit effectus: an prouidentia regatur: an sit aliquando casurus. In definitis, an parricidium commiserit Roscius: an regnum affectet Manlius: an rectè Verrem sit accusaturus Q. Cæcilius. In iudicijs præteritum tēpus maximè ualet. Nemo enim accusat nisi quæ facta sunt. Nam & quæ fiant, & quæ futura sint, ex præteritis colliguntur. Quæritur & unde quid ortum: ut pestilentia, ira deum, an intemperie cæli, an corruptis aquis, an noxio terræ halitu. Et quæ caussa facti: ut quare ad Troiam quinquaginta reges nauigauerint, iureiurando adacti, an exemplo moti, an gratificantes Atridis. quæ duo genera non multum inter se distant. Ea uerò quæ sunt præsentis temporis, si non argumentis, quæ necesse est præcessisse, sed oculis deprehendenda sunt, non egent coniectura: ut si apud Lacedæmonios quæratur, an Athenis muri fiant. Sed & illud potest uideri extra hoc propositum coniecturæ genus, cum de aliquo homine quæritur, qui sit: ut est quæsitum contra Vrbiniæ hæredes, si is qui tanquam filius petebat bona, Clusinius Figulus esset, an Sosipater: nam & substantia eius sub oculos uenit, ut non possit quæri an sit: quomodo ultra oceanum, nec quid sit, nec quale sit, sed an quid sit. Verùm hoc quoque genus litis ex præterito pendet, an hic sit ex Vrbinia natus Clusinius Figulus. Fuerunt autem tales nostris etiā temporibus controuersiæ, atq; aliquæ in meum quoq; patrocinium inciderunt. Animi coniectura non dubiè in omnia tempora cadit, Qua mente Ligarius in Africa fuerit, Qua mente Pyrrhus fœdus petat, Quomodo laturus sit Cæsar si Ptolemæus Pompeium occiderit. Quæritur per coniecturam & quantitas & qualitas circa modum, speciem, numerum. An sol maior quàm terra, Luna globosa, an plana, an acuta. Vnus Mundus, an plures. Itemq; extra naturales quæstiones, maius bellum Troianum, an Peloponnesiacū. Qualis clypeus Achillis. An unus Hercules. In ijs autem quæ accusatione ac defensione constant, unum est genus in quo quæritur, & de facto, & de authore. Quod interim coniunctam quæstionem habet, & utrunq; pariter negatur: interim separatam, cum & factum sit, necne: & si de facto constet, à quo factum sit, ambigitur. Ipsum quoq; factum aliquando simplicem quæstionem habet, an homo perierit: aliquando duplicem, ueneno, an cruditate perierit. Alterum est genus de facto tantùm, cum si id certum sit, non potest de authore dubitari. Tertium de authore tantùm, cum factum constat, sed à quo factum sit, in controuersiam uenit. Et quod tertio loco posui, non est simplex. Aut enim reus fecisse tantummodò se negat, aut alium fecisse dicit. Sed ne in alterum quidem transferendi criminis una forma est. Interdum enim substituitur mutua accusatio, quā Græci ἀντικατηγορίαν uocant, nostrorum quidam concertatiuam. Interdum in aliquam personam, quæ extra discrimen iudicij est, transfertur, & aliàs certam, aliàs incertam. Et cum incertum, aut in extrariam, aut in ipsius qui perijt, uoluntatem. In quibus similis atq; in ἀντικατηγορίᾳ, personarum, caussarum, cæterorum comparatio est: ut Cicero pro Vareno in familiam Ancharianam: pro Scauro circa mortem Bostaris in matrem auertens crimē, fecit. Est etiam illud huic contrarium comparationis genus, in quo uterq; à se factum esse dicit: & illud in quo non personæ inter se, sed ipsæ res colliduntur, id est, non uter fecerit, sed utrum factum sit. Cum de facto & de authore constat, de animo quæri potest. Nunc de singulis.

Rei cōiectura.

Præteritū tempus in iudiciis maximè ualet.

Pestiléti a.

Vide Iusti. lib. 2.

Animi cōiectura.

Cōiectura in accusatione ac defensione triplex, de authore & facto simul de facto tātum, de authore tantum.

ἀντικατηγορίαν Sulpitius repercussiuā & apologationem appellat.

Cum pa-

Quid agendum cũ de facto & authore constat.

Cum pariter utrunq; negatur, hoc modo, Adulteriũ non commisi. Tyrannidem non affectaui. In cædis ac ueneficij caussis frequens est illa diuisio, Non est factum: & si est factum, ego non feci. Sed cum dicimus, Proba hominẽ occisum, accusatoris tantùm partes sunt: à reo uix ul dici contrà præter aliquas fortasse suspiciones potest, quas spargere quammaximè uariè oportebit: quia si unũ aliquid affirmaris, probandum est, aut caussa periclitandum. Nam ut cum inter id quod ab aduersario, & id quod à nobis propositum est, quæritur, uidetur utiq; alterum uerum: ita ex aduerso unum est quo defendimur, reliquum est quo premimur. At cum quærimus de ambiguis signis cruditatis & ueneni, nihil tertium est: ideoq; utraq; pars quod proposuit tuetur. Interim autem ex re quæritur, ueneficium fuerit, an cruditas, cum aliqua ex ipsa citra personam quoq; argumenta ducuntur. Refert enim, conuiuium præcesserit, an tristitia: labor, an ocium: uigilia, an quies. Aetas quoque eius qui perierit, discrimen facit. Interest, subitò defecerit, an longiore ualetudine consumptus sit. Liberior adhuc in utranq; partem disputatio, si tantùm subita mors in quæstionem uenit. Interim ex persona probatio rei petitur, ut propterea credibile sit uenenum fuisse, quia credibile est ab hoc factum ueneficium, uel contra.

Cũ de reo & de facto quæritur.

Cum uerò de reo & de facto quæritur, naturalis ordo est, ut prius factum esse accusator probet deinde à reo factum. Si tamẽ plures in personam probationes habuerit, conuertet hunc ordinem. Defensor autem prius negabit esse factum: quia si in hac parte uicerit, reliqua non necesse habet dicere: uicto superest ut tueri se possit.

Cum de facto tãtum quæritur.

Illic quoque ubi de facto tantùm controuersia est quod si probetur, non possit de authore dubitari: similiter argumenta & ex persona, & ex re ducuntur, sed in unam facti quæstionem: sicut in illa controuersia (utendum est enim & his exemplis, quæ sunt discentibus magis familiaria) Abdicatus medicinæ studuit. cum pater eius ægrotaret, desperantibus de eo cæteris medicis, adhibitus, sanaturum se dixit, si is potionem à se datam bibisset. Pater accepta potionis epota parte, dixit uenenum sibi datum: filius quod reliquum erat, exhausit: pater decessit: ille parricidij reus est. Manifestum est quis potionem dederit, nulla quæstio de authore: tantùm an fuerit uenenum, ex argumentis à persona ductis colligetur.

Cũ de reo tantũ quæritur.

Superest tertium, in quo factum esse constat aliquid: à quo sit factum, quæritur. Eius rei superuacuum est ponere exemplum, cum plurima sint huiusmodi iudicia: ut si hominem occisum esse manifestum est, uel sacrilegium commissum: is autem qui arguitur fuisse, neget: ex hoc nascitur ἀντικατηγορία.

Mutua accusatio.

Vtiq; hoc factum esse conuenit, quod duo inuicem obijciunt. In quo quidem genere caussarum admonet Celsus, fieri id in foro non posse: quod neminem ignorare arbitror. De uno enim reo consilium cogitur: & siqui sunt qui inuicem accusent, alterum iudicium perferre necesse est. Apollodorus quoq; ἀντικατηγορίαι duas esse controuersias dixit: & sunt re uera secundum forense ius duæ lites. Potest tamen hoc genus in cognitionem uenire senatus, aut principis. Sed in iudicio quoq; nihil interest actionum, utrum simul de utroq; pronuncietur, an de uno seorsum. Quo in genere semper prior debebit esse defensio.

Cur in anticategoria defensio accusationẽ præcedat.

Primùm, quia natura potior est salus nostra, quàm aduersarij pernicies. Deinde, quòd plus habebimus in accusatione authoritatis, si prius de innocentia nostra constiterit. Postremò, quòd ita demum duplex caussa erit. Nam qui dicit, ego non occidi, habet reliquam partem, ut dicat, tu occidisti. At qui dicit, tu occidisti, superuacuum habet postea dicere, ego non occidi. Hæ porrò actiones constãt comparatione: ipsa comparatio non una uia ducitur.

Cõparatio quibus uijs ducatur.

Aut enim totam caussam nostram cum tota aduersarij caussa componimus, aut singula argumenta cum singulis. Quorum utrum sit faciendum, non potest nisi ex ipsius litis utilitate cognosci: ut Cicero singula pro Vareno comparat in primo crimine. Est enim superior, cum persona alieni cum persona matris temerè comparetur. Quare optimum est, si fieri poterit, ut singula uincantur à singulis. Sed siquando in partibus laborabimus, uniuersitate pugnandum est: siue inuicem accusant, siue crimen reus citra accusationem in aduersarium uertit: ut Roscius in accusatores suos, quamuis reos non fecisset: siue in ipsos quos sua manu perijsse dicemus, factum deflectitur: non aliter quàm in ijs quæ mutuam accusationem habent, utriusq; partis argumenta inter se comparantur. Id autem genus, de quo nouissimè dixi, non solùm in scholis sæpe tractatur, sed etiã in foro. Nam id est in caussa Næuij Arpuniani solũ quæsitum, præcipitatane esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte iecisset.

Quintiliani oratio prima. Quintiliani scripta.

Quam actionem equidem solam in hoc tempus emiseram, quod ipsum feci ess seductum iuuenili cupiditate gloriæ fateor. Nam cætera quæ sub nomine meo feruntur, negligentia excipientium in quæstum notariorum corrupta, minimam partem mei habent. Est & alia duplex coniectura huic ἀντικατηγορίᾳ non diuersa, de præmijs, ut in illa controuersia, Tyrannus suspicatus à medico suo datum sibi uenenum, torsit eum: & cum id dedisse se negaret, accersit alterum medicum: ille datum ei uenenũ dixit, sed se antidotum daturum: & dedit ei potionem, qua epota tyrannus decessit. De præmio duo medici contendunt.

Duorũ ad se facti inclinatio.

Nam ut illic factum in aduersarium transferentium, ita hic sibi uendicantium personæ, caussa, facultates, tempora, instrumenta, testimonia comparantur. Illud quoq; etiamsi non est ἀντικατηγορία, simili tamen ratione tractatur, in quo citra accusationem quæritur utrum factum sit.

Vtrum factum sit.

Vtraq; enim pars expositionem suam habet, atque eam tuetur: ut in lite Vrbiniana petitor dicit Clusinium Figulum filium Vrbiniæ acie uicta in qua steterat, fugisse: iactatumq; casibus uarijs, retentum etiam à rege, tandem in Italiam ac patriam suam Marginos uenisse, atque ibi agnosci. Pollio contrà seruisse eum Pisauri dominis duobus, medicinam factitasse, manumissum alienæ se familiæ uenali immiscuisse, ac rogantem ut eis seruiret, emptum. Nonne tota lis constat duarum caussarum comparatione, & coniectura duplici atq; diuersa? Quæ autem accusantium atq; defendentium, eadem petentium & inficiantium ratio est.

Loci coniecturales, & coniecturæ tractatio, quæ tribus capitibus cõtinetur, an uoluerit, potuerit, & fecerit.

Ducitur coniectura primùm à præteritis. In his sunt personæ, caussa, consilia. Nam is ordo est, ut facere uoluerit, potuerit, fecerit. Ideoq; intuendum ante omnia qualis sit de quo agitur. Accusatoris autem est efficere, ut si quid obiecerit, non solùm turpe sit, sed etiam crimini de quo est iudicium, quammaximè conueniat. Nam si reum cædis, impudicum uel adulterum uocet, lædat quidem infamia: minus tamen hoc ad fidem ualeat, quàm si audacem, petulãtem, crudelem, temerarium ostenderit. Patrono, si fieri poterit, id agendum est, ut obiecta uel neget, uel defendat, uel minuat: proximum est, ut à præsenti quæstione separet. Sunt enim pleraq; non solùm dissimilia, sed etiam aliquando contraria: ut si reus furti, prodigus dicatur, aut negligens. Neq; enim uidetur in eundem & contemptus pecuniæ, & cupiditas cadere. Si deerunt hæc remedia, ad illa declinandũ est, non de hoc quæri, nec eum qui aliquando peccauerit, utiq; commisisse omnia: & hanc fiduciam fuisse accusatoribus falsa obijciendi, quòd læsum & uulneratum reum sperauere hac inuidia

opprimi

A persona.

opprimi posse. Alia propositio est accusatoris, contra quã loci oriuntur sæpe à persona, & interim generaliter, Incredibile esse à filio patrem, ab uxore uirum occisum, ab imperatore proditam hostibus patriam. Facilè respondetur, uel quòd omnia scelera in malos cadant, ideoq; sæpe deprehensa sint: uel quòd indignum sit, crimina ipsa atrocitate defendi. Interim propriè, quod est uarium. Nam dignitas & tuetur reum, & nonnunquam ipsa in argumentum facti conuertitur, tanquam inde fuerit spes impunitatis: sed perinde paupertas, humilitas, opes, ut cuiq; ingenio uis est, in diuersum trahuntur.

Vt pro L. Muræna.

Probi uerò mores, & anteactæ uitæ integritas, nunquam non plurimum profuerunt. Si nihil obijcietur, patronus quidem in hoc uehementer incumbet: accusator autem ad præsentem quæstionem, de qua sola iudicium sit, cognitionem alligabit, dicens neminem non aliquando cœpisse peccare, nec per ἰγκώτια ducendum scelus primum. Hoc in respondendo. Sic autem præparabit actione prima iudicum animos, ut noluisse potius obijcere, quàm non potuisse credatur. Eoq; satius est, omni se anteactæ uitæ abstinere conuitio, quàm leuibus aut friuolis aut manifestò falsis reum incessere, quia fides cæteris detrahitur: & qui nihil obijcit, omisisse credi potest maledicta tanquam superuacua: qui uana congerit, confitetur uanum in anteactis argumentum, in quibus uinci quàm tacere maluerit. Cætera quæ à personis duci solent, in argumẽtorum locis exposuimus.

A caussis. Hanc Cicero ut multo præstantissimam, sic etiã firmissimam putat, quare Sulpiti° uictricem probationẽ uocat.

Proxima est ex caussis probatio, in quibus hæc maximè spectantur, ira, odium, metus, cupiditas, spes: nam reliqua in has species cadunt. Quorum si quid in reum cõueniet, accusatoris est efficere ad quicquid faciendum caussæ ualere uideantur, easq; quas in argumẽtum sumet, augere. Si minus, illuc conferenda est oratio, aut aliquas fortasse latentes fuisse, aut nihil ad rem pertinere cur fecerit, si fecit: aut etiam dignius esse odio scelus, quod non habuerit caussam. Patronus uerò quoties poterit, instabit huic loco, ut nihil credibile sit factum esse sine caussa. Quod Cicero uehementissimè multis orationibus tractat: præcipuè tamen pro Vareno, qui omnibus malis premebatur: nam & damnatus est. At si proponitur cur factum sit, aut falsam caussam aut leuem, aut ignoram reo dicet. Possunt esse aliqua interim ignota: an hæredẽ habuerit: an accusaturus fuerit eum à quo dicitur occisus. Si alia defecerint, non utiq; spectandas esse caussas. Nam quem posse reperiri, qui non metuat, oderit, speret? plurimos tamen hæc salua innocentia facere. Neque illud est omittendum, non omnes caussas in omnibus personis ualere. Nam ut alicui sit furandi caussa paupertas, non erit idem in T. Curio Fabricioq; momentum. De caussa prius, an de persona dicendum sit, quæritur: uarieq; est ab Oratoribus factum: à Cicerone etiam prælatæ frequentissimè caussæ. Sed mihi, si neutrò litis conditio præponderet, secundum naturã uidetur incipere à persona. Nam hoc magis generale est, rectiorq; diuisio, aut in nullo crimen credibile, aut in hoc. Potest tamen idipsum, sicut pleraq;, uertere utilitas. Nec tantùm caussæ uoluntatis sunt quærendæ: sed interim & erroris, ut ebrietas, & ignorantia.

Error. Ebrietas.

Nã ut hæc in qualitate crimen eleuant, ita in coniectura premunt. Et persona quidem nescio an unquam utique in uno actu rei possit incidere, de qua neutra pars dicat: de caussis frequenter quæri nihil attinet, ut in adulterijs, in furtis: quia illas per se ipsa crimina secum habent.

A consiliis.

Post hæc intuenda uidentur & consilia, quæ latè patent, an credibile sit reum sperare id à se scelus effici posse: an ignorari cum fecisset: an etiam si ignoratum non esset, absolui, uel pœna leui transigi, uel tardiore, uel ex qua minus incommodi consecuturus, quàm ex facto gaudij uideretur: an etiam tanti putauerit pœnam subire. Post hæc an alio tempore, & aliter facere, uel facilius, uel securius potuerit: ut dicit Cicero pro Milone, enumerans plurimas occasiones quibus ab eo Clodius impunè occidi potuerit. Præterea cur potissimum illo loco, illo tempore, illo modo sit aggressus: qui & ipse diligentissimè tractatur pro eodem locus. An etiam si nulla ratione ductus est, impetu raptus sit, & absq; sententia. Nam uulgò dicitur. Scelera non habere consilium. An etiam consuetudine peccandi sit allectus.

Consilium non habẽt scelera.

An potuerit.

Excussa prima parte, an uoluerit: sequitur, an potuerit. Hic tractatur locus, tempus: ut furtum in loco clauso uel recluso, frequenti uel solo: tempore uel diurno, cum testes plures: uel nocturno, cum maior difficultas. Inspiciuntur utique difficultates & occasiones, quæ sunt plurimæ, ideoq; exemplis non egent. Hic sequens locus talis est, ut si fieri non potuit, sublata lis sit: si potuit, sequatur quæstio, an fecerit. Sed hæc etiam ad animi coniecturam pertinent: nam & ex his colligitur an sperauerit. Ideo spectari debent & instrumenta, ut Clodij ac Milonis comitatus.

An fecerit.

Quæstio an fecerit, incipit à secundo tempore, id est præsenti: ac deinde coniunctio, hoc est insequenti: quorũ sunt sonus, clamor, gemitus, latitatio, metus, similia. His accedunt signa, de quibus tractatum est.

A uerbis.

Verba etiam & facta quæq; antecesserunt, quæq; insecuta sunt. Hæc aut nostra sunt, aut aliena. Sed uerba magis nocent, aut minus. Magis nocent & minus prosunt nostra, quàm aliena: magis prosunt & minus nocent aliena, quàm nostra.

A factis.

Facta autem interim magis prosunt nostra, interim aliena: ut si quid quod pro nobis sit, aduersarius fecit. Semper uerò magis nocent nostra quàm aliena. Est & illa in uerbis differentia, quòd aut aperta sunt, aut dubia. Seu nostra, seu aliena sunt, infirmiora in utrunq; sint necesse est dubia: tamẽ nostra sæpe magis nocent: ut in illa controuersia: Interrogatus filius ubi esset pater, dixit, Vbicunq; est, uiuit. at ille in puteo mortuus est inuentus. Aliena quæ sunt dubia, nunquam possunt nocere nisi aut incerto authore, aut mortuo, Nocte audita est uox, Caueto tyrannicidam: & interrogatus cuius ueneno moreretur, respondit. Non expedit tibi scire. Nam si est qui possit interrogari, soluet ambiguitatem. Cum autem dicta factaq; nostra defendi solo animo possint, aliena uariè refutantur. De uno quidem maximè genere coniecturalium controuersiarũ locuti uidemur, & in omnes aliquid de his cadit.

Depositi, furti, creditæ pecuniæ quæstiões.

Nam depositi, furti, credita pecunia, & à facultatibus argumenta ueniunt, an fuerit quod deponeretur: & à personis, an illum deposuisse apud hunc, uel huic credidisse credibile sit: an petitorem calumniari, an reum inficiatorem esse, uel furem. Sed etiam in furti reo, sicut in cædis, quæritur de facto, & de authore. Crediti & depositi duæ sunt quæstiones, sed nõnunquam iunctæ, an datum sit, an redditum.

Adulterij.

Habent aliquid proprij, adulterij caussæ, quòd plerunq; duorum discrimen est, & de utriusq; uita dicendum: quanquam & id quæritur, an utrunq; pariter defendi oporteat. Cuius rei consilium nascetur ex caussa. Nam si adiuuabit pars altera, coniungam: si nocebit, separabo. Ne quis autem mihi putet temerè excidisse, quòd plerunque duorum crimen esse adulterium, non semper, dixerim: potest accusari sola mulier incerti adulterij: Munera domi inuenta sunt: pecunia, cuius author non extat: codicilli, dubium ad quem scripti.

Falsi.

In falso quoq; ratio similis: Aut enim plures in culpam uocantur, aut unus. Et scriptor quidem semper tueri signatorem necesse habet, signator scriptorem nõ semper: nam & decipi potuit. Is autem qui hos adhibuisse, &

cui id

cui id factum dicitur, & scriptorem & signatores defendet. Idem argumentorum loci in caussis proditionis, & affectatę tyrannidis. Verùm illa scholarum consuetudo ituris in forum potest nocere, quòd omnia quæ in themate non sunt, pro nobis ducimus. Adulterium obijcis, quis testis? quis iudex? quod precium? quis conscius? Venenum, ubi emi? à quo? quando? quanti? per quem dedi? Pro reo tyrannidis affectatæ, Vbi sunt arma? quos contraxi satellites? Neq; hæc nego esse dicenda, & ipsis utendum pro parte suscepta. Nam & in foro, siquando aduersarius probare non poterit, desiderabo. Sed in foro tantum illam facultatem olim desideramus, ubi non ferè caussa agitur, ut non aliquid ex his, aut plura ponantur. Huic simile est, quòd in epilogis quidam, quibus uolunt, liberos, parentes, nutrices accommodant: nisi quòd magis concesseris ea quæ non sint posita, desiderare, quàm dicere. De animo quo modo quæratur, satis dictum est, cum ita diuiserimus, an uoluerit, an potuerit, an fecerit. Nam qua uia tractatur an uoluerit, eadem quo animo fecerit. Id enim est, an male facere uoluerit. Ordo quoq; rerum aut affert, aut detrahit fidem, multo scilicet magis res prout congruunt, aut repugnant. Sed hæc nisi in ipso complexu caussarum non deprehenduntur. Quærendum tamen semper, quid cui connectatur, & quid cui consentiat.

Proditionis. Tyrannidis affectatæ.

Pro Cęlio.

Animi coniectura ad uelle refertur.

Ordo.

MOSELLANI.

EX utraq; parte] Actoris & rei. Cuius rei] diuersitatis. Demosthenes quoq;] Demosthenes ob uirtutes corona aurea honorandum se censuit, eò ꝙ ad extruendos ciuitatis muros pecuniam è domesticis facultatibus erogasset, id quod contra leges libertatis habetur, uidelicet ne quis per eam occasionem ad tyrannidem aspiraret. Tum & aliæ fuerunt leges, quarum præuaricatione reus premebatur, atq; in primis, ꝙ si corona aurea authoritate Senatus cui decernatur, id publicandum in curia: si uerò plebiscito, in concione populi: quorum neutrũ seruatum queritur Aeschines. Atque Aeschines] Quoniam Aeschines hoc nomine reum fecit, ꝙ contra legem in Senatu sententiam dixisset. Pauperis educatoris] Quòd uidelicet non immerito duceret filiam pauperis educatoris, si pater uerus non solueret alimenta. Porrò leges ciuiles non consentiunt in nuptias, nisi uoluntas parentum accesserit. Probationum loco] Suspicor hoc, probationum loco, maioris lucis gratia à quopiam studioso olim annotatum, uidelicet ut sciretur quo loco à Fabio concessum hoc, de argumentis disponendis. Neque enim mos est Fabio ad plenum adeo & solicitè repetere quo quid loco dictum sit. Procuratorem habendi sit ius] Procurator is est, qui aliena negocia mandato domini administrat. constituitur autem coram, uel per nuncium, uel per epistolam. Item ueteranis procuratores dari possunt, militibus non possunt, sic Iurisconsultus tradit lib. 3 Pandectarum titulo de Procuratoribus. Ex asse hæres] Nam Iurisconsulti totam hæreditatem assis nomine intelligunt, quam deinceps in suas partes diuidũt. qua de re in Pandectis habes titulo de Institu. hære. lib. 28. & lib 6. de petitione hæred. Porro ad hæc plenissimè intelligenda plurimum adiumenti attulerit liber primus Gulielmi Budæi de Asse, & eius partibus. In factis] In quæstionibus facti. Proprium uirum] Aldus hoc loco paulo curiosior, pro uirum, quod est in antiquis exemplis, subiecit Viriatum, proprium tyranni nomen malo ego antiquiorem lectionem, cũ propter codicum consensum, tum uerò maximè ꝙ subiungitur, mulier occidit: uxor occidit: quoniam dubium non est quin uxor ad uirum tyrannum referatur. Aut præuaricatione] Quanquam Iurisconsulti discrimen faciunt inter præuaricationem, calumniam, & tergiuersationem, ut uidelicet præuaricatio sit, cum accusator segniter agit dedita opera, & potentissima quæq; in accusando omittit, quò uidelicet effugiat supplicium reus, & calumnia, falsorum criminum obiectio, tergiuersatio uerò, cum ab actore caussa in totum negligitur, & omnia hæc dolo malo, tamen hoc loco præuaricationem accipit Fabius generaliter, ut & tergiuersationem includat, alioqui non procedit Fabii argumentatio, uidelicet non omnibus propositis quibus fiat ut quis reus absoluatur. Propositione] Intentione summæ caussæ.

Multis millibus uersum] Seriem dictionis uersum uocat. Vera pars] Cum duo uidelicet æqualem caussam habent, hæc quæstio locum tantum habet in iudiciis quæ exercentur præsentibus quasi eiusdem caussæ sociis, id quod usu uenit in caussis familiæ herciscundæ, id est hæreditatis diuidundæ, communis diuidundi, & finium regundorum. Petitionum] Prouocationum. Narrare] Proponere. Possessore] Qui communem hæreditatem habet in sua manu. aliàs defensore. Propositio] Actionis quæ intenditur. Colores] Velut quosdam habitus dictionis. Locis speciosis] Quæstionibus copiosis, & magnã utilitatem & ubertatem dicendi præbentibus, quales sunt communes quæstiones, & uulgo frequentissimæ. Ea] Scilicet quę sunt communia. In oculos] Aperta quæ sunt, remotiora, aut occultiora, aut simile quippiam deest. Cum fecisset fortiter] In rempublicam. Fauorabiles personas] Quæ fauorem iudicis possunt demereri. Quæ omnia] Iam hic excusat pro rustico. Sententiæ] Quibus claudũtur periodi. Præcipites] Argutæ, hoc est, quæ tametsi prima fronte argutiam & acumen habere uidentur, attamen si semel atq; iterum excusseris, uanæ apparent, & uelut concidunt. Vel obscuræ] Vt uidelicet obscuritas admirationem faciat, ut nunc nostro seculo gregarius Oratoribus. Tumultu & clamore] Tumultum hic & clamorem intelligo audiẽtium acclamationem, atq; item applausum, siue id in schola declamantibus contingat, siue in foro orantibus qui mos Quintiliani seculo atq; item huius discipuli Plinii Iunioris, usq; adeò inualuit, ut Plinius de hac re præceptum dans in epistolis, dicat, Scito eum pessimè dicere, cui quàm maximè fuerit applausum, ꝙ uidelicet quæ erudita sint, à paucis, hoc est eruditis, iudicari queant, uulgus autem non tam iudiciũ, quo caret, quàm affectuum sequitur impetum. Cura in proximo] Quasi cognata. Hæc] Videlicet quę supra dicta sunt pro rustico. Expugnata] Euicta. Sequentibus] Scilicet argumentis. Literis] Græcis. Incipiat] Quemadmodum præscripsi, ut iure gentium petat. Propositio] Rhetorica. Tam aquæ] Tam mananti ex naturali lege. Postulationi] Petitioni hæredia. Confessis] In eis de quibus conuenit inter partes. Hoc] tantum, derelictum patrem. An uoluntate sit standum] Quia leges scire, ut Iurisconsulti dicunt, non est uerba, sed proprietatem & mentem iuris tenere & amplecti. ratio enim est anima legis. Satis] Accuratè leges communes ad particularia transire. Exceptione] Quod tamen absurdum est. Argumenta] Verba absurditatẽ comprobantia Actum] Contra legem, alias acti. Idem ille] Orator. Cogitauit] Sic meditatus caussam & progressum, & iudicii cursum. Vt ait Cicero] In oratione pro Lucio Muræna, quo loco M. Tullius anxias has & superstitiosas Iurisconsultorum meditationes in Seruii Sulpitii inuidiam docet. Porro tibicinem Latinũ hic uocat. ꝙ comœdia latina pro Græcorum choris, tibiis iam dextris, iam sinistris distinguitur. Alludit ergo Cicero per transitum ab actore ad reum, uel à reo ad actorem partium, ad dextras & sinistras tibias comœdiarum Latinarum. Qui plura super hac re desiderat, legat quæ eruditè congessit in uestibulo Terentianæ comœdiæ Aelius Donatus. Ad disertum] Personam diserti fratris assumat. Vt ista] Posse aliquem non abfuisse, & tamen hæredem esse. Occurrit] Pro persona rustici. De caussa] Silentio suo, absentia. Coloris] Introducti consilii uerisimilis argumenti caussa Intendamus] Animũ acriter. Reum] Qui non aluerit parentem, aut accusatum de peregrinis sacris in urbem adductis. Erat enim capitale, & apud Gentiles contra magistratum authoritatem, noua & peregrina sacra, aut nouũ etiam colendorum sacrorum ritum inducere. Quæ res Græcis, & maximè Platoni describitur. Hæc lex cicutam bibere coegit Socratem, noui cuiuspiam & unius numinis cultorem, ligneorum autem & saxeorum irrisorem. Vendidit lenoni] Et per hoc filii pudicitiam prostituit Lex] Scilicet de filio exhæredando, ꝙ patri proditionis reo non adfuerit. Dura] Noua. Verecundum] Religio est, dicere timeo hoc, propterea non adfuisse parenti. Ad exules] Quia scilicet sunt infames, nec iure agere possunt, ut in titulo, De his qui infamia notantur. Vtraque parte] Et per hoc modestia commendatur, qui nolit aperta fraude agere cum fratre. Ne periculo] Et sic deseratur caussa patris. Deficiat] Meditanti oratori. Tendamus eo] Ingenium nostrum applicemus. Id] commodum suæ caussæ. Vltra] illud quod prima fronte occurrit. Sublatione] Annihilatione, exauroratione. Perinde] Aequali conditione, quia alioqui duo præmia postulasset rusticus, alterũ quo pater, alterum quo frater restitueretur. Reliqua] Quærenda pro rustico. Id ipsum] Quæsitum. Nunc utique] Diuiditur maximè. Semissem] Dimidium hæreditatis.

Vniuersa]

Vniuersa] Patris bona. Patris memoria] Vita functi. Instrumentum est] Ducitur ex altero statu, uel etiam dat occasionem alteri statui, uidelicet an non iure pater totam hæreditatem restitutori filio reliquisset.

ARGVMENTVM.

Qui factum negare non potest, ei nomen facti negandum docet, ergo coniecturæ finitionem proximam esse, in qua quid sit res quæritur. In hanc nos aliquando à qualitate delabi ostendit, ut in actionibus Reipub. læsæ, in quibus ad nomen confugimus, si quod obijcitur, recte factum esse defendi non potest. Quid finitio sit explicat, propria, dilucida, & breuiter comprehensa rei propositæ expositio. His locis constare cõtendit, genere, specie, differentia, & propria. Adhiberi autẽ illam pluribus caussis, aut cum certum de nomine sit, sed de re per illud intelligẽda incertum: Quod interim ex cõiectura pẽdeat, ut quid sit deus, interim ex qualitate, ut quid rhetorice: Aut cum re manifesta, de nomine non constat, ut an sit tyrannicida, qui tyrannum ad mortem compulit. Porro hanc omnem materiam in tres species diuidit. Prima totum crimen negari, nec aliud nomen subijci, etiam si rem fatemur, ut cum obijcitur adulterium in lupanari. Secunda sic negari crimen, ut aliud nomen edatur, ut si obijcienti sacrilegium, dicatur esse furtum, ubi utrunq; finiendum. Tertia quæri in rebus specie diuersis, an hoc eodem nomine sit appellandum, ut amatorium, uenenum. Formam oratoriæ finitionis describit, quam seruitute ex consuetudine philosophorum ducta, immutabili necessitate non uult esse astrictam, aut per argumenta uerborum cauillatricem, sed expositis rei partibus & proprietatibus latius oratione ductam. Cuius exempla luculenta ex Ciceronis orationibus profert. Finitionis hunc esse ordinem certum, quid sit quo finitionem confirmamus, & an hoc sit, quo in rem finitionem applicamus. Illud generale esse, & ferè difficilius, hoc particulare, & ad aliud sequi. In finitione prouidendum esse ne sit superuacua, nihil ad caussam pertinens, ambigua, communis, contraria, falsa, parũ plena, quibus duobus ultimis euerti præcipuè possit. Excussa priore parte quid sit, facilè quod secundum est, id est an hoc sit, perfici, cum ex primo non aliter inferatur, quàm ex thesi hypothesis, adiunctis, repugnantibus, caussis, effectis, similibus. Exemplis ex Cice. oratione pro Cecinna, & quibusdã fictis, id demonstrat. Circa finem quartum quoddam genus addit, quam finitionem certam uocat, de qua inter utranq; partem conueniat, ut in caussa Cornelij de maiestate, quam ad qualitatem reducit.

De finitione. Cap. III.



Equitur coniecturam finitio. Nam qui nõ potest dicere nihil fecisse, proximum habebit ut dicat, non id fecisse quod obijcitur. Itaq; plerunq; legibus ijsdem, quibus coniectura, uersatur defensionis tantum genere mutato: ut in furtis, depositis, adulterijs. Nam quemadmodum dicimus, non feci furtum, non accepi depositum, non commisi adulterium: ita. non est hoc furtum, non est hoc depositum, non est hoc adulterium. Interim à qualitate ad finitionem descenditur, ut in actionibus dementiæ, malæ tractationis, Respub. læsæ. In quibus si rectè facta esse quæ obijciuntur, dici non potest, illud succurrit, Non est hoc dementem esse, male tractare, Rempub. lædere.

Finitio qđ sit, & quibus cõstet.

Finitio igitur est rei propositæ propria & dilucida & breuiter comprehensa uerbis enunciatio. Constat maximè sicut est dictum, genere, specie, differentibus, proprijs: ut si finias equum (noto enim maximè utar exemplo) genus est animal: species, mortale differentia, irrationale (nã & homo mortale erat) proprium, hinniens. Hæc adhibetur orationi in pluribus caussis. Nam tum est certum de nomine, sed quæritur quæ res ei subijcienda sit: tum res est manifesta, sed de nomine non constat. De re cum dubium est, interim coniectura est, ut si quæratur quid sit deus. Nam qui id neget, deum esse spiritum omnibus partibus immistum, non hoc dicat, falsam esse illius diuinæ naturæ appellationem sicut Epicurus, qui humanam ei formam, locumq; inter mundos dedit: sed nomine uterq; uno utitur: utrum sit in re, coniectat. Interim qualitas tractatur, ut quid sit Rhetorice, uis persuadendi, an bene dicendi scientia. Quod genus est in iudicijs frequentissimum, Sic enim quæritur, an deprehensus in lupanari cũ aliena uxore, adulter sit: quia non de appellatione sed de ui facti eius ambigitur, an omnino peccarit. Nam si peccauit, non potest aliud esse quàm adulter. Diuersum est genus cum controuersia consistit in nomine, quod pendet ex scripto, nec uersatur in iudicijs nisi propter uerba, quæ litem generãt. An qui se interficit, homicida sit: an qui tyrannum in mortem compulit, tyrannicida: an carmina magorum, ueneficium. Res enim manifesta est, sciturq; non idem esse occidere se, quod alium: non idem occidere tyrannum, quod compellere ad mortem non idem carmina, ac mortiferam potionem: quæritur tamen an eodem nomine appellãda sint.

Vbi adhibẽda finitio. Quãdo nomen certũ est, res incerta sit. Deus quid sit.

Quãdo res certa, nomen incertum.

Quanquam autem dissentire uix audeo à Cicerone, qui permultos secutus authores dicit finitionem esse de eodem & de altero, (semper enim neganti aliquod esse nomen, dicendum quid sit potius) tamen in eandem treis habeo uelut species. Nam interim sic conuenit quærere, an habendum sit adulterium in lupanari. Cum hoc negamus, non necesse est dicere quid id uocetur, quia totum crimen inficiamur. Interim quæritur, an hoc furtum, an sacrilegium non quin sufficiat non esse sacrilegium, sed quia necesse sit dicere quid sit aliud: quo in loco utrunque finiendum est. Interim quæritur in rebus specie diuersis, an & hoc eodem modo sit appellandum, cum res utraque habeat suum nomen, ut amatorium, uenenum. In omnibus autem huius generis litibus quæritur, an etiam hoc: quia nomen de quo ambigitur, utiq; in alia re certum est. Sacrilegium est rem sacram de templo surripere, num & priuatam? Adulterium, cum aliena uxore domi coire: an & in lupanari? Tyrannicidium, occidere tyrannum, an etiam in mortem compellere? Ideoque συλλογισμὸς, de quo postea dicum, uelut infirmior est finitio, quia hæc quæritur, an idem sit huius rei nomen, quod alterius: illo, an perinde habenda sit hæc, atq; illa. Est & talis finitionum diuersitas, ut quidam sentiunt, num idem diuersis uerbis comprehendatur: ut Rhetorice, bene dicendi scientia, & eadem bene inueniendi, & bene enunciandi, & dicendi secundum uirtutem orationis, & dicendi quod sit officij. Atque prouidendum, an si sensu non pugnant, comprehensione dissentiant. Sed de his disputatur, non litigatur. Opus est aliquando finitione obscurioribus & ignotioribus uerbis, ut quid sit clarigatio. Erit & interim notis nomine uerbis: ut quid sit penus, quid littus. Quæ uarietas efficit, ut eam quidam coniecturæ, quidam qualitati, quidam legitimis quæstionibus subiecerint. Quibusdam ne placuit quidem omnino subtilis hæc, & ad morem Dialecticorum formata conclusio, ut in disputationibus potius per argumenta uerborum cauillatrix, quàm in oratoris officio multum allatura momenti. Licet enim ualeat in sermone tantum, ut constrictum in uinculis suis habeat eum qui responsurus est, & uel tacere, uel etiam inuitum id quod sit contrà, cogat fateri: non eadem est tamen eius in caussis utilitas, Persuadendum enim iudici est: qui etiam si uerbis deuinctus est, tamen nisi ipsi rei accesserit, tacitus dissentiet. Agenti uerò quæ tanta est huius præcisæ comprehensionis necessitas? An si non dixero, homo est animal rationale mortale, non potero expositis tot corporis animique proprietatibus, latius oratione ducta uel à dijs eum uel à mutis

In Topicis.

Species finitiuarum quæstionũ tres? Prima. Secunda. Tertia.

Cap. 8.

Quo pacto finitio oratori tractanda sit. Dialectica cauillatrix.

Oratoriæ finitionis exempla.

mutis discernere? Quid? quòd nec uno modo definitur res eadem, sed latiore, varioq; tractatu: ut facit Cicero, ut omnes oratores plerunq; fecerunt. Rarissima enim apud eos reperietur illa ex consuetudine philosophorum ducta seruitus (est enim certè seruitus) ad certa se uerba adstringendi. Idq; faciendum in libris Ciceronis de oratore uetat M. Antonius. Nam est etiam periculosum, cum si uno in uerbo sit erratum, tota caussa cecidisse uideamur. Optimaq; est illa media uia, qua utitur Cicero pro Cæcinna, ut rei proponatur, uerba non periclitetur. Etenim, Recuperatores, non ea sola uis est, quæ ad corpus nostrum uitamq; peruenit, sed etiam multo maior ea quæ periculo mortis iniecto formidine animum perterritum, loco sæpe & certo statu demouet. Aut cum finitionem præcedit probatio, ut in Philippicis Cicero Seruium Sulpitium occisum ab Antonio colligit, & in clausula demum ita finit, Is ei profectò mortem attulit, qui caussa mortis fuit. Non negauerim tamen hæc quoq; ut expedit caussæ, esse facienda, & si quando firma comprehendi poterit, & breui complexu uerborum finitio, esse id tum elegans, tum etiam fortissimum, si modò erit illa inexpugnabilis. Eius certus ordo est, quid sit, an hoc sit: & in hoc ferè labor maior est, ut finitionem confirmes, quàm ut in rem finitionem applicet. In eo, quid sit, duplex opus est. Nam & nostra confirmanda est, & aduersæ partis destruenda finitio. Ideoq; in schola, ubi nobisipsis fingimus contradictionem, duos ponere debemus fines, quales utrinq; esse optimi poterunt. At in foro prouidendũ, num forte superuacua, & nihil ad caussam pertinens, an ambigua, an contraria, an communis sit finitio: quorum nihil non accidere agentis culpa potest. Vt rectè autem finiamus, ita fiet, si prius in animo constituerimus, quid uelimus efficere. Sic enim accommodari ad uoluntatem uerba poterunt. Atq; ut à notissimo exemplo, quo sit res lucidior, non recedamus: Qui priuatam pecuniam de templo surripuit, sacrilegij reus est. Culpa manifesta quæstio est, an huic crimini nomen quod est in lege, conueniat. Ergo ambigitur, an hoc sacrilegium sit. Accusator, quia de templo sit surrepta pecunia, utitur hoc nomine. Reus, quia priuatam surripuerit, negat esse sacrilegiũ, sed furtum fatetur. Actor ergo ita finiet, Sacrilegium est surripere aliquid de sacro. Reus ita finiet, Sacrilegium est surripere aliquid sacri. Vterq; alterius finitionem impugnat. Ea duobus generibus euertitur, si aut falsa est, aut parum plena. Nam illud tertium nisi stultis non accidit, ut nihil ad quæstionem pertineat. Falsa est si dicas, Equus est animal rationale: nam est equus animal, sed irrationale. Quod autem commune cum alio est, definet esse proprium. Hic reus falsam dicit esse finitionem accusatoris: accusator autem non potest dicere falsam rei. Nam est sacrilegium, surripere aliquid sacri. Dicit parum plenam: adijciendum enim, aut ex sacro. Maximus autem usus in approbando refellendoq; fine propriorum ac differentium, nonnunquam etiam etymologia. Quæ tamen omnia, sicut in cæteris, confirmat æquitas, nõnunquam etiam coniectura mentis. Etymologia maximè rara est. Quid enim est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? Vnde etiam nomen ductum est tumultus. Circa propria ac differentia magna subtilitas: ut cũ quæritur, an addictus, quem lex seruire donec soluerit iubet, seruus sit: altera pars finit ita, Seruus est, qui est iure in seruitute. Altera, qui in seruitute est eo iure, quo seruus: aut, ut antiqui dixerunt, qui seruitutem seruit. Quæ finitio etiam si constat æquo, nisi tamen proprijs & differentibus adiuuetur, inanis est. Dicet enim aduersarius seruire eum seruitutem, aut eo iure quo seruum. Videamus ergo propria differentiaq; liberorum, quæ libro quinto leuiter in transitu attigeram. Seruus cum manumittitur, fit libertinus: addictus recepta libertate est ingenuus. Seruus inuito domino libertatem non consequetur: addictus soluendo, citra uoluntatem domini consequetur. Ad seruum nulla lex pertinet: addictus legem habet. Propria liberi, quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum: habet hæc addictus. Excusso quid sit, propè peracta est quæstio, an hoc sit. Id enim agimus, ut sit caussæ nostræ conueniens finitio. Potentissima autem est in ea qualitas, an amor, an insania. Hue pertinebunt probationes, quas Cicero dicit proprias esse finitionis, ex antecedentibus, consequentibus, adiunctis, repugnantibus, caussis, effectis, similibus: de quorum argumentorum natura dictum est. Breuiter autem pro Cæcinna Cicero initia, caussas, effecta, antecedentia, consequentia complexus est: Quid igitur: fugiebant propter metum? Quid metuebant? Vim uidelicet. Potestis igitur principia negare, cum extrema conceditis? Sed similibus quoque usus est, Quæ uis in bello appellatur, ea in ocio non appellabitur? Sed ex contrario argumenta ducuntur, ut si quæratur an amatorium, uenenum sit, necne: quia ueneñũ, amatorium non sit. Illud alterum genus, quò sit manifestius adolescentibus meis, (meos enim semper adolescentes puto) hic quoque ficta controuersia utar exemplo. Iuuenes qui conuiuere solebant, constituerunt ut in littore cœnarent. Vnus, qui cœna defuerat, nomen tumulo quem extruxerant, inscripserunt. Pater eius à transmarina peregrinatione cum ad littus idem appulisset, lecto nomine suspendit se. Dicuntur hi caussa mortis fuisse. Hic finitio est accusatoris, Per quem factum est ut quis perierit, caussa mortis est. Rei est, Qui fecit quid sciens, per quod perire homini necesse esset. Remota finitione, accusatori sat est dicere, Caussa mortis fuistis, per uos enim factum est ut homo periret: quia nisi uos illud fecissetis, uiueret. Contrà, non statim per quem factum est ut quis periret, is damnari debet, ut accusator, testis, iudex rei capitalis. Nec undecunque caussa fluxit, ibi culpa est: ut si cui quis profectionem suaserit, ut ad amicum accedat trans mare, & is naufragio perierit. Ad cœnam inuitarit, & is cruditate illic contracta decesserit. Nec fuit in caussa mortis solum adolescentium factum, sed credulitas senis, & in dolore ferendo infirmitas: denique si fortior fuisset aut prudentior, uiueret. Nec mala mente fecerunt: & ille potuit uel ex loco tumuli, uel ex opere tumultuario suspicari non esse monumentum. Qui ergo puniri debent, in quibus omnia sunt homicidę pręter manum? Est interim certa finitio, de qua inter utranque partem conuenit: ut Cicero dicit, Maiestas est in imperio, atque in omni populi Romani dignitate. Quæritur tamen an maiestas minuta sit, ut in caussa Cornelij quæsitum est. Sed hic etiam simulis uideri potest finitiua: tamen quia de finitione non ambigitur, iudicatio est qualitas, atque ad eum potius statum reducenda, ad cuius forte quadam uenimus mentionem, sed & erat ordine proximus locus.

Marginalia: Dialectica seruitus in foro periculosa. — Philip. 9. — Ordo quæstionum, quid sit, an hoc sit, & quomodo sit utrunq; tractandũ. — Finitio uitiosa. — Finitionis euersio. — Sacrilegiũ quid. — Etymologia Phil. 8. Tumultus. — Addictus. Seruus. — Cap. 10. Libertin⁹. — An hoc sit. — In Topicis — Lib. 5. — Finitio certa, ad quã qualitatem redacitur. In Partit.

MOSELLANI.

AN atomorum] Vt uidelicet tradunt Epicurei, & probare conatur multis uersibus Lucretius de rerum natura primo. Porro atomos intelligunt Epicurei tenuissima corpuscula, & ut uox indicat, insectilia, quæ per radios solis uolitare conspiciuntur.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Coniectura & finitione absolutis, qualitatem, quod ordine naturæ tertium est, aggreditur, quam latè accipiendo ad quantitatem continuam & discretam extendit: cuius statu suasorias, demonstratiuas, & bonam partem iudicialium contineri tradit. Qualitatem diuidit in absolutam & assumptiuã, in quibus omnis lis sit aut de præmio, aut de pœna, aut de quantitate. Culpæ defensionem in utraq; primam tractat. Absolutam definit eam esse, in qua quod obijcitur, honestum esse defendimus. Cuius loci sunt natura, lex, mos, iudicatum, pactum, ut si quis in ciuitate libera cædem tyranni obiiciat. Assumptiuam, in qua factum per se improbabile, assumptis extrinsecus auxilijs defenditur, ut si Orestes accusetur q matrem suam occiderit. huius species multas enumerat Cõparationem criminis, translationem uel remotionem, excusationem, quã subdiuidit in ignorantiam, necessitatem, & fortunam, culpæ imminutionẽ, & deprecationem, quam in Senatu, apud populum, & principem, & ubicunq; iuris elementia est, locum habere dicit. Hactenus de culpæ defensione, de præmijs duo quæri, an ullo sit quis præmio dignus, an tanto, de duobus, uter: & quis de pluribus dignior. Quibus abdicationis caussas, dementiæ, malæ tractationis, & orbarum nuptias indicentium subiungit. Multas præterea controuersiarum species enumerat, quæ in qualitatẽ cadunt. Postremò quantitatẽ qualitati subiacere, seu ratione modi, quo facti magnitudo æstimatur, seu numeri, ut cũ quæritur an Thrasybulo triginta præmia debeantur, colligit.

De qualitate. Cap. IIII.

EST autem qualitas alia de summo genere, atque ea quidem non simplex. Nam & qualis sit cuiusq; rei natura, & quæ forma, quæritur: an immortalis Anima, an humana specie Deus: & de magnitudine ac numero, quantus Sol, an unus Mundus. Quæ omnia coniectura quidem colliguntur, quæstionem tamen habent in eo, qualia sint. Hæc & in suasorijs aliquando tractari solent, ut si Cæsar deliberet an Britanniam impugnet: quæ sit Oceani natura an Britannia insula, (nam tum ignorabatur) quanta in ea terra, quo numero militũ aggredienda, in consilium ferendum sit. Eidem qualitati succedunt facienda, ac non facienda: appetenda, uitanda: quæ in suasorias quidẽ maximè cadunt, sed in controuersijs quoque sunt frequentia: hac sola differentia, quia illic de futuris, hic de factis agitur. Item demonstratiuæ partis omnia sunt in hoc statu: factum esse constat: quale sit factum, quæritur.

Qualitas iuridicialis de præmio pœna uel quãtitate.

Lis est omnis aut de præmio, aut de pœna, aut de quantitate. Igitur primum genus caussæ, aut simplex, aut comparatiuũ. Illic quid æquum, hic quid æquius, aut quid æquissimum sit, excutitur. Cum de pœna iudiciũ est, à parte eius qui caussam dicit, aut defensio est criminis, aut imminutio, aut excusatio, aut, ut quidam putant, deprecatio. Defensio longe potentissima est, qua ipsum factum quod obijcitur, dicimus honestum esse.

Qualitas absoluta.

Abdicatur aliquis, quòd inuito patre militarit, honores petierit, uxorem duxerit: tuemur quod fecimus. Partem hanc uocant Hermagorei κατ' ἀντίληψιν, ad intellectum id nomen referentes. Latinè ad uerbum translatum non inuenio: absolutam appellant.

Iustum natura, constitutione.

Sed enim de re sola quæstio, iusta sit ea, necne. Iustum omne continetur natura, uel constitutione. Natura, quod fit secundum cuiusq; rei dignitatem. Hæc sunt pietas, fides, continentia, & talia. Adijciunt & id quod sit par. uerùm id non temerè intuendum est. Nam & uis contra uim, & talia nihil habent aduersum eum qui prior fecit iniustè: & non quoniam res pares sunt, etiam id est iustum quod antecessit. Illa utrinque iusta, eadem lex, eadem conditio: ac forsitan ne sint quidẽ paria, quæ ulla parte sunt dissimilia.

Cõstitutio:

Constitutio est in lege, more, iudicato, pacto.

Qualitas assumptiua.

Alterum est defensionis genus, in quo factum per se improbabile, assumptis extrinsecus auxilijs tuemur: id uocant προσληπτικήν. Latini hoc quoq; non ad uerbum transferunt. Assumptiua enim dicitur caussa.

* κατ' ἀντίθεσιν.

Recriminatio, quã alii trãslationem uocant.

In quo genere fortissimum est, si crimen caussa facti tuemur, qualis est defensio Orestis, Horatii, Milonis. ἀντέγκλημα dicitur, quia omnis nostra defensio constat eius accusatione, qui uindicatur. Occisus est, sed latro: excæcatus, sed raptor.

Ex caussa facti defensio.

Est & illa ex caussis facti ducta defensio priori contraria, in qua neq; factum ipsum per se, ut in absoluta quæstione defenditur: neq; ex contrario facto sed ex aliqua utilitate aut Reipub. aut hominũ multorum, aut etiam ipsius aduersarij, nonnũquam & nostra, si modò id erit quod facere nostra caussa fas sit: quod sub extrario accusatore & legibus agente prodesse nunquam potest, in domesticis disceptationibus potest. Nam & filijs pater in iudicia abdicationis & maritus uxori si malæ tractationis accusabitur, et patri filius, si demẽtiæ caussa erit, non inuerecundè dicet multum sua interfuisse. In quo tamen incommoda uitantis melior quàm commoda petentis est caussa. Quibus similia etiam in uera rerũ quæstione tractantur. Nam quę in scholis abdicatorum, hæc in foro exhæredatarum à parentibus & bona apud Consules repetentium ratio est, quæ illic malæ tractationis, hic rei uxoriæ, cum quæritur utrius culpa diuortium factum sit. quæ illic dementiæ, hic petendi curatoris. Subiacet utilitati etiam illa defensio, si peius aliquid futurum fuit.

Cõparatio criminis.

Nam in comparatione malorum, boni locum obtinet leuius: ut si Mancinus fœdus Numantinum sic defendat, quòd periturus, nisi id factum esset, fuerit exercitus Romanus. Hoc genus ἀντίστασιν Grecè nominatur: comparatiuum nostri uocant.

Translatio criminis, quę ab aliis remotio dicitur.

Hæc circa defensionem facti, quæ si neq; per se ipsam, neq; adhibitis auxilijs dabitur, proximum est in alium transferre crimen, si possumus. Ideoque etiã in hos qui iam scripti sunt status, uisa est cadere trãslatio. Interdum ergo culpa in hominẽ relegatur: ut si Gracchus reus fœderis Numantini, cuius metu leges populares tulisse in Tribunatu uidetur, missum se ab Imperatore suo diceret. Interim deriuatur in rem, ut si is qui testamento quid iussus non fecerit, dicat per leges id fieri non potuisse. Hoc μετάστασιν dicunt.

Excusatio, sine purgatio.

Exclusis quoque his excusatio superest. Ea est aut ignorantiæ: ut si quis fugitiuo stigmata scripserit, eoque ingenuo indicato, neget se liberum eum scisse. Aut necessitatis: ut cum miles ad commeatus diem non affuit, dicit se fluminibus interclusum, aut ualetudine. Fortuna quoque sæpe substituitur culpæ: nonnunquam malè fecisse nos, sed bono animo dicimus. Utriusq; rei multa & manifesta exempla sunt. Idcirco non est eorum necessaria expositio.

Imminutio culpæ.

Si omnia quæ suprà scripta sunt deerunt, uidendum an minui culpa possit. Hic est ille qui à quibusdam dicitur status quantitatis. Sed ea cum sit aut pœnæ, aut honoris, ex qualitate facti constituitur: eoq; nobis sub hoc esse statu uidetur: sicut eius quoq; quæ ad numerum refertur à græcis, nam & ποιότητα & ποσότητα dicunt, nos utrunq; eadem appellatione complectimur.

Deprecatio.

Ultima est deprecatio: quod genus caussæ plerique negarunt in iudicium unquam uenire. Quin Cicero quoq; pro Quinto Ligario idem testari uidetur, cum dicit, Caussas Cæsar egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certè nunquam hoc modo, Ignoscite iudices, errauit, lapsus est, non putauit, si unquam posthac, &c. In Senatu uero, & apud populum, & apud principem, & ubicunq; iuris clementia est, habet locum deprecatio. In qua plurimum ualet, ex

Quæ tria in depreca tione prosunt.

let, ex ipso qui reus est, hæc tria in uita præcedere. si innocens si bene meritus, si spes in futurum innocenter uicturi, & in aliquo usu futuri: præterea si uel alijs incommodis, uel præsenti periculo, uel pœnitentia uideatur satis pœnarum dedisse. Extrà, nobilitas, dignitas, propinqui, amici. In eo tamen qui cognoscit, plurimum ponendum, si laus eum misericordiæ potius quàm reprehensio dissoluti consecutura est. Verùm & in iudicijs etiam si non toto genere caussæ, tamen ex parte magna hic locus sæpe tractatur. Nam & diuisio frequens est, etiam si fecisset, ignoscẽdum fuisse, idq; in caussis dubijs sæpe præualuit: & epilogi omnes in eadem ferè materia uersari solent. Sed nõnunquam etiam reus hic totius summam constituit, si exhæredatum à se filium pater testatus fuerit elogio, propterea quòd is meretricem amauerit. Nam omnis hic quæstio, an huic delicto pater debuerit ignoscere, & Centumuiri tribuere debeãt ueniam. Sed etiam in formulis, cum pœnariæ sunt actiones, nos ita caussam partimur, an commissa sit pœna, an exigi debeat. Id autem quod illi uiderunt, uerum est, reum à iudicibus hoc defensionis modo liberari non posse.

De p̃miis quæ ex meritis spectã tur.

De præmijs autem quæruntur duo, an ullo sit dignus qui petit, an tanto: ex duobus, uter dignior: ex pluribus, quis dignissimus. Quorũ tractatus ex ipso meritorũ genere ducuntur. Et intuebimur non rem tantũ, siue alleganda siue comparanda erit: sed personam quoque. Nam & multum interest, tyrannum iuuenis occiderit, an senex: uir, an fœmina: alienus, an coniunctus. Et locum multipliciter, in ciuitate tyrannis assueta, an libera semper. in arce, an domi. Et quomodo factum sit, ferro, an ueneno. Et quo tempore, bello, an pace: an cum depositurus esset eam potestatem, an cum aliquid noui sceleris ausurus.

De meritis.

Habetur in meritis gratia, periculum quoque, ac difficultas. Similiter liberalitas à quo profecta sit refert. Nam in paupere gratior quàm in diuite, dante beneficium quàm reddente, patre quàm orbo. Item quam rem dederit, & quo tempore, & quo animo, id est num in aliquam spem suam. similiter alia.

Qualitãs, Rhetorum & Oratorũ officina.

Et ideo qualitas, maxima oratoris recipit opera: quia in utranque partem plurimum est ingenio loci, nec usquam tantum affectus ualent. Nam coniectura extrinsecus quoque adductas frequenter probationes habet, & argumenta ex materia sumit: & quale quidq́ue uideatur, eloquentiæ opus est: hic regnat, hic imperas, hic sola uincit.

Præmiis tra riæ caussæ subiacent.

Huic parti subiungit Virginius caussas abdicationis, dementiæ, malæ tractationis, orbarum nuptias indicentium. Nam & indicium ferè sit accidit: inuentiq́ue sunt, qui has materias officiorũ uocarent. Sed alios quoque nonnunquam leges hæ recipiunt status. Nam & coniectura est aliquando in plerisque horum, cum se uel non fecisse, uel bona mente fecisse contendunt. Cuius generis exempla sunt multa. Et quid sit dementia, ac mala tractatio, finitur. Nam iuris quæstiones plerunque leges præcurrere solent, & ex quibus caussis non * fiat statutum. Quod tamen facto defendi non poterit, iure nitetur. Et quot & quibus caussis abdicare non liceat, & in qua crimina malę tractationis actio detur, & cui accusare dementiæ non permittatur.

* non fiant status.

Abdicatio nũ formæ.

Abdicationum formæ sunt duæ: altera criminis perfecti, ut si abdicetur raptor, adulter. Altera imperfecti, uelut pendentis, & adhuc in conditione positi: quales sunt in quibus abdicatur filius, qui non pareat patri. Illa semper asperam abdicantis actionem habet, (immutabile est enim quod factum est) hæc ex parte blandam, & suadenti similem. Mauult enim pater corrigere, quàm abdicare. At pro filijs in utroque genere summissam, & ad satisfaciendum compositam. A quo dissensuros scio, qui libenter patris figuram lædunt. quod non ausim dicere nunquam esse faciẽdum) potest enim materia incidere quę hoc exigat) cæterùm uidendum est quoties aliter agi potest. Sed de figuris alio libro tractabimus. Non dissimiles autem abdicationum actionibus sunt malæ tractationis actiones. Nã & ipsæ habent eandem in accusationibus moderationem.

Demẽtia.

Dementiæ quoque iudicia, aut propter id quod factum est, aut propter id quod adhuc fieri uel non fieri potest, instituuntur: & actor in eo quod factum est, liberum habet impetum: sic tamen, ut factum accuset, ipsius patris tanquam ualetudine lapsi misereatur: in eo uerò cuius libera mutatio est, diu roget & suadeat, & nouissimè dementiam rationi queratur obstare, non mores: quos quanto magis in præteritum laudauerit, tanto facilius probabit morbo esse mutatos. Reus, quoties caussa patietur, debebit esse in defensione moderatus, quia ferè ira, contentio & concitatio furori sunt similia. Omnibus his commune est, quòd rei semper defensione facti, sed excusatione ac uenia frequenter utuntur. Est enim domestica disceptatio, qua & semel peccasse, & per errorem, & leuius quàm obijciatur, absolutioni nonnunquam sufficit.

Alia ĩ qualitatem cadentia.

Iniuriarũ.

Sed alia quoq; multa controuersiarum genera in qualitatem cadunt. Iniuriarum. quanquam enim reus aliquando fecisse negat, plerunq; tamen hæc actio facto atq; animo continetur.

Diuinationes.

Act.1.

De accusatore constituendo, quæ iudicia diuinationes uocantur: in quo genere Cicero quidem qui mandantibus socijs Verrem accusabat, hac usus est diuisione, spectandum à quo maximè agi uelint hi quorum de ultione quæritur, à quo minimè uelit is qui accusatur: frequentissimè tamen hæ sunt quæstiones, uter maiores caussas habeat, uter plus industriæ aut uirium sit allaturus ad accusandum, uter id meliore fide facturus.

Tutelæ.

Tutelæ præterea: in quo iudicio solet quæri, an alia de re quàm de calculis cognosci oporteat: an fides præstari debeat tantum, non etiam consilium & euentus.

Procurationis.

Cui simile est malè gestæ procurationis in foro: negociorum gestorum: nam & mandati actio est.

Scripti maleficii.

Præter hæc finguntur in scholis & scripti maleficij, in quibus aut hoc quæritur, an scriptum sit: aut hoc, an maleficium sit: rarò utrunq;.

Legationis.

Malè gestæ legationis apud Græcos & ueris caussis frequens: ubi iuris loco quæri solet, an omnino aliter agere quàm mandatum sit, liceat: & quousq; sit legatus: quoniam aliæ in renunciando sunt: ut in hoc qui testimonium in Verrem dixerat post perlatam legationem. Plurimum tamen est in eo, quale sit factum.

Reip. læsæ.

Reipub. lęsæ. Hinc mouentur quidem mille iuris cauillationes, quid sit Rempub. lædere: & læserit ne, an profuerit: &, ab ipso, an propter ipsum læsa sit in facto tamẽ plurimum inest.

Ingrati.

Ingrati quoque. In quo genere quæritur, an is cum quo agitur, acceperit beneficium: quod rarò negandum est: ingratus est enim qui negat. an quantum acceperit, reddiderit: an protinus qui non reddiderit, ingratus sit: an potuerit reddere: an id quod exigebatur, debuerit: quo animo sit.

Repudii.

Simpliciores illæ, iniusti repudij, sub qua lege cõtrouersiæ illud proprium habent, quòd à parte accusantis defensio est, & defendentis accusatio.

Mortis.

Præterea cum quis rationem mortis in Senatu reddit: ubi una quæstio est iuris, an is demũ prohibendus sit, qui mori uult ut se legum actionibus subtraheret. Cætera qualitatis.

Testamentorum.

Finguntur & testamenta, in quibus de sola quæratur uoluntate: ut in controuersia quã suprà exposui, in qua de parte patrimonij quarta, quam pater dignissimo ex filijs reliquerat, cõtendunt Philosophus, Medicus, Orator. Quod itẽ accidit si orbæ nuptias indicãt pares gradu, & si inter propinquos de idoneo quæratur.

Sed nec

Sed nec omnes mihi persequi materias in animo est (fingi enim adhuc possunt) nec cõmunes sunt earum quæstiones, quia positionibus mutãtur. Hoc tantùm admiror, Flauiũ, cuius apud me meritò summa est authoritas, cum artem scholæ tantùm componeret, tam anguste materiã qualitatis terminasse.

Flauius rhetor.

Quantitas quoq; (ut dixi plerunque) etiamsi non semper, tamen plerunq; eidẽ subiacet, seu modi est, seu numeri. Sed modus aliquando constat æstimatione facti, quanta sit culpa, quantumùe beneficium: aliquando iure, cum id in controuersiam uenit, qua quis lege puniendus, uel honorandus sit. Stuprator an decem millia dare debeat, quæ pœna huic crimini constituta est: an quia stupratus se suspendit, capite puniri, tanquam caussa mortis. Quo in genere falluntur qui ita dicunt, tanquam inter duas leges quæratur. Nam de decem millibus nulla controuersia est, quæ nec petuntur. Iudicium redditur, an reus caussa sit mortis. In coniecturam quoq; eadem species cadit: quum, perpetuo, an quinquennali sit exilio multandus, in controuersiam uenerit: num prudens eadem commiserit, quæritur. Illa quoq; quæ ex numero ducitur, pendet ex iure: an Thrasybulo triginta præmia debeantur: et cum duo fures pecuniam abstulerunt, separatim quadruplum quisq;, an duplum debeat. Sed hic factum quoq; æstimatur, & tamen ius ipsum pendet ex qualitate.

Quantitas, cuius duæ species, qualitati quoque subiacet.


MOSELLANI.

Finitio igitur] Aristoteles & Peripatetici definitionem hoc est orationem quæ breuiter essentiam rei explicet, ὅρον, id est terminũ appellare solent, nimirũ translatione sumpta à finibus agrorũ. Nam quemadmodum in agris fines circunscribunt certum loci spacium, ita finitio ambit naturam & uim eius cui adhibetur. Hinc & Latini uim appellarũt. Hinc duplex finiendi modus existit ex duplici ratione diuidendi. Siquidem apud Seuerinum Boethiũ lib de diuisionibus, omnis sectio generis fit uel in species, quam diuisionem uocãt, ut sit animal mortale, & immortale. Nam iuxta Platonicos corpora cœlestia, animalia sunt, sed immortalia. Et ex hac diuidendi ratione prior modus in uniuersum finiendi oritur, ut si dicas, animal est corpus animatum, sensu præditum. Vel fit distributio per partes totius, quam partitionẽ uocant, ut si diuidas animal in caput, pectus, brachia, uentrem, crura, & ex hac partitione oritur definitio quam Fabius per partes nuncupat, ueluti si finias animal quod constat ex partibus supra recitatis in partitione. De quibus rebus breuiter quidem est apud Georgium Trapezuntium, quas fusissimè perscribit Boethius ex Theophrasto.

ARGVMENTVM.

Qui neq; statu coniecturæ, neq; finitionis, neq; qualitatis tueri se uolet, aut poterit, hunc ad aliquod iuris adiutorium, id est ad agendi conditionẽ & modum confugiendũ monet. Cuius duas partes facit, intentionem, & præscriptionem, quæ à statu qualitatis alienæ non sunt, sed litigandi formam habẽt diuersam. Intentio est quando contra id quod intendit aduersarius, pugnamus, nec admittendum dicimus. Præscriptio, exceptio qua aduersario facultatem litigandi adimimus propter certam caussam, aut actionem in aliam personam aut locum trãsferre uolumus, quæ tũ translatio dicitur. Præterea legis aut etiã scripti cuiusq; uarias uices enumerat, & ad status legitimos transit.

De actionis quæstione. Cap. V.



Vi neq; fecisse se negabit, neque aliud esse quod fecerit, dicet, neque factum defendet, necesse est in suo iure consistat: in quo plerunq; actionis est quæstio: quæ non semper eadem est, ut quidam putauerunt. Nam & iudicium antecedit, qualia sunt prætura curiosa consilia, cum de iure accusatoris ambigitur: & in ipsis frequentissimè iudicijs uersatur. Est enim duplex eius disceptationis conditio, quòd aut intentio, aut præscriptio habet controuersiã. Ac fuerunt qui præscriptionis statum facerent, tanquam ea non ijsdem omnibus, quibus cætera leges, quæstionibus contineretur.

Duplex actionis conditio.

Cum ex præscriptione lis pendet, de ipsa re quæri non est necesse. Ignominioso patri filius præscribit: de eo solo iudicatio est, an liceat. Quoties tamen poterimus, efficiendum est ut de re quoq; bene sentiat. Sic enim iuri nostro libentius indulgebit: ut in sponsionibus quæ ex interdictis fiunt, etiam si non proprietatis est quæstio sed tantum possessionis: tamen nõ solùm possedisse nos, sed etiã nostrum possedisse docere oportebit.

Præscriptionis contentio.

Sed frequentius etiam quæritur de intẽtione. Vir fortis optet quod uolet. nego illi dandum quicquid optauerit. non habeo præscriptionem, sed tamen uoluntate contra uerba præscriptionis modo utor. In utroq; autem genere status idem fit.

Ex intentione lis.

Porrò lex omnis aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut uetat, aut permittit. Litem habet, aut propter seipsam, aut propter alteram. Quæstio est aut in scripto, aut in uoluntate. In scripto, aut apertum est, aut obscurum, aut ambiguum. Quod de legibus dico, idem accipi uolo de testamentis, pactis, stipulationibus, omni denique scripto: idem de uoce. Et quoniam quatuor huius generis quæstiones uel status facimus, singulos percurram.

Legis potestas.

ARGVMENTVM.

Status legales suprà quatuor enumerauit, qui à tribus aliis non re ipsa, sed ratione tractandi ad docendum accommodata separati sunt. Primi species tres facit, Vnam in qua de scripto & uoluntate quæritur, cum scriptum obscurum est, & uterq; suã interpretationem confirmat, & aduersam labefactat. Alteram in qua intellectus unus certus, alter dubius. Tertiam in qua altera pars scripto, altera uoluntate nititur. Scripto, tribus modis occurri posse docet: Primo quando scriptum semper seruari non posse ex ipso apparet Secundo quando nullum argumentum ea ipsa lege peti potest. Tertio quando ex uerbis scripti, scriptoris aliam mentem fuisse probamus. Qui scriptum defendit, ut se uoluntate quoque scriptoris adiuuare tentet, præcipue Omnia subiectis exemplis manifesta erunt.

De statu ex scripto & uoluntate. Cap. VI.



Cripti & uoluntatis frequentissima inter consultos quæstio est, & pars magna controuersiæ iuris hinc pendet: quo minus id in scholis accidere mirũ est, ubi etiam ex industria fingitur. Eius genus unũ est, in quo & de scripto, & de uoluntate quæritur. Id tũ accidit, cum est in lege aliqua obscuritas, & in ea aut uterque suam interpretationẽ confirmat, aut aduersarij subuertit: ut hic, Fur quadruplũ soluat. duo surripuerunt pariter decem millia, petuntur ab utroq; quadragena, illi postulãt ut uicena conferant. Nã & actor dicit hoc esse quadruplum quod petat, & rei hoc quod offerant. uoluntas quoq; utrinque defenditur.

Prima species quæstionis ex scripto & uoluntate.

Aut cũ de altero intellectu certum est, de altero dubiũ. Ex meretrice natus, ne concionetur. Quæ filium habebat, prostare cœpit. Prohibetur adolescens concione. Nam de eius filio, qui ante partum meretrix fuit, certum est: an eadem huius caussa sit, dubium est, quia ex hac natus, & hæc meretrix est. Solet & illud quæri, quò referatur quod scriptum est, Bis de eadẽ re ne sit actio. id est, hoc bis, ad actorem, an ad actionem. Hæc ex iure obscuro.

Secunda:

Alterum genus est ex manifesto: quod qui solum uiderunt, hunc statum plani & uoluntatis appellauerunt. In hoc altera pars scripto nititur, altera uoluntate.

Tertia.

Sed contra scriptum tribus generibus occurritur. Vnum est, in quo id seruari semper non posse, ex ipso patet. Liberi parentes alant, aut uinciantur. Non enim alligabitur infans.

Tribus modis occurritur scripto.

Hinc erit ad alia transitus, & diuisio, nũ quisquis non alueris, num hic. Propter hoc proponunt quidã tale genus controuersiarum, in quo nullum argumentum est quod ex lege ipsa peti possit, sed de eo tantum de quo lis est, quærendum sit. Peregrinus si murum ascẽderit, capite puniatur. Cum hostes murum ascendissent, peregrinus eos depulit. petitur ad supplicium. Non erunt hic separatæ quæstiones, an quisquis, an hic: quia nullũ potest afferri argumentum contra scriptum, uehementius eo quod in lite est: sed hoc tantũ, an ne seruandæ quidem ciuitatis caussa. Ergo et æquitate & uoluntate pugnandum. Fieri tamen potest, ut ex alijs legibus exẽpla ducamus, per quæ appareat semper stari scripto nõ posse, ut Cicero pro Cecinna fecit. Tertium, cũ in ipsis uerbis legis reperimus aliquid per quod probemus aliud legumlatorem noluisse: ut in hac controuersia, Qui nocte cum ferro deprehensus fuerit, alligetur. Cum annulo ferreo inuentum magistratus alligauit. Hic quia est uerbũ in lege deprehensus, satis etiã significatum uidetur non contineri lege nisi noxium ferrum. Sed ut qui uoluntate nitetur, scriptum quoties poterit infirmare debebit: ita qui scriptum tuebitur, adiuuare se etiã uoluntate tentabit. In testamentis & illa accidunt, ut uoluntas manifesta sit scriptũ nihil sit: ut in iudicio Curiano, in quo nota L. Crassi & Scæuolæ fuit cõtentio. Substitutus hæres erat, si posthumus ante tutelæ suæ annos decessisset. Nõ est natus. Propinqui bona sibi uendicabant. Quis dubitaret, quin ea uoluntas fuisset testantis, ut is non nato filio hæres esset, qui mortuo? sed hoc nõ scripserat. Id quoq;, quod huic contrarium est, accidit nuper, ut esset scriptum quod appareret scriptorem noluisse: Qui sestertium nummum quinq; millia legauerat, cum emendaret testamentum, sublatis sestertijs nummis, argenti pondo posuit, quinq; millia reman serunt. Apparuit tamen quinq; pondo dari uoluisse, quia ille in argento legato modus & inauditus erat, & incredibilis. Sub hoc etiam statu generales sunt quæstiones, scripto, an uoluntate standum sit: quæ fuerit scribentis uoluntas. Tractatus omnes qualitatis aut coniecturæ, de quibus satis dictum arbitror.

De testamẽtis in scriptũ uoluntate adiuuãdum.

De Orat. 1.

ARGVMENTVM.

Scripto & sententiæ, leges contrarias subiungit, quia in his quæ duæ sunt, duo sint scripti & uoluntatis status. Quæ etiam si contrariæ dicantur, contrarias tamen iure ipso non esse, sed casu quodam collidi admonet. Porrò aut pares inter se collidi, aut ipsas secum, aut diuersas, aut similes, aut etiam impares. Præterea ut lex alia aliam abroget, aut labefactet, ius utriusq; cognoscendum esse, quod aut in utraq; dubium sit, aut confessum. Si confessum, uidendum esse an ad deos pertineat, an ad homines, an ad Rempub. an ad priuatos, &c. Si dubium, alteri, aut inuicem utriq; controuersiam de iure moueri. Postremò duplices leges ut duas committi, & quod de legibus dicitur, idem de senatusconsultis & omnibus scriptis intelligendum.

De contrarijs legibus. Cap. VII.

*Proximum est de legibus cõtrarijs dicere, quia inter omnes artium scriptores constat in antinomia duos esse scripti & uoluntatis status: neq; immeritò: quia cum lex legi obstet, utrinq; cõtra scriptum dicitur, & quæstio est de uolũtate: in utraq; id ambigitur, an utique illa lege sit utendum. Omnibus autem manifestum est, nunquam esse legem legi contrariam iure ipso: quia si diuersum ius esset, alterum altero abrogaretur: sed eas casu collidi, & euenire. Colliduntur autem aut pares inter se: ut si optio tyrannicidæ & uiri fortis cõparentur utriq; data quod uelit petendi potestate, hic meritorum, temporis, præmij collatio est. Aut secum ipsa, ut duorum fortiũ, duorum tyrannicidarũ, duarum raptarũ: in quibus non potest esse alia quæstio quàm tẽporis, utra prior sit: aut qualitatis utra iustior sit petitio. Diuersæ quoq; leges confligũt, aut similes. Diuersæ, quibus etiã citra aduersam legẽ contradici possit: ut in hac controuersia, Magistratus ab arce ne discedat: Vir fortis optato quæ uolet: * uel alia nulla obstante, quæri potest an quicquid optarit, accipere debeat: et à magistratu multa dicentur, quibus scriptum expugnatur, Si incendium in arce fuerit, si in hostes recurrendum. Similes, contra quas nihil opponi potest, nisi lex altera. Tyrannicidæ imago in gymnasio ponatur: contra mulieris imago in gymnasio ne ponatur. Mulier tyrannũ occidit. Nam neq; mulieris imago ullo alio casu poni potest, neq; tyrannicida ullo alio casu summoueri. Impares sunt, cum alteri multa sunt quæ opponi possunt, alteri nihil, nisi quod in lite est: ut cum uir fortis impunitatem desertoris petit. Nam cõtra legem uiri fortis (ut suprà ostendi) multa dicuntur: aduersus desertores scripta, non potest nisi optione subuerti. Item aut confessum est ex utraq; parte ius, aut dubium. Si confessum est, hæc ferè quæruntur: Vtra lex potentior: ad deos pertineat, an ad homines: ad Rempublicam, an ad priuatos: De honore, an de pœna: De magnis rebus, an de paruis: Permittat, an uetet, an imperet. Solet tractari & utra sit antiquior, & uelut potentissima, utra minus perdat: ut in desertore, et uiro forti, quòd illo non occiso lex tota tollatur: occiso, sit reliqua uiro forti alia optio. Plurimũ tamen est in hoc, utrũ fieri sit melius, atq; æquius: de quo nihil præcipi nisi proposita materia potest. Si dubiũ, aut alteri, aut inuicem utriq; de iure fit controuersia: ut in re tali. Patri in filium, patrono in libertum manus iniectio sit: liberti hæredem sequantur. Liberti filium quidam fecit hæredem, inuicem petitur manus iniectio: et patronus negat ius patris illi fuisse, quia ipse in manu patroni fuerit. Duplices leges sicut duæ colliduntur: ut, Nothus ante legitimum natus, legitimus sit: post legitimum, tantum ciuis. Quod de legibus, idem de Senatusconsultis dictum: quæ sit aut inter se pugnent, aut obstent legibus, non tamen aliud sit eius status nomen.*

Vide Budæu in annotatio.

Legum inter se collisio.

Pares.

Diuersæ.

* uel alia nulla obstãte, nõ erat in uetusto codice.

Similes.

Impares.

Cũ ius est confessum.

Cũ ius est dubium.

Duplices leges.

Senatuscõsulta.

MOSELLANI.

Scripti & uolũtatis] Cũ uidelicet id quod scriptũ est, uidetur aliud præ se ferre, quàm is uoluit qui hoc scriptũ reliquit. Qua in re cũ alij, tum maximè Cicero putat potius acquiescendum uoluntati hominũ, ad quã debere & testamẽta & leges etiã uelut amussim quandã exigi. Hinc pendet] Inde originẽ habet. Fur quadruplũ soluat] Variatũ uidemus apud authores de furũ pœna. Cõstat tamẽ principio Athenienses eo tẽpore quo utebãtur legibus Draconis, capitis supplicium cõstituisse furi, at demũ tacito illiteratoq; cõsensu hæc lex cũ alijs plerisque impendio acerbioribus est antiquata, & recepta de furibus lenior aliquanto pœna ex Solonis legibus. Romani uerò inter furem nocturnũ & diurnũ plurimũ interesse iudicabant, atq; eũ qui ferro se defendisset, & qui nõ defendisset. ob id de pœna aliter atq; aliter est Romæ obseruatum. Prostare cœpit] Vulgauerat corpus. Liberi parentes alant] Vicem aliquã beneficiorum referant. Si. o. uidemus hoc pietatis genere se mutuo afficere ciconias, ut parentes egere non sinant, quanto magis hominem hoc decuerit? Antiquitus uero qui pietatem clementiamq; uellent inuolucro quodã significare, hi ciconiã pingebant, inde factum tradit Plutarchus, ut in regũ sceptris exculperetur Ciconia, quæ admoneret summo imperio oportere esse clementiam quandam adiunctam. Peregrinus si murũ ascenderit] Certa pœna, eaq; capitis cõstituta in legibus ciuilibus est ei qui muros publicos tanquã sacros uiolet. Violant aũt nõ tam qui deiiciũt, quam qui ascendũt, maximè si cõtemptus accedat, id quod testatum reliquẽt nobis ueteres historiæ, dũ Romulus à fratre ideo supplicium iubet sumi, q per iocum is sulcum trãsmitteret qui erat pro muro aratro designatus. In quo nota L.] Totũ hoc eleganter & prolixè tractat Cicero lib. 1. de Orat.

Alterum

Alterum altero abrogaretur] Iureconsulti leges ueteres semper abrogari nouis dicunt, ut quia temporis conditio aut hominum aliud suadet, quàm prior lex continebat. Si noua insuper sit de eadem re lex lata, dubium non est quin noua tollatur uetus. Permiserunt autem sibi ueteres Iurisperiti, ut si quando ratio temporum id pateretur, nouis legibus ueteres tollerent. At hodie putant piaculum quicquam dici aut ferri, quod ueteribus illis ullo pacto sit contrarium. Magistratus ab arce non discedat] In mandatis, aut commissis Cicero legē dat in Offi. ut id quod mandetur, eo modo geratur, quo est commissum. Quamuis interim si maioris utilitatis spes fiat certior, nihil prohibere dicit quin à mandato discedamus.

ARGVMENTVM.

Quid syllogismus habeat scripto & uolūtati simile, & in quo ab isdem differat, & quam cum finitione cōiunctionem habeat, primùm ostendit. Deinde duas eius species facit. Primā quæ ex eo quod scriptum est, id quod incertū est ducit, unde quia ratiocinatione colligitur, ratiocinatiua dicatur. huius multas species cum exemplis dinumerat. Alteram quæ ex scripto ducit quod scriptum non est, in quarum utraque uoluntas legislatoris, & æquitatis tractatio sit potentissima.

De syllogismo seu raciocinatione. Cap. VIII.

Ratiocinatio.

*Syllogismus habet aliquid simile scripto & uoluntati, quia semper pars in eo altera scripto nititur: sed hoc interest, quod illic contra scriptum dicitur, hic super scriptum: illic qui uerba defendit, hoc agit, ut fiat utiq; quod scriptum est: hic ne aliud quàm scriptum est. Eius nonnulla etiam cum finitione coniunctio. Nam sæpe si finitio infirma est, in syllogismum delabitur. Sit enim lex, Venefica capite puniatur. Sæpe secubanti amatorium dedit, eundem repudiauit: per propinquos rogata ut rediret, non est reuersa. suspendit se maritus. Mulier ueneficij rea est. Fortissima est actio dicentis amatorium uenenum esse, id erit finitio: quæ si parum ualebit, fiet syllogismus: ad quem uelut remissa priore contentione ueniemus, an perinde puniri debeat, ac si uirum ueneno necasset. Ergo hic status ducit ex eo quod scriptum est, id quod incertum est: quod quoniam ratiocinatione colligitur, ratiocinatiuus dicitur. In has autem ferè species uenit, An quod semel ius est, idem & sæpius: Incesti damnata, & præcipitata de saxo, uixit, repetitur. An quod in uno, & in pluribus: Qui duos uno tempore tyrannos occidit, duo præmia petit. An quod antè, & postea: Raptor profugit, rapta nupsit, reuerso illo petit optionē. An quod in toto, idem in parte: Aratrum accipere pignori nō licet, uomerem accepit. An quod in parte, idem in toto: Lanas uehere Tarento non licet, oues uexit. In his syllogismis scripto alter nititur, alter non satis cautum esse dicit. Postulo ut præcipitetur incesta, lex est: & rapta optionem petit, & in oue lanæ sunt: similiter alia. Sed quia responderi potest, non est scriptum ut * sæpius præcipitetur dānata, aut quandocunq; rapta optet, aut tyrannicida duo præmia accipiat, nihil de uomere cautum nihil de ouibus: ex eo quod manifestum, colligitur quod dubium est. Maioris pugnæ est, ex scripto ducere quod scriptum non est. Qui patrem occiderit, culeo insuatur, matrem occidit. Ex domo in ius educere ne liceat: tabernaculis eduxit. In hoc genere hæc quæruntur, An quoties propria lex non est, similis sit utendum: an id de quo agitur, ei de quo scriptum est, simile sit. Simile autem & maius est, & par, & minus. In illo priore, an satis lege cautum sit, an & si parum cautum est, hac sit utendum. In utroque de uoluntate legumlatoris, sed de æquo tractatus potentissimi.*

Primū genus ratiocinationis ex eo quod scriptū est, id quod incertum est ducit.

* bis.

Alterū genus ex scripto nō scriptum.

MOSELLANI.

Aratrum accipere pignori] Legibus Romanis cautum erat, ne id tolleretur pignori, unde ad debitorē plus rediret incommodi, quàm ad creditorem commodi, quale erat aratrum, quod nō uolebant adimi pignoris loco, quod magna hominum pars ex eo uiuat. & sublatum creditorem nō magnopere iuuet, debitorem uerò redigeret ad extremam paupertatē. Sunt tamen & alia nonnulla etiam legibus Pandectarum constituta, quæ non liceat pignori capere. Lanas uehere Tarento] Tarētini, quemadmodum Sybaritæ, molliciei nomine apud ueteres malè audierunt, unde & nomen quidam putant sortitos à mollicie. Legem hi habebant, ne lanam qua domi utebantur ad usum delicatissimarum uestium, alibi uenderent, quod nimirum exemplum est singularis & affectati luxus, dū ueluti soli his quæ ad uoluptatem sunt inuenta, cupiunt perfrui citra riuales. Qui patrem occiderit] Culeo insuebantur qui conuicti essent parricidii, adiunctis simia, serpente, gallo gallinaceo, uelut testatur Valerius Maximus. Ex domo in ius educere] Summa clementia constitutum fuit antiquitus, ne ex ædibus quis suis, id est eo loco quem haberet pro refugio ærumnarum, & itidem ærumnarum omnium domicilio, extraheretur in ius. Et inde opinor est quòd in Antonianis Cicero tanto odio subinde repetit, quòd Antonius dixerat se fabros missurum ut disturbarent domum suam.

ARGVMENTVM.

Amphiboliam duobus modis fieri primùm docet, aut uocibus singulis, aut coniunctis. In singulis tribus modis Primo homonymia, cum una plura significat. Secundo cum alium sensum habet simplex dictio integra, alium diuisa. Tertio cum idē accidit compositis. In coniunctis per casus, per collocationem, per flexum, per sinum, per productionem & corruptionē. Quæ quibus modis soluendæ sint omnes, ordine tradit.

De ambiguo, seu amphibolia. Cap. IX.

Amphiboliæ species sunt innumerabiles adeò, ut philosophorum quibusdam nullum uideatur esse uerbum, quod non plura significet: genera admodum pauca. Vide Gellium lib. 11. cap. 12.
*Aut enim uocibus accidit singulis, aut coniunctis. Singula afferunt errorē, cum pluribus rebus aut etiam hominibus eadem appellatio est: ὁμωνυμία dicitur, ut Gallus. Vtrum enim auem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis significet, incertum est: & Aiax, Telamonis, an Oilei filius. Verba quoque quędam diuersos intellectus habent, ut Cerno. quæ ambiguitas plurimis modis accidit: unde ferè lites, præcipuè ex testamentis, cum de libertate, aut etiam de hæreditate contendunt ij quibus idem nomen est: aut quid sit legatū quæritur. Alterum est, in quo alia integro uerbo significatio est, alia diuiso: ut ingenua, et armamentum, & coruinum, ineptæ sanè cauillationes, ex quo tamen Græci controuersias ducunt: inde αὐλητρὶς illa uulgata, cum quæritur, utrum aula quæ ter ceciderit, aut tibicina si ceciderit, debeat publicari. Tertia est ex compositis, ut si quis corpus suum in occulto loco poni iubeat, circaq; monumentū multum agri ab hæredibus in tutelam cinerum, ut solet, leget, Sit latus * occultum. Sic apud Græcos contendit λέων & πανταλέων, cum scriptura dubia est, bona omnia λέοντι, an bona πανταλέοντι relicta sint. In coniunctis plus ambiguitatis est. Fit autem per casus: ut,*

Aio te Acacida Romanos uincere posse.

Per collocationem, ubi dubium est quid quo referri oporteat: ac frequentissimè cum id quod medium est, utrinque possit trahi, ut de Troilo Virgilius,

Lora tenens tamen— Hic utrum quòd teneat tamen lora, an quamuis teneat, tamen trahatur, quæri potest. Vnde controuersia illa, Testamento quidam iussit poni sta

Amphibolia ex singulis uocibus.

αὐλητρὶς si cecidit, publicetur.

Vide Laertiū in uita Zenonis.

* Littus.

Per casus: Enni⁹ apud Cice. 2. de Diuina.

Aeneid. 1.

tuam auream hastam tenentem. Quæritur, statua hastam tenens aurea esse debeat, an hasta esse aurea in statua alterius materiæ. Fit per flexum idem magis,

Per flexũ.

Quinquaginta ubi erat centũ inde occidit Achilles.

Per ſtrum. Damnas.

Sæpe utri duorum antecedentium sermo subiunctus sit, in dubio est: unde est controuersia, Hæres meus uxori meæ dare damnas esto argenti, quod elegerit, pondo centum. Vter eligat quæritur. Verùm id quod ex his primum est, mutatione casuum: sequens, diuisione uerborum, aut translatione emendatur: tertium adiectione.

Amphiboliæ solutiones.

Accusatiui geminatione facta amphibolia soluitur ablatiuo: ut illud, Lachetem audiui percussisse Demeam, fiat, à Lachete percussum Demeam. Sed ablatiuo ipsi, ut in primo diximus, inest naturalis amphibolia,

Cælo decurrit aperto: utrum per apertũ cælum, aut cum cælum apertum esset. Diuisio respiratione & mora constat. Statuã, deinde auream hastam: uel statuam auream, deinde hastam. Adiectio talis est, argentum quod elegerit ipse, ut hæres intelligatur: uel ipsa, ut uxor. Adiectione facta amphibolia, qualis sit, Nos flentes illos deprehendimus, detractione soluetur. Pluribus uerbis emẽdandũ, ubi est id, quod quo referatur, dubiũ est, et ipsum est ambiguum. Hæres meus dare illi damnas esto omnia sua. In quod genus incidit Cicero loquens de C. Fannij soceri instituto, Quem quia cooptatus in Augurum collegium non erat, non admodum diligebat: præsertim cum ille Q. Scæuolam sibi minorem natu generum prætulisset. Nam id sibi, & ad socerum referri, & ad Fannium potest.

In Bruto.

Productio quoq; in scripto & correptio in dubio relicta, caussa est ambiguitatis: ut in hoc, Cato. aliud enim ostẽdit breuis secunda syllaba casu nominatiuo, aliud eadem syllaba producta casu datiuo aut ablatiuo. Plurimæ præterea sunt aliæ species, quas persequi nihil necesse est. Nec refert quo modo facta sit amphibolia, aut quo resoluatur. Duas. n. res significari manifestum est: & quod ad scriptum uocemúe pertinet, in utranq; par est partem. Ideoq; frustra præcipitur, ut in hoc statu uocem ipsam ad nostram partẽ conemur uertere. Nam si id fieri potest, amphibolia non est. Amphiboliæ autem omnis in his erit quæstio, aliquando uter sit secundum naturam magis sermo, semper utrum sit æquius, utrum is qui sic scripsis ac sic dixit, sic uoluerit. Quarum in utranq; partem satis ex his quæ de coniectura & qualitate diximus, præceptum est.

Per productionem & correptionem.

ARGVMENTVM.

Pertractatis diligenter statibus qui legales dicuntur, quæ sit illorum inter se, & quorundam etiam cum finitione cognatio, quæ rursus differentia, qua distincti sont, ne qui illos separarũt, errare uideantur, demonstrat. Atq; de dispositione hoc in genere ait, non posse omnia quæ ad ipsam pertinent, arte & præceptis tradi, sed à natura quoq;, doctrina & studio, hanc facultatem parari, id pictorum atq; imperatorum exemplis probat. Præterea magno iudicio opus esse, ut certa nobis proposita materia, dispositione œconomica uelut in re præsenti utamur, quæ pro rei uarietate quotidie alia atq; alia futura sit, hoc uno semper necessario, ut quocunque collocationis utamur ordine, aptè inter se iungantur omnia, & cohæreant.

Quæ sit inter status cognatio, & quæ diuersitas. Cap. X.

Cognatio horum statuum.



St autem quædam inter hos status cognatio. Nam & in finitione, quæ sit uoluntas nominis, quæritur: & in syllogismo, qui secundus à finitione status est, spectatur quid uoluerit scriptor: & ex contrarijs legibus duos esse scripti & uoluntatis status apparet. Rursus & finitio quodammodo est amphibolia, cum in duas partes diducatur intellectus nominis. Scriptum & uoluntas habet in uerbis locis quæstionem: quod idem in antinomia petitur. Ideoque omnia hæc quidam scriptum & uoluntatem esse dixerunt: alij in scripto & uoluntate amphiboliam esse, quæ facit quæstionem. Sed distincta sunt. Aliud est enim obscurum ius, aliud ambiguum. Igitur finitio in natura ipsa nominis quæstionem habet generalem, & quæ esse etiam citra complexum caussæ possit: Scriptum & uoluntas de eo disputat uerbo, quod est in lege: Syllogismus de eo quod non est. Amphiboliæ lis in diuersum trahit: Legum contrariarum ex diuerso pugna est. Neq; immeritò & recepta est à doctissimis hæc differentia, & apud plurimos ac prudentissimos durat.

Differentia horum statuum.

*Et de hoc quidem genere * dispositionis, etiam si non omnia tradi, tamen aliqua potuerunt. Sunt alia, quæ nisi proposita de qua dicendum est materia, uiam docendi non præbeant. Non enim caussa uniuersa in quæstiones ac locos diducenda est: sed hæ ipsæ partes habent rursus ordinem suum. Nam & in proœmio primum est aliquid, & secundum, ac deinceps. Et quæstio omnis ac locus habet suam dispositionem, ut thesei etiam simplices. An sic forte satis erit diuidendi peritus, qui controuersiam in hæc diduxerit, an omne præmium uiro forti dandum sit, an ex priuato, an nuptiæ, an ea quæ nupta sit, an hæc? deinde cum fuerit de prima quæstione dicendum, passim, & ut quicque in mentem ueniet, miscuerit? non primum in ea scierit esse tractandum, uerbis legis standum sit, an uoluntate? huius ipsius particulæ aliquod initium fecerit? deinde proxima subnectens, struxerit orationẽ, ut, pars hominis est manus, eius digiti, illorum quoque articuli? Est & hoc, quod scriptor demonstrare non possit, nisi certa definitaq; materia. Sed quid una faciat, aut altera? quinimmo centum ac mille in re infinita, atq; materia? Præceptoris est, in alio atq; alio genere quotidie ostendere quis ordo sit rerum, & quæ copulatio: ut paulatim fiat usus, & ad similia transitus. Tradi enim omnia quæ ars efficit, non possunt. Nam quis pictor omnia quæ in rerum natura sunt, adumbrare didicit? sed percepta simul imitandi ratione, assimilabit quicquid acceperit. Quis enim non faber uasculum aliquod quale nunquam uiderat, facit? Quædam uero non docentium sunt, sed discentium. Nam & medicus quid in quoque ualetudinis genere faciendum sit, quid quibus signis prouidendum, docebit. Vim sentiendi pulsus uenarum, caloris motus, spiritus meatum, coloris distantiam, quæ sua cuiuscunque sunt ingenium dabit. Quare plurima petamus à nobis, & cum caussis deliberemus, cogitemusque, homines antè inuenisse artem, quàm docuisse.*

* disceptationis.

Non posse omnia arte tradi & præceptis, sed naturam quoque & doctrinam studiumq; adiungẽda, & iudicio utendum pro re præsenti proposita.

Illa enim potentissima est, quæque uerè dicitur œconomica totius dispositio, quæ constitui nisi uelut in re præsenti non potest: Vbi assumendum proœmium, ubi omittendum: Vbi utendum expositione continua, ubi partita: Vbi ab initijs incipiendum, ubi more Homerico à medijs, uel ultimis: Vbi omnino non exponendum: Quando à nostris, quando ab aduersariorum propositionibus incipiamus: Quando à firmissimis probationibus, quando à leuioribus: Quando in caussa proponendæ proœmijs quæstiones, quæ præparatione præmuniendæ: Quid iudicis animus accipere possis statim dictum, quo paulatim deducendus: Singulis, an uniuersis opponenda refutatio: Reseruandi perorationi, an per totam orationem diffundendi affectus: De iure prius, an de æquitate dicendum: An anteacta crimina, an de quibus iudicium est, prius obijcere uel

Ars prius inuẽta quã docta.

Mos Homericus.

diluere

diluere conueniat: Si multiplices caussæ erunt, quis ordo faciendus, quæ testimonia, tabulæue cuiusque generis in actione recitandæ, quæ reseruandæ. Hæc est uelut imperatoria uirtus copias suas partientis ad casus præliorum, retinentis partes propter castella tuenda, custodiendasue urbes, petendos commeatus, obsidenda itinera, mari deniq; ac terra diuidentis. Sed hæc in oratione præstat omnia, cui affuerint natura, doctrina, studium. Quare nemo expectet, ut alieno tantum labore sit disertus. Vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum: est facienda sua cuique uis, usus, sua ratio: non respiciendũ ad hæc, sed in promptu habenda: nec tanquam tradita, sed tanquam innata. Nam uiam demonstrare uelociter ars potest, si qua est: uerùm ars satis præstat, si copias eloquentiæ ponit in medio: nostrum est uti eis scire. Reliqua partium est demum dispositio: & in his ipsis primus aliquis sensus, & secundus, & tertius: qui non modò ut sint ordine collocati, elaborandum est, sed ut inter se iuncti, atq; ita cohærentes, ne commissura pelluceat: corpus sit, non membra. Quod ita continget, si & quid in quoq; conueniat uiderimus, & ut uerba uerbis applicemus, non pugnantia, sed quæ inuicem cõplectantur. Ita res diuersæ distantibus ex locis quasi inuicem ignotæ non collidentur, sed aliqua societate cum prioribus ac sequentibus se, copulaq; tenebunt: ac uidebitur non solum composita oratio, sed etiã continua. Verùm longius fortasse progredior fallẽte trãsitu, et à dispositione ad elocutionis præcepta labor, quod proximus liber inchoabit.

Natura. Doctrina. Studium.

In disponẽdo seruandũ ut omnia apte cohæreant.

MOSELLANI.

QVædam cognatio] Vicinitas, & tanquam dicas amicitia quædam. In finitione] In descriptione. Voluntas nominis] Quid significetur per nomen quod finitur. Est pugna] Ex diuerso cõtrariatur. Recepta] Probata. Tradi enim omnia] Relinquuntur acutis in arte aliquando plura coniectanda, quæ doceri satis non possunt, ut in Rhetoricis testatur Cicero multo maximam partem non posse doceri, nimirum quæ est inuentionis, & de risu mouẽdo, sed hic ut quisq; natura fuerit præditus meliore, ita magis pollebit. Adumbrare didici] Delineare & effingere. adumbramus enim ea quæ lineis quodãmodo & suspensa mano designamus, id quod pictores facere solent aggressuri quid maioris artificii. Quædam sunt om̃ docentium] Relinquuntur quædam & inuenienda illis quos docuimus, licet de ea re nunquam admonitis.

Quibus signis] Præsagiis. An anteacta crimina] Iudicio cuiusque relinquitur quando sit opus enumeratione bene gestorum, aut secus. Quemadmodum enim usui nonnunquam esse, si in tempore fiat, nemo negat, sic contra incommodissimum fuerit, citra decorum aut minus è re nata illa infarcire, quæ magis odium quàm beneuolentiam concilient. Quamobrem non iniuria dictum est à Fabio alibi, iudicium esse totius artis caput.

Velut imperatoria uirtus] Quemadmodum autem Imperator omnes locorum circunstantias circunspicit cõmissurus prælium, & suo quenq; loco collocat, ita Oratoris est digerere orationẽ eo modo, quo facillimè se ad uictoriã peruenturum confidat. Cui affuerint natura] Frustra enim suscipitur, quicquid repugnante natura geritur, id quod Horatius ueluti prouerbiali carmine admonuit. Tu nihil inuita dices faciesque Minerua. In promptu habenda] Nulla est planè ars, quæ tam paratam requirit supellectilem, ac est Oratoria, ideo multa ingerenda caussæ ex improuiso, ad quæ nisi in procinctu fuerit copia, quæ rei subitæ & casu natæ succurrat, destituatur & opinione, & officio. Iurisconsultus domi deliberat, comminiscitur, qua lege agas præscribit in ocio. At simul atq; Orator in forum descenderit, erunt quædam citius diluenda, quàm cogitanda. adde etiam, quòd cogitatio illa adfert caussæ nescio quid detrimenti, dum iudici fit doli alicuius suspicio. Subito autem quæ dicuntur, ea putantur uerissimè dici, atque etiam ex animo.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA,

LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM.

Repetit breuiter atq; eleganter quæ hactenus septem primis libris de inuentione & dispositione tractata sunt, in quibus quã rationem præcipiendi incipientibus adhibere præceptores debeant, docet, nempe simplicem & breuẽ, quæ ex omnibus (quæ nosse ad scientiæ perfectionem necessarium sit) optima quæq; duntaxat eligat, quod ita fieri oportere, quatuor subiectis rationibus probat. Repetitione facta, maximum esse naturæ momentum, sine qua frustra tententur omnia, admonet, & ad partẽ operis sequentem transit, nempe ad elocutionẽ Rhetoricæ partem tertiam, ut pulcherrimam, ita difficillimam, quod Marci Antonii & Ciceronis authoritate probat, & quo inter se differant disertus & eloquens, quidq; sit eloqui, definitione explicat. Et quoniam elocutio propria uerborum sit, ne, cura rerum reiecta, in iis omne studium ponere uelle uideatur, importunorum cauillat. omnibus statim occurrit, se nullo pacto elocutionem mollem & effœminatam, quæ natura res non consequatur, sed affectata atq; accersita nimis diligentia dignitatem orationis corrũpat, approbare aut desiderare, uerùm eam quæ à ueritate profecta, sensum animi nostri optimè promat, res ipsas (quarum gratia uerba reperta sunt) auditorum animis exactè repræsentet, & earum naturam ad uiuum exprimat, quæq; decenter cohærentia omnia iucũdam atq; admirabilem orationem facere possint. Tota præfatio ad docilitatem ex rerum præteritarum repetitionis ordine & perspicuitate, atq; ad attentionem ex sequentium pulchritudine & difficultate est comparata.

PROOEMIVM.

HIS ferè quæ in proximos quinq; libros collata sunt, ratio inueniendi, atq; inuẽta disponendi, continetur: quam ut per omnes numeros penitus cognoscere, ad summã scientiæ necessarium est, ita incipiẽtibus breuius ac simplicius tradi magis conuenit. Aut enim difficultate institutionis tam numerosæ atq; perplexæ deterreri solent: aut eo tẽpore quo præcipue alenda ingenia, atq; indulgentia quadã enutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur: aut si hæc sola didicerint, satis se ad eloquentiã instructos arbitrantur: aut quasi ad certas quasdam dicendi leges alligati, conatum omnem reformidant. Vnde existimant accidisse, ut qui diligentissimi artium scriptores extiterunt, ab eloquẽtia longissimè fuerint. Via tamen opus est incipientibus, sed ea plana, & cum ad ingrediendũ, tum ad demonstrandũ expedita. Eligat itaq; peritus ille præceptor ex omnibus optima, et tradat ea demum in præsentia, quæ placent, remota refutandi cætera mora. Sequuntur enim discipuli quo duxeris. Mox cum robore discendi crescet etiam eruditio. Iidem primò solũ iter credant esse in quod inducentur, mox illud cogituri etiã optimum. Sunt autem neq; obscura, neq; ad percipiendum difficilia, quæ scriptores diuersis opinionibus pertinaciter tuendis inuoluerunt. Itaq; in toto artis huiusce tractatu difficilius est iudicare quid doceas, quàm cum iudicaris, docere: præcipueq́ue in duabus his partibus perquam sunt

Præcipiẽdi ratio, incipientibus breuis ac simplex esse debet.

Principiũ facile.

pauca circa quæ si is qui instituetur, nõ repugnauerit, pronum ad cætera habiturus est cursum.

Repetitio omniũ ante dictorũ.

Nempe enim plurimum in hoc laboris exhausimus, ut ostenderemus, Rhetoricen bene dicendi scientiam, & utilem, & artem, & uirtutem esse: materiam eius, res omnes de quibus dicendum esset. Tum & eas in tribus ferè generibus, demonstratiuo, deliberatiuo, iudicialiq; reperiri. Orationem porro omnem constare rebus, & uerbis. In rebus intuendam inuentionem, in uerbis elocutionem, in utrisque collocationem: quæ memoria complecteretur, actio commendaret. Oratoris officium, docendi, mouendi, delectandi partibus contineri. Ex quibus ad docendum, expositio & argumentatio: ad mouendum, affectus pertinerent: quos per omnem quidem caussam, sed maximè tamen in ingressu ac fine dominari. Nam delectationem, quamuis in utroq; sit eorum, magis tamen proprias in elocutione partes habere. Quæstiones alias infinitas, alias finitas, quæ personis, locis, temporibus continerentur. In omni porro materia tria esse quærenda, an sit, quid sit, quale sit. His adyciebamus, demonstratiuam laude ac uituperatione constare. In ea, quæ ab ipso de quo diceremus, quæ post eum acta essent, intuendum. Hoc opus tractatu honestorum utiliumque constare. Suasorijs accedere tertiam partem ex coniectura possetne fieri, & an esset futurum, de quo deliberaretur. Hic præcipuè diximus spectandum, quis, apud quem, quid diceret. Iudicialium caussarum alias in singulis, alias in pluribus controuersiis consistere: & in quibusdam sufficere modò intentionem, modò depulsionem: porrò depulsionem omnem inficiatione duplici, factum ne, & an hoc factum esset, præterea defensione ac translatione constare. Quæstionem, aut ex facto, aut ex scripto esse. Ex facto, de rerum fide, proprietate, qualitate. Ex scripto, de uerborum ui, aut uoluntate, in quibus uis tum caussarum tum actionum inspici soleat: quæque aut scripti & uoluntatis, aut ratiocinatiuæ, aut ambiguitatis, aut legum contrariarum specie continetur. In omni porrò caussa iudiciali quinque esse partes: quarum exordio conciliari audientem, narratione caussam proponi, confirmatione roborari, refutatione dissolui, peroratione aut memoriam iudicis refici, aut animos moueri. His argumentandi & afficiendi locos, & quibus generibus concitari, placari, resolui iudices oportet, adiecimus. Accessit ratio diuisionis. Credere modo qui discet uelit, certam quandam uiam esse, in qua multa etiam sine doctrina præstare debeat per se ipsa natura, ut hæc de quibus dixi, non tam inuenta à præceptoribus, quàm cum fierent, obseruata esse uideantur.

Elocutio difficillima.

Plus exigunt laboris & curæ quæ sequuntur. Hinc enim iam elocutionis rationem tractabimus, partem operis, ut inter omnes Oratores conuenit, difficillimam.

De Orat. 1

Eloquens nemo.

Nam & M. Antonius, cuius suprà habuimus mentionem, ait à se disertos uisos esse multos, eloquentem autem neminem. Disertis satis putat dicere quæ oporteat: ornatè autem dicere, proprium esse eloquentissimi. Quæ uirtus si usque ad eum in nullo reperta est, ac ne in ipso quidem, aut L. Crasso, certum est, & in his & in prioribus eam desideratam, quia difficillima fuit.

2. de Orat.

Eloquẽtia.

Et M. Tullius inuentionem quidem ac dispositionem prudentis hominis putat, eloquentiam Oratoris. Ideoq; præcipuè circa partis huius præcepta elaborauit. Quod eum meritò fecisse, etiam ipso rei de qua loquimur nomine palàm declaratur.

Eloqui.

Eloqui enim hoc est, omnia quæ mente conceperis, promere, atq; ad audientes perferre, sine quo superuacua sunt priora, & similia gladio condito, atq; intra uaginam suam hærenti. Hoc itaq; maximè docetur: hoc nullus nisi arte assequi potest: huc studium adhibendum: hoc exercitatio petit, hoc imitatio: hic omnis ætas consumitur: hoc maximè Orator Oratore præstantior: hoc genera ipsa dicendi alia alijs potiora.

Asiani Oratores.

Neque enim Asiani, aut quocunque alio genere corrupti, res non uiderunt, aut eas non collocauerunt: neq; quos aridos uocamus, stulti, aut in caussis cæci fuerunt: sed his iudicium in eloquendo ac modus, illis uires defuerunt: ut appareat in hoc & uitium & uirtutem esse dicendi.

Cura uerborum cũ rebus coniungenda.

Non ideo tamen sola est agenda cura uerborum. Occurram enim necesse est, & uelut in uestibulo protinus apprehensuris hanc confessionem meam, resistam, ijs qui omissa rerum (qui nerui sunt in caussis) diligentia, quodam inani circa uoces studio senescunt: idq; faciunt gratia decoris:

Decor.

quod est in dicendo mea quidem opinione pulcherrimũ, sed cum sequitur, non cum affectatur. Corpora sana, & integri sanguinis, et exercitatione firmata, ex ijsdem his speciem accipiunt ex quibus uires: nanq; & colorata, & adstricta, & lacertis expressa sunt: sed eandem si quis uulsa atque fucata muliebriter comat, fœdissima sint ipso formæ labore.

Cultus effeminatus. Vide Erasmũ in Prouerbio, Vestis uirũ facit.

Et cultus concessus atq, magnificus addit hominibus, ut Græco uersu testatum est, authoritatem: at muliebris & luxuriosus, non corpus exornat, sed detegit mentem. Similiter illa translucida & uersicolor quorundam elocutio, res ipsas effœminat, quæ illo uerborum habitu uestiuntur. Curam ergo uerborum, rerum uolo esse solicitudinem. Nam plerunq; optima rebus cohærent, & cernuntur suo lumine: at nos quærimus illa tanquam lateãt semper, seq; subducant. Ita nunquã putamus circa id esse, de quo dicendum est: sed ex alijs locis petimus, & inuentis uim affertmus. Maiore animo aggredienda eloquẽtia est: quæ si toto corpore ualet, ungues polire, & capillũ reponere, nõ existimabit ad curã suã pertinere.

Corrũpit orationem nimia diligentia.

Sed euenit plerunq;, ut hac diligentia deterior etiã fiat oratio. Primùm, quia sunt optima minimè accersita, & simplicibus atq; ab ipsa ueritate profectis similia. Nã illa quæ curam fatẽtur, & ficta atq; composita uideri etiã uolunt, nec gratiam consequuntur, et fidem amittunt, propter id quòd sensus obumbrant, & uelut læto gramine sata strangulant. Nã & quod rectè dici potest, circumimus amore uerborũ: et quod satis dictũ est, repetimus: & quod uno uerbo patet, pluribus oneramus: & pleraq; significare melius putamus, quàm dicere. Quid quòd nihil iam proprium placet, dũ parum creditur disertum, quod et alius dixisset? A corruptissimo quoq; poetarũ figuras seu translationes mutuamur: tum demũ ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio.

3. de Orat. in ꝓlogo.

Atqui satis apertè Cicero præceperat, in dicendo uitium uel maximũ esse, à uulgari genere orationis, atq; à consuetudine cõmunis sensus abhorrere. Sed ille durus, atq; ineruditus: nos melius, quibus sordent omnia quæ natura dictauit: qui nõ ornamenta quærimus sed lenocinia. quasi uerò sit ulla uerborũ, nisi rei cohærentiũ, uirtus: quæ ut propria sint & dilucida & ornata, & apte collocentur, si tota uita laborandũ est, omnis studiorum fructus amissus est. Atq; plerosq; uideas hærentes circa singula, et dum inueniunt, & dum inuenta ponderant, ac dimetiuntur. Quod etiam si idcirco fieret, ut semper optimis uterentur, abominanda tamen hæc infœlicitas erat, quæ & cursum dicendi refrenat, & calorem cogitationis extinguit mora & diffidentia. Miser enim, & (ut sic dicam) pauper Orator est, qui nullum uerbum æquo animo perdere potest.

Eloquẽtiæ cõparandæ ratio.

Sed ne perdet quidem, qui rationem loquendi primum cognouerit, tum lectione multa & idonea copiosam sibi uerborum supellectilem compararit, & huic adhibuerit artem collocandi;

deinde

deinde hæc omnia exercitatione plurima roborarit, ut semper in promptu sint, & ante oculos. Nanq; & hoc qui fecerit, ei res cũ nominibus suis occurrent. Sed opus est studio præcedente, & acquisita facultate, & quasi reposita. Nanq; ista quærendi, iudicandi, comparandi anxietas, dum discimus adhibenda est, non cũ dicimus. Alioqui sicut qui patrimoniũ non pararunt, subinde quærunt: ita in oratione, qui non satis laborarunt. Si præparata uis dicẽdi fuerit, erunt in officio, sic ut nõ ad requisita respondere, sed ut semper sensibus inhærere uideantur, atq; ut umbra corpus sequi. Tamen in hac ipsa cura est aliquid satis. Nam cum latina, significantia, ornata, aptè sint collocata, quid amplius laboremus? Quibusdã tamen nullus finis calumniandi est, & cũ singulis penè syllabis cõmorandi: qui etiã cum optima sint reperta, quærunt aliquid quod sit magis antiquũ, remotum, inopinatũ, nec intelligunt iacere sensus in oratione in qua uerba laudantur. Sit igitur cura elocutionis quãmaxima, dum sciamus tamẽ nihil uerborũ caussa esse faciendum, cum uerba ipsa rerũ gratia sint reperta: quorum ea sunt maximè probabilia, quæ sensum animi nostri optimè promunt, atq; in animis iudicũ quod uolumus efficiunt. Ea debent præstare sine dubio & admirabilem & iucundam orationem. Verùm admirabilem nõ sic quomodo prodigia miramur, & iucundã orationem non deformi uoluptate, sed cum laude ad dignitatem coniuncta.

Verba cur inuenta.

ARGVMENTVM.

Quid esset elocutio, ex procemio cognouimus: proximum erat, ut quomodo diuideretur, & quibus constaret, diceremus.

Spectari ergo elocutionem ait in uerbis aut singulis, aut coniunctis, utraq; suis proprijs circunscribit, repetita quorundã ex primo libro mentione, atq; hoc insuper addito, ne uerba sint nimis peregrina & externa, neue curiosa & affectata oratio.

Quæ in elocutione spectanda. Cap. I.



Gitur quam Greci φράσιν uocant, Latinè dicimus elocutionem. Eam spectamus in uerbis aut singulis, aut coniunctis. In singulis intuendum est, ut sint latina, perspicua, ornata, & ad id quod efficere uolumus, accommodata. In coniunctis, ut emendata, ut collocata, ut figurata. Sed ea quæ de ratione latinè atq; emendatè loquendi fuerunt dicenda, in lib. 1. cum de Grammatice loqueremur, executi sumus. Verùm illic tantùm ne uitiosa essent, præcepimus: hic nõ alienũ est admonere, ut sint quamminimè peregrina, & externa. Multos enim quibus loquendi ratio nõ desit, inuenias: quos curiosè potius loqui dixeris, quàm latinè: quomodo & illa Attica anus Theophrastũ hominẽ alioqui disertissimum, annotata unius affectatione uerbi, hospitem dixit: nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quàm quòd nimium Atticè loqueretur. Et in Tito Liuio miræ facũdiæ uiro putat inesse Pollio Asinius quãdã Patauinitatẽ. Quare, si fieri potest, & uerba omnia, & uox, huius alũnũ urbis oleãt: ut oratio Romana planè uideatur, non ciuitate donata.

Elocutionis diuisio.

Latinè loquendum, non curiosè.

Patauinitas Liuii.

ARGVMENTVM.

Elocutionis has esse uirtutes dicit, ut in singulis uerba perspicua sint, & ornata: in coniunctis collocata & figurata. Nam ut latina sint & emendata, ad grammaticum pertinere ostendit.

Primam ergo uirtutem perspicuitatem aggreditur, quam effici uerborum proprietate contendit: cuius octo modos enumerat, quorum primo uitium quod improprium uocant, opponit: docetq; non omnia quæ propria non sint, improprii uitio laborare, cum abusio & translatio necessariæ sint, & pro propriis recepta quæ per eas efferuntur. Nam proprietatem non ad nomen sed ad uim significandi referri. Et quia obscœna, sordida & humilia uitanda sint, primi modi usum non esse semper ostẽdit, & qui humilia semper uitantes etiam ubi caussa non postularet, ea quę in usu sunt, reformidant, ridendos esse indicat. Perspicuitati obscuritatem opponit, cuius in uerbis singulis tres modos enumerat: nimis uetusta, regionibus familiaria, & artium propria, & homonyma. In coniunctis modos octo: sermonem nimis longum, hyperbaton, parenthesin nimis longam, amphiboliam, inanium uerborũ turbam, obscurationem, nimiam breuitatem, sermonẽ uerbis apertis occultos sensus habentem. Quibus enumeratis, quæ sit perspicuitatis obseruatio, uirtus, & forma, cum summa eius commendatione præscribit.

De perspicuitate. Cap. II.



Erspicuitas in uerbis præcipuã habet proprietatẽ: sed proprietas ipsa non simpliciter accipitur. Primus enim intellectus est, sua cuiusq; rei appellatio: qua non semper utimur. Nã & obscœna uitabimus, et sordida, & humilia. Sunt autẽ humilia infra dignitatẽ rerũ, aut ordinis. In quo uitio cauẽdo nõ mediocriter quidã errare solẽt, qui omnia quæ sunt in usu, etiã si caussæ necessitas postulet, reformidant: ut ille qui in actione Ibericas herbas se solo nequicquam intelligente dicebat, nisi irridens hanc uanitatem Cassius Seuerus, spartum eum dicere uelle indicasset. Nec uideo quare clarus Orator duratos muria pisces nitidius esse crediderit, quàm ipsum id quod uitabat. In hac aũt proprietatis specie, quæ nominibus ipsis cuiusq; rei utitur, nulla uirtus est: atq; ei cõtrariũ est uitiũ id quod apud nos impropriũ ἄκυρον apud Græcos uocatur: quale ẽ,

Tantum sperare dolorem.

*Aut quod in oratione Dolabellæ emendatum à Cicerone annotaui, * Morẽ ferre, aut qualia nunc laudantur à quibusdam, quorũ est * decernere, uerba ceciderunt. Non tamen quicquid nõ erit propriũ, protinus & improprij uitio laborabit: quia primũ omnium multa sunt et græcè & latinè non denominata. Nã & qui iaculũ emittit, iaculari dicitur: qui pilã aut sudẽ, appellatione priuatim sibi assignata caret: & ut lapidare quid sit manifestũ est, ita glebarũ testarumq; iactus nõ habet nomẽ. Unde abusio, quæ κατάχρησις dicitur, necessaria. Trãslatio quoq;, in qua uel maximus est orationis ornatus, uerba nõ suis rebus accommodat. Quare proprietas non ad nomen, sed ad uim significandi refertur: nec auditu, sed intellectu perpendenda est. Secundo modo dicitur propriũ inter plura quæ sunt eiusdẽ nominis, id, unde cætera ducta sunt: ut uertex est contorta in se aqua, uel quicquid aliud similiter uertitur. inde propter flexum capillorũ, pars est summa capitis: & ex hoc, quod est in mõtibus eminentissimus. Rectè inquam dixeris hæc omnia uertices, propriè tamen, unde initiũ est. Sic soleæ & turdi pisces, &c. Tertius est huic diuersus modus, cum res cõmunis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium: ut carmen funebre propriè Nænia: & tabernaculum ducis, Augustale. Item quod commune est & alijs nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur: ut urbem, Romam accipimus: & uenales, nouitios: & Corinthia, æra: cum sint urbes aliæ quoq;, & uenalia multa, & tam aurum & argentum, quàm æs, Corinthium. Sed ne in his uirtus Oratoris inspicitur. At illud iam non mediocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo solet ut propriè dictum, id est quo nihil inueniri possit significantius: ut Cato dixit C. Cæsarem ad euertendam Rempublicam sobrium accessisse: ut Virgilius deductum carmen, & Horatius acrem tibiam. Hannibalemque dirum. In quo modo illud quoque est à quibusdam traditum proprij genus*

Perspicuitas uerborũ proprietate cõstat, quæ octo modis dicitur.

Vitãda humilia & sordida.

Impropriũ

Aeneid. 4.

* de cruce.

Abusio in multis necessaria.

Trãslatio.

Proprietas ad uim significandi refertur.

Aeglo. 6.

Sermo. 1.

ex appositis, quæ epitheta dicuntur, ut, Dulce mustum: &, Cum dentibus albis. De quo genere alio loco dicendum est. Etiam quæ bene translata sunt, propria dici solent. Interim autem quæ sunt in quoq; genere præcipua, proprij locum accipiunt, ut Fabius inter plures imperatorias uirtutes Cunctator est appellatus. Possunt uideri uerba quæ plus significant quàm eloquuntur, in parte ponenda perspicuitatis: intellectum enim adiuuant. Ego autem libentius emphasin retulerim ad ornatum orationis, quia non ut intelligatur efficit, sed ut plus intelligatur.

Emphasis ad ornatũ referenda.

Obscuritatis in uerbis singulis modi tres.

Vide Cælium lib. 3. cap. 15.

At obscuritas fit etiam uerbis ab usu remotis: ut si commentarios quis pontificum & uetustissima fœdera, & exoletos scrutatus authores, id ipsum petat ex his, ut quæ inde contraxerit, non intelligantur. Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, ut quædam soli scire uideantur. Fallunt etiam uerba uel regionibus quibusdam magis familiaria, uel artium propria, ut Atabulus uentus, & nauis Saccaria, & In malaco sanum. Quæ uel uitando apud iudicem ignarum significationum earum, uel interpretanda sunt: sicut in his quæ homonyma dicuntur, ut, Taurus animal sit, an mons, an signum in cælo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum non intelligitur.

Homonyma Taurus.

Obscuritatis in contextu modi decem.

Plus tamen est obscuritatis in contextu & continuatione sermonis, & plures modi. Quare nec sit tam longus, ut eum prosequi nõ possit intentio: nec traiectione tam tardus, ut in hyperbaton finis eius differatur. Quibus adhuc peior est mistura uerborum, qualis in illo uersu,

Sermo nimis lõgus.

Hyperbaton

Aeneid. 1.

Saxa uocant Itali medijs quę in fluctibus aras.

Parẽthesis nimis longa.

Etiam interiectione, qua & Oratores & Historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum, impediri solet intellectus, nisi quod interponitur, breue est. Nam Virgilius illo loco quo pullum equinum describit, cum dixisset,

Georg. 3.

Nec uanos horret strepitus:-

compluribus insertis, alia figura quinto demũ uersu redit,

-Tum si qua sonum procul arma dedere,

Stare loco nescit.-

Amphibolia.

Lachetem dicit supra lib. 7. cap. 9. de ambiguo.

Vitanda in primis ambiguitas, non hæc solùm de cuius genere suprà dictum est, quæ incertum intellectum facit, ut, Chremetem audiui percussisse Demeam: sed illa quoq;, quæ etiam si turbare non potest sensum, in idẽ tamen uerborum uitium incidit: ut si quis dicat uisum à se hominem librum scribentem. Nam etiam si librum ab homine scribi pateat, malè tamen composuerat, feceratq; ambiguum, quantum in ipso fuit.

Turba inanium uerborum.

Est etiam in quibusdam turba inaniũ uerborum, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris, circumeunt omnia copiosa loquacitate quæ dicere uolunt: ipsam deinde illam seriem cum alijs similiter iungentes, miscentesq;, ultra quam ullius spiritus durare possit, extendunt. In hoc malum etiam à quibusdam laboratur: neq; id nouum uitium est, cũ iam apud Titum Liuium inueniam fuisse præceptorem aliquem qui discipulos obscurare quæ dicerent, iuberet, græco uerbo utens, σκότισον. Vnde illa scilicet egregia laudatio, Tanto melior: ne ego quidem intellexi.

Obscuratio.

Nimia breuitas.

Alij breuitatis æmuli, necessaria quoque orationi subtrahunt uerba, & uelut satis sit scire ipsos quæ dicere uelint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego otiosum sermonem dixerim, quem auditor suo ingenio non intelligit. Quidam emittatis in peruersum dictis, de figuris idem uitium consequuntur.

ἀδιανόητα.

Pessima uerò sunt ἀδιανόητα, hoc est, quæ uerbis aperta, occultos sensus habent: ut, Conductus est cæcus secus uiam stare: & qui suos artus morsu lacerasset, fingitur in scholis supra se cubasse. Ingeniosa hæc & fortia, ut ex ancipiti diserta creduntur perficiunt. At peruasit quidem iam multos ista persuasio, ut id iam demum eleganter atque exquisitè dictum putent, quod interpretandum sit. Sed auditoribus etiam nonnullis grata sunt hæc, quæ cum intellexerint, acumine suo delectantur, & gaudent non quasi audiuerint, sed quasi inuenerint.

Perspicuitatis uirtutes & formæ.

Nobis prima sit uirtus perspicuitas, propria uerba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio: nihil neque desit, neq; superfluat. Ita sermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Hæc est eloquendi obseruatio. Nam rerum perspicuitas quo modo præstanda sit, diximus in præceptis narrationis. Similis autem ratio est in omnibus. Nam si neque pauciora quàm oportet, neque plura, neq; inordinata aut indistincta dixerimus, erunt dilucida, & negligenter quoque audientibus aperta: quia id ipsum in consilio est habendum, non semper tam esse acrem iudicis intẽtionem, ut obscuritatem apud se ipse discutiat, & tenebris orationis inferat quoddam intelligentiæ suæ lumen: sed multis eum frequenter cogitationibus auocari: nisi tam clara fuerint quæ dicemus, ut in animum eius oratio, ut Sol in oculos, etiamsi in eam non intendatur, incurrat. Quare non ut intelligere possit, sed ne omnino possit non intelligere, curandum.

Oratoris est repetere.

Propter quod etiam repetimus sæpe quæ non satis percepisse eos qui cognoscunt, putamus. Quæ caussa utique nostra culpa dicta obscurius est: qua caussa ad planiora & communia magis uerba descendimus: cum id ipsum optimè fiat, quod nos aliquando non optimè fecisse simulamus.

ARGVMENTVM.

Laudem ornatus amplificat ab eius pulchritudine & difficultate, per comparationem: quantaq; sit eius uis, ex Ciceronis oratione pro Cornelio, eiusdemq; alio loco testimonijs & uarijs similitudinibus probat. Qualis ornatus esse debeat, definit: non effœminatus, nõ adscititius, aut fucatus, sed sanctus, fortis, uirilis, & speciem cum utilitate iunctam habens. Eundem pro diuerso materiæ genere uariandum monet, atq; in genere demonstratiuo, in quo plenis uelis ferri debet, longe alium esse quàm in deliberatiuo & iudiciali, a quibus, etiamsi pressior & castigatior sit, non tamen excludatur. Ornatum esse in singulis uerbis, & coniunctis, ut perspicuitatem: nam quod supra dixit in uerbis singulis spectari an perspicua, & ornata sint, ad primã positionem referendum est, ut postea toti orationis corpori easdem uirtutes seruiant. Primum in singulis magnum esse synonymiæ usum, quia cum plura idem significent, aliaq; honestiora, sublimiora, iucundiora, aut uocaliora sint, licet, quæ rebus accommodatissima erunt, eligere, ut atrocibus uerba ipso auditu aspera dare, à rebus humilibus sublimia procul auferre. Contra ubi subiicienda erit oratio, in uerbis humilibus magnam uim repositam existimare. omnia Ciceronis Horatijq; & Virgilij illustribus exemplis demonstrat. Verborum ex quibus ornatus petatur, triplicem sectionem facit. aut enim propria esse, aut ficta, aut translata. Propria, ornata esse, & dignitatem consequi, si antiqua sint, & cum modo sumantur, nec ab illis obliteratis temporibus repetantur. Ficta uero græcis quàm latinis esse magis concessa, quibus nouare uia permittitur, nisi his se remedijs præmuniant, permitte mihi ut sic loquar, liceat ita dicere, &c. At uerba flectere, deriuare, componere, satis concedi. Translata, de quibus cap. de tropis amplius loquetur, extra contextũ orationis probari non posse, nec ulla singula per se uim habere, tradit. Itaq; à singulis ad coniuncta transit. Coniuncti sermonis ornatum in duo partitur: quam elocutionem concipiamus, & quomodo efferamus. In primo constare debere, minuendum ne, an augendum sit, remisse dicendũ, an concitatè, &c. In secundo, quibus translationibus, figuris, & sententijs, & qua collocatione intentionem perficiamus. Et quia uitio carere prima sit uirtus, antequam ad ornatũ & eius uirtutes accedat, orationis uitia eidem cõtraria recenset, cacophaton, cuius plures species facit, tapinosin, & ei uitium contrarium, rebus paruis excessum immoderatum tribuens, meiosin, tautologian, epanalepsin, homiologian, macrologian, pleonasmon, periergian, cacozelon, anœconometon, aschematon, cacosyntheton, cœnismon, quæ

omnia exemplis appositis explicat. His enumeratis ad ornatum redit, cuius partibus supra nominatis cultû qui omnia nitidiora facit, quoque orationis ornamenta continentur, adiungit, inter quæ enargiam, quàm repræsentationem alii uocent, numerat, & expressam rei imaginem hypotyposio aliis dictam, aliis rerum sub oculos subiectionem, quibus oratio maximè redditur illustris. Exempla ex Cicerone & Virgilio & à se ficta profert.

Valere similitudines quoq; plurimum ad res illustrandas, præter illas quæ rebus probandis adhibentur, & quid circa illam obseruandum, quæq; similitudinis sit & parabolæ, quæ eiusdem species est, ratio, quotq; genera docet. His brachilogiam, uirtutem qua res breuiter ante oculos ponitur, atq; emphasin, qua plus intelligitur quàm dicitur, & diuersa uirtute magnam uim orationi adhærentem aphelian adiungit, aceruatim uerò dinosim, phantasiam, exergasiam, hyperexergasiam, energiam recenset. Postremo uim oratoris in augendo & minuendo, ut ad sequens caput transitum faciat, concludit.

De ornatu. Cap. III.

Ornatus dicêdi proprius oratoris, & in eodem magna uirtus.



VENIO nunc ad ornatum: in quo sine dubio plus quàm in cæteris dicendi partibus sibi indulget Orator. Nam emendatè quidem ac dilucidè dicentium, tenue præmiû est, magisque uitijs carere, quàm ut aliquã magnam uirtutem adeptus esse uidearis. Inuentio cum peritis sæpe communis: dispositio modicæ doctrinæ credi potest: & quæ sunt artes altiores, plerunque occultantur, ut artes sint: denique omnia hæc ad utilitatem caussarum solam referenda sunt. Cultu uerò atq; ornatu se quoque commendat ipse qui dicit, & in cæteris iudicium doctorum, in hoc uerò etiam popularem laudem petit. Nec fortibus modò, sed etiam fulgentibus armis præliatus in caussa est Cicero Cornelij: qui non assecutus esset docendo iudicem tantum, & utiliter demum ac latinè perspicueque dicendo, ut populus Romanus admirationem suam non acclamatione tantum, sed etiam plausu confiteretur. Sublimitas profectò, & magnificentia, & nitor, & authoritas expressit illum fragorem. Nec tam insolita laus esset prosecuta dicentem, si usitata & cæteris similis fuisset oratio. Atque ego illos credo qui aderant, nec sensisse quid facerent, nec sponte iudicioque plausisse: sed uelut mente captos, & quo essent in loco ignaros, erupisse in hunc uoluntatis affectum. Sed ne caussæ quidem parum confert idem hic orationis ornatus. Nam qui libenter audiunt, & magis attendunt, & facilius credunt: plerunque ipsa delectatione capiuntur nonnunquam admiratione auferuntur. Nam & ferrum affert oculis terroris aliquid, & fulmina ipsa non tam nos confunderent, si uis eorum tantum, non etiam ipse fulgor timeretur. Recteq; Cicero his ipsis ad Brutum uerbis quadam in epistola scribit, Nam eloquentiam quæ admirationem non habet, nullam iudico. Aristoteles quoque eandem petendam maximè putat. Sed hic ornatus (repetam enim) uirilis, fortis, & sanctus sit: nec effœminatam leuitatem, nec fuco eminentem colorem amet, sanguine & uiribus niteat. Hoc autem adeo uerum est, ut cum in hac maximè parte sint uicina uirtutibus uitia, etiam qui uitijs utuntur, uirtutis tamen his nomen imponant. Quare nemo ex corruptis dicat me inimicum esse cultè dicentibus. Non nego hanc esse uirtutem, sed illis eam non tribuo. An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia & uiolas, & amœnos fontes surgentes, quàm ubi plena messis, aut graues fructu uites erunt? Sterilem platanum, tonsasque myrtos, quàm maritam ulmum & uberes oleas præoptauerim? Habeant illa diuites: licet quid essent, si aliud nihil haberent? Nullus ne ergo etiam fructiferis adhibendus est decor? quis negat? Nam & in ordinem certaque interualla redigam meas arbores. Quid enim illo quincunce speciosius, qui, in quancunque partem spectaueris, rectus est? Sed protinus in id quoque prodest, ut terræ succum æqualiter trahant. Surgentia in altum cacumina oleæ, ferro coercebo: in orbem se formosius fundet & protinus fructum ramis pluribus feret. Decentior equus, cuius adstricta sunt ilia, si idem uelocior. Pulcher aspectu sit athleta, cuius lacertos exercitatio expressit, idẽ certamini paratior. Nunquam uera species ab utilitate diuiditur. Sed hoc quidem discernere, modici iudicij est.

Ciceronis laus ex caussa Cornelii.

Ornatus qualis esse debeat.

Xenophon in Oeconomico, & Cicero in Catone.

Illud obseruatione dignum, quòd hic ipse honestus ornatus pro materiæ genere debet esse uariatus. Atque ut à prima diuisione ordiar non idem demonstratiuis, & deliberatiuis, & iudicialibus caussis conueniet. Namque illud genus ostentationi compositum, solam petit audientium uoluptatem: ideoque omnes dicendi artes aperit, ornatumque orationis exponit: ut qui non insidietur, nec ad uictoriam, sed ad solum finem laudis & gloriæ tendas. Quare quicquid erit sententijs populare, uerbis nitidum, figuris iucundum, translationibus magnificum, compositione elaboratum, uelut institor quidem eloquentiæ, intuendum, & penè pertractandum dabit. Nam euentus ad ipsum non ad caussam refertur. At ubi res agitur, & uera dimicatio est ultimus sit famæ locus. Propterea non debet quisquam, ubi maxima rerum momenta uersantur, de uerbis esse solicitus. Neque hoc eò pertinet, ut in his nullus sit ornatus, sed uti pressior & seuerior, eò minus confessus, præcipuè ad materiam accommodatus. Nam & suadendo sublimius aliquid senatus, concitatius populus, & in iudicijs publicæ capitalesque causæ poscunt accuratius dicendi genus. At priuatum consilium, caussasque paucorum, ut frequenter accidit, calculorum, purus sermo, & dissimilis curæ magis decuerit. An non pudeat certam creditam pecuniam periodis postularet? aut circa stillicidia affici? aut in mancipij redhibitione sudare? Sed ad propositum. Et quoniã orationis tam ornatus quàm perspicuitas aut in singulis uerbis est, aut in pluribus positus: quid separata, quid coniuncta exigant, consideremus. quanquam rectissimè traditum est, perspicuitatem proprijs, ornatum translatis uerbis magis egere. Sciamus inordinatum esse, quod sit improprium. Sed cum idem frequentissimè plura significens, quod συνωνυμία uocatur, iam sunt alijs alia honestiora, sublimiora, nitidiora, iucundiora, uocaliora. Nam ut syllabæ è literis melius sonantibus clariores sunt, ita uerba è syllabis magis uocalia: & quo plus quæque spiritus habet, auditu pulchrior. Et quod facit syllabarum, idem uerborum quoque inter se copulatio, ut aliud alii iunctum melius sonet. Diuersus est tamen usus. Nam rebus atrocibus uerba etiam ipso auditu aspera magis conueniunt. In uniuersum quidem, optima simplicium creduntur, quæ aut maximè exclamant, aut sono sunt iucundissima. Et honesta quidem turpibus potiora semper, nec sordidis unquam in oratione erudita locus. Clara illa atque sublimia plerunque materiæ modo cernenda sunt. Quod enim alibi magnificum, tumidum alibi. Et quæ humilia circa res magnas, apta circa minores uidentur. Et sicut in oratione nitida notabile est humilius uerbum, & uelut macula: ita à sermone tenui sublime nitidumque discordat, fitque corruptum, quia in plano tumet. Quædam non tam ratione quàm sensu iudicantur: ut illud,

Ornatus pro materiæ genere uariandus.

Ornatus effusissimus in genere demõstratiuo.

Ornatus in singulis uerbis.

Inornatũ.

συνωνυμία. Cice. In Part.

Verba rebus conueniant.

– Cæsa iungebant fœdera porca,

fecit elegans, fictio nominis: quod si fuisset porco, uile erat. In quibusdam ratio manifesta est. Risimus, & meritò, nuper Poetam qui dixerat,

Aeneid. 8.

Prætextam

Georg 4.

– *Prætextam in cista mures rosere Camilli.*

At Virgilij miramur illud, – Sæpe exiguus mus.

Nam epitheton exiguus, aptum proprium effecit ne plus expectaremus, & casus singularis magis decuit, & clausula ipsa unius syllabæ non usitata, addidit gratiam. Imitatus est itaque utrunque Horatius,

In arte. Humilia uim habēt ad orationē submittendam.

– Nascetur ridiculus mus.

Nec augenda semper oratio, sed submittenda nonnunquam est. Vim rebus aliquando & ipsa uerborum humilitas affert. An cum dicit in Pisonem Cicero, Cum tibi tota cognatio in sarraco aduehatur, incidisse uidetur in sordidum nomen, non eo contemptum hominis quem destructum uolebat, auxisse? Et alibi, Caput opponis cum eo coruscans. Vnde interim grati idiotis ioci, qualis est ille apud M. Tullium, Pusio qui cum maiore sorore cubitabat. Et, Cn. Flauius, qui cornicum oculos confixit. Et pro Milone illud, Heus ubi Ruscio? &, Erutius Antoniaster. Id tamen in declamationibus est notabilius, Laudariq; me puero solebat, Da patri panem. & in eodem, Etiam canem pascis. Res quidem præcipuè in scholis anceps, sed frequenter caussa risus, nunc utique, cum hæc exercitatio procul à ueritate seiuncta, laboret incredibili uerborum fastidio, ac sibi magnam partem sermonis absciderit.

Pro Cælio. Pro Murena. Pro Vareno authore Prisciano.

Propria uerba ornata sunt si sint antiqua, & cū modo adhibita.

Cum sint autem uerba propria, ficta, translata: proprijs dignitatem dat antiquitas. nanque & sanctiorem & magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat usurus: eoque ornamento acerrimi iudicij P. Virgilius unicè est usus. Olli enim, & quianam, & mis, & ponè, pellucent & aspergunt illam, quæ etiam in picturis est gratissima, uetustatis inimitabilem arti authoritatem. Sed utendum modo, nec ex ultimis tenebris repetenda. Satis est uetus Quæso, quid necesse est dicere? Oppidò, quo sunt usi paululum tempore nostro superiores, uereor ut iam non ferat quisquam: certè Antigerio, cuius eadem significatio est, nemo nisi ambitiosus utetur. Aerumnas quid opus est? tanquam parum sit si dicatur labor. Horridum, reor: tolerabile, autumo: tragicum, prolem ducendam: uniuersam eius prosapiam, insulsum. Quid multa? totus propè mutatus est sermo. Quædam tamen adhuc uetera uetustate ipsa gratius nitent, quædam etiā necessario interim sumuntur, nuncupare, & fari: & multa alia etiam audientibus grata inferi possunt, sed ita demum, si non appareat affectatio: in qua mirificè Virgilius est,

Aeneid. 1.5. & .2

Cice. 2. de fi. Cice. 3. de Orat.

3. de Orat.

In Priapeis. * Corinthiorum. * Tyrannus.

** Hormethiorum amator iste uerborum,*
Iste iste rhetor, nanque quatinus totus
*Thucydides * Britannus, Atticæ febres,*
Tau Gallicum immiuet: ipsemet malè illisit.
Ita omnia illa uerba miscuit fratri.

Vide Baptistam Pium capit. 43. Philip. 11.

Cimber hic fuit, à quo fratrem necatum hoc Ciceronis dicto notatum est, Germanum Cimber accidit. Nec minus noto Sallustius epigrammate incessitur,

Et uerba antiqui multum furate Catonis
Crispe, Iugurthinæ conditor historiæ.

*Odiosa cura. nam est cuilibet facilis: & hoc pessima, quòd rei studiosus, non uerba rebus aptauit, sed res extrinsecus arcessit, quibus hæc uerba conuenirent. Fingere, ut primo libro dixi, Græcis magis concessum est, qui sonis etiam quibusdam & affectibus non dubitauerunt nomina aptare: non alia libertate, quàm qua illi primi homines rebus appellationes dederunt. Nostri autem in iungendo aut deriuando paulum aliquid ausi, uix in hoc satis recipiuntur: Nam memini iuuenis admodum inter Pomponium & Senecam etiam præfationibus esse tractatum, an, gradus eliminat, apud Accium in Tragœdia dici oportuisset. At ueteres ne expectorat quidem timuerunt. Et sanè eiusdem nota est, exanimat. At in tractu & declinatione talia sunt qualia apud Ciceronem beatitas & beatitudo: quæ dura quidem sentit esse, ueruntamen usu putas posse molliri. Nec à uerbis modò sed à nominibus quoque deriuata sunt quædam, ut à Cicerone sullaturit, * & ab Asinio fimbriaturit & figulaturit. Multa ex Græco formata noua, ac plurima à Sergio Flauio, quorum dura quædam admodum uidentur, ut ens, & essentia: quæ cur tantopere aspernemur, nihil uideo, nisi quod iniqui iudices aduersus nos sumus, ideóque paupertate sermonis laboramus. Quædam tamen perdurant, Nam & quæ uetera nunc sunt, fuerunt olim noua, & quædam in usu perquam recentia, ut Messala primus reatum, munerarium Augustus primus, dixerunt. Piraticam quoq; ut musicam & fabricam dici adhuc dubitabant mei præceptores. Fauorem, & urbanum, Cicero noua credit. Nam & in epistola ad Brutum, Eum, inquit, amorem, & eum (ut hoc uerbo utar) fauorem in consilium aduocabo. Et ad Appium Pulchrum, Te hominem non solum sapientem, uerumetiam (ut nunc loquuntur) urbanum. Idem putat à Terentio primùm dictum esse obsequium. Cæcilius ad Sisennam, Albenti cælo. Ceruicem uidetur Hortensius primus dixisse. nam ueteres pluraliter appellabant. Audendum itaque. Neque enim accedo Celso, qui ab Oratore uerba fingi uetat. Nam cum sint eorum alia (ut dicit Cicero) natiua, id est quæ significata sunt primo sensu: alia reperta, quæ ex his facta sunt: ut iam nobis ponere alia quàm quæ illi rudes homines primique fecerunt, fas non sit: at deriuare, flectere, coniungere, quod natis postea concessum est, quando desiit licere? Et si quid periculosius finxisse uidebimur, quibusdam remedijs præmuniendum est, Vt ita dicam, si licet dicere, quodammodo, permitte mihi sic. Quod idem etiam in ijs quæ licentius translata erunt, proderit, quæ non tutò dici possunt. In quo non falli iudicium nostrum, solicitudine ipsa manifestum erit. Qua de re Græcum erit illud elegantissimum, quo præcipitur ita,* προεπιπλήσσειν τῇ ὑπερβολῇ. *Translata probari nisi in contextu sermonis non possunt. Itaque de singulis uerbis satis dictum, quæ, ut alio loco ostendi, per se nullam uirtutem habent. Sed ne inornata sunt quidem, nisi cum sunt infra rei de qua loquendum est, dignitatem: excepto, si obscœna nudis nominibus enuncientur. Quod uiderint, qui non putant esse uitanda, quia nec sit uox ulla natura turpis: & si qua est rei deformitas, alia quoque appellatione quacunq; ad intellectum eundem nihilominus perueniat. Ego Romani pudoris more contentus, ut iam respondi talibus, uerecundiam silentio uindicabo.*

De natura deorum. 1. Liber. epis. ad Att. 9. epist. 181. * Subucu- latii, & ab Asi fimbriatum & fibulatum.

Epist lib. 3.

In Andria.

3. de Ora. & in Part.

Præexcusatio in periculosius fictis.

Translatio. Lib. 1. ca. 5.

Cice epist. famil. 9 epistol. 22.

Fictà siue nouata uerba, græcis magis quā latinis permissa.

Iam hinc igitur ad coniuncti sermonis rationem transeamus. Cuius ornatus in hæc duo prima diuiditur, quam concipiamus elocutionem, quo modo efferamus. Nam primum est, ut liqueat, augere quid uelimus, an minuere: concitate dicere, an moderatè: latè, an senerè: abundanter, an pressè: asperè, an leniter: magnificè, an subtiliter: grauiter, an urbanè. Tum quo translationis genere, quibus figuris, qualibus sententijs, quo modo, qua postremò collocatione, id quod intendimus, efficere possimus.

Ornatus in coniuncti sermonis ratione, cuius duæ partes.

Cæterùm dicturus quibus ornetur oratio, prius ea quæ sunt huic contraria laudi, attingam: nam prima uirtus est, uitio carere. Igitur ante omnia, ne speremus ornatam orationem fore, quæ probabilis non erit. Probabile autem Cicero id genus dicit, quod non plus minusúe est quàm decet. Non quia comi expolirique non debeat, (nam & hæc ornatus pars est) sed quia uitium est ubique quod nimium est. Itaque uult esse authoritatem & pondus in uerbis, sen-

3. de Orat.

Prima uirtus uitio carere. Probabilis oratio. In partit. Nimiū ubique uitiū.

tentias

tentias uel graues, uel aptas opinionibus hominum ac moribus. His enim saluis licet assumere ea quibus illustrem fieri orationem putat. Delectant translata, superlata, ad nomen adiuncta, duplicata, & idem significantia, ab ipsa actione atq; ab imitatione rerum non abhorrentia. Sed quoniam uitia prius demonstrare aggressi sumus, uel hoc uitium sit quod κακέμφατον uocatur: siue mala consuetudine in obscœnum intellectum sermo detortus est, ut ductare exercitus, & patrare bellum, apud Sallustium dicta sanctè & antiquè, ridentur à nobis, si dijs placet, quam culpam non scribentium quidem iudico, sed legẽtium: tamen uitanda, quatinus uerba honesta moribus perdidimus, & euincentibus etiam uitijs credendum est. siue iuncta deformiter sonat, ut si cum hominibus notis loqui nos dicimus, nisi hoc ipsum hominibus medium sit, in præfata uidemur incidere: quia ultima prioris syllabæ literæ, quæ exprimi nisi labris coeuntibus non potest, aut intersistere nos indecentissimè cogit, aut continuata cum insequente, in naturam eius corrumpitur. Alia coniunctiones aliquid simile faciunt, quas persequi longum est, in eo uitio quod uitandum dicimus, commorantes. Sed diuisio quoque affert eandem iniuriam pudori, ut si intercapedinis nominatiuo casu quis utatur. Nec scripto modò id accidit, sed etiam sensu plerique obscœnè intelligere, nisi caueris, cupiunt: ut apud Ouidium,

Illustris oratio. Vitia orationis. κακέμφατον.

Metam. 1.

Quǽque latent, meliora putat –

ac ex uerbis quæ longissimè absunt, occasionem turpitudinis rapere. Siquidem Celsus cacophaton apud Virgilium putat,

Georgi. 1.

Incipiunt agitata tumescere. –

quod si recipias, nihil loqui tutum est. Deformitati proximum est humilitatis uitium, ταπείνωσιν uocant, qua rei magnitudo uel dignitas minuitur: ut Saxea est uerruca in summo montis uertice. Cui natura contrarium, sed errore par est, paruis dare excedentia modum nomina, nisi cum ex industria risus inde captatur. Itaque nec parricidam, nequam dixeris hominem: nec deditum forte meretrici, nefarium: quòd alterum parum, alterum nimium est. Proinde quadam habes, sordida, ieiuna, tristis, ingrata, uilis oratio est. Quæ uitia facillimè fiunt manifesta contrarijs uirtutibus. Nam primum acuto, secundum nitido, tertium copioso, deinceps hilari, iucundo, accurato diuersum est. Vitanda & μείωσις, cum sermoni quidẽ deest aliquid quò minus plenus sit, quanquam id obscuræ potius quàm inornatæ orationis uitium est. Sed hoc quoq; cum à prudentibus fit, schema dici solet, sicut ταυτολογία, id est eiusdẽ uerbi aut sermonis iteratio. Hæc enim, quanquam non magnopere summis authoribus uitata, interim uitium uideri potest: in quod sæpe incidit etiam Cicero, securus tam paruæ obseruationis sicut hoc loco, Non solùm igitur illud iudicium iudicij simile iudices non fuit. Interim mutato nomine ἐπανάληψις dicitur, atque est & ipsum inter schemata: quorũ exempla illo loco reddam, quo uirtutes erunt. Peior hac ὁμοιολογία est, quæ nulla uarietatis gratia leuat tædium, atque est tota coloris unius, qua maximè deprehenditur carens arte Oratoria: eaque & in sententijs, & figuris, & compositione longa, non animis solùm, sed etiam auribus est ingratissima. Vitanda μακρολογία, id est longior quàm oporteat sermo, ut apud Liuium, Legati non impetrata pace, retro domum, unde uenerant, abierunt. Sed huic uicina periphrasis uirtus habetur. Est & πλεονασμός uitium cum superuacuis uerbis oneratur oratio, Ego meis oculis uidi. Satis est enim, uidi. Emendauit hoc non inurbanè in Hirtio Cicero, qui cum in Pansam declamans, filium à matre decem mensibus in utero latum esse dixisset, Quid? alia, inquit, in penula solent ferre? Nonnunquam tam illud genus, cuius exemplum priore loco posui, affirmationis gratia adhibetur,

ταπείνωσιν & contrarium ei uitium.

μείωσις.

ταυτολογία.

Pro Clu.

ἐπανάληψις.

ὁμοιολογία.

μακρολογία.

Libro.8. ab urbe cond.

πλεονασμός.

– Vocemque bis auribus hausi.

Aeneid. 4.

At uitium erit, quoties ociosum fuerit, & supererit, non cum adijcietur. Est etiam quæ περιεργία uocatur, superuacua (ut sic dixerim) operositas, ut à diligenti curiosus, & à religione superstitio distat: Atq; ut semel finiam, uerbum omne quod neque intellectum adiuuat, neq; ornatum, uitiosum dici potest. Κακόζηλον, id est mala affectatio, per omne dicendi genus peccat. Nam & tumida, & exilia, & prædulcia, & abundantia, & arcessita, & exultantia, sub idem nomen cadunt. Denique κακόζηλον uocatur, quicquid est ultra uirtutem, quoties ingenium iudicio caret, & specie boni fallitur: omnium in eloquentia uitiorum pessimum. Nam cætera cum uitentur, hoc petitur. Est autem totum in elocutione. Nam rerum uitia sunt, stultum, commune, contrarium, superuacuum: corrupta oratio in uerbis maximè improprijs, redundantibus, comprehensione obscura, compositione fracta, uocum similium aut ambiguarum puerili captatione consistit. Est autem omne κακόζηλον utiq; falsum etiamsi non omne falsum κακόζηλον, ut cum dicitur aliter quàm se natura habet, & quàm oportet, & quàm sat est. Totidem autem generibus corrumpitur oratio, quot ornatur. Sed de hac parte & in alio à nobis opere plenius dictum est, & in hoc sæpe tractabitur, & adhuc spargetur omnibus locis. Loquentes enim de ornatu, subinde quæ sunt uitanda, similia uirtutibus uitia, dicemus. Sunt inornata & hæc, Quod male dispositum est, id ἀνοικονόμητον: Quod male figuratũ, id ἀσχημάτιστον. Quod male collocatum, id κακοσύνθετον uocant. Sed de dispositione diximus: de figuris & compositione dicemus. Κοινισμός quoque appellatur quædam mista ex uaria ratione linguarum oratio, ut si Atticis Dorica, Ionica, Aeolica etiam dicta confundas. Cui simile uitium est apud nos, si quis sublimia humilibus, uetera nouis, poetica uulgaribus misceat. Id enim est monstrum, quale Horatius in prima parte libri de arte poetica fingit.

περιεργία.

κακόζηλον.

In libro de caussis corruptæ eloquentiæ.

ἀνοικονόμητον.

ἀσχημάτιστον.

κακοσύνθετον.

κοινισμός.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si uelit, –

& cætera ex diuersis naturis subijciat. Ornatum est quod perspicuo ac probabili plus est. Eius primi sunt gradus in eo quod uelis exprimendo, concipiendoque: tertius, qui hæc nitidiora faciat: quod propriè dixeris cultum. Itaque ἐνάργεια, cuius in præceptis narrationis feci mentionem, quia plus est euidentia, uel ut alij dicunt, repræsentatio, quàm perspicuitas: & illud quidem patet, hæc se quodammodo ostendit: inter ornamenta ponamus. Magna uirtus est, res de quibus loquimur, clare, atque ut cerni uideantur, enunciare. Non enim satis efficit, neque ut debet plenè dominatur oratio, si usque ad aures ualet, atque ea sibi iudex de quibus cognoscit, narrari credit, non exprimi, & oculis mentis ostendi. Sed quoniam pluribus modis accipi solet, non equidem in omnes eam particulas, secabo, quarum ambitiosè à quibusdam numerus augetur, sed maximè necessarias attingam. Est igitur unum genus quo tota rerum imago quodammodo uerbis depingitur.

Ornatum, & eius gradus.

ἐνάργεια. Repræsentatio.

Epressa rei imago, seu hypotyposis.

Constitit in digitos exemplo arrectus uterque,

Aeneid. 5.

& cætera, quæ nobis illam pugilum congredientium faciem ita ostendunt, ut non clarior futura fuerit spectantibus. Plurimum in hoc genere, sicut in cæteris, eminet Cicero. An quisquam tam procul à concipiendis imaginibus rerum abest, ut cum illa in Verrem legit, Stetit soleatus

Act. 7.

Prætor

Prætor populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, mulier cula nixus littore: non solùm ipsum os intueri uideatur, & locum & habitum, sed quædam etiam ex ijs quæ dicta non sunt, sibi ipse adstruat? Ego certè mihi cernere uideor & uultum, & oculos, & deformes utriusque blanditias, & eorum qui aderant, tacitam auersationem ac timidam uerecundiam. Interim ex pluribus efficitur illa quam conamur exprimere facies, ut est apud eundem (nanque ad omnium ornandi uirtutum exempla uel unus sufficit) in descriptione conuiuij luxuriosi, *Videbar uidere alios intrantes, alios uerò exeuntes, quosdam ex uino uacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat immunda, lutulenta uino, coronis languidulis, & spinis cooperta piscium. Quid plus uideret qui intrasset?* Sic urbium captarum crescit miseratio. Sine dubio enim qui dicit expugnatam esse ciuitatem, complectitur omnia quæcunque talis fortuna recipit: sed in affectus minus penetrat breuis hic uelut nuncius. At si aperias hæc quæ uerbo uno inclusa erant, apparebunt & fusæ per domos ac templa flammæ, ruentium tectorum fragor, & ex diuersis clamoribus unus quidam sonus aliorum fuga incerta, alij in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium fœminarumque ploratus, & malè usque in illum diem seruati fato senes: tum prophanorum sacrorumque direptio, efferentium prædas repetentiumque discursus, & acti ante suum quisque prædonem catenati, & conata retinere infantem suum mater, & sicubi maius lucrum est, pugna inter uictores. Licet enim hæc omnia (ut dixi) complectatur euersio, minus est tamen totum dicere, quàm omnia. Consequemur autem ut manifesta sint, si fuerint uerisimilia: & licebit etiam falsò adfingere quicquid fieri solet. Contingit eadē claritas etiam ex accidentibus.

Vide Aquilam Romanū de Prodiorthosi.

Vrbis captæ descriptio.

Aeneid. 2. – *Mihi frigidus horror*
Membra quatit, gelidusq; coit formidine sanguis. &,

Aeneid. 7. –*Trepidæ matres pressere ad pectora natos.*

Atque huius summæ iudicio quidem meo uirtutis facillima est uia. Naturam intueamur, hanc sequamur. Omnis eloquentia circa opera uitæ est, ad se refert quisq; quæ audit: & id facillimè accipiunt animi, quod agnoscunt.

Similitudines.

Præclare uerò ad inferendam rebus lucē, repertæ sunt similitudines, quarum aliæ sunt quæ probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliæ ad exprimendam rerum imaginem compositæ, quod est huius loci proprium,

Aeneid. 2. – *Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula. – Et,

Aeneid. 4. – *Aui similis, quæ circum littora, circum*
Piscosos scopulos humilis uolat æquora iuxta.

Quid in similibus obseruandū.

Quo in genere id est præcipuè custodiendum, ne id quod similitudinis gratia adsciuimus, aut obscurum sit, aut ignotum. Debet enim illustrandæ alterius rei gratia assumitur ipsum esse clarius eo quod illuminat. Quare sanè poetis quidem permittamus huiusmodi exempla,

Aeneid. 4. *Qualis ubi hybernam Lyciam, Xantique fluenta*
Deserit, aut Delon maternam inuisit Apollo.

Non idem decebit Oratorem, ut occultis aperta demonstret. Sed illud quoque de quo in argumentis diximus, similitudinis genus ornat orationem, facitque sublimem, floridam, iucundam, mirabilem. Nam quo quæque longius petita est, hoc plus affert nouitatis, atque inexpectata magis est. Illa uulgaria uideri possunt, & utilia tamen ad conciliandam fidem, *Vt terram cultu, sic animum disciplinis meliorem que fieri.* Et ut medici abalienata morbis membra præcidunt, ita turpes ac perniciosos, etiam si no-

Similitudinis ratio.

bis sanguine cohæreant, amputandos. Iam sublimius illud pro Archia, *Saxa atque solitudines uoci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt.* & cætera. Quod quidem genus à quibusdam declamatoria maximè licentia corruptum est. Nam & falsis utuntur: nec illa ijs quibus tandem similia uideri uolunt, applicant: quorum utrunque in ijs est quæ me iuuene ubique cantari solebant, *Magnorum fluminum nauigabiles fontes sunt.* &, *Generosioris arboris statim planta cum fructu est.*

In omni autem parabola aut præcedit similitudo, & res sequitur: aut præcedit res, & similitudo sequitur. Sed interim libera & separata est: interim, quod longè optimū est, cum re cuius est imago, connectitur, collatione inuicem respōdente, quod facit redditio cōtraria, quæ ἀνταπόδοσις dicitur. Præcedit similitudo illa, cuius modò feci mētionē,

Parabolæ lex.

– *Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula. –

Sequitur in primo Georgicon post longam de bellis ciuilibus atque externis conquestionem,

Vt cum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Sed hæc sunt sine antapodosi.

Redditio autem illa rem utranque quam comparat, uelut subijcit oculis, & pariter ostendit. Cuius præclara apud Virgilium multa reperio exempla, sed oratorijs potius utendū est. Dicit Cicero pro Murena, *Vt aiunt in Græcis artificibus eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerunt: sic nos uidemus, qui Oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire.* Illud pro eodem, iam penè poetico spiritu, sed tamen cum sua redditione, quod est ad ornatum accommodatius: *Nam ut tempestates sæpe certo aliquo cœli signo commouentur, sæpe improuisò, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex caussa concitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari sæpe intelligas quo signo commota sit: sæpa ita obscura est, ut casu excitata esse uideatur.* Sunt & illæ breues, *Vagique per syluas ritu ferarum.* Et illud Ciceronis in Clodium, *Quo ex iudicio uelut ex incendio nudus effugit.* Quibus similia possunt cuicunque etiam ex quotidiano sermone succurrere.

Huic subiacet uirtus non solùm apertè ponendi rem ante oculos sed circumcisè atque uelociter. Ac meritò laudatur breuitas integra, sed ea minus præstat quoties nihil dicit nisi quod necesse est, βραχυλογίαν uocant, quæ reddetur inter schemata. Est uerò pulcherrima, cū plura paucis complectimur, quale illud Sallustij est, *Mithridates corpore ingenti perinde armatus.* Hoc malè imitantes sequitur obscuritas. Vicina prædicta, sed amplior uirtus est ἔμφασις, altiorem præbens intellectum, quàm quem uerba per se ipsa declarant. Eius duæ sunt species: altera, quæ plus significat quàm dicit: altera, quæ etiam id quod non dicit. Prior est & apud Homerum, cum Menelaus Graios in equo sedisse dicit: nam uerbo uno magnitudinem eius ostendit. & apud Virgilium,

Βραχυλογία.

ἔμφασις.

Odyss. 4. & 8.

Demissum lapsi per funem. –

Aeneid. 2.

Nam sic quoque altitudo demonstrata est. Idem Cyclopa cum iacuisse dicit per antrum, prodigiosum illud corpus spatio loci mensus est. Sequens posita est in uoce aut omnino suppressa, aut etiam abscissa. Supprimitur uox, ut fecit pro Ligario Cicero, *Quod si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te inquam obtines: intelligo quid loquar.* Tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, non deesse homines qui ad crudelitatem eum impellerent. Abscinditur per ἀποσιώπησιν,

Aeneid. 3.

ἀποσιώπ.

quæ

quæ quoniam est figura, reddetur suo loco. Est in uulgaribus quoque uerbis emphasis, Virum esse oportet. & Homo est ille. & Viuendum est. Adeò similis est arti plerunque natura. Non tamen satis eloquentiæ est, ea de quibus dicat, clarè atq; euidenter ostendere: sed sunt multi ac uarij excolendæ orationis modi. ἀφέλεια. *Nam & ipsa illa* ἀφέλεια *simplex & inaffectata habet quendam purum, qualis etiam in fœminis amatur, ornatum: & sunt quædam uelut è tenui diligentia circa proprietatem significationemque munditiæ. Alia copia locuples, alia floribus læta: uirium non unum genus. Nam quicquid in suo genere satis effectum est, ualet. Præcipua tamen eius opera* δείνωσις. δείνωσις *in exaggeranda indignitate: & in cæteris altitudo quædam:* φαντασία. φαντασία *in concipiendis uisionibus.* ἐξεργασία. ἐξεργασία *in efficiendo uelut opere proposito: cui adijcitur* ἐπεξεργασίαι. ἐπεξεργασία, *repetitio probationis eiusdem, & cumulus ex abundanti.* ἐνέργεια. ἐνέργεια *confinis his est, ab agendo ducta, & cuius propria sit uirtus, non esse quæ dicuntur, ociosa. Est & amarum quiddam, quod ferè in contumelia est positum* In philippum. *quale est Cassij, Quid facies cum in bona tua inuasero? hoc est cum te docuero nescire maledicere? Et acre, ut illud Crassi, Ego te consulem putem, cum tu me non putes senatorem?* Vis Oratoris in augẽdo, & minuendo. *Sed uis Oratoris omnis in augendo minuendoque consistit. Vtriq; parti totidem modi ex quibus præcipuos attingemus: reliqui similes erunt. Sunt autem positi in rebus, & uerbis. Sed quæ sit rerũ inuentio ac ratio, tractauimus: nunc quid elocutio attollat aut deprimat, dicendũ.*

ARGVMENTVM.

Primam amplificandi uel minuendi rationem in nomine esse docet: ut cum improbum, latronem, contrà, uulneratum, læsum dicimus. Aliam etiam ex nominibus maiorem & manifestiorem, ex comparatione ampliorum uerborum cum inferioribus, quale est illud, non furem, sed raptorem; non sacrilegum, sed hostem sacrorum. Et quia species huiusmodi possunt plurimæ recenseri, ut confusionem ex multitudine tollat, quatuor amplificationis genera constituit, incrementum, comparationem, ratiocinationem, congeriem. Incrementi quatuor modos recenset, Comparationis tres, ubi comparationem non semper ad amplificandum, sed aliquando etiam ad probandum adhiberi monet, Ratiocinationis quinque. Cur hunc amplificandi modum ita uocet, rationem reddit. Congeriei duos, & quid à synathrœsmo figura, id est coaceruatione, differat. Postremo minuendi totidem modos esse quot amplificandi tradit, & cur hyperbolen in tractatum de tropis differat, curque continuo tropos non subiungat, rationem assignat.

De amplificatione. Cap. IIII.

Amplificatio in nomine. *PRIMA est igitur amplificandi uel minuendi species in ipso rei nomine, ut cum eum qui sit cæsus, occisum: eum qui sit improbus, latronem: contráque eum qui pulsauit, attigisse: qui uulnerauit, læsisse dicimus. Vtriusque pariter exemplum est pro M. Cælio, Si uidua liberè, proterua petulanter, diues effusè, libidinosa meretricio more uiueret, adulterum ego putarem, siquis hanc paulo liberius salutasset? Nam & impudicam meretricem uocauit: & eum cui longior cum illa fuerat usus, liberius salutasse.* In adiuncto uerbo ex collatione. Act. 7. *Hoc genus crescit, ac fit manifestius, si ampliora uerba cum ipsis nominibus pro quibus ea posituri sumus, conferantur: ut Cicero in Verrem, Non enim furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumque: non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorumque in uestrum iudicium adduximus. Illo enim modo ut sit multum, hoc etiam plus ut sit efficitur.*

Quatuor tamen maximè generibus uideo constare amplificationem, incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie. Quatuor amplificandi modi, quorũ primus per incremẽtum quatuor modis. *Incrementum est potentissimum, cum magna uidentur etiam quæ inferiora sunt. Id aut uno gradu fit, aut pluribus. Per id uenitur non modò ad summum, sed interim quodammodo supra summum. Omnibus his sufficit uel unum Ciceronis exemplum, Facinus est uincire ciuem Romanum, scelus uerberare, propè parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?* Act. 7. *nam & si tantum uerberatus esset, uno gradu increuerat, ponendo etiam id esse facinus, quod erat inferius. Et si tantum occisus esset, per plures gradus scenderat. Cum uero dixerit, propè parricidiũ necare: supra quod nihil est adiecit, quid dicam in crucem tollere? Ita cum id quod maximum est occupasset, necesse erat in eo quod ultra est, uerba deficere. Fit & aliter supra summum adiectio: ut apud Virgilium de Lauso,*

– Quo pulchrior alter Aeneid. 8.
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Summum est enim, quo pulchrior alter non fuit. huic deinde aliquid suprapositum est. Tertius quoque est modus, ad quem non per gradus itur, ut quod non est plus quàm maximum, sed quo nihil maius est. Matrem tuam occidisti. Quid dicam amplius? Matrem tuam occidisti. Nam & hoc augendi genus est, tantum aliquid efficere, ut non possit augeri. Crescit oratio minus apertè, sed nescio an hoc ipso efficacius, cum citra distinctionem in contextu & cursu semper per aliquid priore maius insequitur: ut de uomitu in Antonium Cicero, Philipp. 2. *In cœtu uerò populi Romani negocium publicum gerens magister equitum. Singula incrementum habent. Per se deforme, uel non cœtu uomere: in cœtu etiam non populi: populi etiam non Romani: uel si nullum negocium ageret, uel si non publicum: uel si non magister equitum. Sed alius diuideret hæc, & circa singulos gradus moraretur: hic in sublime etiam currit, & ad summum peruenit non nixu, sed impetu. Verùm ut hæc amplificatio in superiora tendit, ita quæ fit per comparationem, incrementum ex minoribus petit.* Secundas per comparationem cuius tres modi. *Augendo enim quod est infra, necesse est extollat id quod supra positum est ut idem, atque in eodem loco, Si hoc tibi inter cœnam, & in illis immanibus poculis tuis accidisset, quis non turpe duceret?* Inuect. c. *In cœtu uerò populi Romani. & in Catilinam, Serui mehercle mei si me isto pacto metuerẽt, ut te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem. Interim proposito uelut simili exemplo efficiendum est ut sit maius id quod à nobis exaggerandum est: ut idem pro Cluentio, cum exposuisset Milesiam quandam à secundis hæredibus pro abortu pecuniam accepisse, Quanto est, inquit, Oppianicus in eadem iniuria maiore supplicio dignus? Siquidem illa cum suo corpori uim attulisset, se ipsa cruciauit: hic autem idem illud effecit per alieni corporis uim atque cruciatum.* Diuersus cõparationis effectus cum probare & amplificare uolumus. *Nec putet quisquam hoc, quanquam est simile, illi ex argumentis loco, quo maiora ex minoribus colliguntur, idem esse. Illic enim probatio petitur, hic amplificatio: sicut in Oppianico non id agitur in illa comparatione, ut ille malè fecerit, sed ut peius. Est tamen quanquam diuersarum rerum quædam uicina. Repetam igitur hic quoque idem quo sum illic usus exemplum, sed non in eundem usum. Nam hoc mihi ostendendum est, augendi gratia non tota modò totis, sed etiam partes partibus comparari: sicut hoc loco, An uerò uir amplissimus P. Scipio pontifex maximus Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipublicæ, priuatus interfecit: Catilinam orbem terrarum cæde atque incendio uastare cupientem, nos consules perferemus?* In Catil. 1. *Hic & Catilina Graccho,*

& status

& status Reipublicæ orbi terrarum, & mediocris labefactatio cædi & incendijs & uastationi, & priuatus consulibus comparatur: quæ si quis dilatare uelit, plenos singula locos habent.

Tertius, per ratiocinationem, cuiusmodi quinque.

Quas dixi per ratiocinationem fieri amplificationes, uideamus an satis proprio uerbo signauerim. Nec sum in hoc solicitus, dum res ipsa uolentibus discere appareat. Hoc sum tamen secutus, quòd hæc amplificatio alibi posita est, alibi ualet: & ut aliud crescat, aliud augetur: inde ad id quod extolli uolumus, ratio deducitur.

Philipp. 2.

Obiecturus Antonio Cicero merum & uomitum, Tu inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate. Quid fauces & latera ad ebrietatem? Minimè sunt ociosa. Nam respicientes ad hæc, possumus æstimare quantum ille uini in Hippiæ nuptijs exhauserit, quod ferre & coquere non posset illa gladiatoria corporis firmitate. Ergo si ex alio colligitur aliud, nec improprium, nec inusitatum nomen est ratiocinationis, ut quod ex eadem caussa inter status quoque habemus. Sic & ex insequentibus amplificatio ducitur. Siquidem tanta uis fuit uini erumpentis, ut non casum afferret aut uoluntatem, sed necessitatem, ubi minimè deceret, uomendi: & cibus non recens, ut accidere interim solet, redderetur, sed qui usque in posterum diem redundaret. Idem hoc præstant quæ antecesserunt. Nam cum Aeolus à Iunone rogatus,

Aeneid. 1.

–Cauum conuersa cuspide montem
Impulit in latus, ac uenti uelut agmine facto,
Qua data porta, ruunt:–
Apparet quanta sit futura tempestas.

Quid? cum res atrocissimas quasq; in summam ipsi extulimus inuidiam, eleuamus consultò, quò grauiora uideantur quæ secutura sunt: ut à Cicerone factum est cum illa diceret, Leuia sunt hæc in hoc reo crimina: Metum uirgarū Nauarchus nobilissimæ ciuitatis precio redemit: humanū est. Alius, ne securi feriretur, pecuniam dedit: usitatum est. Nonne usus est ratiocinatione, qua colligerent audientes quantum illud esset quod inferebatur, cui comparata hæc, humana uiderentur atque usitata? Sic quoque solet ex alio aliud augeri, ut cum Hannibalis bellicis laudibus ampliatur uirtus Scipionis. Et fortitudinem Gallorum Germanorumque miramur, quò sit maior C. Cæsaris gloria. Illud quoque est ex relatione ad aliquid, quod nō eius rei gratia dictum uidetur, amplificationis genus.

Act. 7.

Iliad. 3. Helenæ forma.

Non putant indignum Troiani principes, Graios Troianosque propter Helenæ speciem tot mala tanto temporis spatio sustinere: quænam igitur illa forma credenda est? Non enim hoc dicit Paris, qui rapuit: non aliquis iuuenis, non unus è uulgo: sed senes & prudentissimi, Priamo assidentes. Verùm & ipse rex decenni bello exhaustus, amissis tot liberis, imminente summo discrimine, cui faciem illam, ex qua tot lachrymarum origo fluxisset, inuisam atque abominandam esse oportebat, & audit hæc, & eam filiam appellant, iuxta se locat, & excusat etiam, atque sibi esse malorum caussam negat. Nec mihi uidetur in Symposio Platō, cum Alcibiadem confitentem de se quid à Socrate pati uoluerit narrat, ut illum culparet hæc tradidisse: sed ut Socratis inuictam continentiam ostenderet, quæ corrumpi speciosissimi hominis tam obuia uoluntate nō posset. Quin ex instrumento quoque, heroum illorum magnitudo æstimanda nobis datur. ad hoc pertinet clypeus Aiacis, & hasta Pelias Achillis. Qua uirtute egregiè est usus in Cyclope Virgilius. Nā quod illud corpus mēte cōcipiā cuius

Iliad. 6. Iliad. 16.

Aeneid. 4.

Trunca manum pinus regit?–

Quid? cum uix loricam duo multiplicem connixi humeris ferrent, quantus Demoleos, qui indutus eam,

Aeneid. 5. Philipp. 2.

–cursu palantes Troas agebat?

Quid M. Tullius de M. Antonij luxuria tantum fingere saltem potuisset, quantum ostendit dicendo, Conchyliatis Cn. Pompeij peristromatis seruorum in cellis stratos lectos uideres? Conchyliata peristromata, & Cn. Pompeij, & in cellis seruorum, nihil dici potest ultra: & necesse est tamen infinito plus in domino cogitare. Est hoc simile illi quod ἔμφασις dicitur: sed illa ex uerbo, hoc ex re coniecturam facit: tantoque plus ualet, quanto res ipsa uerbis est firmior.

Quartus.

Per congeriem uerborum.

Pro Lig.

Potest adscribi amplificationi congeries quoque uerborum ac sententiarum idem significantium. Nam etiam si non per gradus ascendant, tamen uelut aceruo quodam alleuantur. Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Simile est hoc figuræ quam συναθροισμὸν uocant: sed illic plurium rerum est congeries, hic unius multiplicatio. Hæc etiam crescere solet uerbis omnibus altius insurgentibus: Aderat ianitor carceris, carnifex Prætoris, mors terrorque sociorum, & ciuium Romanorum, lictor Sextius.

συναθροισμός.

Act. 7.

Imminutionis ratio.

Eadem ferè est ratio minuendi. Nam totidem sunt ascendentibus, quot descendentibus gradus. Ideoque uno ero exemplo contentus eius loci quo Cicero de oratione Rulli hæc dicit, Pauci tamen, qui proximi adstiterant, nescio quid illum de lege Agraria uoluisse dicere suspicabantur. Quod si ad intellectum referas, minutio est: si ad obscuritatem, in incrementum. Scio posse uideri quibusdam speciem amplificationis hyperbolen quoque. nam & hæc in utranque partem ualet: sed quia excedit hoc nomen, in tropos differenda est. Quos continuò subiungerem, nisi esset à cæteris separata ratio dicendi quæ constat non proprijs, sed translatis. Demus ergo breuiter hoc desiderio iam penè publico, ne omittamus eum quē pleriq; præcipuū ac penè solū putāt orationis ornatū.

ARGVMENTVM.

Rationem dicendi quæ translatis constat, ab ea quæ propriis constaret, separandam esse in fine capitis superioris dixit, in quo cum de amplificandi modis locutus esset ante tropos qui translatis constant, amplificationibus tractatum de sententiis subiungendum existimauit. Quæ uox cum sit homonyma, quot modis accipi possit, quot sint earum genera, quis usus, quæ uitiosæ, quis modus, explicat. Triplicem sententiæ acceptionem ostendit. Prima significari id omne quod animo sentimus, secunda consilium aut decretum, tertia, ad huius similitudinem, orationē sumptam de uita, quæ quid in ea esse oporteat, breuiter ostendit. Et huius esse uaria genera. Nam aut ad rem uniuersaliter referri, aut ad personā. Simplicem esse, aut duplicem. Sine, & cum ratione subiecta. Ex diuersis quod cū mutatione figuræ addit acrimoniam. Quod à communi uertit ad proprium: Quod à rebus ad personas transfert. Enthymema, cum non est argumentum, sed ad ornatum refertur. Epiphonema, in clausula additū. Noema, clausulam sensus ferientem. Quibus nouarū sententiarū genera subiungit, ex inopinato, aliò relata, aliunde petita, geminata, cōtrariè posita, comparata, quorū quædam bona dici possint, quædam uitiosa. quæ sint illa, commemorat. Sententiarū modum hunc esse, ne crebræ sint, ne palàm falsæ, ut à uiris authoritate præditis proferantur. Quare ijs nimium frequenter utentes, & contrà in totum dānantes uituperat, uiam quandam mediam inter utrosq; indicans, & usum eius mediocrē cōmendans.

De generibus sententiarum. Cap. V.

Sententiæ uariæ acceptiones.

Sententiam ueteres quod animo sensissent uocauerunt. Id cum est apud oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet. Nam & iuraturi ex animi nostri sententia, & gratulantes ex sententia dicimus. Non raro tamen & sic lo-

enti

Sensa, & sensus.

cuti sunt, ut sensa sub dicerent: nam sensus, corporis uidebantur. Sed consuetudo iam tenuit, ut mēte concepta, sensus uocaremus: lumina autem, præcipueque in clausulis posita, sententias. Quæ minus crebra apud antiquos, nostris temporibus modo carent. Ideoque mihi & de generibus earum, & de usu arbitror pauca dicenda.

De qua sententia loqui instituat, & quæ propriè sententia dicatur.

Antiquissimæ sunt, quæ propriè, quamuis omnibus idem sit nomen, sententiæ uocantur, quas Græci γνώμας appellant. Vtrunq; autem nomen ex eo acceperunt, quòd similes sunt cōsilijs aut decretis. Est autem hæc uox uniuersalis, quæ etiam citra complexum caussæ possit esse laudabilis, interim ad rem tantùm relata: ut, Nihil est tam populare quàm bonitas.

Pro Liga.

interim ad personam: quale est Afri Domitij, Princeps qui uult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.

Sententiæ uaria genera.

Hanc quidam partem enthymematis, quidam initium aut clausulam epicherematis esse dixerunt: & est aliquando, non tamen semper. Illud uerius, esse eam aliquando simplicē, ut eam quam supra dixi. Aliquando ratione subiecta. ›› Nam in omni certamine qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere uidetur. Nonnunquam duplicem, Obsequium amicos, ueritas odium parit.

Sallust. in Iugur.

Sententiæ species.

Sunt etiam qui decē genera fecerunt, sed eo modo quo fieri uel plura possunt, per interrogationem, comparationem, infitiationem, similitudinem, admirationem, & cætera huiusmodi per omnes enim figuras tractari potest. Illud notabile ex diuersis, Mors misera non est, aditus ad mortem miser est.

Epicuri sententia.

P. Syrus.

Ac rectæ quidem sunt tales, Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet. Sed maiorem uim accipiunt commutatione figuræ: ut,

Aenei. 12.

Vsque adeo'ne mori miserum est? -

Acrius enim hoc, quàm per se, Mors misera non est. Et translatione à communi ad proprium. Nam cum sit rectum, Nocere facile est, prodesse difficile: uehementius apud Ouidium Medea dicit,

Seruare potui, perdere an possim rogas?

Pro Liga.

Vertit ad personam Cicero, Nihil habet, Cæsar, nec fortuna tua maius, quàm ut possis: nec natura melius, quàm ut uelis seruare quamplurimos. Ita quæ erant rerum, propria fecit hominis.

Quis modus sententiarum esse debeat, & quos maximè deceat.

In hoc genere custodiendum est, & id quidem ubique, ne crebræ sint, ne palàm falsæ (quales frequenter ab ijs dicuntur qui hæc καθολικὰ uocant: & quicquid pro caussa uidetur, quasi indubitatum pronunciant) & ne passim & à quocunq; dicantur. Magis enim decent eos in quibus est authoritas, ut rei pondus etiam persona confirmet. Quis enim ferat puerū aut adolescentulū, aut etiam ignobilem, si iudicet in dicendo, & quodammodo præcipiat?

Enthymema relatū ad ornatū.

Enthymema quoque est omne quod mente concipimus: propriè tamen dicitur quæ est sententia ex contrarijs propterea quòd eminere inter cæteras uidetur, ut Homerus poeta, urbs Roma. De hoc in argumentis satis dictum est. Non semper autem ad probationem adhibetur, sed aliquando ad ornatum.

Pro Liga.

Quorum igitur impunitas, Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio? Non quia sit ratio dissimilis, sed quia iam per alia ut id iniustum appareret, effectum erat.

Epiphonema.

Et addita in clausula est epiphonematis modo non tam probatio, quàm extrema quasi insultatio est. Enim epiphonema, rei narratæ uel probatæ summa acclamatio,

Aeneid. 1.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Pro Milo. νόημα.

Facere enim probus adolescens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit. Est & quod appellatur à nouis νόημα quā uoce omnis intellectus accipi potest: sed hoc nomine donarunt ea quæ non dicunt, uerum intelligi uolunt: ut in eum quem sæpius à ludo redemerat soror, agentem cum ea talionis, quòd ei pollicem dormienti recidisset, Eras dignus ut haberes integram manum. Sic enim auditur, ut depugnares.

Clausula.

Vocatur aliquid & clausula: quæ si est quod conclusionem dicimus, & rectè, & quibusdam in partibus necessaria est.

Pro Liga.

Quare prius de facto uestro fateamini necesse est, quàm Ligarij culpam ullam reprehendatis. Sed nunc illud uolunt, ut omnis locus, omnis sensus in fine sermonis feriat aurem. Turpe autem ac propè nefas ducunt, respirare ullo loco qui acclamationem non petierit.

Sensiculi.

Inde minuti corruptique sensiculi, & extra rem petiti. Neque enim possunt tam multæ bonæ sententiæ esse, quàm necesse est multæ sint clausulæ.

Noua sententiarum genera.

Iam hæc magis noua sententiarum genera: Ex inopinato: ut dixit Vibius Crispus in eum qui cum loricatus in foro ambularet, prætendebat id se metu facere, Quis tibi sic timere permisit? Et insigniter Aphricanus apud Neronem de morte matris, Rogant te Cæsar Galliæ tuæ, ut fœlicitatem tuam fortiter feras.

Aliò relata.

Sunt & aliò relata, ut Afer Domitius cum Cloantillam defenderet, cui obiectum crimen quòd uirum qui inter rebellantes fuerat, sepelisset, remiserat Claudius, in epilogo filios eius alloquens, Matrem tamen, inquit, pueri sepelitote.

Aliunde petita.

Et aliunde petita, id est in alium locum ex alio translato: ut pro Spatbale Crispus, quam qui hæredem amator instituerat, decessit, cum haberet annos duodeuiginti, O hominem diuinum, qui sibi indulsit.

Geminatio.

Facit quasdam sententias sola geminatio: qualis est Senecæ in eo scripto quod Nero ad Senatum misit occisa matre, cum se periclitatum uideri uellet Saluum me esse adhuc nec credo, nec gaudeo.

Ex contrariis. Ad Atti. 8.

Melior, cum ex contrarijs ualet, Habeo quem fugiam, quem sequar non habeo. Quid? quòd miser cum loqui non posset, tacere non poterat?

Ex comparatio.

Ea uerò fit pulcherrima, cum aliqua comparatione clarescit. Trachallus cōtra Spatbalen, Placet hoc ergo ò leges diligentissimæ pudoris custodes, decimas uxoribus dari, quartas meretricibus?

Vitiosa genera.

Sed horum quidem generum & bona dici possunt, & malæ. Illa semper uitiosa, uti à uerbo, Patres conscripti. Sic enim incipiendum est mihi, ut memineritis patrum. Peius adhuc, quo magis falsum est, & longius petitum. Contra eandem sororem gladiatoris, cuius modò feci mentionem, * Ad digito pugnaui.

* Ad digitum mihi pugna est.

Est etiam generis eiusdem, nescio an uitiosissimum, quoties uerborū ambiguitas cum rerum falsa quadam similitudine iungitur. Clarum authorem iuuenis audiui, cum lecta è capite cuiusdam ossa sententia gratia tenenda matri dedisset, Infœlicissima fœmina nondum extulisti filium, & iam ossa legisti.

* in capite,

Ad hoc plerique minimis etiam inuentiunculis gaudent, quæ excussæ risum habent, inuentæ facie ingenij blandiuntur. De eo qui naufragus, & ante agrorum sterilitate uexatus, in scholis fingitur se suspendisse, Quem nec terra recipit, nec mare, pendeat. Huic simile in illo de quo supra dixi, cui pater sua membra laceranti uenenum dedit, Qui hæc edit, debet hoc bibere. Et in luxuriosum, qui ἀποκαρτέρησιν simulasse dicitur, Ne ele laqueum, habes quod faucibus tuis irascaris. Sume uenenum, decet luxuriosum bibendo mori. Alia uana: ut sua dentis purpuratis, ut Alexandrum Babylonis incendio sepeliant: Alexandrum sepelio, hoc quisquam spectabit è tecto? Quasi uerò id sit in re tota indignissimum. Alia nimia: ut de Germanis dicentem quendam audiui, Caput nescio ubi impositum. Et de uiro forti, Bella umbone propellit.

Sententias nimis sectantes.

Sed finis non erit si singulas corruptorum persequar formas. Illuc potius, quod est magis necessarium. Duæ sunt diuersæ opiniones, aliorum sententias solas penè spectantium, aliorum omnino damnantium: quorum mihi neutrum admodum placet. Densitas earum obstat inuicem, ut in

ut in satis omnibus fructibusque arborum nihil ad iustam magnitudinem adolescere potest, quod loco in quem crescat caret. Nec pictura in qua nihil circumlitum est eminet. Ideoque artifices etiam cum plura in unam tabulam opera contulerunt, spatijs distinguunt, ne umbræ in corpora cadant. Facit res eadem concisam quoque orationem. Subsistit enim omnis sententia: ideoque post eam utique aliud est initium. Vnde soluta ferè oratio, & è singulis non membris sed frustis collata, structura caret, cum illa rotunda & undique circuncisa insistere inuicem nequeant. Præter hoc etiam color ipse dicendi quanlibet clarus, multis tamen ac uarijs uelut maculis conspergitur. Porrò ut affert lumen clauus purpuræ loco insertus, ita certè neminem deceat intertexta pluribus notis uestis. Quare licet hæc enitere, & aliquatenus extare uideantur, tamen lumina illa non flammæ, sed scintillis inter fumum emicantibus similia dixeris: quæ ne apparent quidem ubi tota lucet oratio ut in sole sydera ipsa desinunt cerni: & quæ crebris paruisque conatibus se attollunt, inæqualia tantum, & uelut confragosa, nec admirationem consequuntur eminentium, & planorum gratiam perdunt. Hoc quoque accedit, quòd solas captanti sententias, multas necesse est dicere leues, frigidas, ineptas. Non enim potest esse delectus, ubi numero laboratur. Itaque uideas & diuisionem pro sententia poni, & argumentum, si tantum in clausula & calce pronuncietur. Occidisti uxorem ipse adulter: non ferrem te etiam si repudiasses. diuisio est. Vis scire uenenum esse amatorium? uiueret homo nisi illud bibisset. argumentum est. Nec multas plerique sententias dicant,

Sententias omnino dānantes.

sed omnia tanquam sententias. Huic quibusdam contrarium studium, qui fugiunt ac reformidant omnem hanc in dicendo uoluptatem, nihil probantes nisi planum, & humile, & sine conatu. Ita dum timent ne aliquando cadant, semper iacent.

Vtilitas sententiæ.

Quod enim tantum in sententia bona crimen est? non caussæ prodest? non iudicem mouet? non dicentem commendat? At est quoddam genus, quo ueteres non utebantur. Ad quam usque nos uocatis uetustatem? Nam si ad illam extremam, multa Demosthenes, quæ ante eum nemo.

Cice. 1. de Oratore.

Quomodo potest Ciceronem probare, qui nihil putet ex Catone Gracchisque mutandū? Sed ante hos simplicior adhuc loquendi ratio fuit. Ego uero hæc lumina orationis, uelut oculos quosdam esse eloquentiæ credo. Sed neque oculos esse toto corpore uelim, ne cætera membra officium suum perdant: & si necesse sit, ueterem illum horrorem dicendi malim, quàm istam nouam licentiam. Sed patet media quædam uia, sicut in cultu uictuque accessit aliquis citra reprehensionem nitor, quem sicut possumus adijciamus uirtutibus. Prius tamen sit uitijs carere: ne dum uolumus esse meliores ueteribus, simus tantum dissimiles. Reddam nunc, quam proximam esse dixeràm, partem de tropis, quos motus clarissimi nostrorum authores uocant.

Tropi.

Horum tradere præcepta & Grammatici solent. Sed à me, cum de illorum officio loquerer, dilata pars hæc est, quia de ornatu orationis grauior uidebatur locus, & maiori operi seruandus.

ARGVMENTVM.

Definit tropum esse uerbi uel sermonis à propria significatione in aliam cum uirtute mutationem. Troporum quosdam significationis uehementioris caussa, quosdā decoris assumi ostendit. Et in alijs uerba uerti, in alijs sensus ipsos. Horum primo loco metaphoram recēset, cuius uim, utilitatem & iucunditatem prædicat. fierique quatuor de caussis docet, necessitatis, significationis uehementioris, ornatus, & turpitudinis uitandæ caussa. Quo differat à similitudine, & uim eius esse quadruplicem tradit, cum animata pro animatis, inanīma pro inanimis, inanima pro animatis, aut animata pro inanimis ponuntur. Eius usum modicum esse debere, ne nimia frequentia obscuret, aut tædio afficiat. Vitiosas metaphoras has esse, humilem, sordidam maiorem, minorem, redundantem, dissimilem, duram. Synecdochen, cuius plures esse species docet, nam aut à parte totum, aut à specie genus, aut à præcedentibus sequentia, & contra intelligit, poetisque liberior est quàm oratoribus. Metonymiā, id est nominis pro nomine positionem, ad quam inuentum pro re inuenta, possessa pro possessoribus, & contrà, contēta pro continentibus, effecta pro efficientibus refert. Antonomasiā, quæ fit per epitheton, & ex his quæ in quoque sunt præcipua, & ex factis, quibus persona significatur. Onomatopœiam, id est nominis fictionem, græcis quàm latinis magis concessam. Catachresin, id est abusionem, quæ non habentibus nomen accommodat quod in proximo est, & quo pacto à metaphora discernatur, ostendit. Metalepsin, quæ ex alio in aliud uelut uiam præstat. Epitheton, quo poetæ frequentius utuntur, quia apud oratores nisi aliquid rei exprimat, locum non habet, quod quando ad antonomasiam referatur, aut nomen suum retineat, docet.

Allegoriam, cum aliud uerbis, aliud sensu ostenditur. Et eius totius usum nonnunquam esse in oratione, etiam si rarò, frequentius uero ex parte. Speciosum autem esse illud genus quod tribus permixtum sit similitudine, allegoria, & translatione. Alia eiusdem genera recenset, id quod in exemplis est, & ænigma non euitatum magnis oratoribus, & ironiam, quam illusionem uocamus, cuius species sint sarcasmus, astismus, antiphrasis, paræmia, mycterismus. Periphrasin, id est circuitum loquendi, quæ nonnunquam necessitatis caussa, ut dictu deformia tegantur, nonnunquam ornatus adhibetur. Cum uerò in uitium incidit, perissologia dicitur. Hyperbaton, quod opportuna ordinis mutatione, aliquid ex significatione mutādo, numerosam orationem reddit. Nam si sola structura uariaretur, nullo ex significatione mutato, figura uerborum potius esset quàm tropus, quod cum duobus uerbis fit, anastrophe dicitur. Vltimam hyperbolen, quæ augendo uel minuendo fit pluribus modis, augendo, plus facto esse dicendo, aut per similitudinem attollendo, signis uel translatione, uel alia insuper addita. In qua mensura seruanda sit ut naturalem modum non excedamus, etiam si quid ultra fidem dicamus, cuius in minuendo totidem sint genera.

De tropis. Cap. VI.



Ropus est uerbi uel sermonis à propria significatione in aliam cum uirtute mutatio. Circa quem inexplicabilis & Grammaticis inter ipsos, & Philosophis pugna est, quæ sint genera, quæ species, qui numerus, quis cui subijciatur. Nos omissis quæ nihil ad instituendum oratorem pertinent, cauillationibus, necessarios maximè atque in usum receptos exequemur: hoc modò in his annotasse contenti, quosdā gratia significationis, quosdam decoris assumi, & esse alios in uerbis proprijs, alios in translatis: uertitque formas non uerborum modò, sed & sensuum, & compositionis.

Troporum diuisio.

Quare mihi uidentur errasse, qui non alios crediderunt tropos, quàm in quibus uerbum pro uerbo poneretur. Neq; illud ignoro, in ijsdem ferè qui significandi gratia adhibentur, esse & ornatum: sed non idem accidet contrà: eruntq; quidam tantùm ad speciem accommodati. Incipiamus igitur ab eo, qui cum frequentissimus est, tum longè pulcherrimus, translatione dico, quæ metaphora græce uocatur.

μεταφορά.

Quæ quidem cum ita est ab ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque non sentientes ea frequenter utantur: tum ita iucunda atque nitida, ut in oratione quanlibet clara, proprio tamen lumine eluceat. Neq; enim uulgaris esse, nec humilis nec insuauis, rectè modò adscita, potest. Copiā quoq; sermonis auget permutando, aut mutuando quod non habet: quodq; difficillimum est, præstat ne ulli rei nomen deesse uideatur.

Species metaphoræ.

Transfertur ergo nomen aut uerbum ex eo loco in quo proprium est in eum in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est, Id facimus aut quia necesse est, aut quia significantius

significantius

*gnificantius est, aut (ut dixi) quia decentius. Vbi nihil horum præstabit quod transferetur, improprium erit. Necessitate rustici dicunt gemmam in uitibus, (quid enim dicerent aliud?) & sitire segetes, & fructus laborare. Necessitate nos, durum hominem, aut asperum. Non enim proprium erat quod daremus his affectionibus nomen. Iam, incensum ira: &, inflammatum cupiditate: &, lapsum errore, significandi gratia. Nihil enim horum suis uerbis, quàm his arcessitis, magis proprium erat. Illa ad ornatum, lumen orationis: &, generis claritatem: &, concionum procellas: &, eloquentiæ * flumina: ut Cicero pro Milone, Clodium fontem gloriæ eius uocat, & alio loco segetem ac materiam. Quædam etiam parum speciosa dictu, per hanc explicantur,*

Necessitatis caussa. Significandi gratia. Ornatus caussa. * fulmina. Turpitudinis uitandæ gratia. Georgi. 4.

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus.
Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes.

In totum autem metaphora breuior est quàm similitudo: eóque distat, quod illa comparatur rei quam uolumus exprimere, hæc pro ipsa re dicitur. Comparatio est, cum dico fecisse quid hominem ut leonem: translatio, cum dico de homine, leo est: Huius uis omnis quadruplex maximè uidetur: Cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur: ut de agitatore,

Dec. 4. li. 7.

Gubernator magna contorsit equum ui.

& ut Liuius Scipionem à Catone ad latrari solitum refert. Inanima pro alijs generis eiusdem sumuntur: ut,

Aeneid. 6.

– Classique immittit habenas.
Aut pro rebus animalibus inanima,

* metus. Aeneid. 2.

*Ferro an fato * uirtus Argiuum occidit.*
Aut contrà, – Sedet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de uertice pastor.

Præcipuéque ex his oritur mira sublimitas, quæ audaci & proximè periculum translatione tolluntur, cum rebus sensu carentibus, actum quendam & animos damus, qualis est. – Pontem indignatus Araxes. Et illa Ciceronis, Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? Duplicatur interim hæc uirtus apud Virgilium, – Ferrumq; armare ueneno. Nam & ueneno armare, & ferrum armare, translatio est. Secantur hæc in plures: ut à rationali ad rationale, & idem de irrationalibus: & hæc inuicem, quibus similis ratio est & à toto, & à partibus. Sed iam non pueris præcipimus, ut accepto genere species intelligere non possint.

Aeneid. 8. Pro Ligario. Aeneid. 7.

Vt modicus autem atque opportunus eius usus illustrat orationem: ita frequens & obscurat, & tædio complet: continuus uerò in allegoriam & ænigma exit. Sunt quædam etiam humiles translationes: ut id de quo modò dixi, Saxea est uerruca. Et sordidæ. Non enim si Cicero rectè sentinam Reipub. dixit, fœditatem hominum significans: idcirco probem illud quoque ueteris oratoris, Persecuisti Reipub. uomicas. Optiméque Cicero demonstrat cauendum, ne sit deformis translatio: qualis est (nam ipsis eius utar exemplis) Castratam morte Aphricani Rempu. &, Stercus curiæ Glauciam. Ne nimio maior: aut, quod sæpius accidit, minor. Ne dissimilis: quorum exempla nimium frequenter deprehendet, qui scierit hæc uitia esse. Sed & copia quoque modum egressa uitiosa est, præcipuè in eadem specie. Sunt & duræ, id est à longinqua similitudine ductæ: ut, – Capitis niues. &,

Metaphoræ usus. Metaphoræ uitiosæ. In Catil & Sallust. In Orat. & de Orat. 3. Maior. Minor. Dissimilis. Redundãs. Dura. Hora. Car. Hora. serm. 2. satyr. 5.

Iupiter hybernas cana niue conspuit Alpes.

In illo uerò plurimum erroris, quòd ea quæ poetis (qui & omnia ad uoluptatem referunt, & plurima uertere etiam ipsa metri necessitate coguntur) permissa sunt, conuenire quidam etiam prosæ putant. At ego in agendo nec pastorem populi authore Homero dixerim: nec uolucres pennis remigare, licet Virgilius in apibus ac Dædalo speciosissimè sit usus. Metaphora enim aut uacãtem occupare locum debet, aut si in alienum uenit, plus ualere eo quod expellit.

Iliad. ά. Georgi. 4. Aeneid. 6.

Quod aliquanto penè iam magis de synecdoche dicam. Nam translatio permouendis animis plerunq;, & signandis rebus, ac sub oculos subijciendis reperta est. Hæc uariare sermonem potest, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, specie genus, præcedentibus sequentia, uel contrà: omnia liberiora poetis, quàm oratoribus. Nam prosa ut mucronem pro gladio, & tectũ pro domo recipiet: ita non puppim pro naui, nec abietem pro tabellis. Et rursus ut pro gladio ferrum, ita nõ pro equo quadrupedem. Maximè autem in orando ualebit numerorum illa libertas. Nam & Liuius sæpe sic dicit, Romanus prælio uictor: cum Romanos uicisse significat. Et contrà Cicero ad Brutum: Populo inquit, imposuimus, & oratores uisi sumus. cum de se tantum loqueretur. Quod genus nõ orationes modò ornat, sed etiam quotidiani sermonis usus recipit. Quidam συνεκδοχὴν uocant, cum & id in contextu sermonis quod tacetur accipimus. Verbum enim ex uerbo intelligitur μετάληψις uocatur. Arcadas ad portas ruere –

συνεκδοχή. & eius species. Numerus unitatis pro plurali.

Mihi hanc figuram esse magis placet. Illic ergo redditur. Aliud etiam intelligitur ex alio,

Aeneid. 11. Aeglog. 2.

Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuuenci.

Vnde apparet noctem appropinquare. Id nescio an oratori conueniat, nisi in argumentando, cum rei signum est. Sed hoc ab elocutionis ratione distat. Nec procul ab hoc genere discedit μετωνυμία, quæ est nominis pro nõie positio: cuius uis est, pro eo quod dicitur, caussam. propter quã dicitur. ponere: sed, ut ait Cicero, ὑπαλλαγὴν Rhetores dicunt. Hæc inuenta ab inuentore, & subiecta ab obtinẽtibus significat: ut, Cererem corruptam undis. &, – Receptus

μετωνυμία. Ad Brutũ. Aeneid. 1. ὑπαλλαγή. Hor. in Art.

Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet.

Quod fit retro durius. Refert autem inquantum dictus tropus oratorem sequatur. Nam ut Vulcanum pro igne uulgò audiuimus, & Vario Marte pugnatum eruditus est sermo: & Venerem quàm coitum dixisse magis decet: ita Liberum & Cererem pro uino & pane licentius, quàm ut fori seueritas ferat: sicut ex eo quod cõtinet, id quod continetur, usus recipit: ut bene moratas urbes, & poculum epotum, & seculum fælix. At id quod contrà est raró audeat quis, nisi poeta,

Aeneid. 2.

– Iam proximus ardet Vcalegon.

Nisi forte hoc potius est, à possessore, quod possidetur: ut hominem deuorari, cuius patrimonium consumitur. Quo modo fiunt innumerabiles species. Huius enim sunt generis, cũ ab Annibale cæsa apud Cãnas sexaginta millia dicimus, & apud Tragicos ab Aegialeo: & carmina Virgilij uenisse, & uenire commeatus qui afferantur: & sacrilegum deprehensum, non sacrilegium: & armorum scientiam habere, non artis. Illud quoque & poetis & oratoribus frequens quo eum qui efficit, ex eo quod efficitur, ostendimus. Nam & carminum authores,

Hor. car. 1. Aeneid. 6.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. Et,
Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus.

Et orator præcipitẽ iram, hilarem adolescentiã, segne ociũ dicit. Est etiam huic tropo quadã cum synecdoche uicinia. Nam cum dico uultus hominis pro uultu, dico pluraliter quod singulare est: quod plurale est, singulariter. Sed nõ id ago, ut unum ex multis intelligatur (nã id est manifestũ) sed nomẽ immuto: ut cũ aurata tecta, aurea, pusillũ à uero

discedo, quia non est nisi pars aurata. Quæ singula persequi, minutioris est curæ etiam non Oratorem instituentibus.

ἀντονομασία. Ἀντονομασία, quæ aliquid pro nomine ponit, Poetis quoque modo frequentissima, & per Epithetον, quia detracto eo cui apponitur, ualet pro nomine, Tydides, Pelides. & ex his quæ in quoque sunt præcipua,

- Diuum pater, atque hominum rex.

Aeneid. 4. Et ex factis, quibus persona signatur,

Thalamo quæ fixa reliquit Impius. -

Oratoribus etiã si rarus eius rei, nonnullus tamen usus est. Nam ut Tydiden & Peliden non dixerint, ita dixerunt impium pro parricida: euersorẽ quoq; Carthaginis & Numantiæ pro Scipione, & Romanæ eloquentiæ principem pro Cicerone posuisse nõ dubitent. Cicero ipse certè usus est hac libertate: Pro Mure. Non multa peccas, inquit ille fortissimo uiro senior magister: & si peccas, tegere possum. Neutrum enim nomen positum est, & utrunq; intelligitur. ὀνοματοποιΐα. ὀνοματοποιΐα quidem, id est fictio nominis, Græcis inter maximas habita uirtute, nobis uix permittitur. Et sunt plurima ita posita ab ijs qui sermonem primi fecerunt, aptantes affectibus uocem. Factitiæ uoces. Nã Mugitus & Sibilus & Murmur inde uenerunt. Deinde tanquam cõsummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cũ multa quotidie ab antiquis ficta moriantur. Vix illa quæ πεποιημένα uocãt, quæ ex uocibus in usum receptis quocunq; modo declinantur, nobis permittimus, qualia sunt Sullaturit, & Proscripturit: atq; Laureati postes, Vt suprà ca. 3. de ornatu. pro illo, lauro coronati, ex eadem fictione sunt. Sed hoc feliciter eualuit: at contrà, uio pro eo, infælicius. In græcis obelisco, * coludumo &c. durè etiam iungere uetamur, qui toleranter uidere Septentriones uidemur. Eo magis necessaria κατάχρησις, κατάχρησις. Abusio. quam rectè dicimus abusionem, quæ nõ habẽtibus nomẽ suum, accõmodat quod in proximo est, sic,

Aeneid. 2. - Equum diuina Palladis arte Aedificant: -

& apud Tragicos, Et iã leo pariet, & pater est. Mille sunt hæc. & Acetabula, quicquid habet, & Pyxides cuiuscunque materiæ sunt. & Parricida, matris quoq; aut fratris interfector. Quo differant Translatio & Abusio. Discernendumq; est hoc totũ à translatione genus, quòd abusio est, ubi nomen defuit: translatio, ubi aliud fuit. Nam poetæ solent abusiuè etiam in his rebus quibus nomina sua sunt, uicinis potius uti, quod rarũ in prosa est. Illa quoq; quidam κατάχρησιν esse uolunt, cũ pro temeritate uirtus, aut pro luxuria liberalitas dicitur. A quibus hæc quidem dissonantia sunt, quòd in his non uerbum pro uerbo ponitur, sed res pro re. Neq; enim putat quisquã luxuriam & liberalitatẽ idem significare: uerùm id quod fit, alius luxuriã esse dicit, alius liberalitatẽ: quamuis neutri dubium sit hæc esse diuersa. Superest ex his quæ aliter significant, μετάληψις, μετάληψις. id est transsumptio, quæ ex alio in aliud uelut uiã præstat: tropus & rarissimus, maximè improprius Græcis tamen frequentior, qui Centaurũ Chirona, & νήσους θοὰς ὀξείας dicunt. Nos quis ferat, si Verrem, suem: aut Lælium, doctũ nominemus? Est enim hæc in metalepsi natura, ut inter id quod transfertur, sit medius quidam gradus, nihil ipse significans, sed præbens transitum: quem tropũ magis affectamus ut habere uideamur, quàm ut ullo in loco desideremus. Nam eius frequẽtissimũ exemplum est, cano, canto, dico: ita cano, dico. Itẽ est medium illud cano. Nec diutius in eo morandum: nihil enim usus admodum uideo, nisi, ut dixi, in medijs. Cætera iam non significandi gratia, sed ad ornandam modò, non augendam orationem assumuntur. Epithetõ. Ornat enim ἐπίθετον, quod rectè dicimus appositum: à nonnullis sequẽs dicitur. Eo poetæ & frequentius & liberius utuntur. Nanq; illis satis est conuenire uerbo cui apponitur: & ita Dentes albi, & Humida Aeneid. 8. uina in his non reprehenduntur. Apud oratorẽ, nisi aliquid efficitur, redundat. Tum autẽ efficitur, si sine illo quod dicitur, minus est: qualia sunt, O scelus abhominandum, ò deformem libidinem. Exornatur autem res tota maximè translationibus, Cupiditas effrenata, &, Insanæ substructiones. Georgi. Et solet fieri alijs adiunctis Epitheton tropis, ut apud Virgilium, Turpis egestas, & Tristis senectus. Pro Clod. Pro Mur. Aeneid. 6. Veruntamen talis est ratio huiusce uirtutis, ut sine appositis nuda sit & uelut incompta oratio. Ne oneretur tamẽ multis. nam fit longa & impedita, ut in quæstionibus eam iudices similẽ agmini totidẽ lixas habenti, quot milites quoq; in quo & numerus est duplex, nec duplũ uiriũ: quanquam non singula modò, sed etiam plura uerba apponi solent: ut,

Aeneid. 3. Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo.

Sed hoc quoq; modo duo uerba uni apposita, ne uersum quidem decuerint. Sunt autem quibus non uideatur hic omnino tropus, quia nihil uertat. Necesse est enim semper, ut id quod est appositum, si à proprio diuiseris, per se significet, & faciat antonomasian. Nam si dicas, Ille qui Carthaginem & Numantiã euertit, antonomasia est: si adieceris Scipio, appositum. Non potest ergo non esse iunctũ.

ἀλληγορία. At ἀλληγορία, quàm interpretamur, aliud uerbis, aliud sensu ostendit, ac etiam interim contrarium. Prius, ut,

Carmi. 1. od. 14. O nauis, referent in mare te noui

Fluctus? ò quid agis? fortiter occupa Portum.

totusq́ue etiam ille Horatij locus, quo nauim pro Republica, fluctuum tempestates pro bellis ciuilibus, portum pro pace atque concordia dicit. Tale Lucretius,

Auia Pieridum peragro loca. - & Virgilius,

Lib. 4. Georgi. 1. Sed nos immensum spacijs confecimus æquor:

Et iam tempus equum spumantia soluere colla.

Sine translatione uerò in Bucolicis,

Aeglog. 9. Certè equidem audieram, quà se subducere colles

Incipiunt, molliq́ue iugum demittere cliuo,

Vsque ad aquam, & ueteris iam fracta cacumina fagi,

Omnia carminibus uestrum seruasse Menalcam.

Hoc enim loco præter nomen cætera proprijs decisa sunt uerbis: uerum non pastor Menalcas, sed Virgilius est intelligendus. Habet usum talis allegoria frequenter oratio, sed rarò totius: plerunque apertis permista est. Tota Pro Milo. apud Ciceronem talis, Hoc miror enim, queroŕque, quenquam hominem ita pessundare alterum uerbis uelle, ut etiam nauem perforet in qua ipse nauiget. Illud commistum frequentissimum, Equidem cæteras tempestates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper Miloni putaui esse subeundas. Nisi adiecisset duntaxat fluctibus concionum, esset allegoria: nunc eam miscuit. Quo in genere & species ex arcessitis uerbis uenit, intellectus ex proprijs. Illud uerò longè speciosissimum genus orationis, in quo trium permista est gratia, similitudinis, allegoriæ, & translationis: Quod fretum, quem Euripum, Pro Mur. tot motus, tantas, tam uarias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita sæpe & perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris. Nam id quoq; in primis est custodiendum, ut quo Lex translationis. genere cœperis translationis, hoc desinas. Multi enim cum initium à tempestate sumpserunt incẽdio aut ruina finiunt quæ est consequentia rerum fœdissima. Cæterum allegoria paruis quoque ingenijs, & quotidiano sermoni frequentissimè seruit nam illa in agendis caussis iam detrita, Pedem cõferre, &, Iugulũ petere, &, Sanguinẽ mittere, inde sunt nec offendũt tamẽ. Est enim grata in eloquẽdo nouitas, &

commutatio,

Allegoria in exemplis. Vide erasmum in adagio, Dionysius Corinthi.

commutatio, & magis inopinata delectant. Ideoque iam in his amisimus modum, & gratiam rei nimia captatione consumpsimus. Est in exemplis allegoria, si non praedicta ratione ponantur. Nam ut Dionysium Corinthi esse, quo graeci omnes utuntur, ita plura similia dici possunt. Haec allegoria quae est obscurior, aenigma dicitur: uitium meo quidem iudicio, si quidem dicere dilucide, uirtus: quo tamen & poetae utuntur,

Aeglog. 3.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat caeli spatium, non amplius ulnas?

Vide Caelium li. 10. cap. 16. & An. Alcia. parerg. lib. 2. cap. 12.

Et oratores nonnunquam: ut Caelius* quadrantariam Clytaemnestram in triclinio coam, in cubiculo nolam. Namque & nunc quaedam soluuntur, & tum erant notiora cum dicerentur, & aenigmata sunt tamen, nec ea, nisi quis interpretetur, intelligas. In eo uero genere quo contraria ostenduntur, ironia est: illusionem uocant: quae aut pronunciatione intelligitur, aut persona, aut rei natura. nam si qua earum uerbis dissentit, apparet diuersam esse orationi uoluntatem. quanquam in plurimis id tropis accidit, ut intersit quid de quo dicatur: quia (quod dicitur alibi) uerum est, aut laudis simulatione detrahere, aut uituperationis laude, concessum esse: quale est quod C. Verres Praetor urbanus, homo sanctus & diligens, subsortitionem eius eo die non haberet. Et contra, Oratores usi sumus, & populo imposuimus: Aliquando cum risu quodam contraria dicuntur iis quae intelligi uolunt: quemadmodum in Clodium, Integritas tua te purgauit, mihi crede, pudor eripuit, uita anteacta seruauit. Praeter haec usus est allegoriae, ut tristia dicamus melioribus uerbis, aut bonae rei gratia quaedam contrariis significemus, aliud textu: quae & enumerauimus. Haec si quis profecto ignorat quibus graeci nominibus appellant, σαρκασμόν, ἀστεϊσμόν, ἀντίφρασιν, παροιμίαν dici sciat. Sunt etiam qui haec non species allegoriae, sed ipsa tropos dicunt: acri quidem ratione, quod illa obscurior sit, & in his omnibus aperte appareat quid uelimus. Cui accedit hoc quoque, quod genus cum diuiditur in species, nihil habet proprium ut arboris species sunt pinus, & olea, & cupressus, & ipsius per se nulla proprietas: Allegoria uero habeat aliquid proprium quod quo modo fieri potest, nisi ipsa species est? Sed ad utendum nihil refert. Adycitur his μυκτηρισμός, simulatus quidem, sed non latens derisus. Pluribus autem uerbis cum id quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, περίφρασιν uocant, circuitum loquendi, qui nonnunquam necessitatem habet, quoties dictu deformia operit: ut Sallustius, Ad requisita naturae. Interim ornatum petit solum, qui est apud poetas frequentissimus: ut,

Ironia. — Pro Cluent. — Cicero in Oratore, — περίφρασις.

Aeneid. 2.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, & dono diuum gratissima serpit.

Et apud oratores non rarus, semper tamen adstrictior. Quicquid enim significari breuius potest, & cum ornatu latius ostenditur, περίφρασις est: cui nomen latine datum est non sane orationis aptum uirtuti, circumlocutio. Verum haec ut cum decorem habet periphrasis: ita cum in uitium incidit, περισσολογία dicitur. Obstat enim quicquid non adiuuat. Hyperbaton quoque, id est uerbi transgressionem, quam frequenter ratio compositionis & decor poscit, non immerito inter uirtutes habemus. Fit enim frequentissime aspera & dura, & dissoluta & hians oratio, si ad necessitatem ordinis sui uerba redigantur, & ut quodque oritur, ita proximis etiam, si iungi non potest, alligetur. Differenda igitur quaedam, & praesumenda, atque ut in structuris lapidum impolitorum, loco quo conuenit quicque ponendum. Non enim recidere ea, nec polire possumus quae coagmentata se magis iungant, sed utendum his qualia sunt, eligendaeque sedes. Nec aliud potest sermonem facere numerosum, quam opportuna ordinis mutatio. Neque alio, κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ, Platonis inuenta sunt quatuor illa uerba, quibus in illo pulcherrimo operum in Piraeum descendisse significat, plurimis modis scripta, quod eum quoq; maximi facere experiretur. Verum id cum duobus uerbis fit, ἀναστροφή dicitur, reuersio quaedam: qualia sunt uulgo, Mecum, secum: apud Oratores & Historicos, Quibus de rebus. At cum decoris gratia contrahitur longius uerbum, proprie hyperbati tenet nomen: ut, Animaduerti iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes. Nam in duas partes diuisam esse, rectum erat, sed durum & incomptum. Poetae quidem etiam uerborum diuisionem faciunt, & transgressionem,

περίφρασις. — περισσολογία. — ὑπερβατόν. — 1. de Rep. — ἀναστροφή. — Hyperbati species — Pro Cluen. — Georgic. 3.

- Hyperboreo septem subiecta trioni.

quod oratio nequaquam recipiet. Ad id quidem est propter quod cum dicitur, tropus fit, quia componendus est e duobus intellectibus. Alioqui ubi nihil ex significatione mutatum est, & structura sola uariatur, figura potius uerborum dici potest: sicut multi narrationem longis mutant hyperbatis. Ex confusis quae uitia accidunt, suo loco diximus. Hyperbolen audacioris ornatus summo loco posui. Est haec ementiens superiectio. Virtus eius ex diuerso par augendi atque minuendi. Fit pluribus modis. Aut enim plus facto dicimus, Vomens frustis esculentis gremium suum & totum tribunal impleuit.

ὑπερβολή. — In augendo. Philip. 2. Aeneid. 1. Aeneid. 8. Aeneid. 5. Aeneid. 7.

- Geminique minantur In caelum scopuli.
Aut res per similitudinem attollimus
- Credas innare reuulsas Cycladas.
Aut per comparationem: ut,
- Fulminis ocyor alis. Aut signis quasi quibusdam,
Illa uel intactae segetis per summa uolaret.
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas.

Philip. 2.

Vel translatione, ut ipsum illud uolaret. Crescit interim hyperbole, alia insuper addita: ut Cicero in Antonium dicit, Quae Charybdis tam uorax? Charybdin dico? quae si fuit, fuit animal unum: Oceanus medius fidius uix uidetur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Exquisitam uero figuram huius rei deprehendisse apud principem Lyricorum Pindarum uideor in libro quem inscripsit ὕμνοι. Is namque Herculis impetum aduersus Meropas, qui in insula Co dicuntur habitasse, non igni, nec uentis, nec mari, sed fulmini dicit similem fuisse: ut illa minora, hoc par esset. Quod imitatus Cicero, illa composuit in Verrem, Versabatur in Sicilia longo interuallo non Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos & crudeles tyrannos) sed nouum quoddam monstrum ex uetere illa immanitate, quae in iisdem uersata locis dicitur. Non enim Charybdin tam infestam neque Scyllam nauibus, quam istum in eodem freto fuisse arbitror. Nec pauciora sunt genera minuendi.

Act. 7. Siciliae tyranni. — In minuendo. Aeglog. 2.

- Vix ossibus haerent.
Et quod Cicero in quodam ioculari libello,
Fundum Varro uocat, quem possim mittere funda:
Ni tamen exciderit, qua caua funda patet.

Sed huius quoque rei seruetur mensura quaedam. Quanuis enim est omnis hyperbole ultra fidem, non tamen esse debet ultra modum: nec alia uia magis in κακοζηλίαν itur. Piget referre plurima hinc orta uitia, cum praesertim minime sint ignota & obscura. Monere satis est, mentiri hyperbolen, nec ita, ut mendacio fallere uelit. Quo magis intuendum est, quousque deceat extollere quod nobis non creditur. Peruenit haec res frequentissime ad risum: qui si captatus est, urbanitatis: sin aliter, stultitiae nomen assequitur. Est au-

Hyperbole ridicula.

tem in usu uulgò quoq; & inter eruditos, & apud rusticos, uidelicet, quia natura est omnibus augendi res uel minuendi cupiditas insita, nec quisquam uero contentus est. Sed ignoscitur, quia non affirmamus. Tum est hyperbole uirtus cum res ipsa de qua loquendum est, naturalem modum excessit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici quantum est, non potest: meliusque ultrà quàm citrà stat oratio. Sed de hoc satis, quia eundem locum plenius in eo libro quo caussas corruptæ eloquentiæ reddebamus, tractauimus.

M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA LIBER NONVS.

ARGVMENTVM.

Troporum absoluta tractatione, ad figuras transit. Primum quæ sit inter tropos & figuras conuenientia, explicat. Deinde quo inter se differant, ex utriusque definitione colligit. Præterea figuræ duplicem acceptionem ostendit. Primam sententię qualecunque formam & habitum. Secundam, à simplici ac in promptu posito dicendi modo mutationem, de qua hoc capite tractat. Hoc itaque, quod ambiguum erat, discusso, figuram definit esse arte aliqua nouatam dicendi formam. Deinde dupliciter diuidit, in figuram sententiarum, & uerborum. Et quia natura res uerbis priores sunt, de figuris sentētiarum prius loquitur, eas non uulgariter ab utilitate commendat, quia & ad fidem faciendam, & ad mouendos affectus plurimum possint. id similitudine à re militari sumpta euidentius reddit. Postremò figurarum non esse infinitum numerum, ut quot affectus sint, totidem figuras esse dicamus, sed certum esse modum quendam docet, quamq; uiam in figuris enumerandis Cicero secutus sit, locis integris ex Oratore eius & de Oratore lib. 3. citatis ostendit.

Quo differant figuræ a tropis. Cap. I.

CVm sit proximo libro de tropis dictum, sequitur pertinens ad figuras, quæ schemata grecè uocantur, locus, ipsa rei natura coniūctus superiori. Nā plerique has tropos esse existimauerunt, quia siue ex hoc duxerint nomen, quod sint formati quodam modo: siue ex eo quòd uertant orationem, unde & motus dicuntur: fatendum erit esse utrunque eorum etiam in figuris. Vsus quoque est idem. Nam & uim rebus adyciunt, & gratiam præstant. Nec desunt qui tropis figuræ nomen imponant quorum est C. Artorius Proculus. Quin adeò similitudo manifesta est, ut eam discernere non sit in promptu. Nam quo modo quædam in his species planè distant, manente tamen generali illa societate, quòd utraq; res à recta & simplici ratione cum aliqua dicendi uirtute deflectitur: ita quędam perquam tenui limite diuiduntur: ut cum ironia tam inter figuras sententiæ, quàm inter tropos reperiatur. περίφρασιν autem, & ὑπερβατὸν, & ὀνοματοποιίαν, & ἐπίθετον, clari quoq; authores figuras uerborū potius quàm tropos dixerunt, Quo magis signanda est utriusque rei differentia. Est igitur tropus sermo à naturali & principali significatione translatus ad aliam ornandę orationis gratia: uel, (ut pleriq; Grammatici finiunt) dictio ab eo loco in quo propria est, translata in eum in quo propria non est. Figura (sicut nomine ipso patet) est conformatio quædam orationis remota à communi & primum se offerente ratione. Quare in tropis ponuntur uerba alia pro alijs, ut in μεταφορᾷ, μετωνυμίᾳ, ἀντονομασίᾳ, μεταλήψει, συνεκδοχῇ, καταχρήσει, ἀλληγορίᾳ, plerunq; ὑπερβολῇ. namq; & rebus fit, & uerbis. ὀνοματοποιία fictio est nominis. ergo hoc quoq; pro alijs ponitur, quibus usuri fuimus si illud nō fingeremus. περίφρασις etiamsi frequenter & id ipsum in cuius locum assumitur, nomen complecti solet, utitur tamen pluribus pro uno. ἐπίθετον quoniam plerunq; habet antonomasiæ partem, coniunctione eius fit tropus. In hyperbato commutatio est ordinis: ideoq; multi tropis hoc genus eximunt. Transfert tamen uerbum aut partem eius à suo loco in alienum. Horum nihil in figuras cadit. Nam & proprijs uerbis, & ordine collocatis figura fieri potest. Quomodo autem ironia alia sit tropi, alia schematis, suo loco reddam. Nomine enim fateor esse communia hæc, & scio quàm multiplicem habeant, quamq; scrupulosam disputationem: sed ea non pertinet ad præsens meum propositum. Nihil enim refert quo modo appelletur utrumlibet eorum, si quid orationi prosit, apparet. Nec mutatur uocabulis uis rerum. Et sicut homines si aliud acceperūt quàm quod habuerant nomen, ijdem sunt tamē: ita hæc de quibus loquimur, siue tropi, siue figuræ dicentur, idem efficient. Non enim nominibus prosunt, sed effectibus: ut statū coniecturalem, an finitiualem, an facti, an substantię, an de substantia nominemus, nihil interest, dum idem quęri sciamus. Optimū ergo in his sequi maximè recepta, & rem ipsam, quocunque appellabitur modo, intelligi. Illud tamen notandum, coire frequenter in easdem sententias & tropon & figuram. Tam enim translatis uerbis quàm proprijs figuratur oratio. Est autem non mediocris inter authores dissensio, & quæ uis nominis eius, & quot genera, & quàm multæ sint species. Quare primum intuendum est, quid accipere debeamus figuram. Nam duobus modis dicitur: Vno qualiscunq; forma sententiæ, sicut in corporibus, quibus, quoquo modo sint composita, utiq; habitus est aliquis. Altero, quo propriè schema dicitur, in sensu uel sermone aliqua à uulgari & simplici specie cum ratione mutatio: sicut nos sedemus, incumbimus, respicimus. Itaq; cum in eosdem casus, aut tempora, aut numeros, aut etiam pedes, continuò quis aut certè nimium frequenter incurrit, præcipere solemus uariādas figuras esse uitandę similitudinis gratia. In quo ita loquimur, tanquā omnis sermo habeat figuram. Itemq; eadem figura dicimus cursitare, qua lectitare, id est eadē ratione declinari. Quare illo intellectu priore & communi nihil non figuratū est. Quo si contenti sumus, non immeritò Apollodorus, si tradenti Cæcilio credimus, incomprehensibilia partis huius præcepta existimauit. Sed si habitus quidam, & quasi gestus sic appellandi sunt, id demum hoc loco accipi schema oportebit, quod sit à simplici atq; in prōptu posito dicēdi modo poeticè uel oratoriè mutatū. Sic enim uerū erit aliā esse orationem ἀσχημάτιστον, id est carentē figuris, quod uitiū nō inter minima est: aliā ἐσχηματισμένην, id est figuratā. Verùm id ipsum angustè Zoilus terminauit, qui id solum putauerit schema, quo aliud simulatur dici, quàm dicitur: quod sanè uulgo quoq; sic accipi scio: unde & figuratæ controuersiæ quædā, de quibus paulò pòst dicam, uocantur. Ergo figura sit arte aliqua nouata forma dicendi. Genus eius unum quidam putauerunt, in hoc ipso diuersas opiniones secuti. Nam hi quia uerborū mutatio sensus quoq; uerteret, omnes figuras in uerbis esse dixerunt: illi quia uerba rebus accommodarentur,

Marginal notes: Tropi. — Troporum cum figuris conuenientia. — Ironia. — Differētia ex utriusque finitione. — Tropus quid. Figura quid. — Figurā duobus accipi modis.

Figuræ genus non unum sed duplex, sententiarū, & uerborum.

rentur, omnes in sensibus. Quarum utraque manifesta cauillatio est. Nam ut eadem dici solent aliter atque aliter, manetque sensus elocutione mutata: ita & figura sententiæ, plures habere uerborum figuras potest. Illa est enim posita in concipienda cogitatione, hæc in enuncianda: sed frequentissimè coeunt: ut in hoc, Nemo iam iam Dolabella neque tui, neque tuorum liberum. Nam oratio à Iudice auersa, in sententia: iam iam, & liberum, in uerbis sunt schemata. Inter plurimos enim, quod sciam, consensum est duas eius esse partes: διανοίας, id est mentis, uel sensus, uel sententiarum, nam ijs omnibus modis dictum est: & λέξεως, id est uerborum, uel dictionis, uel elocutionis, uel sermonis, uel orationis. nam & uariatur, & nihil refert. Cornelius tamen Celsus adijcit uerbis & sententijs figuras colorum: nimia profectò nouitatis cupiditate ductus. Nam quis ignorasse eruditum alioqui uirum credat colores & sententias sensus esse? Quare sicut omnem orationem, ita figuras quoque uersari necesse est in sensu, & in uerbis.

Act. 3.

Figuræ partes duæ.

Laus figurarum mētis.

Vt uerò natura prius est concipere animo res quàm enunciare: ita de ijs figuris antè loquendum est, quæ ad mentem pertinent: quarum quidem utilitas cum magna, tum multiplex, in nullo non orationis opere uel clarissimè elucet. Nam etsi minimè uidetur pertinere ad probationem, qua figura quicque dicatur: facit tamen credibilia quæ dicimus, & in animos Iudicum qua non obseruatur irrepit. Nanque ut in armorum certamine aduersos ictus, & rectas ac simplices manus cum uidere, tum etiã cauere ac propulsa facilè est: auersæ tectæque minus sunt obseruabiles: & aliud ostendisse quàm petas, artis est: sic oratio quæ astu caret, pondere, mole, & impulsu præliatur simulanti, uariantique conatus, in latera atque in terra incurrere datur, & arma aduocare, & uelut nutu fallere. Iam uerò affectus nihil magis ducit. Nam si frons, oculi, manus multum ad motum animorum ualent, quanto plus orationis ipsius uultus ad id quod intendimus efficere compositus? Plurimum tamen ad commendationem facit, siue in conciliandis agentis moribus, siue ad promerendum actioni fauorem, siue ad leuandum uarietate fastidium, siue ad quædam uel decentius indicanda uel tutius.

Similitudo à re bellica.

Figuras nō esse plurimas.

Sed antequam quæ cuique rei figura conueniat, ostendam, dicendum est nequaquam eas esse tam multas, quàm sunt à quibusdam constituta. Neque enim me mouent nomina illa, quæ fingere utique Græcis promptissimum est. Ante omnia igitur illi qui totidem figuras putant, quot affectus, repudiandi: non quia affectus non sit quædam qualitas mentis: sed quia figura, quam non communiter, sed propriè nominamus, non sit simplex rei cuiusque enunciatio. Quapropter in dicendo irasci, dolere, misereri, timere, confidere, contemnere, non sunt figuræ, non magis quàm suadere, minari, rogare, excusare. Sed fallit parum diligenter intuentes, quòd inueniunt in omnibus his locis figuras, & earum exempla ex orationibus excerpunt. Neq; enim pars ulla dicendi est, quæ non recipere eas possit Sed aliud est admittere figuram, aliud figuram esse. Neque enim uerebor explicandæ rei gratia frequentiorem eiusdem nominis repetitionem. Quare dabunt mihi aliquam in irascente, deprecante, miserante, figuram, scio: sed non ideo irasci, misereri, deprecari, figura erit. Cicero quidem omnia orationis lumina in hunc locum congerit, mediam quandam (ut arbitror) secutus uiam: ut nec omnis sermo schema iudicaretur, nec ea sola quæ haberent aliquam remotam ab usu communi fictionem: sed quæ essent clarissima, & ad mouendum auditorem ualerent plurimum: quem duobus ab eo libris tractatum locum ad literam subieci, ne fraudarem legentes iudicio maximi authoris.

Locus Ci. de figuris elocutionis ex tertio de Oratore, & ex Orato. ad Brutum, ad literam.

In tertio de Oratore ita scriptum est: In perpetua autem oratione, cum & coniunctionis lenitatem, & numerorum quam dixi rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda & frequentanda omnis oratio sententiarum atque uerborum. Nam & commoratio una in re permultum mouet, & illustris explanatio, rerumque quasi gerantur, sub aspectum penè subiectio, quæ & in exponenda re plurimum ualet, & ad illustrandum id quod exponitur, & ad amplificandum: ut ijs qui audient, illud quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse uideatur: & huic contraria sæpe præcisio est: & ad plus intelligendum quàm dixeris, significatio: & distinctè concisa breuitas, & extenuatio: & huic adiuncta illusio, à præceptis Cæsaris non abhorrens: & ab re digressio, in qua cum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus & concinnus esse debebit: propositioque quid sis dicturus: & ab eo quod est dictum seiunctio: & reditus ad propositum, & iteratio: & rationis apta conclusio: tum augendi minuendíue caussa ueritatis superlatio, atque traiectio: & rogatio, atq; huic finitima quasi percontatio: expositioq; sententiæ suæ: tum illa quę maximè quasi irrepit in hominum mētes, alia dicentis ac significantis dissimulatio, quæ est periucunda, cum in oratione non contentione, sed sermone tractatur: deinde dubitatio, tum distributio, tum correctio uel antè uel pòst quàm dixeris, uel cum aliquid à teipso reijcias. præmunitio etiam est ad id quod aggrediare: & reiectio in aliū communicatio, quæ est quasi cum ijs ipsis apud quos dicas, deliberatio: morum ac uitæ imitatio, uel in personis, uel sine illis, magnum quoddam ornamentum orationis, & aptū ad animos conciliandos uel maximè, sæpe autem etiam ad commouendos: personarum ficta inductio, uel grauissimum lumen augendi: descriptio, erroris inductio, ad hilaritatem impulsio, antè occupatio: tum duo illa quę maximè mouent similitudo, & exemplum: digestio, interpellatio, contentio, reticentia, commendatio: Vox quædam libera, atque etiam effrenatior augendi caussa: iracundia, obiurgatio, promissio, deprecatio, obsecratio, declinatio: breuis à proposito, non ut superior illa, digressio: purgatio, conciliatio, læsio, optatio, atq; execratio. His ferè luminibus illustrant orationem sententiæ. Orationis autem ipsius tanquam armorum est uel ad usum comminatio & quasi petitio, uel ad uenustatem ipsa tractatio. Nam & geminatio uerborum habet interdum uim, leporem alias: & paululum immutatum uerbum atq; deflexum: & eiusdem uerbi crebra tum à primo repetitio, tum in extremum conuersio: & in eadem uerba impetus, & concursio, & adiunctio, & progressio: & eiusdem uerbi crebrius positi quædam distinctio, & reuocatio uerbi: & illa quæ similiter desinunt, aut quæ cadunt similiter: aut quæ paribus paria referuntur, aut quæ sunt inter se similia. Est etiam gradatio quędam, & conuersio, & uerborum concinna transgressio, & contrarium, & dissolutum, & declinatio, & reprehensio, & exclamatio, & imminutio, & quod in multis casibus ponitur, & quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula, & ad propositum subiecta ratio, & item in distributis supposita ratio, & permissio: & rursus alia dubitatio, & improuisum quiddam, & dinumeratio, & alia correctio, & disputatio, & quod continuatum, & interruptum, & imago, & sibi ipsi respōsio, & immutatio, & disiunctio, & ordo, & relatio, & digressio, & circumscriptio. Hæc enim sunt ferè, atq; horum similia, uel plura etiã esse possunt, quæ sententijs orationē, uerborumq; conformationibus illuminent. Eadē sunt in oratore plurima, nō omnia

Verba Ciceronis in Bruto.

monere à se in alium traijcere: quæ relinquenda, quæ contemnenda sint, iudicare? Motus est in his orationis atque actus: quibus detractis iacet, & uelut agitante corpus spiritu caret. Quæ cum adesse debent, tum disponenda atque uarianda sunt, ut auditorem, quod in fidibus fieri uidemus omni sono mulceant. Verùm ea plerunq; recta sunt, nec se fingunt, sed confitentur. Admittunt autem (ut dixi) figuras: quod uel ex proximo doceri potest. Quid enim tam commune, quàm interrogare, uel percontari? Nam utroque utimur indifferenter, cum alterum noscendi, alterum arguendi gratia uideatur adhiberi. At ea res utrocunque modo dicatur, etiam multiplex habet schema. Incipiamus enim ab ijs quibus acrior ac uehementior fit probatio, quod primo loco posuimus. Simplex est sic rogare,

Interrogatio, & uarij eius modi.

Aeneid. 1.

Sed uos qui tandem? quibus aut uenistis ab oris?

Figuratum autem, quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi: Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? &, quousq; tandem abutere Catilina patientia nostra? &, Patere tua consilia nõ sentis? & totus deniq; hic locus. Quanto enim magis ardet, quàm si diceretur, Diu abuteris patientia nostra: &, Patent tua consilia! Interrogamus etiam quod negari non possit: Dixitne tandem caussam C. Fidiculanius Falcula? Aut ubi respõdendi difficilis est ratio, ut uulgò uti solemus, Quo modo? qui fieri potest? Aut inuidiæ gratia, ut Medea apud Senecam,

Pro Liga. In Catili. Ibidem. Pro Cluent.

– Quas peti terras iubes?

Aut miserationis, ut Simon apud Virgilium,

Heu quæ me tellus, inquit, quæ me aequora possunt

Accipere? – Aut instandi, & auferendæ dissimulationis: ut Asinius, Audis'ne? furiosum, inquam, non inofficiosum testamentum reprehendimus. Totum hoc plenum est uarietatis: nam & indignationi conuenit,

Aeneid. 2.

Et quisquam numen Iunonis adoret? –

Et admirationi,

Aeneid. 1.

– Quid non mortalia pectora cogis

Auri sacra fames! –

Est interim acrius imperandi genus,

Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur?

Aeneid. 3.

Et ipsi nosmet rogamus: quale est illud Terentianum,

Quid igitur faciam? – Est aliqua etiam in respondendo figura, cum aliud interroganti, ad aliud, quia sic utilius sit, occurritur, tum augendi criminis gratia, ut testis in reum rogatus, an ab reo fustibus uapulasset, Et innocens, inquit. Tum declinandi, quod est frequentissimum: Quæro an occiderit hominem. respondetur, Latronem. An fundum occupaueris, respondetur, meum. Vt confessionem praecedat defensio: ut apud Virgilium in Bucolicis dicenti,

In Eunucho Responsionis figuræ.

Non ego te uidi Damonis, pessime, caprum

Excipere insidijs? – occurritur,

Aeglo. 3.

An mihi cantando uictus non redderet ille?

Cui est confinis dissimulatio, non alibi quàm in risu posita, ideoque tractata suo loco. Nam serio si fiat, pro confessione est. Cæterùm & interrogandi seipsum, & respondendi sibi solent esse non ingratæ uices: ut Cicero pro Ligurio, Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me antequam uidit, Reipublicæ reddidit. Aliter pro Cælio fictu interrogatio est: Dicet aliquis, Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? & totus locus. Deinde, Ego si quis Iudices hoc robore animi, atq; hac indole uirtutis ac continentia fuit, &c.

Dissimulatio in risu posita. Interrogãdi seipsum, & sibi respondendi uicissitudo.

Cui diuersum est, cum alium rogaueris, non expectare responsum, & statim subijcere: Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat, at egebas. Quod schema quidam per * subiectionem uocant. Fit & comparatione: Vter igitur facilius suæ sententiæ rationem redderet? Et alijs modis tum breuius, tum latius, tum de una re, tum de pluribus. Mirè uerò in caussis ualet præsumptio, quæ πρόληψις dicitur, cum id quod obijci potest, occupamus. Id neque in alijs partibus parum est, & præcipuè proœmio conuenit. Sed quanquam generis unius, diuersas tamen species habet. Est enim quædam præmunitio, qualis Ciceronis contra Q. Cæcilium, quòd ad accusandum descendat, qui semper defenderit. Quædam confessio: ut pro Rabirio Posthumo, quem sua quoque sententia reprehendendum fatetur, quòd pecuniam regi crediderit. Quædam prædictio: ut, Dicam enim non augendi criminis gratia. Quædam emendatio: ut, Rogo ignoscatis mihi, si longius sum euectus. Frequentissima præparatio, cum pluribus uerbis, uel quare facturi quid simus, uel quare fecerimus, dici solet. Verborum quoque uis ac proprietas confirmatur uel præsumptione: Quanquam illa non pœna, sed prohibitio sceleris fuit. Aut reprehensione: Ciues, ciues inquã, si hoc eos appellari nomine fas est. Affert aliquam fidem ueritatis & dubitatio, cum simulamus quærere nos unde incipiendum, ubi desinendum: quid potissimum dicendum, an omnino dicendum sit: cuiusmodi exemplis plena sunt omnia: sed unum interim sufficit, Equidem quod ad me attinet, quò me uertam nescio. Negem fuisse infamiam iudicij corrupti? &c. Hoc etiam in præteritum ualet: nam & dubitasse nos fingimus. A quo schemate non procul abest illa quæ dicitur communicatio, cum aut ipsos aduersarios consulimus, ut Domitius Afer pro Cloantilla, At illa nescit trepida quid liceat fœminæ, quid coniugem deceat: forte uos in illa solicitudine obuios casus miseræ mulieri obtulit: tu frater, uos paterni amici, quod consilium datis? Aut cum Iudicibus quasi deliberamus, quod est frequentissimum: Quid suadetis? &, Vos interrogo, quid tandem fieri oportuit? ut Cato: Cedo, si uos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis? Et alibi, Communem rem agi putatote, ac uos huic rei præpositos esse. Sed nonnunquam communicantes aliquid inexpectatum subiungimus quod & per se schema est: ut in Verrem Cicero, Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam aliquam Deinde cum diu suspẽdisset iudicum animos, subiecit quod multo esset improbius. Hoc Celsus sustentationem uocat. Est autem duplex: nam contrà frequenter cum expectationem grauissimorum fecimus, ad aliquid quod sit leue, aut nullo modo criminosum, descendimus. Sed quia non tantùm per communicationem fieri solet, παράδοξον alij nominauerunt, id est inopinatum. Illis non accedo, qui schema esse existimant etiam si quid nobisipsis dicamus inexpectatum accidisse: ut Pollio, Nunquam fore credidi Iudices, ut reo Scauro, ne quid in eius iudicio gratia ualeret precarer. Penè idem fons est illius quam permissionem uocant, qui communicationis: cum aliqua ipsis iudicibus relinquimus æstimanda, aliqua nonnunquam aduersarijs quoque: ut Caluus Vatinio: Perfrica frontem, & dic te digniorem qui Prætor fieres, quàm Catonem. Quæ uerò sunt augendis affectibus accommodatæ figuræ, cõstant maximè simulatione. Nanque & irasci nos, & gaudere, & timere, & admirari, & dolore, & indignari, & optare, quæque sunt similia his, fingimus. Inde sunt illa, Liberatus sum. Respiraui. &, Bene habet. &, Quæ amentia est hæc? &, O tempora, ò mores. O miserum me. consumptis enim lachrymis, infixus tamẽ pectori hæret dolor. &,

Subiectio: Cum Ora.

* suggestio nem. Pro Mil. Præsumptio. Præmunitio. In Diuin. Confessio. Prædictio. Emẽdatio. Præparatio. Præsũptio. Reprehensio. Dubitatio. Pro Cluent. Communicatio. Act. 7. Sustẽtatio. παράδοξον. Inopinatũ. Permissio. Simulatio. Philip. 2. Pro Milo.

– Magna nunc hiscite terræ.

Quod exclamationem quidam uocant, ponuntq; inter

Exclamatio.

figuras orationis. Hæc quoties uera sunt, non sunt in ea forma de qua nunc loquimur. Assimulata, & arte composita, proculdubio schemata sunt existimanda. Quod idem dictum sit de oratione libera, quam Cornificius licentiam uocat, Græci παῤῥησίας. Quid enim minus figuratū, quàm uera libertas? Sed frequenter sub hac facie latet adulatio. Nam Cicero cum dicit pro Ligario, Suscepto bello, Cæsar, gesto iam etiam ex parte magna, nulla ui coactus, consilio ac uoluntate mea ad ea arma profectus sum, quæ erant contra te sumpta: non solùm ad utilitatem Ligarij respicit, sed magis laudare uictoris clementiam non potest. In illa uerò sententia, Quid autem aliud egimus Tubero, nisi ut quod hic potest, nos possemus? admirabiliter utriusque partis facit bonam caussam: sed hoc eū meretur, cuius mala fuerat. Illa adhuc audaciora, & maiorū (ut Cicero existimat) laterum, fictiones personarum, quæ προσωποποιΐαι dicuntur. Mirè nanq; cum uariant orationem, tum excitant. His & aduersariorum cogitationes uelut secum loquentium protrahimus: quę tamen ita demum à fide non abhorrent, si ea locutos finxerimus, quæ cogitasse eos non sit absurdum: & nostros cum alijs sermones, & aliorum inter se credibiliter introducimus: & suadendo, obiurgando, querendo, laudando, miserando, personas idoneas damus. Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare, concessum est. Vrbes etiam populiq; uocem accipiunt. Ac sunt quidam qui has demum προσωποποιΐας dicant, in quibus & corpora & uerba fingimus. Sermones hominū assimulatos dicere διαλόγους malūt, quàm quod latinorum quidam dixerunt, sermocinationem. Ego iam recepto more utrunq; eodem modo appellaui. Nam certè sermo fingi non potest, ut non persona sermo fingatur. Sed in his quæ natura non permittit, hoc modo mollior fit figura: Etenim si mecum patria, quæ mihi uita mea multo est charior, si cuncta Italia, si omnis Respublica sic loquatur, M. Tulli quid agis? Illud audacius genus, Quæ tecū Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur, Nullū iam aliquot annis facinus extitit, nisi per te. Commode etiā aut nobis aliquas ante oculos esse rerū personarum'ue imagines fingimus, aut eadē aduersarijs aut iudicibus non accidere miramur: qualia sunt, Videtur mihi. &, Nonne uidetur tibi? Sed magna quædam uis eloquentiæ desideratur. Falsa enim & incredibilia natura necesse est aut magis moueant, quia supra uera sunt: aut pro uanis accipiantur quia uera non sunt. Vt dicta autē quædā, ita scripta quoq; fingi solent: quod facit Asinius pro Liburnia, Mater mea, quæ mihi tum charissima, tum dulcissima fuit, quæque mihi uixit, bisq; eadem die mihi uitam dedit, & reliqua: deinde, exhæres esto. Hæc cum per se figura est, tum duplicatur, quoties, sicut in hac caussa, ad imitationem ulterius scripturæ componitur. Nam contrà recitabatur testamentum, P. Nouanius Gallio, cui ego omnia meritissimo uolo & debeo pro eius animi in me summa uoluntate. & adiectis deinceps alijs, hæres esto. Incipit esse quodammodo παρῳδὴ, quod nomen ductum à canticis ad aliorum similitudinē modulatis, abusiuè etiā in uersificatione, ac sermonū imitatione seruatur. Sed formas quoq; fingimus sæpe, ut Famam Virgilius: ut uoluptatem ac uirtutem (quemadmodum à Xenophonte traditur) Prodicus: ut mortem ac uitam, quas contendentes in Satyra tradit Ennius. Est & incertæ personæ ficta oratio, Hic aliquis. &, Dicat aliquis. Est & iactus sine persona sermo,

Libro 4 ad Herenniū. παῤῥησία.

προσωποποιΐαι.

Dialogi. Sermocinatio.

In Catili. Inuect. 1. Ibidem.

Ficta imaginatio.

παρῳδή.

Formæ fictæ. ὑπομνήματα β

Aeneid. 2.

Hic Dolopum manus, hic sæuus tendebat Achilles.

Quod fit mistura figurarum, cum προσωποποιΐα accedit illa, quæ est orationis per detractationem: detractum est enim quis diceret. Vertitur interim προσωποποιΐα in speciem narrandi. Vnde & apud historicos reperiuntur obliquæ allocutiones: ut in T. Liuij primo statim libro, Vrbes quoque, ut cætera, ex infimo nasci: deinde quas sua uirtus ac dij iuuent, magnas opes sibi, magnumq; nomen facere.

Obliquæ allocutiones.

Auersus quoq; à iudice sermo, qui dicitur ἀποστροφὴ, mirè mouet, siue aduersarios inuadimus, Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? Siue ad inuocationem aliquā conuertimur, Vos enim iam ego Albani tumuli atq; luci, Siue ad inuidiosum implorationem, O leges Porciæ, legesq; Semproniæ. Sed illa quoque uocatur auersio, quæ à proposita quæstione abducit audientem:

ἀποστροφὴ. Pro Liga. Pro Mil. Pro Sestio, & Actio.in Verrem. 7. Aeneid. 4.

Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui. –

Quòd fit & multis & uarijs figuris, cum aut aliud expectasse nos, aut maius aliquid timuisse simulamus, aut plus uideri posse ignorantibus: qualc est prooemium pro Cælio. Illa uerò (ut ait Cicero) sub oculos subiectio, tum fieri solet cum res non gesta indicatur, sed ut sit gesta ostenditur: nec uniuersa, sed per partes: quem locum proximo libro subiecimus euidentiæ: & Celsus hoc nomen isti figuræ dedit. ab alijs ὑποτύπωσις dicitur, proposita quædam forma rerum ita expressa uerbis, ut cerni potius uideatur, quàm audiri: Ipse inflammatus scelere ac furore, in forum uenit. ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emicabat. Nec solùm quæ facta sint aut fiant, sed etiam quæ futura sint, aut futura fuerint, imaginamur. Mirè tractat hæc Cicero pro Milone, quæ facturus fuerit Clodius si præturam inuasisset. Sed hæc quidem trāslatio temporum, quæ propriè μετάστασις dicitur, in διατυπώσει uerecundior apud priores fuit. Proponebant enim talia, Credite uos intueri. ut Cicero, Hæc quæ non uidistis oculis, animis cernere potestis. Noui uerò, & præcipuè declamatores, audacius, nec mehercule sine motu quodam imaginantur: ut Seneca in controuersia cuius summa est quòd pater filium & nouercam, inducente altero filio, in adulterio deprehensos occidit. Duc, sequor: accipe hanc senilem manum, & quocunque uis imprime. Et paulo post, Aspice, inquit, quod diu non credidisti. Ego uerò non uideo, nox oboritur, & crassa caligo. Habet hæc figura manifestius aliquid. Non enim narrari res, sed agi uidetur. Locorum quoque dilucida & significans descriptio, eidē uirtuti assignatur à quibusdam: alij τοπογραφίαν dicunt. Εἰρωνείαν inueni qui dissimulationem uocarent: quo nomine quia parum totius huius figuræ uidentur uires ostendi, nimirum sicut in plerisque, græca erimus appellatione contenti. Igitur εἰρωνεία quæ est schema, ab illa quæ est tropus, genere ipso nihil admodum distat: (in utroque enim contrarium ei quod dicitur, intelligendum est) species uerò prudentius intuenti, diuersas esse facile est deprehendere: Primum, quòd tropus apertior est: & quanquam aliud dicit ac sentit, non tamen aliud simulat. Nam & omnia circa ferè recta sunt: ut illud in Catilinam, A quo repudiatus, ad sodalem tuum uirum optimum M. Marcellum demigrasti. In duobus demum uerbis est ironia, ergo etiam breuior est tropus. At in figura, totius uoluntatis fictio est, apparens magis quàm confessa: ut illic uerba sint uerbis diuersa, hic sermonis sensus, uoci: & tota interim caussæ conformatio, tum etiam uita uniuersa, ironiam habere uidetur, qualis est uisa Socratis. Nam ideo dictus εἴρων, id est agens imperitum, & admirator aliorum tanquam sapientium: ut quemadmodū ἀλληγορίαν facit cōtinua μεταφορὰ, sic hoc schema faciat troporum ille contextus. Quædam uerò genera huius figuræ nullā cum tropis habent societatē: ut illa statim prima quæ dicitur

Subiectio sub oculos. ὑποτύπωσις. In Verr. 7.

μετάστασις. Pro Clu.

Hæc decla. non extat.

τοπογραφία.

εἰρωνεία duplex, & utræ eius species.

Inuect. 1.

Cice. 2. de Orat. & 4. Acad.

ἀπόφασις.

dicitur à negando, quam nonnulli uocant ἀπόφασιν, Non agam tecum iure summo, non dicam, quod forsitan obtinerem. &, Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hæreditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? &, Mitto illam primam libidinis iniuriam. &, Ne illa quidē testimonia recito, quæ dicta sunt de sestertijs septingentis millibus. &, Possum dicere. Quibus generibus per totas

Act. 5.

interim quæstiones decurrimus: ut Cicero, Hoc ego si sic agerem tanquam mihi crimen esset diluendum, hæc pluribus dicerem. Εἰρωνεία est & cum similes imperātibus uel

Aeneid. 4.

permittentibus sumus, I. sequere Italiam uentis. -

Et cum ea quæ uolumus uideri in aduersarijs esse, concedimus eis. Id acrius fit cum eadem in nobis sunt, & in ad-

Aeneid. 11

uersario non sunt: -Meq; timoris

Argue tu Drance, quando tot cædis aceruos
Teucrorum tua dextera dedit. -

Quod idem contra ualet, cum aut ea quæ à nobis absunt, aut etiam quæ in aduersarios recidunt, quasi fatemur:

Aeneid. 10

Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter.

Nec in personis tantum, sed & in rebus uersatur hæc contraria dicēdi quàm quæ intelligi uelis, ratio: ut totum pro Quin. Ligario proœmium, & illæ eleuationes, Videlicet, O dij boni.

Aeneid. 4.

Scilicet is superis labor est- Et ille pro Oppio locus, O amorem mirum. O beneuolentiam singularem. Non procul autem absunt ab hac simulatione tres inter

Confessio nihil nocitura.

se similes, Confessio nihil nocitura: qualis est, Habes igitur Tubero quod est accusatori maximè optandum. confitentem reum. Et concessio, cum aliquid etiam iniquum ui-

Pro Liga. Cōcessio.

demur caussæ fiducia pati: Metum uirgarum Nauarchus nobilissimæ ciuitatis precio redemit, humanum est. Et pro Cluentio de inuidia, Dominetur in concionibus, iaceat in iu-

Cōsensio.

dicijs. Tertia consensio: ut pro eodem, Iudicium esse corruptum. Hęc euidentior figura est, cum alicui rei assentimur quæ est futura pro nobis: uerùm id accidere sine aduersarij uitio non potest. Quædam etiam uelut laudamus, ut Ci-

Act. 4.

cero in Verrem circa crimen Apollonij Drepanitani Gaudeo etiam si quid ab eo abstulisti: & abs te nihil rectius factum esse dico. Interim augemus crimina quæ ex facili aut diluere possumus, aut negare: quod est frequentius, quàm ut exemplum desideret. Interim hoc ipso fidem detrahimus illis, quòd sint tam grauia: ut pro Roscio Cicero, cum immanitatem parricidij, quanquam per se manifestā,

Ἀποσιώπησις.

tamen etiam ui orationis exaggerat. Ἀποσιώπησις, quam idem Cicero reticentiam, Celsus obticentiam, nonnulli interruptionem appellant, & ipsa ostendit affectus, uel iræ, ut,

Aeneid 1.

Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.

Pro Milo.

Vel solicitudinis, & quasi religionis: An huius ille legis, quam Clodius à se inuentam gloriatur: mentionem facere ausus esset uiuo Milone, ne dicam consule? de nostrum enim omnium: non audeo totum dicere. Cui simile est in proœmio pro Ctesiphonte Demosthenis. Vel aliò transeundi gratia: Communis autem, tametsi, ignoscite mihi iudices. In quo est & illa (si tamen inter schemata numerari debet,

Digressio.

cum alijs etiā pars caussæ uideatur) digressio: Abit enim caussa in laudes Cn. Pompeij. Id quod fieri etiā sine ἀποσιωπήσει potuit. Nam breuior illa, ut ait Cicero, à re digressio, plurimis fit modis. Sed hæc exempli gratia sufficient, Tum Caius Varenus, is qui à familia Ancharíana occisus est: hoc, quęso, iudices diligenter attendite. Et pro Milone, Et aspexit me illis quidem oculis quibus tum solebat, cum omnibus omnia minabatur. Est alia non quidem

Præcisio.

reticentia, quæ sit imperfecti sermonis, sed tamen præcisa

uelut ante legitimum finem oratio: ut illud, Nimis urgeo,

Pro Liga.

commoueri uidetur adolescēs. &, Quid plura? ipsum adolescentem dicere audistis. Imitatio morum alienorum,

ἠθοποιΐα. μίμησις.

quæ ἠθοποιΐα, uel ut alij malunt, μίμησις dicitur, iam inter leniores affectus numerari potest. Est enim posita ferè in eludendo: sed uersatur & in factis, & in dictis. In factis, quod est ὑποτυπώσει uicinum. In dictis, quale est apud Terentium,

In Eun.

At ego nesciebam quorsum tu ires? Paruula
Hinc est abrepta, eduxit mater pro sua,
Soror dicta est. cupio abducere ut reddam suis.

Sed nostrorum quoq; dictorum factorumq; similis imitatio est per relationē, nisi quòd frequentius asseuerat quàm

Act. 1.

eludit: Dicebam habere eos actorem Quin. Cęcilium.

Dissimulatio artificij, & negligentiæ cōfessio.

Sunt & illa iucunda, & ad commendationem cum uarietate, tum etiam ipsa natura plurimum prosunt, quæ simplicem quandam, & non præparatam ostendendo orationem, minus nos suspectos iudici faciunt. Hinc est quasi pœnitentia dicti: ut pro Cælio, Sed quid ego ita grauem perso-

Pœnitētia dicti.

nam introduxi? Et quibus utimur uulgo, Imprudens incidi. Vel cum quærere nos quid dicamus fingimus, Quid reliquum est? &, Num quid omisi? Et cum ibidem in Verrem ait Cicero, Vnum etiam mihi reliquum huiusmodi crimen est, &, Aliud ex alio succurrit mihi. Vnde etiam uenusti transitus fiunt: non quia transitus ipse sit schema: ut Cicero narrato Pisonis exemplo, qui annulum sibi cudi ab aurifice in tribunali suo iusserat, uelut hoc in memoriā adductus, adiecit: Hic modò me commonuit Pisonis annulus, quod totum effluxerat. quàm multis istum putatis hominibus honestis de digitis annulos aureos abstulisse? Et cum aliqua uelut ignoramus, Sed earum rerū artificem, quem? quemnam? rectè admones, Polycletum esse dicebāt. Quod quidem non in hoc tantùm ualet. Quibusdam enim dum aliud agere uidemur, aliud efficimus: sicut hic Cicero consequitur, ne cum morbum in signis atque tabulis obijciat

Act. 6. Pro Ctesiphonte.

Verri, ipse quoq; earum rerum studiosus esse credatur. Et Demosthenes iurando per interfectos in Marathone & Salamine, id agit, ut minore inuidia cladis apud Cheroneam

Dilatio & repetitio.

acceptæ laboret. Faciunt illa quoq; iucundam orationem, aliqua mentione habita differre, & deponere apud memoriam iudicis, & reposcere quæ deposueris, & separare quædam schemate aliquo (non enim est ipsa per se " iteratio schema) & excipere aliqua, & dare actioni ua- " rios uelut uultus. Gaudent enim res uarietate: & sicut ocu- " li diuersarum aspectu rerum magis detinentur, ita semper animis præstant in quod se uelut nouum intendant. Est

Emphasis.

emphasis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur: ut apud Virgilium,

Aeneid. 4.

Non licuit thalami expertem sine crimine uitam
Degere more feræ? Quanquam enim de matrimonio quæritur Dido, tamen huc erupit eius affectus, ut sine thalamis uitam non hominum putet, sed ferarum. Aliud apud Ouidium genus, apud quem & Myrrha nutrici amorem patris sic confitetur,

Metam. 10

-O, dixit, felicem coniuge matrem.

Schematismus & figuratæ cōtrouersiæ.

Huic uel confinis, uel eadem est, qua nunc utimur plurimum. Iam enim ad id genus, quod & frequentissimum est, & expectari maximè credo, ueniendū est: in quo per quandam suspicionem, quod non dicimus, accipi uolumus: non utiq; contrarium, ut in εἰρωνείᾳ sed aliud latens, & auditori quasi inueniendum: quod, ut supra ostendi, iam ferè solum schema à nostris uocatur, & unde controuersiæ figu-

Ex Diony.

ratæ dicūtur. Eius triplex usus est: Vnus, si dicere palàm parum tutum est. Alter, si non decet, Tertius, qui uenusta-

tis modò

tis modò gratia adhibetur, & ipsa nouitate ac uarietate magis quàm si relatio sit recta, delectat. Ex his quod est primum, frequens in scholis est. Nam & actiones deponentium imperium tyrannorum, & post ciuile bellum senatusconsulta finguntur, & capitale est obijcere ante acta: ut quod in foro non expedit, illic nec liceat. Sed schematum conditio non eadem est. Quamlibet enim apertum, quod modò & aliter intelligi possit, in illos tyrannos bene dixeris, quia periculum tantùm, non etiam offensa uitatur. Quod si ambiguitate sententiæ possit eludi, nemo non illi furto fauet. Vera negocia nunquam adhuc habuerunt hanc silentij necessitatem, sed aliam huic similem, uerùm multo ad agendum difficiliorem, cum personæ potentes obstant, sine quarum reprehensione teneri caussa non possit. Ideoq; hoc parcius & circunspectius faciendum: quia nihil interest quomodo offendas: et aperta figura perdit hoc ipsum, quod figura est. Ideoq; à quibusdam tota res repudiatur, siue intelligatur, siue non. Sed licet modum adhibere: In primis, ne sint manifestæ. Non erunt autem, si non ex uerbis dubijs & quasi duplicibus petentur: qualis est in suspecta nuru, Duxi uxorem, quæ patri placuit. Aut, quod est multo ineptius, compositionibus ambiguis: ut illa controuersia, in qua infamis amore uirginis filiæ pater, raptam eam interrogat à quo uitiata sit, Quis te, inquit, rapuit? Tu pater nescis? Res ipsæ perducant iudicem ad suspicionem, & amoliamur cætera, ut hoc solum supersit, in quo multum etiam affectus iuuant, & interrupta silentio dictio, & cunctationes. Sic enim fiet, ut iudex quærat illud nescio quid, quod ipse fortasse nõ crederet si audiret: & ei quod à se inuentum existimat, credat. Sed ne si optimæ quidem sint, esse debent frequentes. Nã densitate ipsa figuræ aperiuntur, nec offensæ minus habent, sed authoritatis. Nec pudor uidetur quòd nõ palam obijcias, sed diffidentia. In summa, sic maximè iudex credit figuris, si nos putat nolle dicere. Equidem quandoq; & in personas incidi tales, & in rem quoq; (quod est magis rarum) quæ obtineri nisi hac arte non posset. Ream tuebar, quæ subiecisse dicebatur marito testamentum, & dicebatur chirographum marito expirante hæredibus dedisse: et uerum erat. Nam quia per leges institui uxor nõ poterat hæres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicõmissum peruenirent. Et caput quidem ueri facile erat, si hoc diceremus palàm: sed peribat hæreditas. Ita ergo fuit nobis agendum, ut iudices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere ut dictum: & contigit utrunq;. Quod non inseruissem, ueritus opinionẽ iactantię, nisi probare uoluissem, in foro quoq; esse his figuris locum. Quadam etiam quæ probare non possis, figura potius spargenda sunt. Hæret enim nonnunquam telum istud occultum, & hoc ipso quòd non apparet, eximi nõ potest. At si idem dicas palàm, & defenditur, & probandum est. Cum autem obstat nobis personæ reuerentia (quod secundum posuimus genus) tanto cautius dicendum est, quanto ualidius bonos inhibet pudor, quàm metus. Hic uerò tegere nos iudex quod sciamus, & uerba ui quadam ueritatis erumpentia credat coercere. Nam quanto minus aut ipsi in quos dicimus, aut iudices, aut assistentes oderint hanc maledicendi lasciuiam, si nolle nos credant? Aut quid interest quo modo dicatur, cum & res & animus intelligitur? Quid deniq; dicendo proficimus, nisi ut palàm sit nos facere, quod ipsi sciamus non esse faciendum? Atqui præcipuè prima quibus præcipere cœperam, tempora hoc uitio laborarũt. Dicebant enim libenter tales cõtrouersias, quæ difficultatis gratia placent, cum sint multo faciliores. Nã

Primũ genus figurarum cõtrouersiarum.

Figurarum modus, ne sint manifestæ.

Ne frequẽtes.

Alterũ genus.

rectum genus approbari nisi maximis uiribus non potest: hæc diuerticula & anfractus suffugia sunt infirmitatis: ut qui cursu parum ualent, flexu eludunt: cum hæc quæ affectatur ratio sententiarum, nõ procul à ratione iocandi abhorreat. Adiuuat etiam quòd auditor gaudet intelligere, & fauet ingenio suo, & alio dicente se laudat. Itaq; non solùm si persona obstaret rectæ orationi) quo in genere sæpius modo quàm figuris opus est) decurrebãt ad schemata, sed faciebant illis locum etiam ubi personæ inutiles ac nefariæ essent: ut si pater qui infamem in matrem filium secretò occidisset, reus malæ tractationis, iacularetur in uxorem obliquis sententijs. Nam quid impurius quàm retinuisse talem? Quid porrò tam contrarium, quàm eum qui accusetur quia summum nefas suspicatus de uxore uideatur, confirmare id ipsa defensione, quod diluendum est? At si iudicum sumerent animum, scirent quàm eiusmodi actionem laturi non fuissent: multoq; etiam minus, cum in parentes abominanda crimina spargerentur. Et quatinus huc incidimus, paulo plus scholis demus. Nam & in his educatur orator: & in eo, quo modo declametur, positum est etiam quo modo agatur. Dicendum ergo de ijs quoq; in quibus non aspersas figuras, sed palàm contrarias caussæ pleriq; fecerunt. Tyrannidis affectatæ damnatus torqueatur, ut conscios indicet: accusator eius optet quod uolet. Patrem qui accusauit, optat ne is torqueatur. pater ei contradicit. Nemo se tenuit agens pro patre, quin figuras in filium faceret, tanquam illum conscium pater in tormentis esset nominaturus. Quo quid stultius? Nam cum hoc iudices intellexerint, aut non torquebitur, cum ideo torqueri uelit: aut torto non credetur. At credibile est hoc eum uelle fortasse. Dissimulet ergo, ut efficiat. Sed nobis (declamatoribus dico) quid proderit hoc intellexisse, nisi dixerimus? Ergo si uerè ageretur, similiter consilium illud latens prodidissemus? Quid si neq; utiq; uerum est, & habere alias hic damnatus contradicendi caussas potest, uel quòd legem conseruandam putet, uel quòd nolit accusatori debere beneficium, uel (quod ego maximè sequerer) ut se innocentem in tormentis esse prætendat? Quare ne illud quidem semper succurret sic dicentibus, Patrocinium hoc uoluit, qui controuersiam finxit. Fortasse enim noluit, sed esto uoluerit: continuo ne si ille stultè cogitauit, nobis quoque stultè dicendum est? At ego in caussis agendis frequenter non puto intuendum quid litigator uelit. Est & ille in hoc genere frequens error, ut putent aliud quosdam dicere, aliud uelle: præcipuè cum in themate est aliquem ut sibi mori liceat postulare: ut in illa controuersia, Qui aliquando fortiter fecerat, & alio bello petierat ut militia uacaret ex lege, quòd quinquagenarius esset, aduersante filio ire in aciem coactus deseruit. Filius qui fortiter eodẽ prælio fecerat, incolumitatem eius optat: contradicit pater. Non enim, inquiunt, mori uult, sed inuidiam filio facere. Equidem rideo, quòd illi sic timent tanquam ipsi morituri, & in consilium suos metus ferunt, obliti tot exemplorum circa uoluntariam mortem, caussarum quoq; quas habet factus ex uiro forti desertor. Sed de una cõtrouersia loqui superuacuum est. Ego in uniuersum neq; oratoris puto esse unquam præuaricari, neq; litẽ intelligo, in qua pars utraque idem uelit: neq; tam stultum quenquam, qui si uiuere uelit, mortem potius malè petat, quam omnino non petat. Non tamen nego esse controuersias huiusmodi figuratas: ut est illa, Reus parricidij, quòd fratrem occidisset, damnatum iri uidebatur. Pater pro testimonio dixit eum se iubente fecisse: absolutum abdicat. Nam neq; in totum filio parcit, nec quod priore iudicio affirmauit, mutare palàm potest:

Vitia declamatorum in figuratis caussis.

lām poteſt: & ut non durat ultra pœnam abdicationis, ita abdicat tamen: & * obliqua figura in patre plus facit quàm licet, in filio minus. (* Alioqui.) Vt autem nemo contra id quod uult dicit, ita poteſt melius aliquid uelle quàm dicit: quomodo ille abdicatus, qui à patre ut filium expoſitum & ab eo educatum ſolutis alimentis recipiat poſtulat, reuocari fortaſſe mauult, non tamen quod petit, non uult. Eſt latens & illa ſignificatio, qua cum ius aſperius petitur à iudice, fit ei tamen ſpes aliqua clementiæ: non palam, nec paciſcamur, ſed per quandam credibilem ſuſpicionem, ut in multis controuerſiis, ſed in hac quoq;: Raptor niſi intra trigeſimum diem et raptæ patrem & ſuum exorauerit, pereat. Qui exorato raptæ patre ſuum non exorat, agit cū eo dementiæ. Nam ſi permittat hic pater, lis tollitur: ſi nullam ſpem faciat, ut non demens, crudelis certè uideatur, & à ſe iudicem auertat. Latro igitur optimè. Occidet ergo, ſi potero. Remiſſius, & pro ſuo ingenio pater Gallio, Dura anime hodie, dura: heri fortior fuiſti. Confinia ſunt his celebrata apud Græcos ſchemata, per quæ res aſperas mollius ſignificant. Nā Themiſtocles ſuaſiſſe exiſtimatur Athenienſibus, ut urbem apud deos deponerent: quia durū erat dicere, ut relinquerent. & qui uictorias aureas in uſum belli conflari uolebat, ita declinauit, uictorijs utendum eſſe. Totum autem allegoriæ ſimile eſt, aliud dicere, aliud intelligi uelle.

Figuræ res aſperas mollientes. Val. lib. 1. de neglecta relig.

Figuris reſpondendi modus.

Quæſitum etiam eſt, quomodo reſponderi contra figuras oporteret. Et quidam ſemper ex diuerſo aperiendas putauerunt, ſicut latentia uitia reſcinduntur. Idq; ſanè frequentiſſimè faciendum eſt. aliter enim dilui obiecta non poſſunt, utiq; cum quæſtio in eo conſiſtit, quod figuræ petunt. At cum maledicta ſunt tantum, non intelligere interim, bonæ conſcientiæ eſt. Atq; etiam cum fuerint crebriores figuræ, quàm ut diſſimulari poſſint, poſtulādum eſt, ut illud neſcio quid quod aduerſarij obliquis ſententijs ſignificare uoluerint, ſi fiducia ſit, obijciāt palàm, aut certè non exigant, ut quod ipſi non audent dicere, id iudices non modò intelligant, ſed etiam credant. Vtilis etiam aliquando diſſimulatio eſt, ut in eo (nota enim fabula eſt) qui cum eſſet contra eum dictum, Iura per patroni tui cineres, paratum ſe eſſe reſpondit: & iudex conditione uſus eſt, clamante multum aduocato ſchemata de rerum natura tolli: ut protinus etiam præceptum ſit, eiuſmodi figuris utendum temerè non eſſe.

Tertium genus.

Tertium eſt genus, in quo ſola melius dicendi petitur occaſio: ideoq; id Cicero non putat eſſe poſitum in contentione. Tale eſt illud, quo idem utitur in Clodium, Quibus iſte, qui omnia ſacrificia noſſet, facilè ab ſe deos placari poſſe arbitrabatur. (Pro domo ſua.) Ironia quoque in hoc genere materiæ frequentiſſima eſt. Sed eruditiſſimum longè, ſi per aliam rem alia inducatur, ut cum aduerſus tyrannum qui ſub pacto abolitionis dominationem depoſuerat, agit competitor. Mihi in te dicere non licet, tu in me dic. & potes: Nuper te nolui occidere. Frequens illud eſt, nec magnopere captandum, quod petitur à iureiurando: ut pro exhæredato, Ita mihi contingat hærede filio mori. Nam & in totum iurare, niſi ubi neceſſe eſt, graui uiro parum conuenit: & eſt à Seneca dictum eleganter, non patronorum hoc eſſe, ſed teſtium. (Iurare nō licet.) Nec meretur fidem, qui ſententiolæ gratia iurat: niſi ſi poteſt tam bene quàm Demoſthenes, ut ſupra dixi. Leuiſſimum autem longè genus ex uerbo, etiam ſi eſt apud Ciceronem in Clodiā, Præſertim quam omnes amicam omnium potius quàm cuiuſquam inimicam putauerunt. (Pro Cælio)

Cōparatio à figuris excludēda.

Comparationem equidem uideo figuram non eſſe, cum ſit interim probationis, interim etiam cauſſæ genus: & ſit talis eius forma, qualis eſt pro Murena, Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas: ille, ut quo contendit, maturè cum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus excitat, &c. Neſcio an orationis potius quàm ſententiæ ſit. Id enim ſolum mutatur, quòd non uniuerſa uniuerſis, ſed ſingula ſingulis opponuntur. Et Celſus tamen, & non negligens author Viſellius, in hac eam parte poſuerunt: Rutilius quidem Lupus in utroq; genere, idq; ἀντίθετον uocat. (ἀντίθετον.)

Variæ figuræ ſecundū diuerſam multorum ſententiā.

Præter illa uerò quæ Cicero inter lumina poſuit ſententiarum, multa alia & idem Rutilius Gorgiam ſecutus, non illum Leontinum, ſed alium ſui temporis, cuius quatuor libros in unum ſuum tranſtulit, & Celſus uidelicet Rutilio accedens, poſuerunt ſchemata. Conſummationem, quam græcus διαλλαγὴν uocat, cū plura argumenta ad unum effectum deducuntur. Conſequens, ille ἐπακολούθησιν, de quo nos in argumentis diximus. (Lib. 5. cap. 8. & 10.) (Diallagen) Collectionem, qui apud illum eſt συλλογισμὸς. Minas, id eſt κατάπληξιν. Exhortationem, παραινετικόν. Quorum nihil non rectum eſt, niſi cum aliquam ex his de quibus locuti ſumus, figuram accipit. Præter hæc Celſus, excludere, aſſeuerare, detrectare, excitare iudicem, prouerbijs uti, & uerſibus, & ioco, & inuidia, & inuocatione, intendere crimen, quod eſt δείνωσις, adulari, ignoſcere, faſtidire, admonere, ſatiſfacere, precari, corripere, figuras putat. Partitionē quoque, & propoſitionem, & diuiſionem, & rerum duarum cognationem, quod eſt ut idem ualeant quæ uidentur eſſe diuerſa, ut non is demum ſit ueneficus, qui uitam abſtulit data potione, ſed etiam qui mentem: quod eſt in parte finitionis. Rutilius ſiue Gorgias, ἀναγκαῖον, ἀνάμνησιν, ἀνθυποφορὰν, ἀντίρρησιν, παραύξησιν, προέκθεσιν, quod eſt dicere quid fieri oportuerit, deinde quid factum ſit: ἐναντιότητα, unde ſint enthymemata κατ' αἰτίασιν: μετάληψιν etiam quo ſtatu Hermagoras utitur. Viſellius quanquā pauciſſimas faciat figuras, facit ἐνθύμημα tamen, quod commentum uocat: & rationem appellans ἐπιχείρημα, inter has habet. quod quidem recipit quodammodo & Celſus: nam conſequens an epicherema ſit, dubitat. Viſellius adijcit & ſententiam. Inuenio qui aggregent his διασκευὰς, ἀπαγορεύσεις, παραδιηγήσεις. Sed ut hæc non ſunt ſchemata, ſic alia uel ſint forſitan, ac nos fugerint: uel etiā noua fieri adhuc poſſint, eiuſdem tamen naturæ cuius ſunt ea de quibus dictum eſt.

ARGVMENTVM.

Sententiarum figuras, uerborum ſequuntur, quorum duo facit genera, unum, quod ad loquendi rationem pertinet, grammaticum appellant, fieri quibus uitia oſtendit, atq; ne uitioſum ſit, excuſari authoritate, uetuſtate, cōſuetudine, & ratione. Quod genus ab utilitate commendat, quia ſermonis eodem modo formati tædium leuet. Deinde quot quibuſq; modis figuræ in hoc genere fiant, recenſet. In nominibus & uerbis circa genus, ut timidi damæ, pupitus es inimicos. In numero, Romani gens pugnaciſſima. Per partium mutationem, & temporum, ut ſcire tuum, & uicimus pro uincemus. Per parentheſin, hyperbaton, adiectionem, & detractionem, deniq; per omnia genera per quæ fit ſolœciſmus. Abſoluto priore genere, ad ſecundum quod Rhetoricum dicitur, accedit, quod ipſis ſenſibus tum gratiam, tū uires accommodare dicit. Cuius genera præcipua tria enumerat, per adiectionem, detractionem, & ſimilitudinem. Primam adiectionem ponit, cuius multas ſpecies facit. Geminationem amplificandi, miſerandi, uel per ironiam eleuandi cauſſa, & repetitionem, cum ab iiſdem uerbis plura acriter & inſtanter incipiunt, uel cum iiſdem definunt, uel ubi media primis reſpondēt, & ultima primis. Epanodon regreſſionem uocāt, polyptoton, metabolen, diſſipata, ſocem uerborum & ſenſuum idem ſignificantium, congregationem, diallagen, cum diuerſa congeruntur, aſyndeton, id eſt diſſolutionem, & polyſyndeton, quod coniunctionibus abundat. Item gradationem. Haſtenus adiectionis

figuras,

figuras, postea uerò detractionis, quæ breuitatis uel nouitatis gratia sunt, enumerat. Synecdochen, cum uerbum subauditur, quæ quo differat ab aposiopesi, explicat. Dissolutione, quã etiam supra fieri per adiectionem demonstrauit. Synezeugmenon, quando plures sententiæ ad unum uerbum referuntur, quod multas habet species. Synœciosin duas res diuersas colligentem. Tertium genus adiungit ex similitudine, cuius species agnominatio, & ei affinis antanaclasis, quarũ uariæ species, paria & contraria, quorum gratiam commendat, sub quibus parison, homœoteleuton, homœopteton, isocolon, antitheton, quod contrapositum uocãt, cuius septem modos enumerat, cui etiam antimetabolen subiicit. Quasdam etiam alias adiungit, quæ diuersa ratione, sententiarum & dictionum figuræ esse possint, dubitationem, correctionẽ, hyperbaton, & prosopopœiam, ut quando in uno uerbo sunt, uerborum figuræ sint, in pluribus, sententiarum. Postremò figuras uarias à quibusdam figurarũ numero habitas recenset, in figuratum numerum non admittendas, & quo pacto figuris utendum sit, grauissimè præcipit.

De figuris uerborum. Cap. III.

Antiqua locutio immutata.



Erborum uerò figuræ & mutatæ sunt semper, & utcunq; ualuit consuetudo, mutantur. Itaq; si antiquum sermonẽ nostro comparemus, penè iam quicquid loquimur, figura est: ut huic rei inuidere, non, ut omnes ueteres, & Cicero præcipuè, hanc rem: & incumbere illi, non in illum: & plenum uino, non uini, & huic nõ hunc adulari, iam dicitur, & mille alia: utinamq; nõ peiora uincant. Verùm schemata λέξεως duorum sunt generum: alterum loquendi rationem uocant: alterum, quod ad collocationem maximè exquisitum est. Quorũ tametsi utrunque cõuenit orationi, tamen possis illud grammaticum, hoc rhetoricum magis dicere. Prius fit iisdem generibus, quibus uitia. Esset enim omne schema uitium, si non peteretur, sed accideret. Verùm authoritate, uetustate, consuetudine plerunque defenditur, sæpe etiam ratione quadam. Ideoq; cum sit à simplici rectoq; loquendi genere deflexa, uirtus est, si habet probabile aliquid quod sequatur. Vna tamen in re maximè utilis, ut quotidiani & semper eodem modo formati sermonis fastidium leuet, & nos à uulgari dicendi genere defendat. Quo si quis parce, & cum res poscet utetur, uelut asperso quodam condimento iucundior erit: at qui nimium affectauerit, ipsam illam gratiam uarietatis amittet. quanquam sunt quædam figuræ ita receptæ, ut penè iam hoc ipsum nomen effugerint: quæ etiam si fuerint crebriores, aures consuetas minus ferient. Nam secretæ, & extra uulgarem usum positæ, ideoq; magis nobiles, ut nouitate aurem excitant, ita copia satiant: nec se obuias fuisse dicenti, sed conquisitas, & ex omnibus latebris extractas congestasq; declarant. Fiunt ergo & circa genus figuræ in nominibus. Nam & oculis capti talpæ, & timidi damæ dicuntur à Virgilio, sed subest ratio, quia sexus uterq; altero significatur. Tam enim mares esse talpas damasq; quàm fœminas certum est. Et in uerbis: ut, Fabricatus est gladium: &, Inimicos punitus es. Quod mirum minus est, quòd in natura uerborum est & quæ facimus patiendi modo sæpe dicere, ut arbitror, suspicor: & contra faciendi, quæ patimur, ut uapulo: ideoque frequens permutatio est: & pleraque utroque modo efferuntur, luxuriatur luxuriat, fluctuatur fluctuat, assentior assentio, reuertor reuerto. Est figura & in numero: uel cum singulari pluralis subiungitur, Gladio pugnacissima gens Romani, gens enim ex multis. Vel è diuerso,

Tuscul. quæstio. 3.

Schemata λέξεως duplicia.

Vitii in figura excusandi rationes.

Vtilitas specimi generis figurarum quæ in uerbo sunt.

Per genus.

Georg. 1.

Aeglog. 8.

Pro Rab: Posthumo.

Pro Milo.

Per numerum.

Politianus in Miscel. cap. 89.

Aeglog. 4.

Per partes mutatas.

-Qui non risere parentes,

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Ex illis enim qui non risere, hunc non dignatus deus, nec dea dignata. Et mutatione partium, ut in Satyra,

-Et nostrum istud uiuere triste Aspexi: *Pers. Sat. 1 v. 1*

cum infinito uerbo sit usus pro appellatione. Nostrã enim uitam uult intelligi. Vtimur uerbo pro participio, ut

Magnum dat ferre talentum, *Aeneid. 5.*

tanquam ferendum. Et participio pro uerbo, Volo datum. Interim etiam dubitari potest cui simile uitio sit schema ut in hoc, *Hora. Epist. lib. 1.*

Virtus est uitium fugere.-

Aut enim partes orationis mutat ex illo, Virtus est fuga uitiorum, aut casus ex illo, Virtutis est uitiũ fugere. Multa tamen hoc utroq; excitatius iungũtur interim schemata. Sthenelus sciens pugnæ. Est enim, sciens Sthenelus pugnandi. Transferuntur etiam tempora, Timarchides negat esse ei periculum à securi. Præsens enim pro præterito positum est. Et futurum pro præsenti, *Car. 1.* *Per tempora.* *Act. 7.*

Hoc Ithacus uelit. *Aeneid 2.* *Et ne morer, per omnia fit genera, per quæ fit solœcismus. Hæc est quoque quam ἑτέρωσιν uocant, cum dissimilis est, Zeugma dicitur: ut apud Sallustium, Neq; ea res falsum me habuit. &, Duci probare. Ex quibus ferè præter nouitatẽ breuitas etiam peti solet. Vnde eousq; processum est, ut non pœniturum, pro non acturo pœnitentiam: & uisuros, ad uidendum missos, idem author dixerit. Quæ ille quidem fecerit schemata, an idem uocari possint, uidendum, quia recepta sint. Nam receptis etiam uulgo authore contenti sumus. Verùm natura eualuit agẽtibus, quod Pollio in Labieno damnat: & contumeliam fecit quod à Cicerone reprehendi notum est. affici enim contumelia dicebant. Alia commendatio uetustatis, cuius amator unicè Virgilius fuit,* *In Iugur.* *Philip. 3.*

Vel cum se pauidum contra mea iurgia iactat. *Aeneid. 11*

Progeniẽ sed. n. Troiano à sanguine duci Audierat.- *Aeneid. 1.*

Quorum similia apud ueteres Tragicos Comicosque sunt plurima. Illud etiam in consuetudine remansit, Enimuero. His amplius apud eundem,

Nam quis te iuuenum confidentissime:- cum quis, sermonis initium sit. &, *Georg. 4.*

Tam magis illa tremens, & tristibus effera flammis, *Aeneid. 7.*

Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ:

Quod est uersum ex illo, Quàm magis ærumna urget, tam magis ad malefaciendum urget, Pleni talibus antiqui: sicut initio Eunuchi Terentius,

Quid igitur faciam? inquit. Allusit tandem leno. Catullus in epithalamio,

-Dum innupta manet, dum chara suis est.

Sed prius dum, significat quoad: sequens, usq; eò. Ex Græco uerò translata uel Sallustij plurima: quale est, uulgus amat fieri: uel Horatij. Nam id maximè probat hoc Ciceronis. Et mutatio casus: ut,* *Græcanicæ figuræ.* *Hor. ser. 2. sat. 6.*

-Nec longa inuidit auenæ.

-Tyrrhenum nauigat æquor. *Aeneid. 1.*

Etiam uulgatum actis quoq;, Saucius pectus: Ex eadem parte figurarum additio et abiectio est. Illaq; prior uideri potest superuacua, sed non sine gratia est,

Nam neq; Parnassi uobis iuga, nam neque Pindi. *Aeglo. 10.*

Potest enim deesse alterum nam. Et apud Horatium illud,

-Fabriciumq;, Hunc & intonsis Curiũ capillis, *Carm. 1. Ode. 12.*

Est etiam adiectio, quæ in complexu sermonis aut uitium habet, aut figuram. Figuram, ut, Accede ad ignem hunc: iam calesces plus satis plus enim quam satis est. De altera quæ detractio est, pluribus dicendum est. Vtimur uulgo & comparatiuis pro absolutis, ut cum se quis infirmiorem esse dixerit. Duo inter se comparatiua committimus, Si te iam Catilina comprehendi, si interfici iussero, credo erit uerendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius à me, *In Eunuc.* *Comparatiuorum figurans usus.* *Inuect. 1.*

quàm

Numerorū & personarū permutatio.

quàm quisquam crudelius factum esse dicat. Sunt illa non similia solœcismo quidem, sed tamen numerum mutantia, quæ et tropis assignari solēt, ut de uno pluraliter dicamus,

Georg. 2.

Sed nos immensum spatijs confecimus æquor.

Et de pluribus singulariter,

Ibidem.

Haud secus ac patrijs acer Romanus in armis.

Specie diuersa, sed genere eadem & hæc sunt,

Georg. 2.

Néue tibi ad solem uergant uineta cadentem.

Georg. 3.

Nec mihi tum molles sub dio carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas.

Non enim nescio cui alij prius, nec postea sibi uni, sed omnibus præcipit. Et de nobis loquimur tanquam de alijs: Dicit Seruius, Negat Tullius. Et nostra persona utimur pro aliena, & alios pro alijs fingimus. Vtriusq; rei exemplum pro Cecinna. Pisonem aduersæ partis aduocatum alloquēs Cicero dicit, Restituisse te dixti, Nego me edicto prætoris restitutum esse. Verum enim illud restituisse Ebutius dixit: Nego me, Cecinna, edicto prætoris restitutum esse. Vbi & ipsum dixti, extrita syllaba figura in uerbo est. Illa quoq; ex eodem genere possunt uideri, quam nos interpositionem, uel interclusionem dicimus, Græci

παρένθεσις.

παρένθεσιν uocāt, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus interuenit.

Pro Milo.

Ego cum te (mecum enim sæpissime loquitur) patriæ reddidissem.

ὑπερβατόν.

Cui adijciunt hyperbaton, nō illud quod inter tropos esse uoluerunt: sed alterum, quod est eius figuræ sententiarum quæ ἀποστροφὴ dicitur, simile, cum non sensus mutatur, uerum forma eloquendi,

Georg. 2.

-Decios, Marios, magnosq; Camillos,
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar.

Acutius adhuc in Polydoro:

Aeneid. 3.

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur.-

μετάβασις

-Quid nō mortalia pectora cogis Auri sacra fames?

Qui tam parua momenta nominibus discreuerunt, μετάβασιν uocant, quam & aliter fieri putant:

Aeneid. 4.

Quid loquor? aut ubi sum?

Coniunxit autem παρένθεσιν & ἀποστροφὴν Virgilius in illo loco.

Aeneid. 8.

Haud procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatq; uiri mendacis uiscera Tullus.

Hæc schemata, & his similia, quæ erunt per mutationem, adiectionem, detractionem, ordinem, & conuertunt in se auditorem, nec languere patiuntur subinde aliqua notabili figura excitatum: & habent quandam ex illa uitij similitudine gratiam, ut in cibis interim acor ipse iucundus est. Quod continget si neq; supra modum multæ fuerint, nec eiusdem generis aut iunctæ, aut frequētes, quia satietatem

Rhetorici generis.

ut uarietas earum, ita raritas effugit. Illud est acrius genus, quod non tantùm in ratione positum est loquendi, sed ipsis sensibus cum gratiam, tum etiam uires accommodat. E quibus primum sit quod sit per adiectionem. plura sunt genera.

Adiectiōis figuræ.

Nam & uerba geminantur, uel amplificandi gratia: ut, Occidi, occidi non Sp. Melium.

Pro Milo.

Alterum est enim quod indicat, alterum quod affirmat. Vel miserandi: ut,

Aeglo. 2.

Ah Corydon, Corydon.-

Quæ eadem figura nonnunquam per ironiam ad eleuandum conuertitur. Similis geminationis post aliquam interiectionem repetitio est, sed paulo etiam uehementior,

Philip. 2.

Bona, miserum me (consumptis enim lachrymis tamen infixus animo hæret dolor) bona inquā Cn. Pompeij acerbissima uoci subiecta præconis.

In Catil. 1

Viuis, & uiuis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Et ab ijsdem uerbis plura acriter & instanter incipiunt:

In eadem.

Nihilne te nocturnum præsidium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora uultusq; mouerunt? Et ijsdem desinunt,

Pro Milo.

Quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius. Quanquam hoc exemplum ad aliud quoq; schema pertinet, cuius initia inter se & fines ijdem sunt, quis & quis, Appius & Appius. Quale est,

Cornif. lib. 4.

Qui sunt qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt qui Italiam deformauerunt? Carthaginenses. Qui sunt qui sibi ignosci postulant? Carthaginenses. Etiam in contrapositis uel comparatiuis solet respondere primorum uerborum alterna repetitio, quod modò huius esse loci potius dixi,

Pro Mure.

Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut eò quò intendit, maturè cum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exuscitat, Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caues ne consultores tui, ille ne urbes aut castra capiantur. Sed hac gratia non fuit contentus Orator, uertit in cōtrarium eandem figuram: Ille tenet & scit ut hostium copiæ, tu ut aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. Possunt media quoq; respondere, uel primis: ut,

Aeneid. 7.

Te nemus Angitiæ, uitrea te Fucinus unda.

Act. 7.

uel ultimis, Hæc nauis onusta præda Siciliensi. cum ipsa quoq; esset ex præda. Nec quisquam dubitauit idem posse fieri iteratis utrinq; medijs. Respondent primis et ultima,

Ibidem.

Multi & graues dolores inuenti parentibus, et propinquis multi. Est & illud repetendi genus, quod semel proposita iterat & diuidit.

Aeneid. 2.

Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo
Iam grauior. Pelias & uulnere tardus Vlyssi.

ἐπάνοδος.

ἐπάνοδος dicitur græcè, nostri regressionem uocant. Nec solùm in eodem sensu, sed etiam in diuerso eadē uerba contra sumuntur,

Pro Liga.

Principum dignitas erat penè par, non par fortasse eorum qui sequebantur. Interim uariatur casibus hæc & generibus iteratio: Magnus est labor dicendi, magna res est. Et apud Rutilium longiore περίοδον & hæc initia sententiarum sunt, Pater hic tuus? patrem hunc appellas? patris tu huius filius es? Fit casibus modo hoc schema quod πολύπτωτον uocant.

πολύπτωτον.

Constat & alijs etiam modis: ut pro Cluentio, Quod autem tempus ueneni dandi? illo die? in illa frequentia? Per quem porrò datum? unde sumptum? quæ porrò interceptio poculi? cur non de integro autem datum?

μεταβολή.

Hanc rerum coniunctam diuersitatem Cæcilius μεταβολὴν uocat: qualis est pro Cluentio locus in Oppianicum. Illum tabulas publicas uiolasse, censorias corrupisse, decuriones uniuersi iudicarunt: cum illo iam nemo rationem, nemo rem ullam contrahebat: nemo illum ex tam multis cognatis & affinibus tutorem unquam liberis suis scripsit. & deinceps adhuc multa. Vt hæc in unum congeruntur, ita contra illa dispersa sunt, quæ à Cicerone dissipata dici puto,

Dissipata. Georg. 1.

Hic segetes, illic ueniunt fœlicius uuæ,
Arborei fœtus alibi, & deinceps.

Illa uerò apud Ciceronem mira figurarum mistura deprehenditur, in qua & primo uerbo longo post interuallo redditum est ultimum, & media primis, & medijs ultima congruunt? Vestrum iam hic factum deprehenditur. Patres conscripti, non meum: ac pulcherrimum quidem factum: uerùm, ut dixi, non meum, sed uestrum. Hanc frequentiorem repetitionem

πλοκή.

πλοκὴν uocant, quæ fit ex permistis figuris, ut supra dixi, utq; se habet epistola ad Brutum, Ego

cum in

cum in gratiam redierim cum Appio Claudio, & redierim per Cn. Pompeium, te ego ergo cum redierim. Et in iisdem sententiis crebrioribus mutata declinationibus iteratione uerborum: ut apud Persium,

Saty. 1. -Vsque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

Et apud Ciceronem. Neq; enim poterat indicio ex his dãnatis qui iudicabantur. Sed sensus quoq; toti quemadmodum cœperunt desinent: Venit ex Asia, hoc ipsum quàm bonum? Trib. pleb. uenit ex Asia. In eadem tamen periodo & uerbum ultimum primo refertur, tertium iam sermone adiectum est, Veruntamen uenit. Interim sententia
Act. 7. quidem repetitur, sed eodem uerborum ordine, Quid Cleomenes facere potuit? Non enim possum quenquam insimulare falso. Quid, inquam, Cleomenes magnopere facere potuit? Prioris sententiæ uerbum ultimum, ac sequentis primum frequenter est idem: quo quidem schemate utuntur poetæ sæpius,

Aeglo. 10. Pierides, uos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas.

In Catil. 1. Sed ne Oratores quidem rarò: Hic tamen uiuit, uiuit? immò uerò etiam in Senatum uenit. Aliquando, sicut in geminatione uerborum diximus, initia quoq; & clausulæ sententiarũ aliis, sed non aliò tendentibus uerbis, inter se consonant. Initia hoc modo, Dederim periculis omnibus, obtulerim insidiis, obiecerim inuidiæ. Rursus clausulæ: ibidem statim, Vos eum statuistis, uos sententiam dixistis,
μετωνυμία uos iudicastis. Hoc alij μετωνυμίαν, alij disiunctionem uocant, utrunq; (etiamsi est diuersum) rectè. Nam est no-
Congregatio uerborum idem significantium. minum idem significantium separatio. Congregantur quoq; uerba idem significantia: Quæ cum ita sint Catilina, perge quò cœpisti: egredere aliquando ex urbe: patent portæ, proficiscere. Et in eundem alio libro, Abiit, excessit,
In sect. 1. erupit, euasit. Hoc Cæcilio πλεονασμὸς uidetur, id est abũ
Πλεονασμός. dans supra necessitatem oratio: sicut illa, Vidi oculos an-
Aeneid. 12. te ipse meos. In illo enim uidi, inest ipse. Verùm id, ut alio
Lib. 8. cap. quoq; loco dixi, cum superuacua oneratur adiectione, uitiũ dicitur: cum autem auget manifestam sententiã sicut hic, uirtus: Vidi, ipse, ante oculos. quot uerba, totidem sunt affectus. Cur tamen hæc propriè nomine tali notarit, non uideo. Nam & geminatio, & repetitio, & qualiscunq; adie-
Congregatio sensuũ idem faciẽtium. ctio, πλεονασμὸς uideri potest. Nec uerba modò, sed sensus quoq; idem facientes aceruãtur. Perturbatio istum mentis, & quædam scelerum offusa caligo, & ardentes fu-
Pro Milo. riarum faces excitarunt. Congeruntur & diuersa: Mulier, tyranni sæua crudelitas, patris amor, ira præceps, temeritas, dementia. Et apud Ouidium,

Metam. 5. Sed graue Nereidum numen, sed corniger Ammon,
Sed quæ uisceribus ueniebat bellua ponti
Exaturanda meis.-

Inueni qui & hoc uoca-
πλοκή. ret πλοκὴν, cui non assentior, cum sint unius figuræ mista quoq;, & idem & diuersum significantia, quod & ipsum
διαλλαγή. διαλλαγὴν uocant: Quæro ab inimicis, sintne hæc inuesti-
In Catil. 2. gata, cõperta, patefacta: sublata, deleta, extincta per me. Inuestigata cõperta, patefacta, aliud ostendunt: sublata, deleta, extincta, sunt inter se similia, sed nõ etiã prioribus.
Dissolutio. Et hoc autem exemplum, & superius, aliam quoq; efficiunt figuram, quæ quia coniunctionibus caret, dissolutio uocatur: apta, cum quid instantius dicimus. Nam & singula inculcantur, & quasi plura fiunt. Ideoq; utimur hac figura non in singulis modò uerbis, sed sententiis etiam: ut Cicero dicit contra concionem Metelli, Qui indicabantur, eos uocari, custodiri, ad Senatum adduci iussi. in Sena-
βραχυλογία. tu sunt positi. & totus hic locus. Hoc genus βραχυλογίαν uocant, quæ potest esse copulata dissolutio. Contrarium est schema, quod cõiunctionibus abundat. Illud ἀσύν-
ἀσύνδετον. πολυσύνδετον. δετον, hoc πολυσύνδετον dicitur. Hoc est, uel iisdem sæpius repetitis: ut,

Georg. 3. -Tectumq; laremq;,
Armaq;, Amyclæumq; canem, Cressamq; pharetram.

Aeneid. 1. Vel diuersis, Arma uirumq;.- Multum ille & terris.-
Multa quoq; & bello.- Aduerbia quoq; & pronomina uariantur,

Aeglo. 2. Hic illum uidi iuuenem.- Bissenos cui nostra dies.-
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti.

Sed utrunq; horum coaceruatio. Etenim tantùm iuncta, aut dissoluta omnibus scriptores sua nomina dederunt, sed uaria, & ut cuiq; fingenti placuit. Fons quidem unus, quia acriora facit & instantiora quæ dicimus, & uim quandam præ se ferentia, uelut sæpius erumpentis affectus. Gra-
κλίμαξ. datio quæ dicitur κλίμαξ, apertiorem habet artem, & magis affectatã, ideoq; esse rarior debet: Est autem ipsa quoque adiectionis. repetit enim quæ dicta sunt: & priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit. Eius exemplum
Demosthe. pro Ctesiphonte. ex græco notissimo transferatur, Nec hæc dixi quidẽ, sed nec scripsi, nec scripsi quidem, sed nec obii legationem: nec obii quidem, sed nec persuasi Thebanis. Sunt tamen erudi-
Cornif. lib. 4. ta & latina, Aphricano uirtutem industria, uirtus glo-
In Vatinium. riam, gloria æmulos comparauit. & Calui, Non ergo magis pecuniarum repetundarum quàm maiestatis, neq; maiestatis magis quàm Plautiæ legis, neq; Plautiæ legis magis quàm ambitus, neq; ambitus magis quàm omnium legum iudicia perierunt. Inuenitur apud Poetas quoque, ut
Iliad. 2. apud Homerum de sceptro quod à Ioue ad Agamemnonẽ usq; deducit: & apud nostrum etiam tragicum,

Ioue propagatus est (ut perhibent) Tantalus,
Ex Tantalo Pelops, ex Pelope autem satus
Atreus, qui nostrum porrò propagat genus.

Detractionis figuræ. συνεκδοχή. At quæ per detractionem fiunt figuræ, breuitatis nouitatisq; maximè gratia petũtur: quarum una est ea, quam libro proximo in figuras distuli, Synecdoche, cum subtractum uerbum aliquod satis ex cæteris intelligitur: ut Cælius in Antonium Stupere gaudio Græcus. Simul enim auditur cœpit. Cicero ad Brutum, Sermo nullus scilicet nisi de te. Quid enim potius? Tum Flauius, Erras tabellarie: & ego ibidem orans inter cœnam exoraui. Cui similia sunt illa meo quidem iudicio, in quibus uerba decenter pudoris gratia subtrahuntur,

Aeglo. 3. Nouimus & qui te transuersa tuentibus hircis,
Et quo sed faciles Nymphæ, risere sacello.

Aposiopesis. Hanc quidam Aposiopesin putant, frustra. Nam illa quid taceat incertum est, aut certè longiore sermone explicandum: hic unum uerbum, & manifestum quidem desideratur: quæ si Aposiopesis est, nihil in quo deest aliquẽd non idem appellabitur. Nec ego illud quidem Aposiopesin semper uoco, in quo res quæcunq; relinquitur intelligenda, ut ea quæ in epistolis Cicero, Data Lupercalibus, quo die Antonius Cæsari. quia nihil hic aliud intelligi poterat, quàm
Dissolutio detractionis. hoc, diadema imposuit. Altera est per detractionem figura, de qua modo dictum est, cui coniunctiones eximuntur.
συνεζευγμένον. Tertia quæ dicitur συνεζευγμένον. In qua unum ad uerbum plures sententiæ referuntur. quarũ unaquæq; desideraret illud si sola poneretur. Id accidit aut præposito
Pro Clue. uerbo ad quod reliqua respiciant: Vicit pudorem libido,
Inuect. 1. timorem audacia, rationem amentia. Aut illato, quo plura cluduntur: Neq; enim is es Catilina, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore.

rore reuocauerit. Medium quoq; potest esse, quod & prioribus & sequentibus sufficiat. Iungit autem & diuersos sexus, ut cum marem fœminamq; filios dicimus. Et singularia pluralibus miscet. Sed hæc adeò sunt uulgaria, ut sibi artem figurarum asserere non possint. Illud planè figura est, quæ diuersa sermonis forma coniungitur,

Aeneid. 3.

-Socijs tunc arma capessant
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.

Quamuis enim pars bellum posterior participio insistat, utriq; tamen conuenit illud edico: nam utriq; detractionis gratia facta coniunctio. συνοικείωσιν *uocant, quæ duas res diuersas colligat. Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet. Huic diuersam uolunt esse distinctionem, cui dant nomen* παραδιαστολὴν, *qua similia discernuntur: Cum te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem. quod totum pendet ex finitione, ideoq; an figura sic dubito. Cui contraria est ea quæ ex uicinia transit ad diuersa aut similia,*

συνοικείωσις.

παραδιαστολή.

Hor. i Art.

-Breuis esse laboro, Obscurus fio,- & quæ sequuntur.

Tertium est genus figurarum, quæ aut similitudine aliqua uocum aut paribus, aut cōtrarijs uertunt in se aures, & animos excitant. Huic nomen est παρονομασία, *quæ dicitur agnominatio. Ea nō uno modo fieri solet, sed ex uicinia quadam prædicti nominis ducta, casibus declinatur: ut Domitius Apher pro Cloantilla, Mulier rerum omniū imperita, in omnibus rebus infœlix. Et cū uerbo idem uerbum plus significanter subiungitur, Quando homo, hostis homo. Quibus exemplis sum in aliud usus, sed in uno facilis est geminatio,* παρονομασία *ei contrarium est, quod eodem uerbo quasi falsum arguitur, Quæ lex priuatis hominibus esse lex non uidebatur. Cui confinis est* ἀντανάκλασις, *eiusdem uerbi contraria significatio. Cum Proculeius quæreretur de filio, quòd is mortem suam expectaret, & ille dixisset se uerò non expectare: Imò, inquit, rogo expectes. Non ex eodem, sed ex diuerso uicinum accipitur, cum supplicio afficiendum dicas, quem supplicatione dignum iudicaris. Aliter quoq; uoces aut eædem diuersa in significatione ponuntur, aut productione tantùm uel correptione mutata: quod etiam in iocis frigidum, equidē tradi inter præcepta miror: eorumq; exempla uitandi potius quàm imitandi gratia pono. Amari iucundum est, si curetur ne quid insit amari. Auium dulcedo ad auium ducit. & apud Ouidium ludentem,*

Ex similitudine, paribus & contrarijs figuræ.

Παρονομασία.

In Pisonē.

ἀντανάκλασις.

Rutilius.

In epigrā. Lib. 4.

Cur ego non dicam Furia te furiam? Cornificius hanc traductionem uocat, uidelicet alterius intellectus ad alterum. Sed elegantius, quod est positum in distinguendam rei proprietatem: Hanc Reipublicæ pestē paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Et quæ præpositionibus in contrarium mutantur, Non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse uideatur. Melius atq; acrius, quod cùm figura iucundum est, tum etiam sensu ualet, Emit morte immortalitatem. Illa leuior est, Non Pisonum, sed pistorum. &, Ex oratore arator. Pessimum uerò, Ne patres conscripti uideantur circunscripti. Raro euenit, sed uehementer uenit. Sic contingit ut aliquis sensus uehemens & acer uenustatem aliquam non eodem ex uerbo non dissonam accipiat. Et cur me prohibeat pudor uti domestico exemplo? Pater meus contra eum qui se legationi immoriturum dixerat, deinde uix paucis diebus insumptis re infecta redierat, Nō exigo ut immoriaris legationi, immorare. Nam & ualet sensus ipse, & in uerbis tantùm distantibus iucundè consonat uox, præsertim non captata, sed uelut oblata: cum altero suo sit usus, alterum ab aduersario acceperit. Magna ueteribus cura fuit, gratiam dicendi è paribus contrarijs acquirere. Gorgias in hoc immodicus, copiosus utique prima ætate Isocrates fuit. Delectatus est his etiam M. Tullius, uerùm & modū adhibuit non ingratæ (nisi copia redundet) uoluptati, & rem aliòqui leuem, sententiarum pondere impleuit. Nam per se frigida & inanis affectatio cum in acreis incidit sensus, innata uidetur esse, non accersita. Similium ferè quadruplex ratio est. Nam est primum, quoties uerbum uerbo simile, aut non dissimile ualde quæritur: ut,

In Catil. 1

Ibidem.

Philip. 3.

Pr Quintilian declamator.

Parium cōtrariorum gratia.

Similiū ratio quadruplex.

Aeneid. 11

-Puppesq; tuæ, pubesq; tuorum.

Pro Cluēt.

&, Si in hac calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima flamma. &, Non enim tam spes laudanda, quàm res est. Aut certè par est extremis syllabis consonans, Nō uerbis, sed armis. Et hoc quoq; quoties in sententias acres incidit, pulchrum est, Quantum possis, in eo semper experire ut prosis. Hoc est πάρισον, *ut plerisq; placuit. Cleostelens* πάρισον *existimat, quod fit è membris nō dissimilibus.*

πάρισον.

Secundum, ut clausula similiter cadat, uel ijsdem in ultimam partem collatis, ὁμοιοτέλευτον *similem duarum sententiarum uel plurium finem, Non modò ad salutem eius extinguendam, sed etiam gloriam per tales uiros infringendam. Ex quibus ferè sunt, nō tamen ut semper ultimis consonent, quæ* τρίκωλα *dicunt, Vicit pudorem libido, timorē audacia, rationem amentia. Sed in quaternas quoq; ac plures hæc ratio ire sententias potest. Fit etiam singulis uerbis, Hæc cubat, dolet, piget, pudet. &, Abijt, excessit, erupit, euasit. Tertium est quod in eosdē casus cadit,* ὁμοιόπτωτον *dicitur. Sed neq; quod finem habet similem est* ὁμοιόπτωτον, *utiq; in eundem finem uenit* ὁμοιοτέλευτον. *Est enim* ὁμοιόπτωτον *tantum casus similis, etiam si dissimilia sint quæ declinentur: nec tantum in fine deprehenditur, sed respondent uel prima inter se, uel medijs, uel extremis: uel etiam permutatis his, ut media primis, & summa medijs accommodentur, & quocunq; modo accommodari poterunt. Nec enim semper paribus syllabis constat: ut est apud Afrum, Amisso nuper infœlicis aulæ, si non præsidio inter pericula, tamen solatio uitæ inter aduersa. Ea uerò uidentur optima, in quibus initia sententiarum & fines consentiunt: ut hic, Præsidio, solatio. Et ut penè similia sint uerbis, & paribus cadant, & eodem desināt modo. Etiam ut sint, quod est quartum, membris æqualibus, quod* ἰσόκωλον *dicitur, Si quantum in agro locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atq; iudicijs impudentia ualeret,* ἰσόκωλον *est, &* ὁμοιόπτωτον *habet. Non minus nunc in caussa cederet Aulus Cecinna Sexti Ebutij impudentiæ, quàm tum in ui facienda cessit audacia,* ἰσόκωλον, ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον. *Accedit & ex illa figura gratia, qua nomina dixi mutatis casibus repeti. Non minus cederet, quàm cessit. Adhuc* ὁμοιοτέλευτον, *&* παρονομασία *est, Neminem posse alteri dare matrimonium, nisi quem penes sit patrimonium. Contrapositum autem, uel, ut quidam uocant, contentio (*ἀντίθετον *dicitur) non uno fit modo. Nam & fit si singula singulis opponuntur: ut in eo quod modò dixi, Vicit pudorem libido, timorem audacia. Et bina binis, Non nostri ingenij, uestri auxilij est. Et sententia sententijs. Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Cui commodissimè subiungitur & ea species quam distinctionem diximus, Odit populus Romanus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. Et quæ sunt simili casu, dissimili sententia in ultimo locata: ut, Quod in tempore mali fuit, nihil obsit: quin quod in caussa boni fuit, prosit. Nec semper contrapositum subiungitur, ut in hoc, Est enim hæc Iudices non scripta, sed nata*

ὁμοιοτέλευτον.

Pro Milo.

τρίκωλα.

Pro Cluē.

In Catil. 2

ὁμοιόπτωτον.

ἰσόκωλον.

Pro Cecin.

ἀντίθετον.

Pro Cluē.

Ibidem.

Pro Mure.

Pro Cluē.

Pro Milo.

nata lex. Verum, sicut Cicero dicit, quod de singulis rebus propositis refertur ad singula: ut in eo quod sequitur. Quã

De Orat. 3. & i Orato.

non didicimus, accepimus, legimus, uerùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus. Nec semper quòd aduersum est, contraponitur quale est apud Rutilium, Nobis primum dij immortales fruges dederunt: nos quæ soli accepimus, in omnes terras distribuimus. Nobis maiores nostri Rempub. reliquerunt: nos etiam socios nostros de seruitute eripuimus. Fit etiam assumpta illa figura, qua uerba declinata repetuntur, quod ἀντιμεταβολὴ dicitur, Non ut edam uiuo, sed ut uiuam edo. Et quod apud Ciceronem cõuersum ita est, ut cum mutationem casus habeat,

ἀντιμεταβολή.

etiam similiter desinat: Ut & sine inuidia culpa plectatur, & sine culpa inuidia ponatur. Quod & eodem cluditur uerbo: ut quod dicit de Sexto Roscio, Etenim cum artifex

Pro Cluẽ.

eiusmodi sit, ut solus dignus uideatur esse qui scenam introeat, tum uir eiusmodi sit, ut solus uideatur dignus qui eò non accedat. Est & in nominibus ex diuerso collocatis sua gratia. Si Consul Antonius, Brutus hostis: si

Philip. 4.

conseruator Reipublicæ Brutus, hostis Antonius.

Quædam uerborum & sententiarum figuræ.

Olim plura de figuris quàm necesse erat: & adhuc erit qui putet esse figuram, Incredibile est quod dico, sed uerum. ἀνθυποφορὰν uocant. &, Aliquis hoc semel tulit, ego bis, ego ter. Διέξοδον ἢ ἔφοδον, Longius euectus sum, sed redeo ad propositum. Quædam uerborum figuræ paulùm figuris sententiarum declinantur, ut dubitatio. Nam cum est in re, priori parti assignanda est: cum in uerbo, sequenti: Siue me malitiam, siue stultitiam dicere oportet: Item correctionis eadem ratio est. Nam quod illic dubitat, hic emendat. Etiam in personæ fictione accidere quidam idem putauerunt, ut in uerbis etiam esset hæc figura, Crudelitatis est mater auaritia. Et apud Sallustiũ in Ciceronem. O Romule Arpinas. quale est & apud Menandrum Oedipus Othryasius. Hæc omnia copiosius sunt executi, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed propriè libros huic operi dedicauerunt: sicut Cæcilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius, alijq; non pauci, sed

Dubitatio. Cornif. 4. Correctio. Prosopopœia.

Figuræ ab alijs traditę, sed non receptæ.

non minor erit eorum qui uiuunt, gloria. Ut fateor autem uerborum figuras posse plures reperiri à quibusdam, ita ijs quæ ab authoribus claris traduntur, meliores, non assentior: Nam in primis M. Tullius multas in tertio de Oratore libro posuit, quas in Oratore postea scripto transeundo uidetur ipse damnasse: quarum pars est quæ sententiarum potius quàm uerborum sit, ut imminutio, improuisa imago, sibi ipsi responsio, digressio, permissio, contrarium.

ἐναντιότης

hoc enim puto quod dicitur ἐναντιότης, sumpta ex aduerso probatio. Quædam omnino non sunt figuræ, sicut ordo, dinumeratio circunscriptio: siue hoc nomine significatur cõprehensa breuiter sententia, siue finitio. Nam & hæc Cornificius atq; Rutilius schemata λέξεως putant. Verborũ

Circunscriptio.

Hyperbaton. ἀλλοίωσις.

autem concinna transgressio, id est hyperbaton, quod Cæcilius quoq; putat schema, à nobis est interposita. Et mutatio: quæ si ea est, quam Rutilius ἀλλοίωσιν uocat, dissimilitudinem ostendit hominum, rerum, factorumq;: si latius fiat, figura non est: si angustius, in ἀντίθετον cadet. Si uero hæc appellatio significat ὑπαλλαγὴν, satis de ea dictũ est.

αἰτιολογία

Quod uero schema est, ad propositum subiecta ratio? Utrũ quod Rutilius αἰτιολογίαν uocat? nã de illo dubitari possit an schema sit, distributis subiecta ratio. Quod apud eundem primo loco positum est, προσαπόδοσις dicitur, quæ ut

προσαπόδοσις.

maximè seruetur, sanè est in pluribus propositis: quia aut singulis statim ratio subijcitur: ut est apud C. Antonium, Sed neq; accusatorem eum metuo, qui sum innocens: neq; competitorem uereor, qui sum Antonius: neq; Consulem spero, qui est Cicero, Aut positis duobus uel tribus, eodem ordine singulis continuò redditur: quale apud Brutum de Dictatura Cn. Pompeij, Præstat enim nemini imperare, quàm alicui seruire. sine illo enim uiuere honestè licet, cum hoc uiuendi nulla conditio est. Sed uni rei multiplex ratio subijcitur: ut apud Virgilium,

Georg. 2.

Siue inde occultas uires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt, siue illis omne per ignem Excoquitur uitium,-
Seu plures calor ille uias,- Seu durat magis.- & totus locus.

In Partit.

Relationem quid accipi uelit, non mihi liquet. Nam si ὑπαλλαγὴν, aut ἐπάνοδον aut ἀντιμεταβολὴν dicit, de omnibus locuti sumus. Sed quicquid id est, neq; hoc, neq; superiora in Oratore repetit. Sola est in eo libro posita pariter inter figuras uerborum, Exclamatio, quam sententiæ potius puto. affectus enim est. & cæteris omnibus consentio.

Exclamatio.

Adijcit his Cæcilius περίφρασιν, de qua dixi. Cornificius interrogationem, ratiocinationem, subiectionem, translationem, occultationem, præterea sententiam, membrum, articulum, interpretationem, conclusionem. quorum priora alterius generis sunt schemata, sequentia schemata omnino non sunt. Item Rutilius præter ea quæ apud alios quoq; sunt schemata, παρομολογίαν, ἀναγκαῖον, ἠθοποιΐαν, δικαιολογίαν, πρόληψιν, χαρακτηρισμὸν, βραχυλογίαν, παρασιώπησιν, παρρησίαν. de quibus idem dico. Nam eos quidem authores, qui nullum propè finem fecerunt exquirendis nominibus, prætereo: qui etiam quæ sunt argumentorum figuris adscripserunt. Ego illud de ijs etiam quæ uerè sunt, adijciam breuiter. sicut ornant orationem opportunè posita, ita ineptissimas esse cum immodicè petuntur.

Figuris utẽdi ratio.

Sunt qui neglecto rerum pondere, & uiribus sententiarũ, si uel inania uerba in hos modos deprauarint, summos se iudicent artifices, ideoque non desinunt eas nectere: quas sine sententia sectari tam est ridiculum, quàm quærere habitum gestumque sine corpore. Sed ne hæ quidem quæ rectè fiunt, densandæ sunt nimis. Nam & uultus mutatio, oculorumque coniectus, multum in actu ualet: sed siquis ducere os exquisitis modis, & frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur. Et oratio habeat rectam quandam uelut faciem: quæ ut stupere immobili rigore non debebit, ita sæpius in ea quam natura dedit specie continenda est. Sciendum uero in primis, quid quisque in orando postulet locus, quid persona, quid tempus. Maior enim pars harum figurarum posita est in delectatione. Ubi uero atrocitate, inuidia, miseratione pugnãdum est, quis ferat contrapositis, & pariter cadentibus, & consimilibus irascentem, flentem, rogantem? cum in his rebus cura uerborum deroget affectibus fidem, & ubicunq; ars ostentatur, ueritas abesse uideatur.

ARGVMENTVM.

De compositione locuturus, ueniæ præfatione utitur, quòd de ea re, quæ à Cicerone diligentissimè pertractata sit, scribere audeat, qui totus locus ad beneuolentiam pertinet. Deinde contra eos pugnat qui horrido illo & inculto, ut impetus fert, dicẽdi fluxu contenti, curam omnem bonæ compositionis contemnunt, quam multis egregiis similitudinibus ex communi rerum natura sumptis, item ueterum exemplo & authoritate abijciendam non esse, atq; ad delectandum & mouendum esse efficacissimam, alijs insuper argumentis probat, quæ pars ad reddendos attentos spectat. Ante omnia orationis diuisionem facit, in uinctam & solutam, & secundum has compositionis, quam præcipuè in oratione uinctę esse demonstrat, cuius tres species facit: Incisa, Membra, Circuitus. In iis tria esse necessaria docet: Ordinem

dinem, Iuncturam, Numerum. Ordinis obſeruationem in ſingulis eſſe, & contextis In quibus cauendum, ne decreſcat oratio, ut priora dignitate præcedant, ne ſuperuacua ſequantur, ut uerba ſenſum claudant, ut amphibolia abſit. Iuncturam in uerbis eſſe, inciſis, membris, & periodis. In uerbis cauendum, ne ex ultima & prima ſyllaba deforme aliquid conſurgat, ne concurrant uocales, ne conſonantes riæctur, ne ultimæ ſyllabæ uerbi prioris ſint primæ ſequẽtis: ne crebra monoſyllaba, breuiaq; uerba aut nomina, longáue contineãtur, ne uerba uerbis, aut nomina nominibus multa uel ſimiliter deſinentia aut cadentia, aut eodem modo declinata iungantur, ne quid, ne uitius quidẽ, nimis frequens ſit. Inciſum definit ſenſum eſſe non expleto numero concluſum. Membrum, ſenſum numeris concluſum, ſed à toto corpore abruptum, per ſe nihil efficientem. Periodi plurima nomina recenſet, & duo genera facit. Vnum longiore ambitu circunductum, alterum membris & inciſis plures ſenſus habentibus conſtans. Periodi membra, legem, modumq;, atque etiam membri rationem deſcribit, atq; in membris & inciſis uidẽdum monet ne prima & extrema male coeant, & quæ quibus anteponantur. Tertium eſt numerus: qui quo à metro differat, explicat fuſiſſime, eumq; in pedibus ſimplicibus uel compoſitis eſſe docet, pedumq; nomina, ſtructuramq; profert, omneſque in orationem uenire, ſed cum delectu, tradit. nam alios initijs, alios clauſulis, medijs alios aptiores eſſe, in quibus qui horũ rectè aut ſecus collocentur, definit, & exemplis ſubiectis demonſtrat, atq; in clauſulis plurimum referre, non ſolum quis claudat, uerumetiam quis antecedat. Præterea nimiam compoſitionis religionem, quæ dimetiendis pedibus ſyllabiſue perpendendis ueluti conſeneſcit, maximè uitandam cenſet, quæ à rerum grauium conſideratione nos abducat, & naturalem dicendi fluxum retardet. ſequendam ergo eſſe uim longa exercitatione comparatã, nec tam intuendos pedes, quàm uniuerſam comprehenſionem.

Proœmijs in cauſſis difficilibus, locis communibus, amplificationibus, & epilogis, periodos, pro rei ratione diuerſas, aptas eſſe docet In hiſtoria non eſſe numeros finitos, ſed fluxum quẽdam orationis rotundum, connexione perpetua ad finem uſq; decurrentem. Generi demonſtratiuo fuſiores & liberiores conuenire numeros, alijs generibus pro rei diuerſitate uarios. Narrationibus opus eſſe tardioribus & grauioribus, probationi acrioribus, epilogis lenioribus. Poſtremò, quæ ſit cuiuſq; orationis partis proprietas, quibus ut pronunciatio, ſic compoſitio a commodetur, cui longæ ſyllabæ pondus & authoritatem, breues celeritatem addant, quam, mixtæ longis, exultare & currere, longæ ad breues deſcendentes, breuiorem. breues ad longas aſcendentes, acriorem faciant, denique compoſitionis partes & propria breuiter repetit.

De compoſitione. Cap. IIII.



De compoſitione nõ equidem poſt Marcum Tullium ſcribere auderem (cui neſcio an ulla pars operis huius ſit magis elaborata) niſi & eiuſdem ætatis homines ſcriptis ad ipſum etiam literis reprehendere id collocandi genus auſi fuiſſent, & poſt eum plures multa ad eandem rem pertinentia memoriæ tradidiſſent. Itaque accedam in pleriſq; Ciceroni, atq; in ijs ero quæ indubitata ſunt, breuior: in quibuſdam paulum fortaſſe diſſentiã. Nam etiam cum iudicium meum oſtendero, ſuum tamen legentibus relinquam. Neq; ignoro quoſdam eſſe, qui curam omnem compoſitionis excludant, atq; illum horridum ſermonem, ut fortè effluxerit, modò magis naturalẽ, modò etiam magis utilem eſſe contendant. Qui ſi id demum naturale eſſe dicunt, quod à natura primùm ortum eſt, & quale ante cultum fuit, tota hæc ars orandi ſubuertetur. Neq; enim locuti ſunt ad hanc regulam & diligentiam primi homines, nec proœmijs præparare, docere expoſitione, argumentis probare, affectibus cõmouere ſcierunt. Ergo his omnibus, non ſola compoſitione caruerunt: quorum ſi fieri nihil melius licebat, ne domibus quidẽ caſas, aut ueſtibus pellium tegmina, aut urbibus montes ac ſyluas mutari oportuit. Quæ porro ars ſtatim fuit? quid non cultu niteſcit? cur uites coercemus manu? cur eas fodimus? rubos aruis excidimus? terra & hæc generat. manſuefacimus animalia? indomita naſcuntur. Verùm id eſt maximè naturale, quod fieri natura optimè patitur. Fortius uero qui incompoſitum poteſt eſſe, quàm uinctum, & bene collocatum? Neq; ſi parui pedes uim detrahunt rebus, ut Sotadeorum, & Galliamborum, & quorundam in oratione ſimili penè licentia laſciuientiũ, compoſitionis eſt iudicandum. Cæterum quãto uehemẽtior fluminum curſus eſt prono alueo, ac nullas moras obijciẽte, quàm inter obſtantia ſaxa fractis aquis ac reluctantibus, tanto quæ connexa eſt, & totis uiribus fluit, fragoſa atq; interrupta melior oratio. Cur ergo uires ipſas ſpecie ſolui putent, quãdo nec ulla res ſine arte ſatis ualeat, & comitetur ſemper artem decor? An non eã quæ emiſſa optimè eſt haſtã, ſpecioſiſſimè contortã ferri uidemus? & arcu dirigentium tela, quo certior manus, hoc eſt habitus ipſe formoſior? Iam in certamine armorũ, atq; in omni palæſtra quid ſatis rectè cauetur ac petitur, cui non artifex motus, et certi quidam pedes adſint? Quare mihi cõpoſitione uelut amentis quibuſdã neruiſue intendi & cõcitari ſentẽtiæ uidentur. Ideo eruditiſſimo cuiq; perſuaſum eſt, ualere eã quamplurimũ, non ad delectationẽ modò, ſed ad motum quoq; animorum: Primùm, quia nihil intrare poteſt in affectũ, quod in aure uelut quodã ueſtibulo ſtatim offendit. Deinde quòd natura ducimur ad modos. Neq; enim aliter eueniret, ut illi quoque organorũ ſoni, quanquã uerba non exprimunt, in alios tamen atq; alios motus ducerẽt auditorem. In certaminibus ſacris non eadem ratione concitant animos ac remittunt, nec eoſdẽ modos adhibent cũ bellicum eſt canendum, & cum poſito genu ſupplicandum: nec idẽ ſignorum concentus eſt procedente ad prælium exercitu, idẽ receptui carmen, Pythagoreis certè moris fuit, & cũ euigilaſſent, animos ad lyram excitare, quò eſſent ad agendum erectiores: & cum ſomnum peterent, ad eandẽ prius lenire mẽtes, ut ſiquid fuiſſet turbidiorũ cogitationum, cõponerent. Quòd ſi numeris & modis ineſt quædã tacita uis, in oratione eſt uehementiſſima: quãtumq; intereſt, ſenſus idẽ quibus uerbis efferatur, tantũ uerba eadẽ qua cõpoſitione uel in exitu iungantur, uel fine claudantur. Nã quædam & ſententijs parua, & elocutione modica, uirtus hæc ſola cõmendat. Deniq; quod cuiq; uiſum erit uehemẽter, dulciter, ſpecioſè dictum, ſoluat & turbet: abierit omnis uis, iucunditas, decor. Soluit quædam ſua in Oratore Cicero: Nam neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Aphricanos & Lælios multi uenalitij mercatoreſq; ſuperarunt: Immuta paululum, ut ſit, Multi ſuperarunt mercatores, uenalitijque, & ſequentes deinceps periodos: quas ſi ad illum modum perturbes, uelut fracta aut trãſuerſa tela proieceris. Idem corrigit quæ à Graccho compoſita durius putat. Illum decet, nos hac ſimus probatione contenti, quòd in ſcribendo quæ ſe nobis ſolutiora obtulerint, cõponemus. Quid enim attinet eorum exempla quærere, quæ ſibi quiſq; experiri poteſt? Illud notaſſe ſatis habeo, quo pulchriora & ſenſu & elocutione diſſolueris hoc orationem magis deformem fore, quia negligentia collocationis ipſa uerborum luce deprehenditur. Itaq; ut confiteor penè ultimam oratoribus artẽ cõpoſitionis, quæ perfecta ſit, contigiſſe: ita illis priſcis habitam inter curas, in quantũ adhuc profecerant, puto. Neque mihi quamlibet magnus author Cicero perſuaſerit, Lyſiam, Herodotum, Thucydidem, parum ſtudioſos eius fuiſſe. Genus fortaſſe ſint ſecuti non idem quod Demoſthenes, aut Plato, quanquam & ij ipſi inter ſe diſſimiles fuerunt. Nam neq; illud in Lyſia dicendi textũ tenue atque rarum lætioribus numeris corrumpendũ erat. Per-

An ſit minus naturalis compoſita oratio, quàm incõpoſita, contra eos qui compoſitionis curam negligendã cenſebant.

Quid maximè naturale.

Compoſitio nõ delectat ſolũ, ſed etiam affect[9] mouet.

Pythagoreorũ mos.

In Orato. ex Corneliana.

Veteribus nõ defuiſſe compoſitionem.

In Orato.

didisset enim gratiam, quæ in eo maxima est, simplicis atque inaffectati coloris: perdidisset fidem quoq;. Nam scribebat alijs, non ipse dicebat: ut oportuerit esse illa rudibus & incompositis similia: quod ipsum cõpositio est. Et historia (quæ currere debet ac ferri) minus cõuenissent intersistentes clausulæ, & debita actionibus respiratio, et cludẽdi inchoandiq; sentẽtias ratio. In cõcionibus quidem etiam similiter cadentia quædam, & contraposita deprehẽdas: in Herodoto uero cum omnia (ut ego quidem sentio) leniter fluant, tum ipsa διάλεκτος habet eam iucunditatẽ, ut latentes etiam numeros complexa uideatur. Sed de propositorum diuersitate post paulum. Nunc quæ prius ijs qui rectè componere uolent, discenda sint.

Orationis diuisio in uinctam & solutã, & secundum has compositionis.

Est igitur ante omnia oratio alia uincta, atq; contexta: soluta alia, qualis in sermone & epistolis: nisi cum aliquid supra naturam suam tractant, ut de Philosophia, de Republica, similibusque. Quod non eo dico, quia non illud quoq; solutũ habeat suos quosdam, & forsitan difficiliores etiam pedes: neque enim aut hiare semper uocalibus, aut destitui temporibus uolunt sermo & epistola: sed non fluunt, nec cohærent, nec uerba de uerbis trahunt: ut potius laxiora in his uincula, quàm nulla sint. Nonnunquam in caussis quoq; minoribus decet eadem simplicitas, quæ non illis, sed alijs utitur numeris, dissimulatq; eos, & tantùm communit occultius.

Vincta q-bus partibus cõstet.

At illa cõnexa series tres habet formas: Incisa, quæ κόμματα dicuntur: Membra, quæ κῶλα, & περίοδον, quæ est uel ambitus, uel circunductum, uel continuatio, uel conclusio.

Ordo compositionis.

In omni porro compositione tria sunt necessaria, ordo, iunctura, numerus. Primùm igitur de ordine. Eius obseruatio in uerbis est singulis, & cõtextis.

In singulis

Singula sunt quæ diximus ἀσύνδετα. In his cauendum est ne decrescat oratio, & fortiori subiungatur aliquid infirmius, ut sacrilego fur, aut latroni petulans. Augeri enim debent sententiæ, & insurgere: ut optimè Cicero, Tu, inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate.

Philip. 2.

Aliud enim maius alio superuenit. At si cœpisset à toto corpore, non bene ad latera faucesq; descenderet. Est & alius naturalis ordo, ut uiros ac fœminas, diem ac noctem, ortum & occasum dicas potius quàm retrorsum.

Cicero p Cluent. C. & L. fratres gemini fuerunt.

Quædam ordine permutato fiunt superuacua, ut Fratres gemini. Nam si præcesserint gemini, fratres addere nõ est necesse. Illa nimia quorundam fuit obseruatio, ut uocabula uerbis, uerba rursus aduerbijs, nomina appositis, & pronominibus rursus essent priora. Nam fit contrà quoque frequenter non indecorè. Necnon & illud nimiæ est superstitionis, ut quæq; sunt tempore, ea facere etiam ordine priora: non quin frequenter sit hoc melius, sed quia interdum plus ualent antè gesta, ideoq; leuioribus superponẽda sunt.

Verbo claudenda oratio.

Verbo sensum cludere, multo, si cõpositio patiatur, optimum est. In uerbis enim sermonis uis inest. At si id asperum erit, cedat hæc ratio numeris, ut fit apud summos græcos latinosq; oratores frequentissimè. Sine dubio enim omne quod non cludet, hyperbaton est. Ipsum hoc inter tropos uel figuras quæ sunt uirtutis, receptum est. Non enim ad pedes uerba dimensa sunt: ideoq; ex loco transferuntur in locum, ut iungantur quo congruunt maximè: sicut in structura saxorum rudium, etiam ipsa enormitas inuenit cui applicari, & in quo possis insistere. Fœlicissimus tamen sermo est, cui & rectus ordo, & apta iunctura, & cũ his numerus opportunè cadens contingit. Quædam uero transgressiones & longæ sunt nimis, ut in superioribus diximus libris: & interim etiam compositione uitiosæ, quæ in hoc ipsum petuntur, ut exultent atq; lasciuiant: quales illa Mecœnatis, Sole & aurora rubent Plurima. Inter sacra mouit aqua fraxinos. Ne exequias quidem unus inter miserrimos uiderem meas.

Lasciua quorũdam cõpositio & uitiosa.

Quod inter hæc pessimum est, quia in re tristi ludit compositio. Sæpe tamen est uehemens aliquis sensus in uerbo: quod si in media parte sententiæ latet, transire intentione, & obscurari circumiacentibus solet: in clausula positum, assignatur auditori, et infigitur: quale est illud Ciceronis, Vt tibi necesse esset in conspectu populi Romani uomere postridie.

Philip. 2.

Transfer hoc ultimum, minus ualebit. Nam totius ductus hic est quasi mucro, ut per se fœdæ uomendi necessitati, iam nihil ultra expectantibus, hanc quoque adijceret deformitatem, ut cibus teneri non posset postridie. Solebat Afer Domitius traijcere in clausulas uerba tantum asperandæ compositionis gratia, & maximè in proœmijs, ut pro Cloantilla, Gratias agam continuo. Et pro Lęlia, Eis utrisque apud te iudicem periclitatur Lælia. Adeo refugit teneram delicatamq; modulandi uoluptatem, ut currentibus per se numeris, quo eos inhiberet obijceret.

Amphibolia uerborũ locatione uitiosa fit.

Amphiboliam quoq; fieri uitiosa locatione uerborum, nemo est qui nesciat. Hæc arbitror, ut in breui, de ordine fuisse dicenda: qui si uitiosus est, licet & uincta sit, & aptè cadens oratio, tamen meritò incomposita dicatur.

Iunctura cõpositionis.

Iunctura sequitur. Ea est in uerbis, incisis, membris, periodis. Omnia nanq; ista & uirtutes & uitia in complexu habent. Atq; ut ordinẹ sequar, Primum quæ imperitis quoq; ad reprehensionem notabilia uidentur, id est, quæ commissis inter se uerbis duobus, ex ultima prioris, ac prima sequentis syllaba, deforme aliquod nomẽ efficiunt.

Vocalium concursus.

Tum uocalium cõcursus, qui cum accidit, hiat & intersistit & quasi laborat oratio. Pessimè longæ quæ easdem inter se literas committunt, sonabunt. Præcipuus tamen erit hiatus earum quæ cauo aut patulo maximè ore efferuntur. E plenior litera est, I angustior, ideoq; obscurius in his uitium. Minus peccabit qui longis breues subijciet, & adhuc qui præponet longæ breuem. Minima est in duabus breuibus offensio. Atq; cum aliæ subiunguntur alịjs, perinde asperiores erunt, prout oris hiatu simili aut diuerso pronunciabuntur. Non tamen id ut crimen ingens expauescendum est, ac nescio negligentia in hoc, an solicitudo sit peior.

Solicitudo nimia in numeris uitiosa.

Inhibeat enim necesse est hic metus impetum dicendi, & à potioribus auertat. Quare ut negligentiæ pars est hoc pati, ita humilitatis ubiq; perhorrescere: nimiosque non immerito in hac cura putant omnes Isocratem secutos, præcipueq; Theopompum. At Demosthenes & Cicero modicè respexerunt ad hanc partem. Nam & coeuntes literæ, quæ συναλοιφὴ dicitur, etiã leniorem faciunt orationem, quàm si omnia uerba suo fine cludantur: & nonnunquam hiulca etiam decent, faciũtque ampliora quædam: ut, Pulchra oratione acta omnino iactare. tum longæ per se, & uelut optimæ syllabæ aliquid etiam medij temporis inter uocales, quasi intersistant, assumunt.

In Orato.

Qua de re utar Ciceronis potissimum uerbis: Habet, inquit, ille tanquam hiatus & concursus uocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quàm de uerbis laborantis.

Hiatus.

Cæterùm consonantes quoq;, eæq; præcipuè quæ sunt asperiores, in commissura uerborum rixantur, & S ultima cũ X proxima, quarum tristior, etiam si binæ collidãtur, stridor est, ut, ars studiorum.

Consonantium commissura.

Quæ fuit caussa & Seruio (ut dixi) subtrahendæ S literę, quoties ultima esset, aliaq́ consonante susciperetur. quod reprehẽdit Lauranius, Messala defendit. Nam neq; Lucilium putant uti eadem ultima cum dicit, Serenu' fuit, & dignu' loco. Quinetiam Cicero in Oratore plures antiquorũ tradit sic locutos: inde belligerare, pomeridiem, & illa Censorij Catonis, Die' hanc, æque M.

litera in E mollita. quæ in ueteribus libris reperta mutare imperiti solent: & dum librariorum inscitiam insectari uolunt, suam confitentur. Atqui eadem illa litera quoties ultima est, & uocalē uerbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiā si scribitur, tamen parū exprimitur: ut,

Multum ille. & , Quantum erat. adeo ut pene cuiusdam nouæ literæ sonum reddat. Neque enim eximitur, sed obscuratur, & tantum aliqua inter duas uocales uelut nota est, ne ipsæ coeant. Videndum etiam, ne syllaba uerbi prioris ultimæ, sit prima sequentis. Id ne quis præcipi miretur, Ciceroni in epistolis excidit, Res mihi inuisæ uisæ sunt Brute. Et in carmine,

Syllabarū contextus.

O fortunatam natam me Consule Romam.

Monosyllaba continuata uitiosa.

Etiam monosyllaba si plura sunt, male continuabuntur: quia necesse est compositio multis clausulis concisa subsultet. Ideoq; etiam breuium uerborum ac nominum uitanda continuatio, & ex diuerso quoq; longorum afferunt enim quandam dicendi tarditatem. Illa quoq; uitia sunt eiusdē loci, si cadentia similiter, & similiter desinentia, & eodem modo declinata, multa iungantur. Nec uerba quidem uerbis, aut nomina nominibus, similiaq; his continuari decet: cum uirtutes etiam ipsæ tædium pariant, nisi gratia uarietatis adiutæ. Membrorum, incisorumq; iunctura nō eo modo est obseruanda, quo uerborum: quanquam & in his extrema & prima coeunt. Sed plurimum refert cōpositionis, quæ quibus anteponas. Nam & uomēs frustis esculentis, uinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal impleuit. Et contrà (nam frequentius utar iisdem diuersarum quoq; rerum exemplis, quò sint magis familiaria) Saxa atq; solitudines uoci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atq; cōsistunt. Magis id insurgebat, si uerteretur. Nam etsi plus est saxa quàm bestias commoueri, inest tamen compositioni decor. Sed transeamus ad numeros.

Membrorum incisorumque obseruatio Philip. 2.

Pro Archia.

Omnis structura ac dimensio & copulatio uocum cōstat aut numeris (numeros ῥυθμοὺς accipi uolo) aut μέτροις, id est dimensione quadam. Quod etiā si constat utrunque pedibus, habet tamen nō simplicem differentiam. Nā rhythmi, id est numeri spatio temporum constant: metra etiam ordine: ideoq; alterum esse quantitatis uidetur, alterum qualitatis. ῥυθμὸς aut par est, ut Dactylus. unā enim syllabam parem breuibus habet. Est quidem uis eadem, & aliis pedibus sed nomen illud tenet. Longam esse duorum temporum, breuem unius, etiam pueri sciunt. Aut sescuplex, ut Pæon: cuius uis est ex longa & tribus breuibus: quiq; ei contrarius, ex tribus breuibus & longa, uel alio quoquo modo tempora tria ad duo relata sescuplū faciunt. Aut duplex, ut Iambus: nam est ex breui & longa: quiq; est ei contrarius. Sunt hi & metrici pedes: sed hoc interest, quòd rhythmo indifferens est, Dactylúsne ille priores habeat breues, an sequentes. Tempus enim* solum metitur, ut à sublatione ad positionem iisdem sit spatiis pedum. In uersu pro Dactylo poni non poterit Anapæstus aut Spondeus: nec Pæon eadem ratione à breuibus incipiet ac desinet. Neq; solum alium pro alio pedem metrorum ratio nō recipit, sed ne Dactylum quidem aut forte Spondeum alterum pro altero. Itaque si quinque continuos Dactylos, ut sunt in illo,

De numeris, & quo inter se numerus & metrū differant.

Rhythm⁹.

*Sonum.

Panditur interea domus omnipotentis olympi,

Aeneid. 10

confundas, solueris uersum. Sunt & illa discrimina, quòd rhythmis libera spatia, metris finita sunt: & his certæ clausulæ, illi quo modo cœperant currunt usq; ad μετάβολὴν, id est transitum in aliud genus rhythmi. Et quòd metrum in uerbis modò, rhythmus etiam in corporis motu est. Inania quoq; tempora rhythmi facilius accipient, quam quam hæc & in metris accidunt. maior tamen illic licentia est, ubi tempora etiam animo metiantur, & pedum & digitorum ictu interualla signant quibusdam notis, atque æstimant quot breues illud spatium habeat. inde τετράσημον, πεντάσημον. Deinceps longiores fiunt percussiones. Nam σημεῖον tempus est unum. In compositione orationis certior, & magis omnibus aperta seruari debet dimensio. Est igitur in pedibus. Et metrici quidem pedes adeo reperiuntur in oratione, ut in ea frequenter non sentientibus nobis omnium generum excidant uersus. Et cōtra nihil est prosa scriptum, quod non redigi possit in quædam uersiculorum genera. Sed in adeò molestos incidimus Grammaticos, quàm fuerunt qui Lyricorum quædam carmina in uarias mensuras coegerunt. At Cicero frequentissimè dicit totum hoc constare numeris, ideoq; reprehenditur à quibusdam, tanquam orationem ad rhythmos alliget. Nam sunt numeri rhythmi, ut & ipse constituit, & secuti eum, Virgilius cum dicit,

Numeros memini, si uerba tenerem: & Horatius,

Aeglo. 10.

Numerisq; fertur Lege solutis.

Carm. 4.

Inuadunt ergo hanc inter cæteras uocem. Neque enim Demosthenes fulmina tātopere uibrasse diceretur, nisi numeris cōtorta ferrentur. In quo si hoc sentimus, rhythmis contorta, dissentio. Nam rhythmi, ut dixi, neq; finem habent certum, nec ullam in contexta uarietatē, sed qua cœperunt sublatione ac positione ad finem usq; decurrūt: oratio non descendit ad strepitum digitorum. Id quod Cicero optimè uidet, ac testatur frequēter, se quod numerosum sit quærere: ut magis non ἄρυθμον, quod esset inscitum atque agreste, quàm εὔρυθμον, quod poeticum est, esse compositionem uelit: sicut etiam quos palæstritas esse nolumus, peritos tamen palæstræ esse uolumus, non ἀπαλαίστρους.

Demosthenis fulmina.

Verùm ea quæ efficitur ex pedibus æqua conclusio, nomen aliquod desiderat. Quid sit igitur potius quàm numerus, & Oratorius numerus, ut enthymema Rhetoricus syllogismus? Ego certè ne in calumniam cadam, qua ne M. quidem Tullius caruit, posco hoc mihi, ut cum pro composito dixero numerum, & ubicunq; iam dixi, Oratorium dicere intelligar. Collocatio autem uerba iam probata, & electa, & uelut assignata sibi debet connectere: nam uel dura inter se commissa potiora sunt inutilibus. Tamen & eligere quædam, dum ex iis quæ idem significent, atq; idē ualeant, permiserim: & adiicere, dum non ociosa: & detrahere, dum non necessaria: sed & figuris mutare & casus & numeros, quorum uarietas frequenter gratia compositionis adscita, etiam sine numero solet esse iucunda: etiam ubi aliud ratio, aliud consuetudo poscit, utrum uolet sumat compositio, Vitauisse uel uitasse: Deprehendere uel deprendere. Coitus etiam syllabarum non negabo, & quicquid sententiis aut eloquentiæ non nocebit. Præcipuum tamen in hoc opus est, scire quod quoq; loco uerbū maximè quadret. Atq; is optimè cōponet, qui hoc solum componendi gratia faciet. Ratio uerò pedum in oratione est multo quàm in uersu difficilior: primùm, quòd uersus paucis continetur, oratio longiores habet sæpe circuitus: deinde, quòd uersus semper similis sibi est, & una ratione decurrit: orationis cōpositio nisi uaria est, & offendit similitudine, & affectatione deprehenditur: & in omni quidem corpore, totoque (ut ita dixerim) tractu, numeris inserta est. Neq; enim loqui possumus nisi è syllabis breuibus ac lōgis, ex quibus pedes fiunt. Magis tamen & desideratur in clausulis, & apparet: primùm, quia sensus omnis habet suum finem, possidetq; naturale interuallū, quo à sequētis initio diuidatur: deinde, quòd aures continuā uocē secutæ, ductaq; uelut

Aequa ex pedibus cōclusio, numerus dicitur, & numeri nomine oratorium intelligimus.

Pedum ratio in oratione difficilior, quā in uersu.

Numerus in fine dominatur.

prono decurrentis orationis flumine, tum magis indicant, cum ille impetus stetit, & intuendi tempus dedit. Non igitur durum sit, neq; abruptum, quo animi uelut respirant ac reficiuntur. Hæc est sedes orationis, hoc auditor expectat, hic laus omnis declamat. Proximam clausulis diligentiam postulant initia, nam & ad hæc intentus auditor est.

Numerus in initiis.

Sed eorum facilior ratio est. Non enim cohærent alijs, nec præcedentibus seruiunt: sed nouum exordium sumũt, cum illa, quãlibet sit composita, ipsam gratiã perdat, si ad eam rupta uia uenimus. Nanq; cum sit, ut uidetur, seuera Demosthenis compositio, πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. & illa quæ ab uno (quod sciam) Bruto minus probatur, cæteris placet, κἂν μήπω βάλλῃ, μηδὲ τοξεύῃ, non desunt qui Ciceronem carpant in his, Familiaris cœperat esse balneatori. &, Non minus dura archipiratæ. nã Balneatori & Archipiratæ idem finis est, qui πᾶσι καὶ πάσαις, & quis μηδὲ τοξεύῃ, sed propria sunt, ideo seueriora. Est in eo quoq; nõnihil, quòd hic singulis uerbis bini pedes continẽtur, quod etiam in carminibus est permolle, nec solũ ubi quinæ syllabæ nectũtur, ut in his, Fortissima Tyndaridarum: sed etiã ubi quaternæ, cũ uersus cluditur Apẽnino, & Armamentis, et Oriona. Quare hoc quoq; uitandũ est, ne pluriũ syllabarũ uerbis utamur in fine. Medijs quoq; nõ ea modò cura sit, ut inter se cohæreant, sed ne pigra, ne longa sint, ne, quod nunc maximũ uitium est, breuiũ contextu resulteant, ac sonum reddãs penè puerilium crepitaculorum. Nam ut initia clausulæq; plurimum momenti habent quoties incipit sensus aut desinit: sic in medijs quoq; sunt quidã conatus qui leuiter insistunt: ut currentiũ pes etiam si non moratur, tamen uestigium facit. Itaq; non modo mẽbra atq; incisa bene incipere atq; eludi decet, sed etiã in ijs quæ non dubiè contexta sunt, nec respiratione utuntur illi * uel occulti gradus. quis enim dubitet unũ sensum & unius spiritus esse, Animaduerti iudices omnem accusatoris orationẽ in duas diuisam esse partes? Tamen & duo prima uerba, & tria proxima, & deinceps duo rursus ac tria, suos quasi numeros habent spiritũ sustinentes: sicut apud rhythmicos æstimantur hæ particulæ prout sunt graues, acres, lentæ, celeres, remissæ, exultãtes. Proinde id quod ex illis cõficitur, aut seuerum, aut luxuriosum, aut quadratũ, aut solutum erit. Quædam etiã clausulæ sunt claudæ atq; pendentes, si relinquantur: sed sequẽtibus suscipi ac sustineri solent, eoq; facto, uitium quod erat in fine, cõtinuatio emendat. Non uult P. R. obsoletis criminibus accusari Verrẽ durum, si desinas: sed cum est continuatũ ijs quæ sequuntur, quanquã natura ipsa diuisa sint, Noua postulat, inaudita desiderat: saluus est cursus. Vt adeas, tantũ dabis: male eluderet nã et trimetri uersus pars ultima est. excipit, Vt cibum uestitumq; introferre liceat, tãtum: præceps adhuc. firmatur ac sustinetur ultima, Recusabat nemo. Versum in oratione fieri, multo fœdissimum est totũ: sicut etiã in parte, deforme utiq; si pars posterior in clausula deprehendatur, aut rursus prior in ingressu. Nã quod est contra, sæpe etiã decet, quia & eludit interim optimè prima pars uersus, dũ intra paucas syllabas. præcipuè senarij atq; octonarij. In Aphrica fuisse, initium senarij est, primum pro Quin. Ligario caput: cludit, Esse uideatur. Nã nimis frequens, octonarium inchoat. Talia sunt Demosthenis, πᾶσι καὶ πάσαις, καὶ πᾶσιν ὑμῖν ὅσην εὔνοιαν. & totũ penè principium. Et ultima uersuũ initio cõueniunt orationis: Etsi uereor, iudices. &, Animaduerti iudices. Sed initia initijs non conueniunt. T. Liuius hexametri exordio cœpit, Facturusne operæpretiũ sim. Nã ita edidit, estq; melius quàm quo modo emẽdatur.

Pro Ctesi.
Philip. 3.
Pro Cælio.
Hor. Ser. 2 Saty. 1.
Pers. saty. 1
Lucanus in 9.
Aeneid. 1
Media qd artus postulent.
** spiritum sustinemus quis.*
Pro Cluẽ.
De clausulis & initiis quædã mixtim.
Act. 7.
In eadem.
Ibidem.
Versus absit ab oratione.
Pro lege Manilia.
Pro Ctesi.
Pro Milo.
Pro Cluẽ.
Tit. Liuius

Nec clausulæ clausulis: ut Cicero, Quo me uertã nescio. qui trimetri finis est. Trimetrum &, Pro misero dicere liceat. Sex enim pedes, tres percussiones habent. Peius claudit finis hexametri: ut Brutus in epistolis, Neq; enim illi malunt habere tutores aut defensores, quanquã sciunt placuisse Catoni. Illic minus sunt notabiles, quia hoc genus sermoni proximũ est. Itaq; & uersus hi ferè excidunt, quos Brutus ipso cõponendi ductus studio sæpissimè facit, nõ raro Asinius: sed etiã Cicero nonnunquã, ut in principio statim orationis in Lucium Pisonem, Prò di immortales, quis hic illuxit dies? Non minore autẽ cura uitandum est quicquid ῥυθμὸν, quale est apud Sallustium, Falsò queritur de natura sua. Quanuis enim uincta sit, tamẽ soluta uideri debet oratio. Atqui Plato diligentissimus cõpositionis, in Timæo prima statim parte uitare ista non potuit. Nam & initium hexametri statim inuenias, & Anacreontion protinus colon efficias, & si uelis trimetron, & quod duobus pedibus & parte πενθημιμερὲς à græcis dicitur: & hæc omnia in tribus uerbis, ut Thucydidis, ἐν ᾧ ὑμᾶς ἀνέρος φαίνουσιν, ex mollissimo rhythmorum genere excidãt.

Pro Liga.
In Iugu.

Sed quia orationem iam cõstare pedibus dixi, aliqua de ijs quoq; : quorum nomina quoniã uaria esse traduntur, cõstituendum est quo quenq; appellemus. Et quidem Ciceronem sequar: nam is eminentissimos græcorum est secutus, excepto quòd pedes mihi trisyllabos non uidetur excedere, quanquam ille Pæone Dochmioque, quorum prior in quatuor secundus in quinq; excurrit, utatur. Nec tamen ipse dissimulat quibusdã numeros uideri, non pedes. nec immeritò. Quicquid enim supra treis syllabas habet, id ex pluribus est pedibus. Ergo cum constent quatuor pedes binis, octo ternis: Spondeum longis duabus, Pyrrhichium, quem alij Pariambum uocãt, breuibus: Iambum breui longaq;: huic contrarium è longa & breui, hunc Choreum nos, ut alij Trochæum, nominemus. Ex ijs uerò qui ternas syllabas habent, Dactylum longa duabusq; breuibus: huic tẽporibus parẽ, sed retroactum, appellari cõstat Anapæston. Media inter longas breuis faciet Amphimacrum: sed frequentius eius nomen est Creticus. Longa inter breues, Amphibrachys: duabus longis breuẽ sequentibus, Bacchius: totidem longis breuẽ præcedentibus, huic contrarius Palimbacchius erit. Tres breues Trochæum, quem Tribrachyn dici uolunt, qui Choreo Trochæi nomen imponunt: totidem longæ Molosson efficiunt. Horum pedum nullus non in orationem uenit: sed quo quiq; sunt temporibus pleniores, longisq; syllabis magis stabiles, hoc grauiorẽ faciunt orationem, breues celerem ac mobilẽ. Vtrunq; locis utile. Nã & illud ubi opus est uelocitate, tardum & segne: & hoc ubi pondus exigitur, præceps ac resultans, meritò dãnetur. Sit in hoc quoque aliquid fortasse momenti, quòd & longis longiores, & breuibus sunt breuiores syllabæ, ut quanuis neque plus duobus temporibus, neq; uno minus habere uideantur (ideoq; in metris omnes breues longæq; inter se obsessæ sunt pares) lateat tamen nescio quid, si quicquam supersit, aut desit. Nã uersuum propria conditio est, ideoque in his quædam etiam communes. Veritas uerò quia patitur æque breuem esse uel longam uocalem cum est sola, quàm cum eam consonantes una pluresúe præcedunt, certè in dimensione pedum, syllaba quæ est breuis, insequente alia uel breui, quæ tamen duas primas consonantes habeat, fit longa: ut,

De pedib' & eorum structura locationeque.
Pedum nomina.
Pedes oẽs in orationẽ ueniũt, sed cũ delectu.
Cice. & Terentianus.

Agrestem tenui musam meditaris auena.

Aeglo. 1.

nam licet gre breuis. facit tamen longam A priorem. Dat igitur illi aliquid ex suo tẽpore: quo modo, nisi habeat plus quàm quæ breuissima, qualis ipsa esset detractis consonantibus?

tibus? nunc unum tempus accommodat priori, & unũ accipit à sequente. ita duæ natura breues, positione sunt tem porum quatuor. Miror autem in hac opinione doctissimos homines fuisse, ut alios pedes ita eligerent, alios damnarẽt, quasi ullus esset quem non sit necesse in oratione deprehendi. Licet enim Pæonem sequatur Ephorus, inuẽtum à Thrasymacho, probatum ab Aristotele, Dactylumq;, ut tempe ratiores breuibus ac longis: fugiat Spondeum et Trochæũ, alterius tarditate, alterius celeritate dãnata: & Herous, qui est idem Dactylus, Aristoteli amplior, Iambus humanior uideatur: Trochæum ut nimis currẽtem damnet, eiq; *Cordacis nomen imponat, eademq; dicant Theodectes ac Theophrastus, similia post eos Halicarnasseus Dionysius: irrũpent etiã ad uicinos, nec semper illis Heroo, aut Pæone suo, quem quia uersus rarò facit, maximè laudant, uti licebit: ut sint tamen alijs alij crebriores, non uerba faciẽt, quæ neq; augeri, neq; minui, neq; sicut modulatione produci aut corripi possint, sed transmutatio & collocatio. Plerisq; enim ex commissuris eorum uel diuisione fiunt pedes: quo fit ut ijsdem uerbis alij atq; alij uersus fiant: ut memini quendam non ignobilem poetam ita lusisse,

Astra tenet cælum, mare classes, area messem.

Hic retrorsum fit Sotadeus. Itemq; Sotadeo adiungat retro trimetros,

Caput exeruit mobile pinus repetita. Miscendi ergo sunt, curandumq; ut sint plures qui placeant, & circunfusi bonis deteriores lateant. Nec uerò in literis syllabisq; natura mutatur, sed refert quæ cum qua optimè coeat. Plurimum igitur authoritatis, ut dixi, & ponderis habent longæ, celeritatis breues: quæ si miscentur quibusdã longis, currunt: si continuantur, exultant. Acres, quæ ex breuibus ad longas insurgunt: leniores, quæ à longis in breues descendunt. Optimè incipitur à longis, rectè aliquando à breuibus: ut, Nouum crimen C. Cæsar. Lenius, ut, Animaduerti iudices. Quod initium partitioni simile est, quæ celeritate gaudet. Clausula quoq; è longis firmissima est: sed cludent & breues, quãuis habeatur indifferens ultima. Neq; enim ego ignoro, in fine pro longa accipi breuem, quòd uidetur aliquid uacanti tempori, ex eo quod insequitur, accedere: aures tamẽ consules meas, intelligo multum referre, utrumne longa sit quæ cludit, an pro longa. Neq; enim tã plenum est, Dicere incipientẽ timere: quàm illud, Ausus est cõfiteri. Atqui si nihil refert, breuis an longa sit ultima, idẽ pes erit: uerum, nescio quomodo, sedebit hoc, illud subsistet. Quo moti quidã, longæ ultimæ tria tẽpora dederunt, ut illud tẽpus quod breuis ex lõga accipit, huic quoq; accederet. Nec solùm refert quis claudat, sed quis antecedat. Retrorsum autẽ neq; plus tribus, (nq; si non ternas syllabas habebunt, repetendi sunt absit tamen poetica obseruatio) neq; minus duobus: alioqui pes erit, non numerus. Potest tamẽ uel unus esse Dichoreus, si unus est qui constat ex duobus Choreis. Itemq; Pæon, qui est ex Choreo & Pyrrhichio, quem aptum initijs putant: uel contrà qui est è tribus breuibus & longa, cui clausulam assignant: de quibus ferè duobus scriptores huius artis loquũtur: alios omnes, quotcunq; sint temporũ quæ ad orationẽ pertineant Pæonas appellãt. Est & Dochimus, qui fit ex Bacchio & Iambo, uel Iambo & Cretico, stabilis in clausulis, & seuerus. Spondeus quoq; quo plurimũ est Demosthenes usus, moram semper per se habet: optimè præcedet eum Creticus: ut in hoc, De quo ego nihil dicã nisi depellendi criminis causa. Illud est quod supra dixi, multũ referre, unone uerbo pedes fiant duo cõprehensi, an uterq; liber. Sic enim fit forte, Criminis causa: molle, Arbitrarætæ: mollius si Tribrachys præcedat, facilitates, temeritates. Est enim quoddã in ipsa diuisione uerborũ latens tempus, ut in Pentametri medio Spondeo: qui nisi alterius uerbi fine, alterius initio cõstet, uersum nõ efficit. Potest, etiã si minus bene, præponi Anapæstus, Muliere non solùm nobili, uerũetiam nota. Tum Anapæstus & Creticus. Iambus quoq;, qui est utroq; syllaba minor. præcedet enim tres longas breuis. Sed & Spondeus Iambo rectè præponitur, In armis fui. Tũ Spondeus & Bacchius, sic. n. fiet ultimus Dochimus, Iisdem in armis fui. Ex ijs quæ supra probaui, apparet Molosson quoq; clausulæ cõuenire, dum habeat ex quocunq; pede ante se breuem. Illud scimus, ubicunq; sint, esse pro nobis. Minus grauis erit Spondeus præcedẽte Pyrrhichio, ut, Iudicij Iuniani. & adhuc peius priore Pæone: ut, Brute dubitaui. nisi potius hoc esse uelimus Dactylũ & Bracchiũ. Duo Spondei nõ ferè coniungi patiuntur, quæ in uersu quoq; notabilis clausula est, nisi cũ id fieri potest ex tribus quasi mẽbris: Cur de perfugis nostris copias cõparat is contra nos? una syllaba, duabus, una. Ne Dactylus quidẽ Spõdeo bene præponitur, quia finẽ uersus dãnamus in fine orationis. Bacchius & cludit, & sibi iungitur, Venenũ timeres. Vitat Choreũ, Spondeũ autẽ amat: ut, non uenena timeres: sed uirus timeres. Cõtrarius quoq; qui est, cludet, nisi si ultimã longã esse uolumus: optimeq; habebit ante se Molosson: ut, Est spinis respersum. Aut Bacchium, Quod hic potest, nos possemus. Sed uerius erit cludere Choreum præcedẽti Spondeo. Nã hic potius est numerus, Nos possemus: &, Romanus sum. Cludet et Dichoreus, si pes idẽ sibipsi iungetur, quo Asiani sunt usi plurimũ. Cuius exemplum Cicero ponit, Patris dictũ sapiens, temeritas filij cõprobauit. Accipiet ante se Choreus et Pyrrhichiũ: Omnes propè ciues, uirtute, gloria, dignitate, superabat. Cludet et Dactylus, nisi eũ obseruatio ultimæ Creticũ facit: ut, Muliercula nixus in littore. Habebit antè bene creticũ et iambum, spõdeũ male, peius choreũ. Cludit amphibrachus, Q. Ligariũ in Africa fuisse. si nõ eũ malumus esse bacchium. Nõ optimus est trochæus, si ultima est breuis: quod certè fit necesse est, alioqui quomodo cludet, qui placet plerisq;, dichoreus? Illa obseruatione ex trochæo fit anapæstus. Idẽ trochæus præcedẽte longa fit pæon: quale est, Si potero. &, Dixit hoc Cicero. Obstat inuidia. Sed hoc initijs dederunt. Cludit & Pyrrhichius choreo præcedente. nam sic pæon est, Omnes ij qui in breues excidunt, minus erunt stabiles: nec alibi ferè satis apti, quàm ubi cursus orationis exigitur, & clausulis nõ intersistitur. Creticus est initijs optimus: Quod precatus à dijs immortalibus sum. & clausulis, In cõspectu populi Romani uomere postridie. Apparet uerò quàm bene eum præcedant, uel anapæstus, uel ille qui uidetur fini aptior, pæon. Sed & se ipse sequitur, Seruare quãplurimos. Sic melius quàm choreo præcedẽte, Quis non turpe duceret? si ultima breuis pro longa sit. Sed fingamus sic, Non turpe duceret. Sed hic est illud inane quod dixi. Paululũ enim moræ damus inter ultimũ atq; proximum uerbum, et turpe illud interuallo quodã producimus: alioqui fit exultantissimum, & trimetri finis, Quis non turpe duceret? Sicut illud, Ore spiritũ excipere liceret: si iungas, lasciui carminis est: sed interpunctis quibusdã, & tribus quasi initijs, fit plenum authoritatis. Nec ego cũ præcedentes pedes posui, legem dedi ne alij essent: sed quid ferè accideret, quod in præsentia uideretur optimũ, ostendi. Et quidem optimè est sibi iunctus anapæstus, ut qui sit pentametri finis: uel Rhythmus, qui nomen ab eo traxit. Nam ubi libido dominatur, innocentia leue præsidium est. Nam synalœphe facit, ut ultima syllaba prò una sonent. Mollior

Marginal notes: Rhetor. 3. — * καρδακισμόν appellat Aristoteles. — Miscendi pedes. — Pro Liga. — Pro Cluẽ. — Rursus de clausula, & pedibus ei conuenientibus. — Pro Milo. — Pro Liga. — Referre, in uno, an in pluribus uerbis ijdẽ sint pedes. — Pro Cęlio — Pro Liga. — In Orat. — Pro Liga. — Act. 7. — In Orat. — Act. 7. — Pro Liga. — Initiis apti pedes. — Pro Murę. — Pro Liga. Philip. 2. — Act. 7. — Crassus.

fiet præcedente spondeo uel bracchio: ut si mutes idē, leue innocentiæ præsidium est. Non me capit (ut à magnis uiris dissentiam) pæon qui est ex tribus breuibus & longa. Nam est ipse una plus breui anapæsto, facilitas & agilitas. Quod quid ita placuerit his, non uideo, nisi quòd illum ferè probauerint, quibus loquendi magis quàm orandi studium fuit. Nam & ante se breuibus gaudet pyrrhichio et choreo, mea facilitas, nostra facilitas. At præcedēte spondeo tum planè finis est trimetri: cū sit per se quoq; ei contrarius. Principijs merito laudatur. Nam & primam stabilem, & tres celeres habet: tamen hoc quoque meliores alios puto.

Quatenus cōpositioni numerosæ opera danda sit.

Totus uerò hic locus nō ideo tractatur à nobis, ut oratio quæ ferri debet ac fluere, dimetiēdis pedibus ac perpendendis syllabis consenescat. Nam id tum miseri, tum in minimis occupati est. Neq; enim qui se totum in hac cura consumpserit, potioribus uacabit: siquidem relicto rerū pondere, ac nitore cōtempto, tessellas (ut ait Lucilius) struet, & uermiculatè inter se lexeis committet.

In Oratore.

Nonne ergo refrigeretur sic calor, & impetus pereat, ut equorum cursum qui dirigit, minuit: & passus qui æquat, cursum frangit? quasi numeri non fuerint in compositione deprehensi: sicut poema nemo dubitauerit imperito quodā initio fusum, & auriū mensura, & similiter decurrentium spatiorum obseruatione esse generatum, mox in eo repertos pedes. Satis igitur in hoc nos cōponit multa scribendi exercitatio, ut ex tempore etiam similia fundamus.

Vniuersa intuenda cōprehensio.

Neq; uerò tam sint intuendi pedes, quàm uniuersa comprehensio: ut uersum facientes, totum illum decursum, non sex uel quinque partes, ex quibus cōstat uersus, aspiciunt. Antè enim carmen ortū est, quàm obseruatio carminis. Indeq; illud,

Enni. ī Oratore.

—Fauni uatesq; canebant.

Aures compositionis iudices.

Ergo quem in poemate locum habet uersificatio, eū in oratione cōpositio. Optimè autem de illa iudicant aures, quæ & plena sentiunt, & parū expleta desiderant, & fragosis offenduntur, & lenibus mulcentur, et contortis excitātur, & stabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia et nimia fastidiunt. Ideoq; docti rationem cōponendi intelligunt, indocti uoluptatem. Quędā uerò arte tradi non possunt. Mutandus est casus, si durius is quo cœperamus, feratur. Num in quem transeamus ex quo, præcipi potest? Figuræ laborāti etiam cōpositioni uariatæ sæpe succurrunt. Quæ? cum orationis, tum etiam sententiæ. Num præscriptum eius rei ullum est? Occasionibus utendum, & cū re præsenti deliberandum. Enimuero spatia ipsa, quæ in hac quidem parte plurimum ualent, quod possunt nisi auriū habere iudicium? Cur alia paucioribus uerbis satis plena, uel nimium, alia pluribus breuia & abscissa sunt? Cur in circunductionibus etiam cum sensus finitus est, aliquid tamen loci uacare uideatur?

Act. 4.

Neminē uestrum ignorare arbitror, Iudices, hunc per hosce dies sermonem uulgi, atque hanc opinionē populi Romani fuisse. Cur hosce potius quā hos? Neq; enim erat asperum. Rationem fortasse non reddam, sentiam esse melius. Cur nō satis sit sermonem uulgi fuisse? Compositio enim patiebatur. Ignorabam, sed ita ut audio, hoc animus accipit, plenum sine hac geminatione nō esse. Ad sensum igitur referenda sunt. Neque eas satis fortè quid seuerum, quid iucūdum sit, intelligere: facias quidem natura duce melius quàm arte: sed naturæ ipsi ars inerit.

Quo compositionis genere ubi que utendum sit.

Illud prorsus Oratoris, scire ubi quoque genere compositionis sit utendum. Ea duplex obseruatio: altera, quæ ad pedes refertur: altera quæ ad cōprehensiones quæ efficiuntur ex pedibus. Et de his prius.

Incisum.

Diximus igitur esse incisa, membra, circuitus. Incisum (quantum mea fert opinio) erit sensus non expleto numero conclusus: plerisq; pars membri. Tale est enim quo Cicero utitur, Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas. Fiūt autem etiam singulis uerbis incisa: ut, Diximus, testes dare uolumus. Incisum est, diximus.

Membrū. In Corn.

Membrum autem est sensus numeris conclusus, sed à toto corpore abruptus, & per se nihil efficiens. Id enim, O callidos homines, perfectū est: at remotum à cæteris, uim nō habet: ut per se manus, & pes, & caput. &, O rem excogitatam, o ingenia metuenda. Quando ergo incipit corpus esse? cum uenit extrema conclusio,

In Oratore.

Quem quæso, nostrum fefellit, id uos ita esse facturos? Quam Cicero breuissimam putat. Itaq; ferè incisa & membra mista sunt, & conclusionem utiq; desiderant.

Periodus. & eius genera.

Periodo plurima nomina dat Cicero, ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, circunscriptionem. Genera eius duo sunt: alterum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circūducitur: alterum, quod constat membris & incisis, quæ plures sensus habent:

Act. 7.

Aderat ianitor carceris, & carnifex prætoris. & reliqua. Habet periodus membra minimum duo. Medius numerus uidetur quatuor: sed recipit frequenter & plura.

In Oratore.

Modus ei à Cicerone aut quatuor senarijs uersibus, aut ipsius spiritus modo terminatur. Præstare debet, ut sensum concludat: sit aperta, ut intelligi possit: non immodica, ut memoria contineri.

Membri ratio.

Membrum longius iusto, tardum: breuius, instabile est. Vbicunq; acriter erit & instanter pugnaciterq; dicendum, membratim casimq; dicemus. Nam hoc in oratione plurimum ualet: adeoq; rebus accommodanda compositio, ut asperis asperos etiam numeros adhiberi oporteat, & cum dicente æquè audientem inhorrescere. Membratim plerunq; narrabimus, aut ipsas periodos maioribus interuallis, & uelut laxioribus nodis resoluemus: exceptis quæ non docendi gratia, sed ornandi narrantur: ut in Verrem Proserpinæ raptus.

Act. 5.

Hæc enim lenis & fluens contextus decet.

Quibus locis sit apta periodus.

Periodus apta prooemijs maiorum caussarum, ubi solicitudine, commendatione, miseratione res eget. Item communibus locis, & in omni amplificatione: sed poscitur tum austera si accuses: tum fusa, si laudes. Multum & in epilogis pollet. Totum autem adhibendum est, quò sit amplius, compositionis genus, cum iudex non solùm rem tenet, sed etiam captus est oratione, & se credit actori, & uoluptate iam ducitur.

Historiæ numeri.

Historia non tam finitos numeros quàm orbem quendam contextumq; desiderat. Nanq; omnia eius membra connexa sunt, quoniam lubrica est, ac fluit: ut homines qui manibus inuicē apprehensis gradum firmant, continent & continentur.

Demōstratiui genens. Iudicialis & cōcionalis.

Demonstratiuum genus omne fusiores habet liberioresq; numeros. Iudiciale & concionale, ut materia uarium est, sic etiam ipsa collocatione uerborum. Vbi iam nobis pars ex duabus quas modo fecimus, secunda tractanda est. Nā quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnácius, alia grauius esse dicenda? Grauibus, sublimibus, ornatis, longas magis syllabas conuenire? Ita ut lenia spatium, sublimia & ornata claritatem quoque uocum poscant, potius quàm his contraria. Magis laudarem breuibus argumenta, partitiones, iocos, & quicquid est sermoni magis simile. Itaque componemus prooemium uariè, atque ut sensus eius postulabit.

Prooemiī cōpositio.

Neque enim accesserim Celso, qui unam quandam huic parti formam dedit: & optimam compositionem esse prooemij, ut apud Asinium, dixit, Si Cæsar ex omnibus mortalibus qui sint ac fuerint, posset huic caussæ disceptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit. Non quia negem hoc bene esse compositum, sed quia legem hanc esse componendi in omnibus principijs recusem. Nam iudicis ani-

dicis animus uariè præparatur: tum miserabiles esse uolumus, tum modesti, tum acres, tum graues, tum blandi, tum flectere, tum ad diligentiam hortari. Hæc ut sunt diuersa natura, dissimilem componendi quoq; rationē desiderāt. An similibus Cicero usus est numeris in exordio pro Milone, pro Cluentio, pro Ligario?

Narrationis.

Narratio ferè tardiores, atq; ut sic dixerim, modestiores desiderat pedes, & nominibus maximè mixtos. Nā & uerbis ut sæpius pressa est, ita interim insurgit: sed docere & infigere animis res semper cupit: quod minimè festinantium opus est. Ac mihi uidetur tota narratio constare longioribus membris, breuioribus periodis.

Argumentorum.

Argumenta acria & citata, pedibus quoq; ad hanc naturā accommodatis utentur, non tamen ita ut Trochæis, quæ celeria quidem, sed sine uiribus sunt. Verùm quamuis sint breuibus longisq; mista, non tamen plures longas quàm breues habētia. Illa sublimia spatiosas clarasq; uoces habent, amāt amplitudinē dactyli quoq;, ac Pæonis, etiā si maiori ex parte syllabis breuibus, temporibus tamē satis pleni. Aspera contra iambis maximè concitantur: nō solùm quòd sint è duabus modò syllabis, eoq; frequentiorē quasi pulsum habent, quæ res lenitati contraria est: sed etiā quòd omnibus partibus insurgunt, & à breuibus in longas nituntur & crescunt, ideoq; meliores Choreis, qui à longis in breues cadunt. Summissa, qualia in epilogis, lentas & ipsa & minus exclamantes exigunt. Vult esse Celsus aliquā & superiorem cōpositionem, quā si quidem sciremus, doceremus: sed sit necesse est tarda & supina. Verùm nisi ex uerbis, atq; sententijs per sese id quæritur, satis odiosa esse nō poterit.

Compositionis summas. & Pronūciatio singularum partium orationis.

Deniq;, ut semel finiā, sic ferè componendum, quo modo pronunciandum erit. An nō in proœmijs plerunq; summissi (nisi cum in accusatione cōcitandus est iudex, aut aliqua indignatione cōplendus) in narratione pleni atq; expressi, in argumētis citati, atq; ipso etiam motu celeres sumus? ut in locis ac descriptionibus fusi ac fluentes, in epilogis plerunq; deiecti & infracti? Atqui corporis quoq; motui sua quædam tempora, & ad signa pedū non minus saltationi quàm modulationibus adhibet musica ratio numeros. Quid? nō uox ad actus accommodatur natura ipsarū de quibus dicimus rerum? Quo minus id mirum in pedibus orationis, cū debeant sublimia ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere. Itaq; ubi est necesse, affectamus etiam tumorē, qui spondeis atq; iambis maximè continetur,

*Hyperoargus * sceptra mihi liquit Pelops.*

* Σκληρο-κος.

At ille comicus æquè senarius, quem Trochaicum uocant, pluribus Choreis, qui Trochæi ab alijs dicuntur. Pyrrhichijs quidem decurrit: sed quantum celeritatis habet, tantum grauitatis amittit,

Terent. in Eunucho.

Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem?

Asperum uerò & maledicum etiam in carmine iambis grassatur,

Quis hoc potest uidere, quis potest pati,


Nisi impudicus, & uorax, & aleo?

*In uniuersum autē, si sit necesse, duram potius atq; asperā compositionem malim esse, quàm effœminatā & eneruem, qualis apud multos: & quotidie magis lasciuimus, * syntonorum modis saltitantes. Ac ne tam bona quidem ulla erit, ut debeat esse continua, & in eosdē semper pedes ire. Nam & uersificandi genus est, unam legē omnibus sermonibus dare: & id cū manifesta affectatione (cuius rei maximè cauenda suspicio est) tum etiam similitudine tædium ac satietatem creat: quoq; est dulcius, magis perit, amittitq; et fidem, et affectus, motusq; omnes, qui est in hac cura deprehensus: nec potest ei credere, aut propter eū dolere & irasci iudex, cui putat hoc uacare. Ideoq; uincta quædā quasi soluenda de industria sunt, illa quidem maximi laboris, ne laborata uideantur. Sed neq; longioribus quàm oportet hyperbatis compositioni seruiamus, ne quæ eius gratia fecerimus, propter eam fecisse uideamur. Et certè nullū aptum atq; idoneum uerbum prætermittemus gratia lenitatis. Neq; enim erit ullum tam difficile, quod non cōmodè inseri possit, nisi quòd in euitandis eiusmodi uerbis non decorem compositionis quærimus, sed facilitatem. Non tamen mirabor Latinos magis indulsisse compositioni, quàm Atticos, quāuis minus in uerbis habeant uarietatis & gratiæ. Nec uitium dixerim si Cicero à Demosthene paululū in hac parte desciuit. Sed quæ sit differentia nostri Græciq; sermonis, explicabit summus liber.*

*Sybaritarum.


Compositio (nam finem imponere egresso destinatū modū uolumini festino) debet esse honesta, iucūda, uaria. Eius tres partes, ordo, coniunctio, numerus. Ratio, in adiectione, detractione, mutatione. Vsus, pro natura rerum quas dicimus. Cura magna, ut sentiēdi atq; loquēdi prior sit. Dissimulatio curæ præcipua, ut numeri spōte fluxisse, nō arcessiti et coacti esse uideātur.

Partes & propria cōpositionis breuiter repetit.



M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA

LIBER DECIMVS.



ARGVMENTVM.

Quæ ad inueniendum, disponendum, & eloquendum pertinent, superioribus libris tradidit. Nunc huius libri & capitis initio admonet, quæ hactenus tradita sunt, ad perfectam eloquentiam non sufficere, nisi facilitas quædam firma, quam Latini habitum dicunt, accesserit. Eam legendi, scribendi, & dicendi exercitatione parari, si uerborum & rerum copia instruamur, docet. Et res quidem cuiusq; caussæ proprias esse, uerba cum uaria alia aliis locis posita, eidem rei conueniant, in promptu & conspectu esse debere. Quorum copia cum delectu paranda sit, ut suis locis aptari queant. Itaq; uerborum idem ualentium uarietatem, subiectis exemplis, quæ ad docendum potentissima sunt, exhibet. Quorū copiam duobus contingere tradit, optima audiendo, & legēdo. Auditionis rationem, & cōmoda, quod uiua uox, actio, pronunciatio, & periculum dicentis moueant, deinde lectionis, quā potiorem esse ex utriusq; comparatione probat, & quo pacto legendi sint authores optimi, proponit, nēpe nō oscitanter, uel carptim truncatimue, sed diu multumq; à principio ad finem, quin etiam lectos semel, ex integro resumendos, præcipuè Oratores, in quibus uirtutes maximè occultantur, quorū orationes si utrinq; habitæ extent, caussis cognitis legere, utilissimum sit. Poetarum etiam lectionem plurimū commendat, quod ab his in rebus, spiritus, in uerbis, sublimitas, in affectibus, motus, in personis, decor petatur: Quod etiam lepore & uenustate rerum ab illis fictarum, ingenia molestiis forensibus malè affecta recreentur. In quibus tamen libertas uerborum, & licētia figurarum excusanda Oratori, non imitanda sit. Historiæ lectionem utilem etiam esse, cum propter rerum & exemplorum cognitionem, quæ suppeditat, tum etiam quod dictionis suauitate alere orationem possit, quamuis multæ historicorum uirtutes, quibus illi poetis proximi sunt, sint Oratori uitandæ. Philosophos quoq; non esse negligendos, non quidem quia sermonis ratio ab his petenda sit, sed quòd de ritus & uirtutibus optimè disserant, & nos argumentari doceant, maximè Socratici, qui inductionibus utuntur. Postremò qui legendi, & quæ uirtutes in quoque authore præcipuæ sint, adiungit. Et quamuis perfecti & absoluti quiq; præcipue legendi sint, qui pauci sunt, iudicium tamen habentibus, nullum omnino ex quo quid utilitatis referri possit, refugiendum esse censet. Præcipuos in quoque genere, græcos primùm, deinde latinos, & quibus uirtutibus ex-

cellant, enumerat. Poetas primùm heroicos, à quorum principe Homero incipiendum putat, quem cum Virgilio comparat, ut postea Demosthenem cum Cicerone, & quàm diuersis uirtutibus emineant, ostendit. Deinde Elegos, Lyricos, Tragœdiæ & Comœdiæ scriptores, Historicos, Philosophos, Oratores, quos omnes cum latinis confert, quid in omnibus laudandum, & imitatione dignum sit, aut secus, explicando.

De copia uerborum. Cap. I.

Facilitas dicendi.



ED hæc eloquẽdi præcepta sicut cognitioni sunt necessaria, ita non satis ad uim dicendi ualent, nisi illis firma quædam facilitas, quæ apud Græcos ἕξις nominatur, accesserit: quam, scribẽdo plus, an legendo, an dicendo consequamur, solere quæri scio. Quod esset diligentius nobis examinãdum, si qualibet earum rerum possemus una esse contenti. Verùm ita sunt inter se cõnexa & indiscreta omnia, ut si quid ex his defuerit, frustra sit in cæteris laboratũ. Nam neq; solida atq; robusta fuerit unquã eloquentia, nisi multo stylo uires acceperit: & citra lectionis exemplum labor ille carens rectore, fluit. Qui autem scierit quo sint quæq; modo dicenda, nisi tanquã in procinctu paratã quidem ad omnes casus habuerit eloquentiã, uelut clausis thesauris incubabit. Nõ autem ut quicq; præcipuè necessariũ est, sic ad efficiendum Oratorem maximi protinus erit momenti. Nã certè cum sit in eloquendo positũ Oratoris officiũ, dicere ante omnia est, atq; hinc initium eius artis fuisse manifestum est: proximam deinde imitationẽ: nouissimã scribendi quoq; diligentiam. Sed ut perueniri ad summa nisi ex principiis non potest: ita procedente iam opere, minima incipiũt esse, quæ prima sunt. Verùm nos nõ quomodo sit instituendus Orator, hoc loco dicimus: (nã id quidẽ aut satis, aut certè uti potuimus à nobis dictũ est) sed ut athletã qui omnia iam perdidicerit à præceptore, nimirũ quo genere exercitationis ad certamina præparãdus sit: ita eũ qui res inuenire et disponere sciet, uerba quoq; & eligendi & collocandi rationẽ perceperit; instruamus qua ratione quæ didicit, facere quàm optimè & quàm facillimè possit. Nõ ergo dubiũ est, quin ei uelut opes sint quædã parandæ, quibus uti ubicunq desideratũ erit, possit. Eæ constant copia rerũ ac uerborum. Sed res propriæ sunt cuiusq; caussæ, aut paucis communes: uerba in uniuersas paranda: quæ si rebus singulis essent singula, minorẽ curam postularent: nam cuncta sese cum ipsis protinus rebus offerrent. Sed cum sint aliis alia aut magis propria, aut magis ornata, aut plus efficientia, aut melius sonantia, debent esse non solum nota omnia, sed in promptu, atq; (ut ita dicam) in conspectu, ut cum se iudicio dicentis ostenderint, facilis ex his optimorum sit electio. Equidem scio quosdã collecta quæ idem significarent uocabula solitos ediscere, quo facilius & occurreret unum ex pluribus: & cum essent usi aliquo, si breue intra spacium rursus desideraretur, effugiendæ repetitionis gratia sumerent aliud quo idẽ intelligi posset. Quod cum est puerile, & cuiusdam infœlicis operæ, tum etiã utile parum. turbam enim modò congregat, ex qua sine discrimine occupet proximum quodq;. Nobis autem copia cum iudicio paranda est: uim orandi, non circulatoriam uolubilitatem spectantibus. Id autem consequemur optima legendo atque audiendo. Non solùm enim nomina ipsa rerum cognoscemus hac cura, sed cui quodq; loco sit aptissimum. Omnibus enim ferè uerbis, præter pauca quæ sunt parum uerecunda, in oratione locus est. Nam scriptores quidem iamborum, ueterisq; comœdiæ, etiam in illis sæpe laudantur: sed nobis nostrum opus interim tueri satis est. Omnia uerba (exceptis de quibus dixi) sunt alicubi optima, nam & humilibus interim & uulgaribus est opus, & quæ cultiore in parte uidentur sordida, ubi res poscit, propriè dicuntur. Hæc ut sciamus, atq; eorum non significationem modò, sed formas etiam mensurasq; norimus, ut ubicunq; erunt posita, conueniant, nisi multa lectione atq; auditione assequi non possumus, cum omnem sermonem auribus primum accipiamus. Propter quod infantes à mutis nutricibus iussu regum in solitudine educati, etiam si uerba quædam emisisse traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt. Sunt autem alia huius naturæ, ut idem pluribus uocibus declarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris, intersit: ut ensis & gladius. Alia, quæ etiam si propria rerum aliquarum sint nomina, τροπικῶς tamen ad eundem intellectum feruntur, ut ferrum & mucro. Nã per abusionem sicarios etiam omnes uocamus qui cædem telo quocunq; commiserint. Alia circuitu uerborum plurium ostendimus: quale est,

- Et pressi copia lactis.

Plurima uerò mutatione figuramus, Scio, Non ignoro, &, Non me fugit, Non præterit, &, Quis nescit? Nemini dubium est. Sed etiam ex proximo mutuari licet. Nam & intelligo, & sentio, & uideo, sæpe idem ualent quod scio. Quorum nobis ubertatem ac diuitias dabit lectio, ut his non solùm quomodo occurrerint, sed etiam quomodo oporteat, utamur. Non semper enim hæc inter se idem faciunt: nec sicut de intellectu animi rectè dixerim, Video: ita de uisu oculorum, Intelligo. Nec ut mucro gladiũ, sic mucronem gladius ostendit. Sed ut copia uerborum sic paratur, ita non uerborum tantùm gratia legẽdum uel audiendum est. Nam omnium quæcunq; docemus, hæc sunt exẽpla potentiora etiam ipsis quæ traduntur artibus, cum eo qui discit perductus est, ut intelligere ea sine demonstrante, & sequi iam suis uiribus possit: quia quæ doctor præcipit, Orator ostendit. Alia uerò legentes, alia audientes magis adiuuant. Excitat qui dicit, spiritu ipso, nec imagine et ambitu rerum, sed rebus incendit. Viuunt enim omnia, & mouentur, excipimusq; noua illa uelut nascentia cum fauore ac solicitudine. Nec fortuna modò iudicii, sed etiam ipsorũ qui orant, periculo afficimur. Præter hæc, uox & actio decora, commoda ut quisq; locus postulabit, pronunciandi uel potentissima in dicendo ratio, &, ut semel dicam, pariter omnia docent. In lectione certius iudicium, quod audienti frequenter aut suus cuiq; fauor, aut ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim dissentire, et uelut tacita quadam uerecundia inhibemur plus nobis credere, cũ interim & uitiosa pluribus placeant, & à corrogatis laudentur etiam quæ non placent. Sed è contrario quoq; accidit, ut optimè dictis gratiam praua iudicia non referant. Lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit: sed repetere sæpius licet, siue dubites, siue memoriæ penitus affigere uelis. Repetamus autem, & tractemus, & ut cibos mansos ac propè liquefactos demittimus, quò facilius digerantur, ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, & uelut confecta, memoriæ imitationique tradatur. Ac diu non nisi optimus quisque, & qui credentem sibi minimè fallat, legendus est, sed diligenter, ac penè ad scribendi solicitudinem: nec per partes modò scrutanda omnia, sed perlectus liber utiq; ex integro resumẽdus, præcipueq; oratio, cuius uirtutes frequenter ex industria quoque occultantur. Sæpe enim præparat, dissimulat, insidiatur Orator

Eloquẽtia quibus pficitur.

Lib. 1. & 2.

Verborum copia legẽdo atq; audiendo paranda.

Synonyma ediscendi ridicula ratio.

Copia cũ iudicio paranda.

Verba suis locis aptanda.

Herod. 2.

Verborum idem ualẽtiũ uarietas.

Sicarii.

Aeglo. 1.

Scio, quã multis uerbis dicitur.

Exẽpla ad docendum efficacissima.

Auditionis ratio.

Lectionis ratio.

Optimi authoris quo legendi.

tur Orator

tur Orator, eaq; in prima parte actionis dicit, quę sunt forte in summa profutura. Itaq; suo loco minus placent adhuc nobis quare dicta sint ignorantibus; ideoq; erunt cognitis omnibus repetenda.

Oratorum actiones quo pacto legendæ.

Illud uerò utilissimum, nosse eas caussas quarum orationes in manus sumpserimus: & quoties cõtinget, utrinq; habitas legere actiones. ut Demosthenis atque Aeschinis inter se contrarias: ut Seruij Sulpitij, & Messalæ, quorum alter pro Aufidia, contrà dixit alter: & Pollionis & Cassij reo Asprenate, aliasque plurimas. Quinetiam si minus pares uidebuntur, aliquę tamen ad cognoscendam litium quæstionem rectè requirentur: ut contra Ciceronis orationes, Tuberonis in Q. Ligarium, & Hortensij pro Verre. Quinetiam easdẽ caussas ut quisque egerit, utile erit scire. Nam pro domo Ciceronis dixit Callidius: & pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiam si egisse eum Cornelius Celsus falsò existimat. Et Pollio ac Messala defenderunt eosdem: & nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo, Domitij Afri, Crispi Passieni, Decimi Lælij, orationes ferebantur.

Authoritati non nimis fidendum.

Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quę magni authores dixerint, utique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedũt, & indulgent ingeniorum suorum uoluptati: nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur: cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio uerò etiam Homerus ipse uideatur. Summi enim sunt, homines tamen: acciditq; ijs qui quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur (id enim est facilius) ac se abunde similes putent, si uitia magnorum consequantur. Modestè tamen & circunspecto iudicio de tantis uiris pronunciandum est, ne (quod plerisque accidit) damnent quæ non intelligunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quàm multa displicere maluerim.

Poetæ oratoribus legẽdi, & magna ex ijs utilitas.

Plurimum dicit Oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum: multique eius iudicium sequuntur: neq; id immeritò. Namque ab his & in rebus spiritus, & in uerbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur, præcipueque uelut attrita quotidiano actu forensi ingenia, optimè rerum talium blanditia reparantur. Ideoq; in hac lectione Cicero requiescendum putat.

Nõ in omnibus sequendi.

Meminerimus tamen non per omnia Poetas esse Oratori sequendos, nec libertate uerborum, nec licentia figurarum: totumque illud studiorum genus ostentationi comparatum, præter id quòd solam petit uoluptatem, eamque, fingendo non falsa modò, sed etiam quædam incredibilia, sectatur, patrocinio quoq; aliquo iuuari: quòd alligati ad certam pedum necessitatem non semper proprijs uti possint, sed depulsi à recta uia, necessariò ad eloquendi quædam diuerticula confugiant: nec mutare quædam modò uerba, sed extendere, corripere, conuertere, diuidere cogantur: nos uerò armatos stare in acie, & summis de rebus decernere, & ad uictoriam niti.

Poetarum licentia excusanda, non imitanda.

Neque ego arma squallere situ ac rubigine uelim, sed fulgorem his inesse, qui terreat, qualis est ferri, quo mens simul uisusque perstringatur: non qualis auri argentique, imbellis, & potius habenti periculosus.

Historia, orationem alit.

Historia quoque alere orationem quodam molli iucundoque succo potest. Verùm & ipsa sic est legenda, ut sciamus plerasque eius uirtutes Oratori esse uitandas. Est enim proxima poetis, & quodammodo carmen solutum: scribitur ad narrandum, non ad probandum: totumque opus non ad actum rei, pugnamque præsentem, sed ad memoriam posteritatis, & ingenij famam componitur: ideoque & uerbis liberioribus, & remotioribus figuris narrandi tædium euitat. Itaque, ut dixi, neque illa Sallustiana breuitas, qua nihil apud aures uacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum uarijs cogitationibus iudicem, & sæpius ineruditum, captanda nobis est: neque illa Liuij lactea ubertas satis docebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quęrit.

Lib. 3. cap. de narratio.

Adde quòd M. Tullius ne Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles Oratori putat, quanquam illum bellicum canere, huius ore Musas esse locutas existimet.

In Orat. Vide Laertiũ in uita Xenophõtis.

Licet tamen nobis in digressionibus uti uel historico nonnunquam nitore, dum in ijs de quibus erit quæstio, meminerimus non athletarum toros, sed militum lacertos esse: nec uersicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, uestem bene ad forensem puluerem facere.

Cognitio rerum exẽplorumq; ex historia.

Est & alius ex historijs usus, & is quidem maximus, sed non ad præsentem pertinens locum, ex cognitione rerum exemplorumq;, quibus in primis instructus esse debet Orator, ne omnia testimonia expectet a litigatore: sed pleraque ex uetustate diligenter sibi cognita sumat: hoc potentiora, quòd ea sola criminibus odij & gratiæ uacant.

A philosophis repetenda.

A philosophorum uerò lectione ut essent nobis multa petenda, uitio factum Oratorum, qui quidem illis optima sui operis parte cesserunt. Nam & de iustis, honestis, utilibus, quæque sunt his contraria, & de rebus diuinis maximè dicunt, & argumentantur acriter: & altercationibus atque interrogationibus Oratorem futurum optimè Socratici præparant. Sed his quoque adhibendum est simile iudicium, ut etiam cum in rebus uersemur ijsdem, non tamen eandem esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori & auditorij, præceptorum & periculorum.

Qui sint legendi, & quæ præcipuæ in quoque uirtutes.

Credo exacturos plerosque, cum tantum esse utilitatis in legendo iudicemus, ut id quoque adiungamus operi, qui sint legendi, quæ in quoque authore præcipua uirtus. Sed persequi singulos, infiniti fuerit operis. Quippe cum in Bruto M. Tullius tot millibus uersuum de Romanis tãtum Oratoribus loquatur, & tamen de omnibus ætatis suæ, quibus cum uiuebat, exceptis Cæsare atque Marcello, silentium egerit: quis erit modus, si & illos, & qui postea fuerunt, & Græcos omnes & Philosophos & Poetas persequi uelim?

Liuij epistola.

Fuerit igitur breuitas illa tutissima, quæ est apud Liuium in epistola ad filium scripta, legẽdos Demosthenem atque Ciceronem: tum ita ut quisq; esset Demostheni & Ciceroni simillimus. Non est tamen dissimulanda nostri quoque iudicij summa. Paucos enim, uel potius uix ullum ex ijs qui uetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, qui iudicium adhibentibus non allaturus sit utilitatis aliquid: cum se Cicero ab illis quoque uetustissimis authoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, plurimum fateatur adiutum. Nec multo aliter de nobis sentio. Quotus enim quisque inueniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicuius certè fiducia partis, memoriam posteritatis sperauerit? qui si quis est, intra primos statim uersus deprehendetur, & citius nos dimittet, quàm ut eius nobis magno temporis detrimento constet experimentum. Sed non quicquid ad aliquam partem scientiæ pertinet, protinus ad faciendam etiam φράσιν de qua loquimur, accommodatum est.

Opiniones de legẽdis authoribus.

Verùm antequam de singulis loquar, pauca in uniuersum de uarietate opinionum dicenda sunt. Nam quidam solos ueteres legendos putant, neque in ullis alijs esse naturalem eloquentiam, & robur uiris dignum, arbitrantur. Alios recens hæc lasciuia, deliciæque, & omnia ad uoluptatem multitudinis imperitæ composita delectant. Sunt etiam qui rectum dicendi genus sequi nolunt. Alij pressa demum & tenuia, & quæ minimum ab usu quotidiano recedant, & sana uere Attica putant. Quosdam elatior ingenij uis, & magis concitata, & plena spiritus capit. Sunt & lenis, & nitidi, & compositi

siti generis aon pauci amatores. De qua differentia disse-
Lil. 12. ca. 10.
ram diligentius, cum de genere diceadi quærendum erit. Iaterim sammatim quid à qua lectione petere possint, qai confirmare facultatem dicendi uolunt, attingam. Paacos enim, qui sunt eminentissimi, excerpere ia aaimo est. facile est autem studiosis, qui sint his simillimi, iudicare: ne quisquam queratur omissos fortè aliquos eorũ quos ipse aalde probet. Fateor enim plures legendos esse, quàm qui à me nominabuntur. Sed nunc genera ipsa lectionum quæ præcipuè cõuenire intendẽtibus ut Oratores fiant existimem persequar. Igitur ut Aratus ab Ioue incipiendam putat, ita nos rite cœpturi ab Homero uidemur.

Homerus.
Iliad. 21.

Hic enim (quemadmodum ex Oceano dicit ipse amnium uim fontiumque cursus initium capere) omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit. Hunc aemo in magis sublimitate, ia paruis proprietate superauerit. Idem latus ac pressus, iucundus & grauis, tam copia, tum breuitate mirabilis: nec poetica modò, sed oratoria uirtute eminentissimus. Nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam: nonne uel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, uel ia primo inter duces illa contentio, uel dicta in secundo sententiæ, omnes litiam ac consiliorũ explicaat artes? Affectus quidem uel illos mites, ael hos concitatos nemo erit tam indoctus, qui non in sua potestate huac authorem habaisse fateatur. Age aerò, nonne in utriusque sui operis ingressu paucissimis aersibus legem prooemiorum non dico seruauit, sed constituit? Nam & beneuolum aaditorem inuocatione dearum, quas præsidere aatibus creditum est, & iatentum proposita rerum magnitudine, & docilem summa celeriter comprehensa facit.

Iliad. 17.
Iliad. 9.

Narrare uerò quis breuius, quàm qui mortem nunciat Patrocli? quis significantius potest, quàm qui Curetum Aetolorumque prælium exponit? Iam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum & argumenta, cæteraque probandi ac refutandi, sunt ita multa, ut etiam qui de artibus scripserunt, plurima earam rerum testimonia ab hoc Poeta petant. Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus æquari? Quid? in uerbis, senteatijs, figuris, dispositioae totius operis, nonne humani ingenij modum excedit?

Iliad. 24.

Vt magni sit uiri, uirtates eias non æmulatione (quod fieri non potest) sed intellectu sequi. Verùm hic omnes sine dubio, & in omni genere eloquentiæ procul à se reliquit, Heroicos tamea præcipuè, uidelicet quia clarissima in materia simili comparatio est.

Hesiodus.

Raró assurgit Hesiodus, magnaque pars eius ia nominibus est occupata, tamen utiles circa præcepta sententiæ, lenitasque uerborum, & compositionis probabilis: daturque ei palma in illo medio genere dicendi.

Antimachus.

Contrà in Antimacho uis & grauitas, & minimè uulgare eloquendi genus habet laudem. Sed quamuis ei secundas ferè Grammaticorum consensus deferat, & affectibus, & iucunditate, & dispositione, & omnino arte deficitur, ut planè manifestò appareat quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum.

Panyasis.

Panyasin ex utroq; mistum putant, in eloquendo neutrius æquare airtutes: alterum tamen ab eo materia, alterum disponendi ratione superari.

Apollonius.

Apollonius in ordinem à Grammaticis datum non uenit, quia Aristarchus atque Aristophanes Poetarum iudices, neminem sui temporis ia numerum redegerunt: aõ tamen contemnendam edidit opus æquali quadam mediocritate.

Aratus.

Arati materia mota caret, ut in qua nulla uarietas, aullus affectus, nulla persona cui usquam sit oratio: sufficit tamen operi, cui se parem credidit.

Theocritus.

Admirabilis in suo genere Theocritus, sed Musa illa rustica & pastoralis non forum modò, uerùm ipsam etiã urbem reformidat.

Audire uideor andique congerentes nomina plurimorum poetarum. Quid? Herculis acta noa bene Pisandros? Quid? Nicandrum frustra secuti Macer atq; Virgilius? Quid? Eaphorionem traasibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem nunquam certè conditorũ Chalcidico uersu carminum fecisset in Bucolicis mentionem. Quid? Horatius frustra Tyrtæũ Homero subiungit?

Pisander.
Nicander.
Euphorio.
Aeglo. 10.
Tyrtæus.
In arte.

Nec sanè quisquam est tam procul à cognitione eorum remotus, ut non indicem certè ex bibliotheca sumptam transferre ia libros suos possit. Nec ignoro igitur quos transeo, nec utiq; damno: ut qui dixerim esse ia omnibus utilitatis aliquid: sed ad illos iã perfectis constitutisque uiribus reuertemur. Quod etiam in cœnis grandibus sæpe facimus, ut cum optimis satiati simus, uarietas tamen nobis ex uilioribus grata sit.

Elegia.
Callimachus.
Philætas.

Taac & elegiam uacabit in manus sumere, cuius princeps habetur Callimachus. Secaadas coafessione plurimorum Philætas occupaait. Sed dum assequimur illam firmam (ut dixi) facilitatem, optimis assuescendum est: & multa magis quàm multorum lectione firmanda mens, & ducendus est color. Itaque ex tribus receptis Aristarchi iudicio scriptoribas iamborum, ad ἕξιν maximè pertinebit unus Archilochus.

Archilochus.

Summa in hoc uis elocutionis, cam aalidæ, tum breues uibrantesque sententiæ, plurimum sanguinis atque neruoram: adeò ut aideatur quibusdã, quòd quoquam minor est, materiæ esse, non ingenij uitiũ.

Lyrici, quorum Pindarus princeps.

Nouem aerò Lyricorũ longè Pindarus princeps, spiritus magnificentia, sententijs, figuris, beatissima rerum uerborumque copia, & aelut quodam eloquentiæ flumine: propter quæ Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem.

Carm. 4.
Stesichorus.

Stesichorus quàm sit iagenio ualidus, materia quoque ostendunt, maxima bella & clarissimos canentem duces, & epici carminis onera lyra sustiaentem. Reddit enim personis ia agendo simul loquendoque debitam dignitatem: ac si tenuisset modum, uidetur æmulari proximus Homerum potuisse: sed redundat, atque effunditur: quod ut est reprehendendum, ita copiæ uitium est.

Alcæus.

Alcæus in parte operis aureo plectro meritò donatur, qua tyrannos insectatur: multum etiam moribus confert: ia eloqaendo quoque breuis & magnificus, & diligens, plurimumque Homero similis, sed in lusus & amores descendit, maioribus tamen aptior.

Simonides.

Simonides tenuis, alioqui sermone proprio & iucunditate quadam commendari potest: præcipua tamen eius ia commouenda miseratione uirtus, ut quidam in hac eum parte omnibus eiusdem operis authoribus præferant.

Comœdia antiqua.

Antiqua comœdia cum synceram illam sermonis Attici gratiam propè sola retinet, tum facundissimæ libertatis etsi est in insectandis uitijs præcipua, plurimum tamen uirium etiam in cæteris partibus habet. Nam & grandis, & elegans, & uenusta, & nescio aa ulla, post Homerum tamen, quem ut Achillem semper excipi par est, aut similior sit Oratoribus, aut ad Oratores faciendos aptior. Plures eius authores: Aristophanes tamen & Eupolis Cratinusque præcipui.

Aristophanes.
Tragici.
Aeschylus.

Tragœdias primus in lucem Aeschylus protulit, sublimis & grauis, & grandiloquus sæpe usque ad uitium: sed rudis in plerisque, & incompositus: propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Athenienses permisere: suntque eo modo multi coronati.

Sophocles.
Euripides.

Sed longè clarius illustrauerant hoc opus Sophocles atque Euripides: quorum in dispari dicendi uia uter sit poeta melior, inter plurimos quæritur. Idque ego sanè, quoniam ad præsentem materiam nihil pertinet, iniudicatam relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, ijs qui se ad agendum comparent, utiliorem longè

Euripidem

Euripidem fore. Namque is & in sermone (quod ipsum reprehendunt, quibus grauitas & cothurnus & sonus Sophoclis uidetur esse sublimior) magis accedit oratorio generi: & sententijs densus, & in ijs quæ à sapientibus tradita sunt, penè ipsis par, & in dicendo ac respondendo cuilibet eorum qui fuerunt in foro diserti, comparandus. In affectibus uerò cum omnibus mirus, tum in ijs qui miseratione constant, facilè præcipuus. Hunc & admiratus maximè est (ut sæpe testatur) & secutus, quanquam in opere diuer-

Menander.

so, Menander: qui uel unus, meo quidem iudicio, diligenter lectus, ad cuncta quæ præcipimus effingenda sufficiat: ita omnem uitæ imaginem expressit: tanta in eo inueniendi copia, & eloquendi facultas: ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. Nec nihil profecto uiderunt, qui orationes quæ Charisii nomine eduntur, à Menandro scriptas putant. Sed mihi longè magis Orator probari in opere suo uidetur, nisi fortè aut illa mala iudicia, quæ Epitrepontas, Epicleros, Locros habent: aut meditationes in Psophoda & Nomotheta, & Hypobolimæo, non omnibus Oratorijs numeris sunt absoluta. Ego tamen plus adhuc quiddam collaturum declamatoribus puto, quoniã his necesse est secundum conditionem cõtrouersiarum plures subire personas, patrum, filiorum, maritorum, militum, rusticorum, diuitum pauperum, irascentium, deprecantium, mitium, asperorum. In quibus omnibus mire custoditur ab hoc poeta decorum. Atque ille quidem omnibus eiusdem operis authoribus abstulit nomen, & fulgore quodam suæ claritatis tenebras obduxit. Habent tamen alij quoque Comici, si cum uenia legantur, quædam quæ

Philemon.

possis decerpere: & præcipuè Philemon, qui ut prauis sui temporis iudicijs Menandro sæpe prælatus est, ita consen-

Historici.

su omnium meruit credi secundus. Historiã multi scripsere præclarè, sed nemo dubitat duos longe cæteris præferendos, quorum diuersa uirtus laudem penè est parem consecuta.

Thucydides. Herodotus.

Densus, & breuis, & semper instans sibi Thucydides: dulcis, & candidus, & fusus Herodotus. ille concitatis, hic remissis affectibus melior: ille concionibus, hic sermonibus: ille ui, hic uoluptate.

Theopompus.

Theopompus his proximus, ut in historia prædictis minor, ita oratori magis similis: ut qui antequam est ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit

Philistus.

orator. Philistus quoque meretur qui turba quamuis bonorum post hos authorum eximatur, imitator Thucydidis:

Ephorus. Clitarch'. Timagenes.

& ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. Ephorus, ut Isocrati uisum, calcaribus eget. Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. Longo post interuallo temporis natus Timagenes, uel hoc est ipso probabilis, quòd intermissam historias scribendi industriam noua laude reparauis. Xenophon non excidit mihi, sed inter philosophos red-

Oratores. Demosthenes.

dendus est. Sequitur oratorum ingens manus, cum decem simul Athenis ætas una tulerit: quorum longè princeps Demosthenes, ac penè lex orandi fuit tanta uis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam neruis intenta sunt, tam nihil ociosum, is dicendi modus, ut nec quod desit in eo, nec

Aeschines.

quod redundet inuenias. Plenior Aeschines, & magis fusus, & grandiori similis quo minus strictus est: carnis tamen plus habet, lacertorum minus.

Hyperides. Lysias.

Dulcis in primis & acutus Hyperides: sed minoribus caussis, ut non dixerim utilior, magis par. His ætate Lysias maior, subtilis atq; elegans, & quo nihil, si oratori satis sit docere, quæras perfectius. nihil enim est inane, nihil arcessitum: puro tamen

Isocrates.

fonti quàm magno flumini propior. Isocrates in diuerso genere dicendi nitidus & comptus, & palæstræ quàm pugnæ magis accommodatus, omnes dicendi ueneres sectatus est: nec immerito. auditorijs enim se, non iudicijs cõpararat: in inuentione facilis, honesti studiosus: in compositione adeò diligens, ut cura eius reprehendatur. Neque ego in his, de quibus sum locutus, has solas uirtutes, sed has præcipuas

Phalereus. Demetrius.

puto: nec cæteros parum fuisse magnos. Quinetiam Phalereum illum Demetrium (quanquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur) multum ingenij habuisse & facundiæ fateor, uel ob hoc memoria dignum, quòd ultimus est ferè ex Atticis qui dici possit orator: quem tamen in illo

Philosophi. Plato.

medio genere dicendi præfert omnibus Cicero. Philosophorum, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiæ M. Tullius confitetur, quis dubitet Platonem esse præcipuum, siue acumine disserendi, siue eloquẽdi facultate diuina quadam & Homerica? multum enim supra prosam oratio-

Pedestris oratio. Xenophõ.

nem, & quam pedestrem Græci uocant, surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico uideatur oraculo instinctus. Quid ego commemorem Xenophontis iucunditatem illam inaffectatam, sed quam nulla possit affectatio consequi? ut ipsa finxisse sermonem Gratiæ uideantur: & quod de Pericle ueteris comœdiæ testimonium est, in hunc transferri iustissimè possis, in labris eius sedisse quandam persuadendi deam. Quid reliquorum Socraticorum

Aristoteles.

elegantiam? Quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suauitate, an inuentionum acumine, an uarietate operum, clariorem pu-

Theophrastus. Stoici.

tem. Nam in Theophrasto tam est eloquendi nitor ille diuinus, ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur. Minus indulsere eloquentiæ Stoici ueteres: sed cum honesta suasêrunt, tum in colligenda probandoque quæ instituerant plurimum ualuerunt: rebus tamen acuti magis, quàm (id

Romani authores.

quòd sanè non affectarunt) oratione magnifici. Idem nobis per Romanos quoq; authores ordo ducendus est. Ita-

Virgilius.

que ut apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius auspicatissimum dederit exordium, omnium eius generis poesarũ Græcorum nostrorumque illi haud dubiè proximus. Vtar enim uerbis ijsdem, quæ ex Afro Domitio iuuenis accepi: qui mihi interroganti, quem Homero crederet maximè accedere, Secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo quàm tertio. Et hercle ut illi naturæ cœlesti atque immortali cesserimus, ita cura & diligentia uel ideo in hoc plus est, quòd ei fuit magis laborandum: & quantum eminentioribus uincimur, fortasse æqualitate pensamus. Cæ-

Macer. Lucretius.

teri omnes longè sequentur. Nam Macer & Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasin, id est corpus eloquentiæ faciant: elegantes in sua quisque materia, sed alter humi-

Attacinus. Varro.

lis, alter difficilis. Attacinus Varro in ijs per quæ nomen est assecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, uerùm ad augendam facultatem dicendi parùm

Ennius.

locuples. Ennium sicut sacros uetustate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora iam non tantam habent speciem, quantam religionem. Propiores alij, atque ad hanc phrasin de qua loquimur, magis utiles. Lasciuus

Ouidius. Cornelius. Seuerus.

quidem in Heroicis quoque Ouidius, & nimiùm amator ingenij sui, laudandus tamen in partibus. Cornelius autem Seuerus, etiam si uersificator quàm poeta melior, si tamen ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculũ per-

* Varenum consum.

scripsisset, uendicaret sibi iure secũdum locum. * Sed eum consummari mors immatura non passa est: puerilia tamen eius opera & maximam indolem ostendunt, & mirabilem præcipuè in ætate illa recti generis uoluntatem. Mul-

Val. Flacc. Saleius Bassus. Rabirius. Pedo. Lucanus.

tum in Valerio Flacco nuper amisimus. Vehemens & poeticum ingenium Saleij Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum. Rabirius ac Pedo non indigni cognitione, si uacet. Lucanus ardens, & concitatus, & sententijs clarissimus, &, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quàm poetis annumerandus.

Germanicus. Augustus.

annumerandus. Hos nominauimus, quia Germanicũ Augustum ab institutis studijs deflexit cura terrarum, parumque dijs uisum est esse eum maximum poetarum. Quid tamen ijs ipsis eius operibus, in quæ donatus imperio iuuenis successerat sublimius, doctius, omnibus denique numeris præstantius? Quis enim caneret bella melius, quàm qui sic gerit? Quẽ præsidentes studijs deæ propius audirent? Cui magis suas artes aperiret familiare numen Mineruæ? Dicent hæc plenius futura secula. Nunc enim cæterarum fulgore uirtutum laus ista perstringitur. Nos tamen sacra literarum colentes feras Cæsar si non tacitum hoc præterimus, & Virgiliano certè uersu testamur.

Inter uictrices hederam tibi serpere lauros.

Elegiaci. Tibullus. Propertius. Ouidius. Gallus.

Elegia Græcos quoq; prouocamus: cuius mihi tersus atque elegans maximè uidetur author Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ouidius utroque lasciuior: sicut durior Gallus.

Satyrici. Lucilius. Ser. 1. Sat. 4. Horatius. Persius. Iuuenalis.

Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum nõ eiusdem modò operis authoribus, sed omnibus poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, & esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam & eruditio in eo miræ, & libertas, atque inde acerbitas, & abunde salis. Multo est tersior ac purus magis Horatius, & ad notandos hominũ mores præcipuus. Multum & ueræ gloriæ, quanuis uno libro, Persius meruit. Sunt clari hodieque, & qui olim nominabuntur.

Terentius. Varro.

Alterum illud est, & prius Satyræ genus, quod non sola carminum uarietate mistum condidit Terentius Varro, uir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros & doctissimos composuit, peritissimus linguæ latinæ & omnis antiquitatis, & rerum græcarum, nostrarumq;: plus tamen scientiæ collaturus, quàm eloquentiæ.

Iambici. Catullus. Bibaculus. Horatius.

Iambus non sanè à Romanis celebratus est ut proprium opus, à quibusdam interpositus: cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio: quanquam illi epodos interuenire reperiatur. At Lyricorum idem Horatius ferè solus legi dignus. Nam & insurgit aliquando, & plenus est iucunditatis & gratiæ, & uarijs figuris & uerbis felicissimè audax. Si quem adijcere uelis, is erit Cæsius Bassus, quem nuper uidimus: sed eum longè præcedunt ingenia uiuentiũ.

Cæsius Bassus. Martialis. Tragici. Accius. Pacuuius.

Tragœdiæ scriptores Accius atque Pacuuius clarissimi, grauitate sententiarum, uerborum pondere, & authoritate personarum. Cæterum nitor, & summa in excolendis operibus manus, magis uideri potest temporibus quàm ipsis defuisse. Virium tamen Accio plus tribuitur. Pacuuium uideri doctiorem, qui esse docti affectant, uolunt.

Varius. Ouidius.

Iam Varij Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest. Ouidij Medea uidetur mihi ostendere quantum uir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare quàm indulgere maluisset.

Pōponius. Secundus.

Eorum quos uiderim, longè princeps Pomponius Secundus: quem senes parum Tragicum putabant, eruditione ac nitore præstare confitebantur.

Comici. Cæcilius. Terentius.

In comœdia maximè claudicamus: licet Varro dicat Musas, Aelij Stolonis sententia, Plautino sermone locuturas fuisse, si latinè loqui uellent: licet Cæcilium ueteres laudibus ferant: licet Terentij scripta ad Scipionem Africanum referantur: quę tamen sunt in hoc genere elegantissima, & plus adhuc habitura gratiæ, si intra uersus trimetros stetissent. Vix leuem consequimur umbram, adeò ut mihi sermo ipse Romanus non recipere uideatur illam solis concessam Atticis uenerem, quandò eam ne græci quidem in alio genere linguæ obtinuerint.

Togati. Afranius.

Togatis excellit Afranius, utinamque non inquinasset argumenta puerorum fœdis amoribus, mores suos fassus.

Historici. Salustius. T. Liuius.

At historia non cesserit Græcis, nec opponere Thucydidi Sallustium uerear: nec indignetur sibi Herodotus æquari T. Liuium, cum in narrando miræ iucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus suprà quàm enarrari potest eloquentem: ita dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata: sed affectus quidem, præcipuè eos qui sunt dulciores, ut parcissimè dicam, nemo historicorum commendauit magis. Ideoque immortalem illam Sallustij uelocitatem, diuersis uirtutibus consecutus est.

Seruilius Nouianus.

Nam mihi egregie dixisse uidetur Seruilius Nouianus pares eos magis quàm similes. qui & ipse à nobis auditus est, clari uir ingenij, & sententijs creber, sed minus pressus, quàm historiæ authoritas postulat.

Bassus Aufidius.

Quam paulùm ætate præcedens eum Bassus Aufidius egregiè utique in libris belli Germanici præstitit, genere ipso probabilis in omnibus, sed in quibusdam suis ipse uiribus minor. Superest adhuc, & exornat ætatis nostræ gloriam, uir seculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores, ut libertas, quanquam circumcisis quæ dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum, & audaces sententias deprehendas etiã in ijs quæ manent. Sunt & alij scriptores boni: sed nos genera degustamus, non bibliothecas excutimus.

Oratores.

Oratores uerò uel præcipuè Latinam eloquentiam parem facere Grææ possunt. Nam Ciceronem cuicunque eorum fortiter opposuerim. Nec ignoro quantam mihi concitem pugnam, cum præsertim id nõ sit propositi, ut eum Demostheni comparem hoc tempore: neque enim attinet: cum Demosthenèm in primis legendum, uel ediscendum potius putem.

Ciceronis Demosthenisq; comparatio.

Quorum ego uirtutes plerasque arbitror similes, consiliũ, ordinem, diuidendi, præparandi, probandi rationem, omnia denique quæ sunt inuentionis. In eloquendo est aliqua diuersitas: densior ille, hic copiosior: ille concludit adstrictius, hic latius pugnat: ille acumine semper, hic frequenter & pondere: illi nihil detrahi potest, huic nihil adijci: curæ plus in illo, in hoc naturæ. Salibus certe, & commiseratione (qui duo plurimum affectus ualent) uincimus. Et fortasse epilogos illi mos ciuitatis abstulerit: sed & nobis illa quæ Attici mirantur, diuersa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistolis quidem, quanquam sunt utrinsque, nulla contentio est.

Ciceronis laudes.

Cedendum uerò in hoc quidem, quod ille & prior fuit, & ex magna parte Ciceronẽ quantus est fecit. Nam mihi uidetur M. Tullius cum se totum ad imitationem Græcorum cõtulisset, effinxisse uim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec uerò quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantùm, sed plurimas uel potius omnes ex seipso uirtutes extulit immortalis ingenij beatissima ubertate. Non enim pluuias (ut ait Pindarus) aquas colligit, sed uiuo gurgite exundat, dono quodam Prouidẽtiæ genitus, in quo totas uires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius mouere uehementius potest? Cui tanta unquam iucunditas affuit? ut ipsa illa quæ extorquet, impetrare eum credas: & cum transuersum ui sua iudicem ferat, tamen ille non rapi uideatur, sed sequi. Iam in omnibus quæ dicit, tanta authoritas inest, ut dissentire pudeat: nec aduocati studium, sed testis aut iudicis afferat fidem: Cum interim hæc omnia, quæ uix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata: & illa qua nihil pulchrius auditu est, oratio, præ se fert tamen fœlicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus ætatis suæ regnare in iudicijs dictus est: apud posteros uerò id consecutus, ut Cicero iam non hominis, sed eloquentiæ nomen habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc proposi-

tum

tum nobis sit exemplum. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Multa in Asinio Pollione inuenio, summa diligentia: adeò ut quibusdam etiam nimia uideatur: & consilij & animi satis: à nitore & iucunditate Ciceronis ita longè abest, ut uideri possit seculo prior. At Messala nitidus & candidus, & quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam: uiribus minor. C. uerò Cæsar si foro tantum uacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. tanta in eo uis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellauit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cuius propriè studiosus fuit, elegantia. Multum ingenij in Cœlio, & præcipuè in accusando multa urbanitas: dignusq; uir, cui & mens melior, & uita longior contigisset. Inueni qui Caluum præferrent omnibus, inueni qui Ciceroni crederent eum nimia contra se calumnia uerum sanguinem perdidisse. sed est & sancta & grauis oratio, & castigata, & frequenter uehemens quoque. Imitator est autem Atticorum: fecitque illi properata mors iniuriam si quid adiecturus, non si quid detracturus fuit. Et Seruius Sulpitius insignem non immeritò famam tribus orationibus meruit. Multa, si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Seuerus, qui si cæteris uirtutibus colorem & grauitatem orationis adiecisset, ponendus inter præcipuos foret. Nam & ingenij plurimum est in eo, & acerbitas mira & urbanitas, & uis summa: sed plus stomacho quàm consilio dedit: præterea ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est. Sunt & alij multi diserti, quos persequi longum est. Eorum quos uiderim, Domitius Afer, & Iulius Africanus, longè præstantissimi. Verborum arte ille, & toto genere dicendi præferendus, & quem in numero ueterum habere non timeas: hic concitatior, sed in cura uerborum nimius, & compositione nonnunquam longior, & translationibus parum modicus. Erant clara & nuper ingenia. Nam & Trachallus plerunque sublimis, & satis apertus fuit, & quem uelle optima crederes: auditus tamen maior. Nam & uocis, quantam in nullo cognoui, felicitas, & pronunciatio uel scenis suffectura, & decor: omnia denique ei, quæ sunt extrà, superfuerunt. Et Vibius Crispus, compositus, & iucundus, & delectationi natus, priuatis tamen caussis quàm publicis melior. Iulio Secundo si longior contigisset ætas, clarissimum profectò nomen oratoris apud posteros foret. Adiecisset enim, atque adijciebat cæteris uirtutibus suis, quod desiderari potest. id est autem, ut esset multo magis pugnax, & sæpius ad curam rerum ab elocutione respiceret. Cæterùm interceptus quoque magnum sibi uendicat locum. Ea est facundia, tanta in explicando quod uelit, gratia: tam candidum & lene & speciosum dicendi genus: tanta uerborum etiam quæ assumpta sunt, proprietas: tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia. Habebunt qui post nos de oratoribus scribent, magnam eos qui nunc uigent materiam uerè laudandi. Sunt enim summa hodie, quibus illustratur forum, ingenia. Nanque & consummati iam patroni ueteribus æmulantur, & eos iuuenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria. Superfunt qui de Philosophia scripserunt: quo in genere paucissimos adhuc eloquentes litera Romana tulerunt. Idem igitur M. Tullius, qui ubique, etiam in hoc opere Platonis æmulus extitit. Egregius uerò, multoque quàm in orationibus præstantior Brutus suffecit ponderi rerum: scias eum sentire quæ dicit. Scripsit non parum multa Cornelius Celsus, Scepticos secutus, non sine cultu ac nitore. Plancus in Stoicis rerum cognitioni utilis. In Epicureis leuis quidem, sed non iniucundus tamen author est Catius. Ex industria Senecã in omni genere eloquentiæ distuli, propter uulgatam falsò de me opinionem, qua damnare eum, & inuisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptũ, & omnibus uitijs fractum dicendi genus reuocare ad seueriora iudicia contendo. Tum autem solus hic ferè in manibus adolescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cum diuersi sibi cõscius generis, placere se in dicendo posse ijs quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis, quàm imitabantur: tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandum, pares, aut saltem proximos illi uiro fieri. Sed placebat propter sola uitia, & ad ea se quisque dirigebat effingenda, quæ poterat: deinde cum se iactaret, eodem modo dicere Senecam infamabat. Cuius & multæ alioqui, & magnæ uirtutes fuerunt, ingenium facile & copiosum, plurimum studij, multarum rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab ijs quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus est. Tractauit etiam omnem ferè studiorum materiam. Nam & orationes eius, & poemata, & epistolæ, & dialogi feruntur. In Philosophia parum diligens, egregius tamen uitiorũ insectator fuit. Multa in eo claræque sententiæ, multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eò perniciosissima, quòd abundant dulcibus uitijs. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententijs non fregisset: consensu potius eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur. Verùm sic quoque iam robustis, & seueriore genere satis firmatis legendus uel ideo, quòd exercere potest utrinque iudicium. Multa enim (ut dixi) probanda in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modò cura sit: quod utinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quæ meliora uellet, quæ quod uoluit effecit.

Asinius Pollio. Messala. C. Cæsar. Cic. in Brut. Cælius. Caluus. In Bruto. Seruius Sulpitius. Cassius Seuerus. Domitius Afer. Iulius Africanus. Trachallus. Vibius Crispus. Iulius Secundus. Philosophi Latini. Tullius. Brutus. Cornelius Celsus. Plancus. Catius. Seneca.

ARGVMENTVM.

Quoniam omnia præcepta parum profutura sunt, nisi nos ad alicuius perfecti imitationem componamus, postquam qui legendi nobis essent pronunciauit, de imitatione, per quam ut maximis authoribus æquales aut proximi euadamus, cõtingit, præcepta tradit. Primo probat eam utilem & necessariam: deinde non ipsam per se sufficere, sed conandum aliquid supra eos quos imitamur. Tertio circa imitationem duo esse uidenda, quos, & quid in illis imitemur. Primum ex superiori capite manifestum est, quid imitandum sit superest, nempe optima, quæ quisque talia esse cognoscit, cum in maximis etiam authoribus aliqua uitiosa, minus perfecta & plena incidant. Ergo non solum uerborum imitationem esse, uerumetiam spectandum decorum rerum & personarum, consilium, quæ proprietas omnium partium, quæ ratio delectandi & mouendi, & qua pacto etiam ad docendum spectant, quæ uerborum copia, figurarum uarietas, componendi ratio, quo cognito quisq; uires exploret, quid ferre ualeant, nam insanum esse inimitabilia persequi repugnante natura. Præterea cauendũ ne orator poetas, aut poeta oratores sibi imitãdos proponat, nisi in eo quod in omnibus habet cõmune eloquẽtia. Postremò ne cui nos uni imitãdo addicamus.

De imitatione. Cap. II.



X his cæterisque lectione dignis authoribus & uerborum sumenda copia est, & uarietas figurarum, & componendi ratio: tum ad exemplum uirtutum omniũ mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut inuenire primum fuit, estque præcipuum: sic ea quæ bene inuenta

Imitatio, artis pars magna.

inuenta sunt, utile sequi. Atque omnis uitæ ratio sic constat, ut quæ probamus in alijs, facere ipsi uelimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur: sic musici uocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimēto culturam in exemplum intuentur. Omnis denique disciplinæ initia ad propositum sibi præscriptum formari uidemus. Et hercle necesse est aut similes aut dissimiles bonis simus. Similem rarò natura præstat, frequenter imitatio. Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerū omnium facit, quàm fuit ijs qui nihil quod sequerentur habuerunt, nisi cautè & cum iudicio apprehenditur, nocet.

Imitatio per se ipsa non sufficit.

Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit, uel quia pigri est ingenij, contentum esse ijs quæ sunt ab alijs inuenta. Quid enim futurum erat temporibus illis quæ sine exemplo fuerunt, si homines nihil nisi quod iam cognouissent, faciendum sibi aut cogitandum putassent? Nempe nihil fuisset inuentum. Cur igitur nefas est reperiri aliquid à nobis, quòd antè non fuerit? An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc ut tam multa generarent, nos ad quærendum non eo ipso concitemur, quod certè scimus inuenisse eos qui quæsierunt? Et cum illi, qui nullum cuiusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus aliarum rerum ad eruendas alias non proderit, sed nihil habebimus nisi beneficij alieni? quemadmodum quidam pictores in id solum studēt, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciāt. Turpe etiam illud est, cōtentum esse id consequi, quod imiteris.

Conādum est aliquid supra eos quos imiteris.

Nam rursus quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo quem sequebatur? Nihil in poetis supra Liuium Andronicum, nihil in historijs supra Pontificum annales haberemus: ratibus adhuc nauigaremus: non esset pictura, nisi quæ lineas modò extremas umbræ quam corpora in sole fecissent, circumscriberet. Ac si omnia percenseas, nulla sit ars qualis inuenta est, nec intra initium stetit: nisi fortè nostra potissimum tempora damnamus huius infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat.

Conandi melius ratio.

Nihil enim crescit sola imitatione. Quod si prioribus adijcere fas non est, quo modo sperare possumus ullum oratorem perfectum? cum in ijs quos maximos adhuc nouimus, nemo sit inuentus in quo nihil aut desideretur, aut reprehendatur. Sed etiā qui summa non appetunt, contendere potius, quàm sequi debent. Nam qui agit ut prior sit, forsitan etiam si non transierit, æquabit: Eum uerò nemo potest æquare, cuius uestigijs sibi utiq; insistendum putat. Necesse est enim semper sit posterior, qui sequitur. Adde quòd plerunque facilius est plus facere, quàm idem.

Similitudinis difficultas.

Tantam enim difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita eualuerit, ut non res quæ simillimæ uideantur, discrimine aliquo discernantur. Adde quòd quicquid alteri simile est, necesse est minus sit eo quod imitatur, ut umbra corpore, & imago facie, & actus histrionū ueris affectibus. Quod in orationibus quoque euenit. Namque ijs quæ in exemplum assumimus, subest natura, & uera uis: contra omnis imitatio ficta est, & ad alienum propositum commodatur. Quo fit ut minus sanguinis ac uirium declamationes habeant, quàm orationes: quod in illis uera, in his assimulata materia est. Adde quòd ea quæ in oratore maxima sunt, imitabilia non sunt, ingenium, inuentio, uis, facilitas, & quicquid arte non traditur. Ideóque plerique cum uerba quædam ex orationibus excerpserunt, aut aliquos compositionis certos pedes, mirè à se quæ legerunt, effingi arbitrantur: cum & uerba intercidant inualescantque temporibus, ut quorum certissima sit regula in consuetudine, eaque non sua natura sint bona aut mala, (nam

Verborum regula certissima in consuetudine.

per se soni tantùm sunt) sed prout opportunè propriéque aut secus collocata sunt, & compositio cum rebus accommodata sit, tum ipsa uarietate gratissima. Quapropter exactissimo iudicio circa hanc partem studiorum examinanda sunt omnia: Primum, quos imitemur. nam sunt plurimi qui similitudinem pessimi cuiusque & corruptissimi concupierint. Deinde in ipsis quos elegerimus, quid sit ad quod efficiendum nos comparemus.

Duo in [...]tatione [...]mum sp[...]ctāda, qu[...] imitemur, & quid in ipsis.

Nam in magnis quoque autoribus incidunt aliqua uitiosa, & à doctis inter ipsos etiam mutuò reprehensa. atq; utinam tam bona imitantes dicerent melius, quàm mala peius dicunt. Nec uerò saltem ijs quibus ad euitanda uitia iudicij satis fuit, sufficiat imaginem uirtutis effingere, & solam, ut sic dixerim, cutem, uel potius illas Epicuri figuras, quas è summis corporibus dicit effluere. Hoc autem ijs accidit, qui non introspectis penitus uirtutibus, ad primum se uelut aspectum orationis aptarunt: & cum ijs fœlicissime cessit imitatio, qui uerbis atque numeris sunt non multum differentes, uim dicendi atque inuentionis non assequuntur, sed plerunque declinant in peius, & proxima uirtutibus uitia comprehendunt, fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarij, lætis corrupti; compositis exultantes, simplicibus negligentes. Ideóque qui horridè atq; incompositè quidlibet frigidum illud & inane extulerint, antiquis se pares credunt: qui carent cultu atque sententijs, Atticis scilicet: qui præcisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant: tristes ac ieiuni Pollionem æmulantur: ociosi & supini, siquid modò longius circunduxerunt, iurant ita Ciceronem loquuturum fuisse. Noueram quosdam, qui se pulchrè expressisse genus illud cælestis huius in dicendo uiri sibi uiderentur, si in clausula posuissent, Esse uideatur.

Quod imitari uelis, intelligendum, & id pro modo uirium suscipiendū.

Ergo primum est, ut quod imitaturus est quisque, intelligat: & quare bonum sit, sciat. Tum in suscipiendo onere consulat suas uires. Nam quædam sunt imitabilia, quibus aut infirmitas naturæ non sufficiat, aut diuersitas repugnet. Nec cui tenue ingenium erit, sola uelit fortia & abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis & uim suam perdat, & elegantiam quam cupit, non assequatur. Nihil est enim tam indecens, quàm cū mollia durè fiunt. Atque ego illi præceptori quem institueram in libro secundo, tradidi non ea sola docenda esse, ad quæ quenque discipulorum natura compositum uideret. Nam is & adiuuare debet quæ in quoque eorum inuenerit bona, & quantum fieri potest, adijcere quæ desunt, & emendare quædam, & mutare. Rector enim est alienorum ingeniorum atque formator: difficilius est naturam suam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quanquam omnia quæ recta sunt, uelit esse in suis auditoribus quàm plenissima, in eo tamen cui naturam obstare uiderit, laborabit.

Decorum materiæ seruandū.

Id quoq; uitandum (in quo magna pars errat) ne in oratione poetas nobis & historicos, in illorum operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique proposita lex, suus decor est. Nec comœdia in cothurnos assurgit, nec contrà tragœdia socco ingreditur.

Eloquentiæ omnia aliquid cōmune.

Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune. Id imitemur, quod commune est. Etiam hoc solet incommodi accidere ijs qui se uni alicui generi dediderūt, ut si asperitas his placuit alicuius, hanc etiam in leni ac remisso caussarum genere non exuant: si tenuitas aut iucunditas, in asperis grauibusque caussis ponderi rerum parum respondeant: cum sit diuersa non caussarum modò inter ipsas conditio, sed in singulis etiam caussis partium: sintque alia leniter, alia asperè, alia concitatè, alia remissè, alia docendi, alia mouendi gratia dicenda: quorum omnium

dissimilis

dissimilis atque diuersa inter se ratio est. Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui propriè, quem per omnia sequatur, addicere. Longè perfectissimus Græcorum Demosthenes, aliquid tamen aliquo in loco melius alij, plurima ille, sed non qui maximè imitandus, etiam solus imitandus est. Quid ergo? nõ est satis omnia sic dicere quomodo Marcus Tullius dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noceret, uim Cæsaris, asperitatem Cælij, diligentiam Pollionis, iudicium Calui, quibusdam in locis assumere? Nã præter id quòd prudentis est, quod in quoque optimum est si possit, suum facere: tum in tanta rei difficultate unum intuentes, uix aliqua pars sequitur. Ideóque cum totum exprimere quem elegeris, penè sit homini inconcessum: plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio hæreat, & quo quicque loco conueniat, aptemus. Imitatio autem (nam sæpius idem dicam) non sit tantum in uerbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis uiris decoris in rebus atque personis, quod consilium, quæ dispositio, quàm omnia etiam quæ delectationi uideantur data, ad uictoriam spectent: quid agatur proœmio: quæ ratio & quàm uaria narrandi: quæ uis probandi ac refellendi: quanta in affectibus omnis generis mouendis scientia, quantaque laus ipsa popularis utilitatis gratia assumpta. quæ tum est pulcherrima, cum sequitur, non cum arcessitur. Hæc si peruiderimus, tum uerè imitabimur. Qui uerò etiam propria his bona adiecerit, ut suppleat quæ deerant, circumcidat siquid redundabit, is erit (quem quærimus) perfectus Orator: quẽ nunc cõsummari potissimum oportebat, cum tanto plura exempla bene dicendi supersint, quàm illis qui adhuc summi sunt, contingerunt. Nam erit hæc quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

Proponendus non unus, sed plures quos imiteris.

Quæ in imitando spectanda.

ARGVMENTVM.

Tria ad facilitatem eloquentiæ parandam necessaria esse dixit, legendi, scribendi, & dicendi exercitationem. De primo locutus, ad secundum aggreditur, nempe ad stylum, id est modum scribendi. In quo duo consideranda ait, quid, & quo modo scribi oporteat. Priore membro in quintum caput dilato, secundum exequitur. Scribendum esse quamdiligentissimè, & quam sæpissime quæ iusto tempore excogitata erunt, & bene collocandi, cum rerum & uerborum certo delectu, repetenda frequenter, & sub incudem reuocanda calore inuentionis refrigerato, atque etiam retractanda quæ semel composita erunt, Sallustii atque Virgilij exemplo Quę diligentia & solicitudo initiis necessaria est. Deinde duo genera uitiosè scribentium notat, unum eorum quibus morosis nimium nihil placet, qui meditando & cogitando maiorem temporis partem consumunt, semper unde incipiant quærentes. Aliud eorum qui ex tempore quicquid primus impetus suggerit, effundunt, magna leuitate res temere congerentes. Ex quo dictantes quod alij celeriter excipiant, propter uaria eius rei quæ subiungit incommoda, reprobat, inter quos uiam mediam bene scribendi studioso sequendam, & quid illi scribendi initium inuenire uolenti intuendum sit, præscribit, nempe quid res, locus, tempus, uel personæ poscant. Locum secretum studiis esse aptum, non tamen nemora & syluas, quæ ad studia non uocare, sed potius auocare ad uoluptatem uidentur. Lucubrationem nocturnam esse longè utilissimam, ita tamen, ut ualetudinis habeatur ratio, quæ scribendo & meditando lædi præcipuè solet, quarum rerum commoditas si non suppetat, non propterea omnibus locis & temporibus meditationi dandam non esse operam. Postremò quibus sit in ceratis tabellis scribendum, quibus in membranis, & quamobrem, quaq; uersuum longitudine, quibusúe relictis marginibus, tradit.

Quomodo scribendum sit. Cap. III.



T hæc quidem auxilia extrinsecus adhibentur. in ijs autẽ quæ nobis ipsis paranda sunt, ut laboris, sic utilitatis etiam longè plurimũ affert stylus. Nec immeritò M. Tullius hũc optimum effectorem ac magistrum dicendi uocat. Cui sententiæ personam L. Crassi in disputationibus quæ sunt de Oratore assignando, iudicium suum cum illius authoritate coniunxit. Scribendum ergo quam diligentissimè, & quam plurimum. Nã ut terra altè effossa, generandis alendisque seminibus fœcundior est: sic profectus non à summo petitus, studiorum fructus effundit uberius, & fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia, ipsa illa ex tempore dicendi facultas, inanem modò loquacitatem dabit, & uerba in labris nascentia. Illic radices, illic fundamenta sunt: illic opes uelut sanctiore quodam ærario recondita, unde ad subitos quoque casus cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quæ sufficiant labori certaminum, & usu non exhauriantur. Nihil enim rerum ipsa natura uoluit magnum effici citò, præposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem: quæ nascendi quoque hanc fecerit legem, ut maiora animalia diutius uisceribus parentum continerentur. Sed cum sit duplex quæstiõ, quomodo, & quæ maximè scribi oporteat, iam hunc ordinem sequar. Sit primò uel tardus, dum diligens, stylus: quæramus optima, nec protinus se offerẽtibus gaudeamus: adhibeatur iudicium inuentis, dispositio probatis. Delectus enim rerum uerborumq; agendus est, & pondera singulorum examinanda. Pòst subeat ratio collocandi, uersenturque omni modo numeri: non ut quodque se proferet uerbum, occupet locum. Quæ quidem ut diligentius exequamur, repetenda sæpius erunt scriptorum proxima. Nã præter id quòd sic melius iunguntur prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro uires, & uelut repetito spatio sumit impetum, quod in certamine saliendi fieri uidemus, ut conatum longius petant, & ad illud quò contenditur spatium, cursu ferantur: utque in iaculando brachia reducimus, & expulsuri tela, neruos retro tendimus. Interim tamen, si feret flatus, danda sunt uela, dum nos indulgentia illa non fallat. Omnia enim nostra dum nascuntur, placent: alioqui nec scriberentur. Sed redeamus ad iudicium, & retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Sallustium accepimus: & sanè manifestus est etiam ex opere ipso labor. Virgilium quoque paucissimos die composuisse uersus, author est Varus. Oratoris quidem alia conditio est. Itaque hanc moram & solicitudinem initijs impero. Nam primùm hoc constituendũ, hoc obtinendũ est, ut quam optimè scribamus: celeritatem dabit consuetudo. Paulatim res facilius se ostendent, uerba respondebunt, compositio sequetur: cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt. Summa hæc est rei, Citò scribendo non fit ut bene scribatur: bene scribendo fit ut cito: Sed tum maximè cũ facultas illa contigerit, resistamus, ut prouideamus, & ferocientes equos frenis quibusdã coerceamus: quod non tam mora faciet, quàm nouos impetus dabit. Nec enim rursus eos qui robur aliquod in stylo fecerint, ad infœlicem calumniandi se pœnam alligandos puto. Nam quomodo sufficere ciuilibus officijs possit, qui singulis actionum partibus insenescat? Sunt autem quibus nihil sit satis: omnia mutare, omnia aliter dicere quàm occurrit, uelint: increduli quidam, & de ingenio suo pessimè meriti, qui diligentiam putant, facere sibi scribendi difficultatem. Nec promptum est dicere, utros peccare ualidius putem, quibus omnia sua placent, an quibus nihil. Accidit enim etiã ingeniosis adolescentibus frequenter, ut labore consumantur, & in silentium usque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narrasse mihi Iulium Secundum illum æqualem meum, atque à me, ut notum

De Ora. 1. Stylus, optimus dicendi magister.

Scribendi ratio.

Magna nõ facile & cito fiunt. ui de Pli. li. 8. de Elephantis.

Quomodo scribendũ.

Cogitationis calor.

Vide Gellium li. 17. cap. 10.

Bene potius quàm cito scribẽdum.

Vitiũ scribendi primum. Morositas odiosa.

Iulius Secundus.

est,

Iulius Florus. Galliæ eloquentia.

familiariter amatum, miræ facundiæ uirum, infinitæ tamen curæ, quid esset sibi à patruo suo dictum. Is fuit Iulius Florus, in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps, alioqui inter paucos disertus, & dignus illa propinquitate. Is cum Secundum schola adhuc operatum, tristem forte uidisset, interrogauit, Quæ caussa frontis tam adductæ? nec dissimulauit adolescens, tertium iam diem esse, ex quo omni labore materiæ ad scribendum destinatæ non inueniret exordium: quo sibi non præsens tantùm dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens, Nunquid tu, inquit, melius dicere uis, quàm potes? Ita se res habet, Curandum est ut quam optimè dicamus: dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim opus est studio, non indignatione. Ut possimus autem scribere etiam plura, & celerius, non exercitatio modò præstabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam ratio: si non resupini, spectantesque tectum, & cogitationem murmure agitantes, expectauerimus quid obueniat: sed quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus, qui iudicis animus, intuiti, humano quodam modo ad scribendum accesserimus.

Quid inuendum scripturo, scribendi initium inuenire uolenti.

Sic nobis & initia, & quæ sequuntur, natura ipsa præscribit. Certa sunt enim pleraque, & nisi conniueamus, in oculos incurrunt: ideoque nec indocti nec rustici diu quærunt unde incipiant: quo pudendum est magis si difficultatem facit doctrina. Non ergo putemus semper optimum esse, quod latet: immutescamus alioqui, si nihil dicendum uideatur, nisi quod non inuenimus.

Aliud scribētium uitium.

Diuersum est huic eorum uitium, qui primo decurrere per materiam stylo quam uelocissimo uolunt, et sequentes calorē atq; impetum, ex tempore scribunt (hanc syluam uocant) repetunt deinde, & componunt quæ effuderant: sed uerba emendatur & numeri, manet in rebus temere congestis quæ fuit leuitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio sic opus ducere, ut cælandum, non ex integro fabricandum sit. Aliquando tamen affectus sequemur, in quibus ferè plus calor quàm diligentia ualet. Satis apparet ex eo quod hanc scribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi delicijs sentiam.

Dictantes reprobat.

Nam in stylo quidem quamlibet properato dat aliquam cogitationi moram non consequens celeritatem eius manus: ille cui dictamus, urget, atque interim pudet etiam dubitare, aut resistere, aut mutare, quasi conscium infirmitatis nostræ timentes. Quo fit, ut non rudia tantùm, & fortuita, sed impropria interim, dum sola est connectendi sermonis cupiditas, effluant: quæ nec scribentium curam, nec dicentium impetum consequantur. At idem ille qui excipit, si tardior in scribendo, aut inertior in legendo uelut offensator fuerit, inhibetur cursus, atque omnis quæ erat concepta mentis intentio, mora & interdum iracundia excutitur. Tum illa quæ apertiorem animi motum sequuntur, quæque ipsa animum quodammodo concitant, quorum est iactare manum, torquere uultum simul & interim obiurgare, quæque Persius notat, cum leuiter dicendi genus significat.

Satyr. 1.

Nec pluteum, inquit, cadit, nec demorsos sapit ungues.

Locus secretus studijs aptus.

Etiam ridicula sunt, nisi cum soli sumus. Denique ut semel quod est potentissimum dicam: secretum (quod dictando perit) atque liberum arbitris locum, & quam altissimum silentium scribentibus maximè conuenire nemo dubitauerit.

Nemora & syluas non esse studijs apta.

Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora, syluasque, quòd illa cæli libertas, locorumq; amœnitas, sublimem animum, & beatiorem spiritum pariat. Mihi certè iucundus hic magis, quàm studiorum hortator uidetur esse secessus. Namque illa ipsa quæ delectant, necesse est auocent ab intentione operis destinati. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest: & quocunque respexerit, desinit intueri quod propositum erat. Quare syluarum amœnitas, & præterlabentia flumina, & inspirantes ramis arborum auræ, uolucrumque cantus, & ipsa latè circumspiciendi libertas, ad se trahunt: ut mihi remittere potius uoluptas ista uideatur cogitationem, quàm intendere. Demosthenes melius, qui se in locum ex quo nulla exaudiri uox, nihilque prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoque lucubrantes, silentium noctis, & clausum cubiculum, & lumen unum uelut rectos maximè teneas.

Valetudini cum scribere uolumus seruiendum.

Sed cum in omni studiorum genere, tum in hoc præcipuè bona ualetudo, quæque eam maximè præstat frugalitas, necessaria est: cum tempora ab ipsa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data, in acerrimum laborem conuertimus. Cui tamen non plus irrogandum est, quàm quod somno supererit, haud deerit. Obstat enim diligentiæ scribendi etiam fatigatio: & abunde, si uacet, lucis spatia sufficiunt: occupatos, in noctem necessitas agit. Est tamen lucubratio, quoties ad eam integri ac refecti uenimus, optimum secreti genus. Sed silentium, & secessus, & undique liber animus, ut sunt maximè optanda, ita non semper possunt contingere: ideoque non statim si quid obstrepet, abijciendi codices erunt, & deplorandus dies: uerum incommodis repugnandum: & hic faciendus usus, ut omnia quæ impediunt, uincat intentio.

Remouenda desidia.

quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum quæ oculis uel auribus incursant, ad animum perueniet. An uerò frequenter etiā fortuita hoc cogitatio præstat, ut obuios non uideamus, & itinere deerremus: non consequemur idem si & uoluerimus? Non est indulgendum caussis desidiæ. Nam si non nisi refecti, non nisi hilares, non nisi omnibus alijs curis uacantes, studendum existimauerimus, semper erit propter quod nobis ignoscamus. Quare in turba, itinere, conuiuijs etiam faciat sibi cogitatio ipsa secretum. Quid alioqui fiet, cum in medio foro, tot circunstantibus iudicijs, iurgijs, fortuitis etiam clamoribus, erit subitò continua oratione dicendum, si particulas quas ceris mandamus, nisi in solitudine reperire non possumus? Propter quæ idem ille tantus amator secreti Demosthenes, in littore in quod se maximo cum sono fluctus illideret, meditans, consuescebat concionum fremitus non expauescere.

Demosthenes in littore meditās.

Illa quoque minora (sed nihil in studijs paruum est) non sunt transeunda, scribi optimè ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte uisus infirmior membranarum potius usum exiget: quæ ut iuuant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, & cogitationis impetum frangunt.

Ceris quibus scribendum, & quibus membranis.

Relinquendæ autem in utrolibet genere uacuæ tabellæ, in quibus libera adijcienti sit excursio. Nam interim pigritiam emendandi angustiæ faciunt, aut certè nouorum interpositione priora confundunt. Ne latas quidem ultra modum esse ceras uelim, expertus iuuenem studiosum alioqui prælongos habuisse sermones, quia illos numero uersuum metiebatur: idque uitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus esse sublatum.

Margines librorum.

Debet uacare etiam locus, in quo notentur quæ scribentibus solent extra ordinem, id est ex alijs quam qui sunt in manibus loci, occurrere. Irrumpunt enim optimi nonnunquam sensus, quos neque inserere oportet, neque differre tutum est: quia interim elabuntur: interim memoria sui intentos, ab alia inuentione declinant: ideoque optimè sunt in deposito.

ARGVMENTVM.

Styli secundum officium io emendatione eorũ quæ primùm scripta sunt, consistit, cuius tres esse partes docet, adiicere, detrahere, mutare. Eaque tria optimè præstari posse, si quæ primo calore effudimus, in aliquod tempus reposita, per interuallum sæpe regustemus, & tanquam aliena legamus, ubi modus adhiberi debet. Nam qui nunquam de tabula, quod aiunt, manum tollere possunt, semper inuenientes quod mutent, detrahant & adiiciant, magnopere uituperandos esse.

De emendatione. Cap. IIII.



Sequitur emendatio, pars studiorum longè utilissima. Neq; enim sine caussa creditum stylum non minus agere, cum delet. Huius autem operis est, adiicere, detrahere, mutare. Sed facilius in his simpliciusq; iudicium, quæ replenda uel deiicienda sunt. premere uerò tumentia, humilia extollere, luxuriantia adstringere, inordinata digerere, soluta cõponere, exultantia coercere, duplicis operæ. Nam & damnanda sunt quæ placuerant, & inuenienda quæ fugerant. Nec dubium est, optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea post interuallum uelut noua atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra tanquam recentes fœtus blandiantur. Sed neque hoc contingere semper potest, præsertim Oratori, cui sæpius scribere præsenter usus necesse est. Et ipsa emendatio finem habet. Sunt enim qui ad omnia scripta tanquam uitiosa redeant, & quasi nihil fas sit rectum esse quod primum est, melius existiment quicquid est aliud: idq; faciant quoties librum in manus resumpserint, similes medicis etiam integra secantibus. Accidit itaq; ut cicatricosa sint, & exanguia, & cura peiora. Sit igitur aliquando quod placeat, aut certè quod sufficiat: ut opus poliat lima, non exterat. Temporis quoque esse debet modus. Nam quòd Cinnæ Smyrnam nouem annis accepimus scriptam, & Panegyricum Isocratis, qui parcissimè decem annis dicunt elaboratum, ad Oratorẽ nihil pertinet: cuius nullum erit, si tam tardum fuerit, auxilium.

Emẽdationis partes.

Emendandi ratio.

Emendandi ratio uitiosa.

ARGVMENTVM.

Diuisionis tertio capite factæ, secundum membrum aggréditur, quæ maxime scribenda sint. nam ibi quo modo quicq; scribendum esset, docuit. Ergo principio uertere græca in latinum sermonem, propter rerum & uerborum copiam, figurarum uarietatem, & artis subtilitatem, quibus omnibus abundant græci, utilissimum esse censet. Hinc & crebram ex latinis conuersionem multum profuturam, siue carmen in orationem solutam conuertamus, siue quid paraphrasi interpretemur, cuius naturam utrúque expleat. Neque id in alienis orationibus modo, uerumetiam in nostris conandum. Atque si facultatem dicendi maximam pararare nobis uolumus, ex quæstionibus supplicibus quæ nullis circunstantijs sont implicitæ, theses dicunt, eam uel maximam parari posse probat. Deinde ex confirmatione & confutatione sententiarum. Tertio ex declamationibus à rerum ueritate non abhorrentibus. Quam etiam facultatem sequenti, historias, propter ubertatem, dialogos & carmina, animi reficiendi caussa, conscribenda iudicat. Postremo, ferias etiam caussas iouenibus proponendas, quas uel agi audierint, uel etiam alias ad ueritatem comparatas, quas si utrinque tractauerint ad aliquod eloquentiæ lumen peruenturos esse.

Quæ scribenda sint præcipue. Cap. V.



Proximum est ut dicamus quæ præcipuè scribenda sint. Hoc exuberantis quidem est operis, ut explicemus quæ sint materiæ: quæ prima aut secunda, aut deinceps tractanda sint. Nam id factum est etiam primo libro, quo puerorum: & secundo, quo iam robustiorum studijs ordinem dedimus. Sed de quo nunc agitur, unde copia ac facilitas maximè ueniat, uertere græca in latinum ueteres nostri Oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissimè præcipit: quinetiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos. Id Messalæ placuit: multæque sunt ab eo scriptę ad hunc modum orationes: adeò ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderet. Et manifesta est exercitationis huiusce ratio. Nam & rerum copia græci authores abũdant, & plurimum artis in eloquentiam intulerunt: & hos transferentibus, uerbis uti optimis licet. Omnibus enim utimur nostris: figuras uerò, quibus maximè ornatur oratio, multas ac uarias excogitandi etiam necessitas quædam est: quia plerunque à græcis Romana dissentiunt. Sed & illa ex latinis conuersio, multum & ipsa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpitius. Nã & sublimis spiritus attollere orationem potest, & uerba poetica libertate audaciora, præsumunt eandem propriè dicendi facultatem. Sed & ipsis sententijs adiicere licet oratorium robur, & omissa supplere, & effusa substringere. Neq; ego παράφρασιν esse interpretationem tantùm uolo, sed circa eosdem sensus certamen atque æmulationem. Ideoque ab illis dissentio, qui uertere orationes latinas uetant, quia optimis occupatis, quicquid aliter dixerimus, necesse sit esse deterius. Nam neque semper est desperandum, aliquid illis quæ dicta sunt, melius posse reperiri: neque adeò ieiunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici nisi semel nõ possit. Nisi forte histrionum multa circa uoces easdem uariare gestus potest, orandi minor uis, ut dicatur aliquid, post quod in eadem materia nihil dicendum sit. Sed esto, neque melius quod inuenimus sit, neque par: est certè proximis locus. An uerò ipsi non bis ad sæpius de eadem re dicimus, & quidem continuas nonnunquam sententias? Nisi forte contendere nobiscum possumus cum alijs non possumus. Nam si uno tantum genere bene diceretur, fas erat existimari præclusam nobis à prioribus uiam. Nunc uerò innumerabiles sunt modi, plurimaque eodem uia ducunt. Sua breuitati gratia, sua copia: alia translatis uirtus, alia proprijs. Hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipsa denique utilissima est exercitationi difficultas. Quid quod authores maximi sic diligentius cognoscuntur? Non enim scripta, lectione secura transcurrimus: sed tractamus singula, & necessariò introspicimus: & quantum uirtutis habeant, uel hoc ipso cognoscimus, quòd imitari non possumus. Nec aliena tantum transferre, sed etiam nostra pluribus modis tractare proderit: ut ex industria sumamus sententias quasdam, easque uersemus quàm numerosissimè, uelut eadem cera alia atque alia forma duci solent. Plurimum autem parari facultatis existimo ex simplicissima quaque materia. Nam in illa multiplici personarum, caussarum, temporum, locorum, dictorum, factorum diuersitate facilè delitescet infirmitas, tot se undique rebus, ex quibus aliquam apprehendas, offerentibus. Illud uirtutis indicium est fundere quæ natura contracta sunt, augere parua: uarietate similibus, uoluptatem expositis dare, & bene dicere multa de paucis. In hoc optimè facient infinita quæstiones, quas uocari θέσεις diximus: quibus Cicero iam princeps in republica exerceri solebat. His confinis est destructio & con-

Vertenda græca in latinum. Lib 1.

Timæum, & Oeconomicum.

Conuersio ex latinis.

παράφρασις.

Crassi opinio in Oratore Cice.

Difficultas.

Nostra pluribus modis tractanda.

Theses nullis circunstantijs implicitæ scribendæ.

Li. 3. ca. 5.

Sententiarum destructio & confirmatio. Loci communes.

firmatio sententiarum. Nam cum sit sententia, decretum quoddam atque præceptum: quod re, idem de iudicio rei quæri potest. Tum loci communes, quos etiam scriptos ab Oratoribus scimus. Nam qui hæc recta tantum, & in nullos flexus recedentia copiosè tractauerit: utique in illis plures excursus recipientibus magis abundabit, eritque in omnes caussas gratus. Omnes enim generalibus quæstionibus constant. Nam quid interest, Cornelius Tribunus plebis quòd codicem legerit, reus sit: an quæramus, uioletur'ne maiestas, si magistratus rogationem suam populo ipse recitauerit? Milo Clodium rectè'ne occiderit, ueniat in iudicium: an oporteat ne insidiatorem interfici, uel perniciosum Reipublicæ ciuem, etiam si non insidietur? Cato Martiam hosténe tradiderit Hortensio: an, conueniat'ne res talis bono uiro? De personis iudicatur, sed de rebus contenditur.

De declamationib.

Declamationes uerò, quales in scholis Rhetorum dicuntur, si modò sunt ad ueritatem accommodatæ, & orationibus similes, non tantum dum adolescit profectus, sunt utilissimæ, quæ inuentionem & dispositionem pariter exercent, sed etiam cum est consummatus, ac iam in foro clarus. Alitur enim atque enitescit uelit pabulo lætiore facundia, & assidua contentionum asperitate fatigata renouatur.

Historiæ: Dialogi. Carmina.

Quapropter historiæ nonnunquam ubertas in aliqua exercendi styli parte ponenda: & dialogorum libertate gestiendum. Ne carmine quidem ludere, contrarium fuerit: sicut athletæ remissa quibusdam temporibus ciborum atque exercitationum certa necessitate, ocio & iucundioribus epulis reficiuntur, Ideoque mihi uidetur M. Tullius tantum intulisse eloquentiæ lumen, quòd in hos quoque studiorum secessus excurrit. Nam si nobis sola materia fuerit ex litibus, necesse est deteratur fulgor, & durescat articulus, & ipse ille mucro ingenij quotidiana pugna retundatur. Sed quemadmodum forensibus certaminibus exercitatos, & quasi militantes reficit ac reparat hæc uelut sagina dicendi: sic adolescentes debent nimium in falsa rerum imagine detineri, & inanibus simulacris: usque adeò ut difficile ab his

Seriæ caussæ etiã adolescentibus proponendæ. Porcius Latro.

digressos sit assuefacere ne ab illa in qua propè consenuerint umbra, uera discrimina uelut quendam solem reformident: quod accidisse etiam Porcio Latroni, qui primus clari nominis professos fuit, traditur: ut cum ei summam in scholis opinionem obtinenti, caussa in foro esset oranda, impensè petierit, uti subsellia in basilicam transferrentur. ita illi cælum nouum fuit, ut omnis eius eloquentia contineri tecto ac parietibus uideretur. Quare iuuenis qui rationem inueniendi eloquendique à præceptoribus diligenter acceperit (quod non est infiniti operis, si docere sciant) & exercitationem quoque modicam fuerit consecutus,

Forum iudiciale studio.

Oratorem sibi aliquem (quod apud maiores fieri solebat) deligat, quem sequatur, quem imitetur: iudicijs intersit quamplurimis, & sit certaminis cui destinatur, frequens spectator: tum caussas uel easdem quas agi audierit, stylo & ipse componat, uel etiam alias, ueras modò: & utrinque tractet: &, quod in gladiatoribus fieri uidemus, in rebus actis exerceatur: ut fecisse Brutum diximus pro Milone. Melius hoc, quàm rescribere ueteribus orationibus, ut fecit Sestius contra Ciceronis actionem habitam

Li. 3. ca. 6.

pro eodem, cum alteram partem satis nosse non posset ex sola defensione. Citius autem sic idoneus erit iuuenis, quem præceptor coegerit in declamando quam simillimum esse ueritati, & per totas ire materias: quarum nunc facillima & maximè fauorabilia decerpunt. Obstat huic, quod secundo libro posui, frequens turba discipulorum, & consuetudo classium certis diebus audiendarum: nonnihil etiam persuasio patrum, numerantium potius declamationes, quàm æstimantium. Sed (quod dixi primo, ut arbitror, libro) nec ille se bonus præceptor maiore numero

Æstimia potius qui numeris iuuenis compositiones.

quàm sustinere possit, onerabit: & nimiam loquacitatem recidet, ut omnia quæ sunt in controuersia, non (ut quidam uolunt) quæ in rerum natura, dicantur: & uel longiore potius dierum spatio laxabit dicendi necessitatem, uel materias diuidere permittet. Vna enim diligenter effecta plus proderit, quàm plures inchoatæ, & quasi degustatæ. Propter quod accidit, ut nec suo loco quicque ponatur: nec illa quæ prima sunt, seruent suam legem, iuuenibus flosculos omnium partium in ea quæ sunt dicturi congerentibus: quo fit, ut timentes ne sequentia perdant, priora confundant.

ARGVMENTVM.

Legendi & scribendi absoluta ratione, priusquam ad dicendi modum, quod tertium est, perueniat, de cogitatione, quam locat inter duo postrema mediam, loquitur, quæ quanti sit usus atque utilitatis, primum eleganter describit. Deinde quomodo firma & ualida cogitandi uis parari possit, demonstrat, uidelicet si longa dicendi exercitatione formam nobis fecerimus, quæ cogitantes sequatur, hinc animo & memoria pauca complecti primum, deinde per incrementa paulo plura consuescamus, sic fore ut illa usu augeatur, & exercitatione retineatur firmissimaque euadat. Id exemplis Eriphyli, Metrodori, & Hortensii probat. Verum quod in omnibus artis partibus, ita hic cauendum monet, ne cogitatis ita superstitiose adhæreamus, ut si fortuna quid plausibile ex tempore offerat, repudiare uelimus.

De cogitatione. Cap. VI.



Roxima stylo cogitatio est, quæ & ipsa uires ab hoc accipit, & est inter scribendi laborem, extemporalemque fortunam media quadam, & nescio an usus frequentissimi. Nam scribere nec ubique nec semper possumus: cogitationi temporis ac loci plurimum est. Hæc paucis admodum horis magnas etiã caussas complectitur. Hæc quoties intermissus est somnus, ipsis noctis tenebris adiuuatur. Hæc inter medios rerum actus aliquid inuenit uacui, nec ocium patitur. Neque uerò rerum ordinem modo (quod ipsum satis erat) intra se ipsa disponit, sed uerba etiam copulat, totamque ita contexit orationem, ut ei nihil præter manum desit. Nam memoriæ quoque plerunque inhæret fidelius, quod nulla scribendi securitate laxatur.

Quomodo uis cogitandi firmari possit.

Sed ne ad hanc quidem uim cogitandi perueniri potest aut subitò, aut citò. Nam primùm facienda multo stylo forma est, quæ nos etiam cogitantes sequatur: tum assumendus usus paulatim, ut pauca primum complectamur animo, quæ reddi fideliter possint: mox per incrementa tam modica, ut onerari se labor ille non sentiat, augenda usu: & exercitatione multa continenda est: quæ quidem maxima ex parte memoria constat: ideoque aliqua mihi in illum locum differenda sunt.

Li. 11. ca. 2.

Eo tamen peruenit, ut is cui non refragetur ingenium, acri studio adiutus tantũ consequatur, ut ea etiam quæ cogitarit, quæq; scripserit atq; edidicerit, in dicendo fidem seruent.

Li. 2. de Oratore. In Bruto.

Cicero certè græcorum Metrodorum Scepsium, & Eriphylum Rhodium, nostrorumque Hortensium tradidit, quæ cogitauerant, ad uerbũ in agendo retulisse.

Cogitatis non nimis superstitiose inhærendum.

Sed si forte aliquis inter dicendũ effulserit extemporalis color, non superstitiosè cogitatis demum est inhærendum. Neque enim tantum habent curæ, ut non sit dandus & fortunæ locus: cum sæpe etiam scriptis

ea quæ

ea quæ subitò nata sunt, inserantur. Ideoque totum hoc exercitationis genus ita instituendum est, ut & digredi ex eo, & redire in id facilè possimus. Nam ut primum est domo afferre paratam dicendi copiam, & certam: ita refutare temporis munera, longe stultissimum est. Quare cogitatio in hoc præparetur, ut nos fortuna decipere non possit, adiuuare possit. Id autem fiet memoriæ uiribus, ut illa quæ complexi animo sumus, fluant secura: non solicitos & respicientes, & una spe suspensos recordationis, non sinant prouidere: alioqui uel extemporalem temeritatem malo, quàm male cohærentem cogitationem. Peius enim quæritur retrorsus: quia cum illa desideramus ab alijs auertimur: & ex memoria potius repetimus, quàm ex materia. Plura sunt autem, si utrunque quærendum est, quæ inueniri possunt, quàm quæ inuenta sunt.

ARGVMENTVM.

Qui legendi, quæ scribenda, & quomodo, tradidit. Rationem dicendi, quod ultimum erat, aggreditur. Primum facultatis extemporalis utilitatem, ex adiunctis, consequentibus, & similibus commendat. Deinde quo pacto parari & retineri possit, docet. Parari, si dicendi artem probe tenuerimus, si quò & quà sit perueniendum, si partes caussarum, ordinum, quæstionum, quæ dispositio rerum, quid loco primo, quid secundo ac deinceps sit collocandum, scierimus. Quibus extra artem, ex labore & studio adiungit, ut copiam optimi sermonis nobis paremus, ut orationem multo & fideli stylo, consuetudine atque exercitatione formemus, cuius colorem etiam ex tempore dicta referant, ut non solum animi naturali nobilitate, uerum etiam præcedente intentione, usu quodam irrationali, quem tamen ars præcedat, adhibitis rerum imaginibus, & ui mentis plurimum ualeamus. Pudorem quoque, & gloriæ cupiditatem, ad hanc facultatem plurimum conferre contendit, ad quam paulatim à paruis initiis frequenti meditatione & usu peruenendum sit. Porro retineri eadem qua paratur exercitatione, quam duplicem esse uult, primam, qua audientibus pluribus, de quorum iudicio atque opinione sumus soliciti, plura quotidie dicendo exercemur. Alteram, qua nobiscum cogitamus, & totas materias silentio persequimur, quarum comparatione facta, uaria commoda commemorat. Atque ut exacto & perfecto sermone uti consuescamus, & diligenter plurima scribendo, optime & facillime dicere discamus, præcipit.

Quemadmodum extemporalis facultas paretur & contineatur. Cap. VII.

Vtilitas facultatis ex tẽpore dicendi.



Aximus uerò studiorum fructus est, & uelut præmium quoddam amplissimum longi laboris, ex tempore dicendi facultas: quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia ciuilibus officijs renunciabit, & solam scribendi facultatem potius ad alia opera conuertet. Vix enim bonæ fidei uiro conuenit, auxilium in publicum polliceri, quod in præsentissimis quibusdam periculis desit: ut indicare portum, ad quem nauis accedere, nisi lenibus uentis uecta, non possit. Siquidem innumerabiles accidunt subitæ necessitates, uel apud magistratus, uel repræsentatis iudicijs continuò agendi: quarum si qua non dico cuicunque innocentium ciuium, sed amicorum ac propinquorum alicui euenerit, stabit' ne mutus, & salutarem petentibus uocem, statim, si non succurratur, perituris, moras & secessum & silentium quæret, dum illa uerba fabricentur, & memoriæ insidant, & uox ac latus præparetur? Quæ uero patitur hoc ratio, ut quisquam sit Orator imparatus ad casus? Quid cum aduersario respondendum erit, fiet? Nam sæpe ea quæ opinati sumus, & contrà quæ scripsimus, fallunt, ac tota subito caussa mutatur. Atque ut gubernatori ad incursus tempestatum, sic agenti ad uarietatem caussarum ratio mutanda est. Quid porro multus stylus, & assidua lectio, & longa studiorum ætas facit, si manet eadem quæ fuit incipientibus difficultas? Perisse profectò confitendum est præteritum laborem, cui semper idem laborandum est. Neque ego hoc ago, ut ex tempore dicere malit, sed ut possit. Id autem maximè hoc modo consequemur. Nota sit primùm dicendi uia. Neque enim prius contingere cursus potest, quàm scierimus quò sit & quà perueniendum. Nec satis est non ignorare quæ sunt caussarum iudicialium partes, aut quæstionum ordinem rectè disponere, quanquam ista sunt præcipua: sed quid quoque loco primum sit, quid secundum, ac deinceps: quæ ita sunt natura copulata, ut mutari aut interuelli sine confusione non possint. Quisquis autem uia dicet, ducetur ante omnia rerum ipsa serie, uelut duce: propter quod homines etiam modicè exercitati, facillimè tenorem in narrationibus seruant. Deinde, quid quoque loco quærant, scient: nec circunspectabunt, nec offerentibus se aliunde sensibus turbabuntur: nec confundent ex diuersis orationem, uelut salientes huc, illuc, nec usquam insistentes. Postremò habebunt modum & finem, qui esse citra diuisionem nullus potest. Expletis pro facultate omnibus quæ proposuerint, peruenisse se ad ultimum sentient. Et hæc quidem ex arte. Illa uero ex studio, ut copiam sermonis optimi, quemadmodum præceptum est, comparemus: multo ac fideli stylo sic formetur oratio, ut scriptorum colorem etiam quæ subitò effusa sunt, reddant: ut cum multa scripserimus, etiam multa dicamus. Nam consuetudo & exercitatio facilitatem maximè parit: quæ si paululum intermissa fuerit, non uelocitas illa modò tardatur, sed & νάρκημα ipsum coit atque concurrit. Quanquam enim opus est naturali quadam mobilitate animi, ut dum proxima dicimus, struere ulteriora possimus, semperque nostram uocem prouisa & formata cogitatio excipiat, uix tamen aut natura aut ratio in tam multiplex officium diducere animum queat, ut inuentioni, dispositioni, elocutioni, ordini rerum uerborumque, tum ijs quæ dicit, quæ subiuncturus est, quæ ultra spectanda sunt, adhibita uocis, pronunciationis, gestus obseruatione, unà sufficiat. Longè enim præcedat oportet intentio, ac præ se res agat: quantumque dicendo consumitur, tantum ex ultimo prorogetur: ut donec perueniamus ad finem, non minus prospectu procedamus quàm gradu, si non intersistentes offensantesque breuia illa atque concisa singultantium modo electuri simus. Est igitur usus quidam irrationalis, quam græci ἄλογον τριβὴν uocant, quo manus in scribendo decurrit, quo oculi totos simul in lectione uersus, flexusque eorum & transitus intuentur, & antè sequentia uident, quàm priora dixerunt. Quo constant miracula illa in scenis pilariorum ac uentilatorum, ut ea quæ emiserint, ultro uenire in manus credas, & quà iubentur decurrere. Sed hic usus ita proderit, si ea de qua locuti sumus ars antecesserit, ut ipsum illud quod in se rationem non habet, in ratione uersetur. Nam mihi ne dicere quidem uidetur, nisi qui dispositè, ornatè, copiosè dicit. Sed nec tumultuarij nec fortuiti sermonis contextum mirabor unquam, quem iurgantibus etiam mulierculis superfluere uideo: quem si calor ac spiritus tulit (frequenter enim accidit, ut successum extemporalem consequi cura non possit) Deum tunc affuisse, cum id euenisset, ueteres Oratores (ut Cicero dicit) aiebant. Sed ratio manifesta est. Nam bene concepti affectus, & recentes rerum imagines continuo impetu feruntur, quæ nonnunquam mora styli refrige

Facilitas ex tempore dicendi quomodo comparetur.

Consuetudo. Exercitatio.

Vsus irrationalis.

Pilarij. Ventilatores.

1. de Orat.

scunt, & dilata non reuertuntur. Vtique uero cum infœlix illa uerborum cauillotio accessit, & cursus ad singula uestigia restitit, non potest ferri contorto ius. Sed ut optimè uocum singularum cedat electio, non continua, sed composita est. Quare capienda sunt illæ de quibus dixi. rerum imagines, quas uocari φαντασίας indicauimus, omniaq; de quibus dicturi erimus. persona, quæstiones, spes, metus, habenda in oculis, in affectus recipienda. Pectus est enim quod disertos facit, & uis mentis. Ideoque, imperitis quoque, si modò sunt aliquo affectu concitati, uerba non desunt. Tum intendendus animus, non in aliquam rem unam, sed in plures simul continuas: ut si per aliquam rectam uiam mittamus oculos, simul omnia quæ sunt in ea circaque intuemur, non ultimum tantùm uidemus, sed usque ad ultimum. Addit ad dicendum etiam pudor stimulos, addit & dicendorum expectata laus: mirumque uideri potest, quòd cum stylus secreto gaudeat, atque omnes arbitros reformidet, ex temporalis actio auditorum frequentia, ut miles congestu signorum, excitotur. Nanque & difficiliorem cogitotionem exprimit & expolit dicendi necessitas, & secundos impetus auget placendi cupido. Adeo præmium omnia spectant, ut eloquentia quoque, quanquam plurimum habeat in se uoluptatis, maximè tamen præsenti fructu laudis opinionisque ducatur. Nec quisquam tantum fidat ingenio, ut id sibi speret incipienti statim posse contingere: sed sicut in cogitatione præcepimus, ita facilitatem quoque extemporalem à paruis initijs paulatim perducemus ad summam: quæ neque perfici utque contineri nisi usu potest: cæterùm peruenire eò debet, ut cogitatio non utique melior sit ea, sed tutior: cum hanc fœlicitatem non in prosa modo multi sint consecuti, sed etiam in carmine, ut Antipater Sidonius, & Licinius Archias. Credendum enim Ciceroni est: non quia nostris quoque temporibus non & fecerint quidam hoc, & faciant: quod tamen ipsum non tam probabile puto (neque enim habet aut usum res, aut necessitatem) quàm exhortandis in hanc spem, qui foro præparantur, utile exemplum. Neque uerò tantam esse unquam fiduciam facilitatis uelim, ut non breue saltem tempus, quod nusquàm ferè deerit, ad ea quæ dicturi sumus dispicienda sumamus. quod quidem in iudicijs ac foro datur semper. neque enim quisquam est, qui caussam quam non didicerit, agat. Declamatores quosdam peruersa ducit ambitio, ut exposita controuersia protinus dicere uelint: quin etiam, quod est in primis friuolum ac scenicum, uerbum petant quo incipiant. Sed tam contumeliosos in se ridet inuicem eloquentia: & qui stultis uideri eruditi uolunt, stulti eruditis uidentur. Siqua tomen fortuna tam subitam fecerit agendi necessitatem, mobiliore quodam opus erit ingenio, & uis omnis intendenda rebus, & in præsentia remittendum aliquid ex cura uerborum, si utrunque non dabitur. tum & tardior pronunciatio moras habet, & suspensa ac uelut dubitans oratio: ut tamen deliberare, non hæsitare uideamur. Hoc, dum egredimur è portu, si nos nondum aptatis satis armamentis aget uentus: deinde paulatim simul euntes aptabimus uela, & disponemus rudentes, & impleri sinus optabimus. Id potius, quàm se inani uerborum torrenti dare quasi tempestatibus quò uolent auferendum. Sed minore studio continetur hæc facultas, quàm paratur. Ars enim semel præcepta, non caditur: stylus quoque intermissione paulum admodum de celeritate deperdit: promptum hoc, & in expedito positum, exercitatione sola continetur. Hac uti sic optimum est, ut quotidie dicamus audientibus pluribus, maximè de quorum simus iudicio ac opinione soliciti. rarum est enim ut satis se quisquam uereatur. Vel soli tamen dicamus potius, quàm non omnino dicamus. Est illa exercitatio cogitandi, totasque materias uel silentio (dum tamen quasi dicat intra seipsum) persequendi, quæ nullo non & tempore & loco, quando non aliud agimus, explicari potest: & est in parte utilior, quàm hæc proxima. Diligentius enim componitur, quàm illa, in qua contextum dicendi intermittere ueremur. Rursus illa prior plus confert, uocis firmitatem, oris facilitatem, motum corporis, qui & ipse, ut dixi, excitat Oratorem, & iactatione manus, pedis supplosione, sicut cauda leones facere dicuntur, hortatur. Studendum uerò semper, & ubique. Neque enim ferè tam est ullus dies occupatus, ut nihil lucratiuæ, ut Cicero Brutum facere tradit, operæ ad scribendum aut dicendum rapi aliquo momento temporis possit. Siquidem C. Carbo etiam in tabernaculo solebat hac uti exercitatione dicendi. Ne id quidem tacendum est, quod eidem Ciceroni placet. nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem. quicquid loquemur ubicunque, sit pro sua scilicet portione perfectum. Scribendum certè nunquam est magis, quàm cum multo dicemus ex tempore. Ita enim seruabitur pondus, & innatans illa uerborum facilitas in altum reducetur: sicut rustici proximas uitis radices amputant, quæ illam in summum solum ducant, ut inferiores penitus descendendo firmentur. Ac nescio an utrunque cum cura & studio fecerimus, inuicem prosit, ut scribendo dicamus diligentius, dicendo scribamus facilius. Scribendum ergo, quoties licebit: si id non dabitur, cogitandum: ab utroque exclusi, debent tamen adniti, ut neque deprehensus Orator, neque litigator destitutus esse uideatur. Plerunque autem multa agentibus accidit, ut maximè necessaria, & utique initia scribant: cætera quæ domo afferunt, cogitatione complectantur: subitis ex tempore occurrant. Quod fecisse M. Tullium commentarijs ipsius apparet. Sed feruntur aliorum quoque & inuenti fortè ut eos dicturus quisque composuerat, & in libros digesti: ut caussarum quæ sunt actæ à Seruio Sulpitio, cuius tres orationes extant. Sed hi, de quibus loquor, commentarij ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis esse uideantur compositi. Nam Ciceronis ad præsens modò tempus aptatos libertus Tyro contraxit: quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles. In hoc genere prorsus recipio hanc breuem annotationem, libellosque qui uel manu teneantur, & ad quos interim respicere fas sit. Illud quod Lenas præcipit, displicet mihi, qua scripserimus, in summas siue commentarios & capita conferre. Facit enim & dicendi negligentiam hæc ipsa fiducia, & lacerat ac deformat orationem. Ego autem ne scribendum quidem puto, quod simus memoria persecuturi. Nam hic quoque accidit, ut reuocet nos cogitatio ad illa elaborata, nec sinat præsentem fortunã experiri. Sic anceps inter utrunq; animus æstuat, cum & scripta perdidit, & non quærit noua. Sed de memoria destinatus est libro proximo locus, nec huic parti subiungendus, quia sunt alia prius nobis dicenda.

Margin notes (left): Lib. 6. cap. 3. Phantasiæ. — Pectus disertos facit. — Intentio. — Pudor. — Facultas extemporalis, difficilis, & quo pacto ad summa perducatur. — In Oratore. — Pro Archia poeta. — Meditatio adhibenda. — Declamatorum uitium locis communibus peruersè instructorum. — Ars nautica similitudo. — Facultas dicendi exercitatione retinetur.

Margin notes (right): In Bruto. — C. Carbo. — Nullus sermo negligens sit. — Commentarii Ciceronis. — Tyro Cic. libertus. — Lenas.

FINIS LIBRI DECIMI.

M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA

LIBER VNDECIMVS.

ARGVMENTVM.

Vim eloquendi citra facilitatem dicendi firmam, quæ legendo, scribendo & dicendo paratur, consummatam & perfectam esse non posse, & quid horum unumquodque (quibus imitationē, emendationem & cogitationem admiscuit) proprium haberet, superiore libro tradidit. Huius autem initio irritos adhuc esse in eloquentia nostros conatus, nisi aptè & congruenter dicere studeamus, atque omnem ornatum insolsum & ridiculum esse, nisi hæc illi uirtus contingat, profitetur. In egregijs similitudinibus, & Ciceronis authoritate probat. Aptè dicere uolenti, obseruanda primum, deinde uitanda præscribit. Obseruanda, ut quid cuique orationis parti congruat, quid rei, loco, tempori, iudici conciliando, docendo & mouendo, consideret, cum omnis ornatus rei cui adhibetur, conditione constet. Nec solum quid expediat, uerum etiam quid deceat, animaduertendum, quæ duo ut aliquando coniuncta sint, aliquando etiam separentur, ut apparet ex caussa Socratis, Aphricani maioris, & Rutilij. Peruidendum itaque non minus quid dicas, quam quo loco, quare non esse hanc uirtutem minus inuentionis quam elocutionis. Vitanda, sui iactationem longe uitiosissimam, à qua Ciceronem contra obtrectatores uindicat & purgat, quamuis oratori eloquentiæ fiduciam concedat. Arrogantiam, qua iudicasse de caussa, & iudicibus præire quodammodo uelle qui dicit, uidetur. Actionem impudentem, tumultuosam, iracundam, summissam, adulationem, affectatam scurrilitatem. In rebus ac uerbis turpibus nullum pudorem, atque in omni negocio neglectam authoritatem. Eloquentiæ genus ad personas, tempora, caussas & res accommodandum. Personas esse uel senes, quibus pressum & mite dicendi genus conuenit, uel iuuenes, quibus uberius, & magis luxurians, uel milites, quibus simplicius, uel Philosophos, quibus inornatum & sine affectibus. Vel Principes & Imperatores, quibus genus quoddam medium, ornatum quidem, sed seueritate temperatum. Atque horum omnium alios esse actores, alios litigatores, alios iudices, quibus omnibus ex præceptis exordij libro quarto traditis sit tribuenda conueniens oratio. In tempore & loco hæc esse quoq; considerando. Tempus, an sit liberum, lætum, triste, angustum. Locus an sit publicus, priuatus, sacer, prophanus, celeber, secretus, aliena ciuitas, nostra, castra, forum, curia, campus, theatrum, domus, quibus omnibus seruato decoro congruens tribuenda sit oratio. Caussa si demonstratiui sit generis, ut ad delectationem audientium componatur, si alterius in actu & contentione positi, ut dicendi lenocinia respuat, & res serias sequatur. Hinc quid declamantes deceat, & quibus affectibus uti debeant. Quæ moderatio quarundam caussarum propria. Quo pacto quæ natura sunt indecora & turpia, tractanda sint. Qua ratione excusanda, hominibusq; probanda. atq; etiam laudanda, exemplis & Ciceronis pro Cluentio, pro Muræna, & alijs orationibus, demonstrat. Item qua ratione in alijs reprehendenda sint quæ feceris, ex oratione pro Ligario. Atque ut sit de pudendis querendum, ut aspera sint mollienda, utque fortunam, aut ordines, gentesue aut populos insectari decenter possis, atque uerborum moderatione rei detrahenda sit inuidia, promptus ex eodem exemplis tradit.

Præfatio, & de aptè dicendo. Cap. I.

Apte dicere maximè necessariũ. 2. & 3. de Oratore.



ARATA, sicut superiore libro cōtinetur, facultate scribendi, cogitandique, & ex tempore etiã, cum res poscet, orandi: proxima est cura, ut dicamus aptè. quam uirtutē quartã elocutionis Cicero demonstrat, quæque meo quidem iudicio maximè necessaria est. Nam cum sit ornatus orationis uarius & multiplex, conueniatq; alius alij: nisi fuerit accommodatus rebus atque personis, non modo non illustrabit eam, sed etiam destruet, & uim rerum in contrarium uertet. Quid enim prodest esse uerba & latina, & significantia, & nuda, figuris etiam numerisque elaborata, nisi cum ijs in quæ iudicem duci formarique uolumus, consentiant? Si genus sublime dicendi paruis in caussis, paruum limatumque grandibus, lætum tristibus, lene asperis, minax supplicibus, summissum concitatis, trux atque uiolentum iucundis adhibeamus? Vt monilibus, & margaritis, ac ueste longa, quæ sunt ornamenta fœminarum, deformentur uiri: nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari potest augustius, fœminas deceat. Hunc locum Cicero breuiter in tertio de Oratore libro perstringit: neque tamen uideri potest quicquam omisisse, dicendo, non omni caussa, nec auditori, nec personæ, nec tempori congruere orationis unum genus. Nec ferè pluribus in Oratore eadem. Sed illic L. Crassus, cum apud summos Oratores, hominesque eruditissimos dicat, satis habet partem hanc uelut notare inter agnoscentes: & hic Cicero alloquens Brutum testatur esse hæc ei nota, ideoq; breuius à se dici, quanquam sit fusus locus, tractetur q; à philosophis latius. Nos institutionem professi, non solum scientibus ista, sed etiam discentibus tradimus: ideoque paulo pluribus uerbis debet haberi uenia. Quare notum sit nobis ante omnia, quid conciliando, docendo, mouendo iudici conueniat: quid quaque parte orationis petamus. Ita neque uetera, aut translata aut ficta uerba in incipiendo, narrando, argumentando tractabimus, neque decurrentis contexto uitore circuitus, ubi diuidenda erit caussa, & in partes suas digerenda, neque humile atque quotidianum sermonis genus, & compositione ipsa dissolutum, epilogis dabimus: nec iocis lachrymas, ubi opus erit miseratione, siccabimus. Nam ornatus omnis non tam sua quàm rei cui adhibetur conditione constat: nec plus refert quid dicas, quàm quo loco. Sed totum hoc aptè dicere, non elocutionis tantùm genere constat, sed est cũ inuentione commune. Nam si tantum habent etiam uerba momentum, quanto res ipsæ maius? quarum quæ esset obseruatio, suis locis subinde subiecimus. Illud est diligentius docendum, eum demum dicere aptè, qui non solùm quid expediat, sed etiam quid deceat, inspexerit. Nec me fugit plerunq; hæc esse coniuncta. Nam quod decet, ferè prodest: neque alio magis animi Iudicum conciliari, aut, si res in contrarium tulit, alienari solent. Aliquando tamen & hæc dissentiũt. Quoties autem pugnabunt, ipsam utilitatem uincet quod decet. Nam quis nescit nihil magis profuturum ad absolutionē Socrati fuisse, quàm si esset usus illo iudiciali genere defensionis, & oratione summissa conciliasset Iudicũ animos sibi, crimenque ipsum solicitè redarguisset? Verùm id eum minimè decebat: ideoque sic egit, ut qui pœnam suam honoribus summis esset æstimaturus. Maluit enim uir sapientissimus, quod superesset ex uita, sibi perire, quàm quod præterisset: & quandò ab hominibus sui temporis parum intelligebatur, posterorum se iudicijs reseruauit, breui detrimento iam ultimæ senectutis, æuum seculorum omnium consecutus. Itaque quamuis Lysias, qui tum in dicendo præstantissimus habebatur, defensionem illi scriptam attulisset, uti ea noluit: cum bonam quidem, sed parum sibi conuenientem iudicasset. Quo uel solo patet, non persuadendi, sed bene dicendi finem in Oratore seruandum, cum interim persuadere deforme sit. Non fuit hoc utile absolutioni: sed (quod est maius) homini fuit. Et nos secundum communem potius loquendi consuetudinem, quàm ipsam ueritatis regulam, diuisione hac utimur,

In Orato.

Quæ apte dicere uolenti obseruanda.

Ornatus quo constet.

Quid deceat & expediat, inspiciẽdum.

Nõ omnia quæ expediunt, decent.

Cice. 1 de Oratore, & Val. lib. 6. titu. 4.

mur, at ab eo quod deceat, utilitatem separemus. Nisi forte prior ille Aphricanus, qui patria cedere, quàm cum Tribuno pleb. humillimo contendere de innocentia sua maluit, inutiliter sibi uidetur consuluisse: aut P. Rutilius uel quum illo penè Socratico genere defensionis est usus, uel quã reuocante eum P. Sylla manere in exilio maluit, quid sibi maximè conduceret nesciebat. Hi uero parua illa, quæ abiectissimus quisque animus utilia credit, si cum uirtute conferantur, despicienda iudicauerunt: ideoq; perpetua seculorum admiratione celebrantur. Neque nos simus tam humiles, ut quæ laudamus, inutilia credamus. Sed hoc qualecunque discrimen rarò admodum euenit. Cæterùm idem ferè (ut dixi) in omni genere caussarum & proderit, & decebit. Est autem quod omnes & semper & ubique suadere ac dicere honestè facereque deceat, contraque neminem ullo unquam in loco turpiter. Minora uerò, quæque sunt ex medijs, plura sunt talia, ut alijs sint concedenda, alijs non sint: aut pro persona, tempore, loco, caussa, magis ac minus uel excusanda debeant uideri, uel reprehendẽda. Cum dicamus autem de rebus aut alienis, aut nostris, diuidenda ratio est eorum, dum sciamus pleraque neutro loco conuenire. In primis igitur omnis sui uitiosa iactatio est, eloquentiæ tamen in Oratore præcipuè: affertq; audientibus non fastidium modò, sed plerunq; etiã odium. Habet enim mens nostra natura sublime quiddam & erectum, & impatiens superioris. Ideoq; abiectos, aut summittentes se, libenter alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores uidemur: & quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se maiorem, quàm minores cæteros facere. Inde inuident humiliores. Hoc uitium est eorum, qui nec cedere uolunt, nec possunt contendere: rident superiores, improbant bonos. Plerunque uero deprehendas arrogantium fallacem de se opinionem, sed in his ueri quoque sufficit conscientia. Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero, quanquam is quidem rerum à se gestarum maior, quàm eloquentiæ fuit in orationibus iactator. Ac plerunq; illud quoque non sine aliqua ratione fecit. Aut enim tuebatur eos quibus erat usus adiutoribus in opprimenda coniuratione: aut respondebat inuidiæ, cui tamen non fuit par, seruatæ patriæ pœnam passus exilium: ut illorum quæ egerat in consulatu, frequens commemoratio, possit uideri non gloriæ magis quàm defensioni data. Eloquentiam quidem cum plenissimam diuersæ partis aduocatis concederet, sibi nunquam in agendo immodicè arrogauit. Illius sunt enim, Siquid est in me ingenij, Iudices, quod sentio quàm sit exiguum. &, Nam quo minus ingenio possum, subsidium mihi diligentia comparaui. Quinetiam contra Q. Cæcilium de accusatore in Verrem constituendi, quamuis multum esset in hoc quoq; momenti, uter ad agendum magis idoneus ueniret, dicendi tamen facultatem magis illi detraxit, quàm arrogauit sibi: seque non consecutum, sed omnia fecisse ut posset eam consequi, dixit. In epistolis aliquando familiariter apud amicos, nonnunquam in dialogis, aliena tamen persona, uerum de eloquentia sua dicit. Et apertè tamen gloriari, nescio an sit magis tolerabile uel ipsa uitij huius simplicitate, quàm illa iactatione peruersa, si abundans opibus pauperem se, nobilis obscurum, potens infirmum, & disertus imperitum planè & infantem uocet. Ambitiosissimum gloriandi genus est etiam deridere. Ab alijs ergo laudemur. Nam ipsos, ut Demosthenes ait, erubescere etiam cum ab alijs laudabimur, decet. Neq; hoc dico, nõ aliquando de rebus à se gestis Oratori esse dicendum, sicut eidem Demostheni pro

Cice 1. de Oratore.

Quæ fugienda. Iactatio sui uitiosa.

Excusat iactantiã Ciceronis, & defendit.

Hoc excusat in oratione pro domo sua ad Pontif.

Pro Arch. Pro Quin. In Diuin.

3. libro de Oratore, & in Bruto,

Ctesiphonte: quòd tamen ita emendauit, ut necessitatem id faciendi ostenderet, inuidiamque omnem in eum regereret qui hoc se coegisset. Et M. Tullius sæpe dicit de oppressa coniuratione Catilinæ, sed modò id uirtuti Senatus, modò prouidentiæ deorum immortalium assignat. Plerunq; contra inimicos atque obtrectatores plus uindicat sibi. erant enim tuenda cum obijcerentur. In carminibus utinam pepercisset, quæ non desierunt carpere maligni,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. &,
O fortunatam natam me consule Romam.

Et Iouem illum, à quo in concilium deorum aduocatur: & Mineruam, quæ omnes eum artes edocuit. quæ sibi ille, secutus quædam Græcorum exempla, permiserat. Verùm eloquentiæ ut indecora iactatio, sic nonnunquam concedenda fiducia est. Nam quis reprehendat hæc, Quid putem? contemptum'ne me? Non uideo nec in uita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenij, quid despicere possit Antonius. Et paulò pòst apertius, An decertare mecum uoluit contentione dicendi? Hoc quidem beneficium est. Quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi pro me, & contra Antonium dicere? Arrogantes & illi, qui se iudicasse de caussa, nec aliter affuturos fuisse proponunt. Nam & inuiti iudices audiunt præsumentem partes suas: nec hoc Oratori contingere inter aduersarios, quod Pythagoræ inter discipulos contigit, potest, Ipse dixit. Sed istud magis minus'ue uitiosum est pro personis dicentium. Defenditur enim aliquatenus ætate, dignitate, authoritate: quæ tamen uix in ullo tanta fuerint, ut non hoc affirmationis genus temperandum sit aliqua moderatione, sicut omnia in quibus patronus argumentum ex seipso petet. Quod fuisset tumidius, si criminis loco esse negasset Cicero, Equitis Romani esse filium se defendente; ille fecit hoc etiam fauorabile, coniungendo cum iudicibus dignitatem suam: Equitis autem Romani esse filium, criminis loco poni ab accusatoribus, neque his iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis. Impudens, tumultuosa, iracundia actio, omnibus indecora: sed ut quisque ætate, dignitate, usu præcedit, magis in ea reprehendendus. Videas autem rixatores quosdam neque Iudicum reuerentia, neque agendi more ac modo contineri: quo ipso mentis habitu manifestum sit tam in suscipiendis quàm in agendis caussis nihil pensi habere. Profert enim mores plerunque oratio, & animi secreta detegit. Nec sine caussa Græci prodiderunt, Vt uiuat, quenque etiam dicere. Humiliora illa uitia, summissa adulatio, affectata scurrilitas, in rebus ac uerbis parùm modestis ac pudicis uilis pudor, in omni negocio neglecta authoritas: quæ ferè accidunt ijs qui nimium aut blandi esse; aut ridiculi uolunt. Ipsam etiam eloquentiæ genus alios aliud decet. Nam neque tam plenum & erectum & audax & præcultum senibus conuenerit, quàm pressum, & mite, & limatum, & quale intelligi uult Cicero cum dicit orationem suã cœpisse canescere: sicut uestibus quoq; non purpura coccoq; fulgentibus illa ætas satis apta sit. In iuuenibus etiam uberiora paulo, & penè periclitantia ferũtur. At in ijsdem siccum & solicitum & contractum dicendi propositum, plerunq; affectatione ipsa seueritatis inuisum est: quando etiam morum senilis authoritas, immatura in adolescentibus creditur. Simpliciora militares decent. Philosophiã ex professo (ut quidã faciunt) ostentantibus, parum decori sunt plerique orationis ornatus, maximeq; ex affectibus, quos illi uitia dicunt. Verba quoq; exquisitiora & cõpositio numerosa tali proposito diuersa. Non enim solũ illa lætiora, qualia à Cicerone dicũtur, Saxa atq; solitu-

dines

In Pisonẽ.

Pro Rabirio.

Cice. Carmina.

In lib. temporum suorum.

Eloquẽtiæ fiducia concessa.

Philip. 2.

Cice. 1. de nat. Deo. αὐτὸς ἔφα.

Pro Cælio.

Actio indecora fugienda.

Rixatores.

Eloquentiæ genus ad personas accommodandum.

In Bruto.

Senes.

Iuuenes.

Militares.

Philosophos.

Pro Arch. Pro Milo.

dinet uoci respondent: sed etiam illa, quanquam plena sanguinis: Vos enim iam Albani tumuli atque luci, uos inquam imploro atque testor, uosq; Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ & æquales: non conueniat barba illi atque tristitiæ. At uir ciuilis, uereque sapiens, qui se non ociosis disputationibus, sed administrationi Reipublicæ dederit (à qua longissimè isti qui philosophi uocantur, recesserunt) omnia quæ ad efficiendum oratione quod proposuerit ualent, libenter adhibebit: cum prius quod honestum sit, efficere in animo suo constituerit. Est quod principes deceat, alijs non concesseris.

Principes. Imperatores.

Imperatorum ac triumphalium separata est aliqua ex parte ratio eloquentiæ: sicut Pompeius abunde disertus rerum suarum narrator: & hic qui bello ciuili se interfecit, Cato, eloquens senator fuit.

Liberũ in uno, furiosum in alio. Iliad. 2. 3. de Ora.

Idem dictum, sæpe in alio liberum, in alio furiosum, in alio superbum est. Verba aduersus Agamemnonem à Thersite habita ridentur: da illa Diomedi, aliú ue cui pari, magnum animũ ferre præ se uidebuntur. Ego te consulem putem, inquit L. Crassus Philippo, cum tu me non putes senatorem? Vox honestissimæ libertatis, non tamen ferres quencunque dicentem.

Catullus.

Negat se magni facere aliquis poetarum, utrum Cæsar ater an albus homo sit: insania. uerte, ut idem Cæsar de illo dixerit, arrogantia est.

Maior in personis obseruatio est apud comicos tragicosque. Multis enim utuntur, & uarijs. Eadem & eorum qui orationes alijs scribebant, fuit ratio, & declamantiũ est. Non enim semper ut aduocati, sed plerunque ut litigatores dicimus. Verumetiam in ijs caussis quibus aduocamur, eadem differentia diligenter est custodienda.

Morũ discrimen. Pro Cælio. Act. 7. in Verrem.

Vtimur enim fictione personarum, & uelut ore alieno loquimur: dandiq; sunt ijs quibus uocem accommodamus sui mores. Aliter enim P. Clodius, aliter Appius Cæcus, aliter Cæcilianus ille, aliter Terentianus pater fingitur. Quid asperius lictore Verris, Vt adeas, tantum dabis? Quid fortius illo, Cuius inter ipsa uerberum supplicia, una uox audiebatur, Ciuis Romanus sum? Quam dignæ Milonis in peroratione ipsa uoces eo uiro, qui pro Republica seditiosum ciuem toties compescuisset, quique insidias uirtute superasset? Deniq; non modò quot in caussa, totidem in prosopopœia sunt uarietates: sed hoc etiam plures, quòd in his puerorum, fœminarum, populorum, mutarum etiam rerũ assimulamus affectus, quibus omnibus debetur suus decor.

Prosopopœia.

Eadem in ijs pro quibus agemus, obseruãda sunt. Aliter enim pro alio sæpe dicendum est, ut quisq; honestus, humilis, inuidiosus, fauorabilis erit, adiecta propositorum quoque & anteactæ uitæ differentia. Iucũdissima uerò in Oratore humanitas, facilitas, moderatio, beneuolentia. Sed illa quoque diuersa bonum uirum decent, malos odisse, publica uice cõmoueri, ulcisci scelera & iniurias: & omnia, ut initio dixi honesta.

Apud quẽ dicas, referre.

Nec tantũ quis, & pro quo, sed etiam apud quem dicas, interest. Facit enim & fortunæ discrimen, & potestas: nec eadem apud principem, magistratum senatorem priuatum tantum liberum, ratio est nec eodem sono publica iudicia, & arbitrorum disceptationes aguntur. Nam ut orantem pro capite solicitudo deceat & cura, & omnes ad amplificandam orationem quasi machinæ: ita in paruis rebus iudicijsque uana sint eadem, rideaturque meritò qui apud disceptatorem de re leuissima sedens dicturus, utatur illa Ciceronis confessione, non modò se animo commoueri, sed etiam corpore ipso perhorrescere.

Pro Milo.

Quis uerò nesciat quin aliud dicendi genus poscat grauitas senatoria, aliud aura popularis? cum etiam singulis iudicantibus, non idem apud graues uiros, quod leuiores: non idem apud eruditum, quod militarem ac rusticum deceat: sitque nonnunquam summittenda, & contrahenda oratio, ne iudex eam uel intelligere uel capere non possit.

Decorũ ex conditione locorũ & temporũ.

Tempus quoque ac locus egent obseruatione propria. Nam & tempus tum lætum, tum triste, tum liberum, tum angustum est. Atque ad hæc omnia componendus orator. Et loco publico priuato' ne, celebri an secreto, aliena ciuitate an sua, in castris denique an foro dicas, interest plurimum: ac suam quicque formam, & proprium quendam modum eloquentiæ poscit: cum etiam in cæteris actibus uitæ non idem in foro, curia, campo, theatro, domi, facere conueniat: & pleraque quæ natura non sunt reprehendenda, atque ideo interim sunt necessaria, alibi quàm mos permiserit, turpia habeantur.

Lib. 8. ca. 3.

Illud iam diximus quanto plus nitoris & cultus demonstratiuæ materiæ, ut ad delectationem audientium composita, quàm, quæ sunt in actu & contentione, suasoriæ iudicialesque permittant. Hoc adhuc adijciendum, aliquas etiam quæ sunt egregiæ dicendi uirtutes, quo minus deceant, effici conditione caussarum.

Decorũ ex conditione caussarum.

An quisquam tulerit reum in discrimine capitis, præcipuè qui apud uictorem & principem pro se ipse dicat, frequenti translatione, fictis ac repetitis ex uetustate uerbis, compositione quæ sit maximè à uulgari usu remota, decurrentibus periodis, quam lætissimis locis sententijsque dicentem? Non perdant hæc omnia necessarium periclitanti solicitudinis colorem, petendumque etiam innocentibus misericordiæ auxilium? Moueatur' ne quisquam eius fortuna, quem tumidũ ac sui iactantem, & ambitiosum institorem eloquentiæ in ancipiti sorte uideat? Non: imo oderit reum uerba aucupantem, & anxium de fama ingenij, & cui esse diserto uacet.

Cælij defensio.

Quòd mirè Cælius in defensione caussæ qua reus de ui fuit, comprehendisse mihi uidetur, Ne cui uestrum, atque etiam omnium qui ad rem agendam adsunt, meus aut uultus molestior, aut uox immoderatior aliqua, aut denique, quod nimium est, iactantior gestus fuisse uideatur. Atqui sunt quædam actiones in satisfactione, deprecatione, confessione positæ: sententiolis' ne flendum erit? Epiphonemata aut enthymemata exorabunt? Non quicquid meris adijcietur affectibus omnes eorum diluet uires & miserationem securitate laxabit? Age si de morte filij sui, uel iniuria quæ morte sit grauior, dicendum patri fuerit, aut in narrando gratiam illam expositionis, quæ continget ex sermone puro atque dilucido, quæret, breuiter ac significanter ordinem rei protulisse contentus, aut argumenta diducet in digitos, & propositionum ac partitionum captabit leporem, &, ut plerunque in hoc genere moris est, intentione omni remissa loquetur? Quo fugerit interim dolor ille? ubi lachrymæ substiterint? unde se in medium tam secura obseruatio artium miserit? Non ab exordio usque ad ultimam uocem continuus quidam gemitus, & idem tristitiæ uultus seruabitur, si quidem uolet dolorem suum etiam in audientes transfundere? quem si usquam remiserit, in animum iudicantium non reducet.

Declamantes quomodo affectibus utantur.

Quod præcipue declamantibus (neque enim me pœnitet ad hoc quoque opus meum, & curam susceptorum semel adolescentium respicere) custodiendum est, quo plures in schola finguntur affectus, quos non ut aduocati, sed ut passi subimus. Cum etiam hoc genus simulari litium soleat, cum ius mortis à senatu quidam uel ob aliquam magnam infœlicitatem, uel etiam pœnitentiam petunt: in quibus non solùm cantare, quod uitium peruasit, aut lasciuire sed ne argumẽta. i quidem nisi mistis. & quidem ita, ut in ipsa probatione magis emineant, affectibus decet. Nam qui intermittere in agendo dolorem potest,

uidetur posse etiam deponere. Nescio tamen an huius (de quo loquimur) decoris custodia maximè circa eos contra quos dicimus, examinanda sit. Nam sine dubio in omnibus statim accusationibus hoc agendum est, ne ad eas libenter descendisse uideamur. Ideoq; mihi illud Cassii Seueri non mediocriter displicet, Dii boni, uiuo: & quo me uiuere iuuet, Aspernatem reum uideo. Non enim iusta ex caussa uel necessaria uideri potest postulasse eum, sed quadam accusandi uoluptate.

Accusandū inuite.

Praeter hoc tamen, quod est commune, propriam moderationem quaedam caussae desiderāt. Quapropter & qui curationem bonorum patris postulabit, doleat eius ualetudine: & quanlibet grauia filio pater obiecturus, miserrimam sibi ostendat esse hanc ipsam necessitatē: nec hoc paucis modò uerbis, sed toto colore actionis, ut id eum non dicere modò, sed etiam uerè dicere appareat. Nec caussanti pupillo sic tutor irascatur unquam, ut non remaneant amoris uestigia, & sacra quaedam patris eius memoria. Iam quo modo contra abdicantem patrem, quaerentem uxorem, agi caussam oporteret, in libro, ut arbitror, septimo dixi. Quando etiam ipsos loqui, quando aduocati uoce uti deceret, quartus liber, in quo procemii praecepta sunt, continet. Esse & in uerbis quod deceat, aut turpe sit, nemini dubium est.

Moderatio caussarum quarūdam propria.

Ca. de qualitate.

Vnū iam igitur huic loco, quod est sanè summae difficultatis, adiiciendum uidetur, quibus modis ea quae sunt natura parùm speciosa, quaeq; non dicere, si utrunlibet esset liberum, maluissemus, non tamen sint indecora dicentibus. Quid asperiorem habere frontem potest, aut quid aures hominum magis respuūt, quàm cum est filio filii'ue aduocatis in matrem perorandum? aliquando tamen necesse est, ut in caussa Cluentii Habiti: sed non semper illa uia, qua contra Sassiā Cicero usus est: non quia non ille optimè, sed quia plurimum refert, qua in re & quomodo laedat. Itaq; illa cum filii caput palàm impugnaret, fortiter fuit repellenda. Duo tamen quae sola supererant, diuinè Cicero seruauit. Primum, ne obliuisceretur reuerentia quae parentibus debetur: deinde ut repetitis altius caussis, diligētissimè ostenderet, quàm id quod erat in matrem dicturus, non oporteret modò fieri sed etiam necesse esset. primaque haec expositio fuit, quanquam ad praesentem quaestionem nihil pertinebat. adeò in caussa difficili atque perplexa nihil prius intuendum credidit, quàm quid deceres. Fecit itaque nomen parentis non filio inuidiosum, sed ipsi in quam dicebatur. Potest tamen aliquando mater & in re leuiore aut minus infesta contra filium stare: tum lenior atque summissior decebit oratio. Nam & satisfaciendo, aut nostram minuemus inuidiam, aut etiam in diuersum eam transferemus: & si grauiter dolere filium palàm fuerit, credetur abesse ab eo culpa, fietque ultro miserabilis. Auertere quoque in alios crimen decet, ut fraude aliquorum concita credatur: & omnia nos passuros, nihil asperè dicturos, testandum: ut etiam si non possimus non conuitiari, nolle uideamur. Etiam si quid obiiciendum erit, officium est patroni, ut id filio inuito, sed fide cogente facere credatur. Ita poterit uterque laudari. Quod de matre dixi, de utroque parēte accipiendum est. Nam inter patres etiam filiosque cum interuenisset emancipatio, litigatum scio. In aliis quoque propinquitatibus custodiendum est, ut inuiti, & necessariò, & parcè indicemur dixisse: magis autem aut minus, ut cuique personae debetur reuerentia. Eadem pro libertis aduersus patronos obseruantia. Et ut semel plura complectar, nunquam decebit sic aduersus tales agere personas, quo modo contra nos agi ab hominibus conditionis eiusdem iniquo animo tulissemus. Praestatur hoc aliquando etiam dignitatibus, ut libertatis nostrae ratio reddatur, ne q is nos aut petulantes in laedēdis his, aut etiam ambitiosos putet. Itaq; Cicero quanquam erat in Cottam grauissimè dicturus, neque aliter agi P. Oppii caussa poterat, longa tamen praefatione excusauit officii sui necessitatem.

Turpia ut decora fiāt ex personarum tractatione.

Decorum in oratione pro Cluētio à Cicerone seruatum.

Excusatio.

Aliquando etiam inferioribus, praecipueque adolescentulis parcere aut mederi decet. Vtitur hac moderatione Cicero pro Caelio contra Atracinum, ut eum non inimicè corripere, sed penè patriè monere uideatur. Nam & iuuenis, & nobilis, & non iniusto dolore uenerat ad accusandum. Sed in iis quidem, in quibus uel iudici, uel etiam assistentibus ratio nostrae moderationis probari debet, minor est labor: illic plus difficultatis, ubi ipsos contra quos dicimus, ueremur offendere. Duae simul huiusmodi personae Ciceroni pro Murena dicenti obstiterunt, M. Catonis, Seruiique Sulpitii: quàm decenter tamen Sulpitio cum omnes concessisset uirtutes, scientiam petendi consulatus ademit? Quid enim aliud esset quo se uictum homo nobilis & iuris antistes magis ferret? Vt uerò rationem defensionis suae reddidit, cum se studuisse petitioni Sulpitii contrà honorem Murenae, non idem debere accusationi contra caput, diceret? Quàm molli autem articulo tractauit Catonem? cuius naturam summè admiratus, non ipsius uitio, sed Stoicae sectae, quibusdam in rebus factam duriorem uideri uolebat: ut inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem crederes incidisse.

Quo tractādi quos offendere uere mur.

Haec est profectò ratio, & certissimum praeceptorum genus, illius uiri obseruatio, ut cum aliquid detrahere salua gratia uelis, concedas alia omnia: in hoc solo uel minus peritum quàm in caeteris, adiecta, si poterit fieri, etiam caussa cur ita sit: uel paulo pertinaciorem uel credulum, uel iratum, uel impulsum ab aliis. Hoc illis commune remedium est, si in tota actione aequaliter appareat non honor modo, sed etiam charitas: praeterea causa sit nobis iusta sic dicendi: neque id moderate tantum faciamus, sed etiam necessario.

Detrahēdi ratio cum gratia.

Diuersum ab hoc, sed facilius cum hominum aut alioqui turpium, aut nobis inuisorum quaedam facta laudanda sunt. Decet enim rem ipsam probare in qualicunque persona. Dicit Cicero pro Gabinio & P. Vatinio inimicissimis antea sibi hominibus, & in quos orationes etiam scripserat: uerum causa iusta sit fatendo non se de ingenii fama, sed de fide esse solicitum. Difficilior ei ratio in iudicio Cluentiano fuit, cum Staman drum necesse haberet dicere nocentem, cuius egerat causam. Verum illud elegantissime, cum eorum à quibus ipse productus esset, preces, tum etiam adolescentiam suam excusat: detracturus alioqui plus authoritatis, si in causa praesertim suspecta, se eum esse, qui temere nocentes reos susciperet, fateretur.

Quo pacto persona inimica aut parum honesti hominis, aut aliquod eius factum laudetur.

Apud iudicem uero cum aut proponitur alienum commodum in causa quam suscepimus aut suum, ut persuadendi ardua ratio, ita dicendi expeditissima. Fiducia enim iustitiae eius, non causa, nihil nos timere simulabimus. Ipse erit gloria inflandus, ut tanto clarior futura sit fides ac religio in pronunciando, quanto minus uel offensa uel utilitati suae indulserit.

Iudicis persona.

Hoc modo & apud eos à quibus appellatum erit, si forte ad eosdem remittemur, adiicienda ratio uel necessitatis alicuius, si id caussae cedit, uel erroris, uel suspicionis. Tutissimum ergo poenitentiae confessio, & satisfactio culpae: perducendusque omni modo iudex ad irae pudorem. Accidit etiam nonnunquam, ut eandem caussam de qua pronunciauit, cognoscat iterum: tum illud quidem commune, apud alium nos iudicē disputaturos de illius sententia non fuisse: neq; enim emendari ab alio quàm ab ipso fas esse: ceterùm ex caussa, ut quaeque permittet, aut ignorata quaedam,

Quomodo apud eundem iterū agendum.

aut

aut defuisse testes, aut (quod timidissimè, & si nihil aliud planè fuerit, dicendum est) patronos non satisfecisse succurret, etiam si apud alios iudices agetur, ut in secunda assertione, aut in centumuiralibus iudicijs duplicibus, parte uicta. Decentius erit, quoties contigerit, seruare iudicum pudorem: de qua re latius in probationum loco dictũ est.

Lib. 5. c. 2. Reprehendendi quæ feceris, ratio.

Potest euenire, ut in alijs reprehendenda sint, quæ ipsi fecerimus: ut obijcit Tubero Ligario, quòd in Africa fuerit. Et ambitus quidam damnati, recuperanda dignitatis gratia reos eiusdem criminis detulerunt: ut in scholis luxuriantem patrem luxuriosus ipse iuuenis accusat. Id quàm decenter fieri possit, equidem non inuenio, nisi aliquid reperiatur quod intersit, persona, ætas, tempus, caussa, locus, animus. Tubero iuuenem se patri hæsisse, illum à senatu missum non ad bellum, sed ad frumentum coemendum ait, ut primùm licuerit, à partibus recessisse. Ligariũ & perseuerasse, & non pro Cn. Pompeio, inter quẽ & Cæsarem dignitatis fuerit contentio, cum saluam uterq; Rẽpublicam uellet, sed pro Iuba atq; Afris inimicissimis populo Romano stetisse. Cæterùm uel facillimum est ibi alienam culpam accusare, ubi fateris tuam. Verùm id iam iudicis est, non actoris. Quòd si nulla contingit excusatio, sola colorem habet pœnitentia. Potest enim uideri satis emendatus, qui in odium eorum in quibus errauerat, ipse conuersus est. Sunt enim quidam qui hoc natura ipsa rei non indecens faciunt: ut cum pater ex meretrice natum, quòd amet meretricem in matrimonium, abdicat. Scholastica materia, sed non quæ non possit accidere. Hic igitur multa non deformiter dicet: uel quòd omnium sit uotum parentum, ut honestiores quàm sint ipsi, liberos habeant (nam & filia nata, meretrix eam mater pudicam esse uoluisset) uel quòd humilior ipse fuerit (licet enim hoc dicere) uel quòd non habuerit patrem qui moneret: quin eo minus faciendum filio fuisse, ne renouaret domus pudorem, & exprobraret patri nuptias, matri prioris uitæ necessitatem: ne deniq; legem quandam suis quoq; subinde liberis daret. & credibilis erit etiam propria quædam in illa meretrice turpitudo, quam nunc hic pater ferre non possit. alia prætereo. Neque enim nunc declamamus, sed ostendimus nonnunquam posse ipsis incommodis dicentem bene uti.

Pœnitẽtiæ color.

Quomodo de pudẽdis quærendum sit, & aspera molliẽda.

Illic maior æstus, ubi quis pudenda queritur, ut stuprum, præcipuè in maribus: aut os prophanatum. Non dico si loquatur ipse (nam quid aliud ei quàm gemitus ac fletus, & execratio uitæ conuenias? ut iudex intelligat potius dolorem illum, quàm audiat) sed patrono quoq; per similes affectus eundũ erit, quia hoc iniuriæ genus uerecundius mest passis quàm ausis. Molliendà est in plerisq; alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum liberis fecit, Quid enim crudelius, quàm homines honestis parentibus ac maioribus natos, à Republica summoueri? Itaque durum id esse summus ille tractandorum animorum artifex confitetur: sed ita legibus Syllæ cohærere statum ciuitatis affirmat, ut his solutis stare ipsa non possit. Assecutus itaq; est, ut aliquid eorum quoq; caussa uideretur facere, contra quos diceret. Illud etiam in iocis monui, quàm turpis esset fortunæ insectatio: & ne in totos ordines, aut gentes aut populos petulantia incurreret. Sed interim fides patrocinij cogit quædam de uniuerso genere aliquorũ hominum dicere, ut Libertinorum, uel Militum, uel Publicanorum, uel similiter aliorum: in quibus omnibus commune remedium est, ut ea quæ lædunt, non libenter tractare uidearis: nec in omnia impetum facias, sed in id quod expugnandum est: & reprehẽdens, alia laude cõpenses. Si milites cupidos dicas esse, non mirũ, quòd periculorum ac sanguinis maiora sibi deberi præmia putent: eosdẽ petulantes, & hoc fieri, quòd bellis magis quã paci assueuerint. Libertinis detrahẽda est authoritas: licet his testimoniũ redde re industria, per quam exierint de seruitute. Quod ad nationes exteras pertinet, Cicero uarie detracturus Græcis testibus fidem, doctrinam his concedit ac literas: seq; eius gentis amatorem esse profitetur. Sardos contemnit, Allobrogas ut hosteis insectatur: quorum nihil tunc cum diceretur, parum aptum, aut remotum à cura decoris fuit.

Ordinis alicuius insectandi ratio.

In milites

In libertinos.

Pro Flacco, Vareno, Fonteio.

Inuidiæ detrahendæ ratio.

Verborum etiam moderatione detrahi solet siqua est rei inuidia, si asperum dicas nimium seuerum, iniustũ persuasione labi, pertinacem ultra modum tenacem esse propositi: plerunq; uelut ipsos coneris ratione uincere, quod est mollissimum. Indecorum est super hæc omnia nimium: ideoq; etiam quod natura rei satis aptũ est, nisi modo quoque temperetur, gratiam perdit. Cuius rei obseruatio iudicio magis quodam sentiri, quàm præceptis tradi potest. Quantum satis sit, & quantum recipiant aures, non habet hæc rei mensuram, & quasi pondus, quia ut in cibis, alia alijs magis complent. Adijciendum etiam breuiter uidetur, quòd ferè dicendi uirtutes diuersissimæ, nõ solùm suos amatores habeant, sed ab eisdem sæpe laudentur. Nam Cicero quodam loco scribit id esse optimum, quod cum te facile credideris consequi imitatione, non possis. Alio uerò, non se id egisse, ut ita diceret quomodo se quilibet posse confideret, sed quomodo nemo. Quod potest pugnare inter se uideri. Verùm utrunq; ac meritò laudatur. Caussa enim modò distat: quia simplicitas illa, & uelut securitas inaffectatæ orationis, mirè tenues caussas decet: maioribus illud admirabile dicendi genus magis cõuenit. In utroq; eminet Cicero, ex quibus alterum imperiti se consequi credent, neutrum qui intelligunt.

Nimium omne indecorum.

Virtutes diuersæ.

In Orato.

ARGVMENTVM.

Memoria & pronunciatio potissimum ad dicendũ pertinent, ergo hoc loco commodè tractantur. Hoc itaq; capite, quantus eloquentiæ thesaurus sit memoria, quæ res nobis & uerba semper repræsentat, sine qua nulla constet aliarum partium, prædicat. Eius partes duas facit, facilè percipere, & fideliter continere, non solum scripta, sed etiam cogitata, & iam aduersariorũ, quã nostra. Vim eius naturalem describit, quæ tamen ratione iuuetur, & exercitatione augeatur, firmeturq;. Quare memoriam duplicem esse, naturalem & artificiosam contendit. Artificiosæ primum inuentorem, & ex quo euentu, Simonidem commemorat. Eamq; tribus constare, locis, imaginibus & præceptis ostendit. Loca multa illustria, explicata modicis interuallis, imagines rerum & uerborum efficaces, acres, insignitas desiderat, quibus modus aliquis statuendus sit, ne uanitate quadam aut ostentatione minutim concidantur, quod orationi perpetuæ ediscendæ parum conuenit. Ediscendi rationem triplicem facit, tacite secum, uoce leniter expressa, & alio legente. Primam magnopere probat, si cogitationibus & perturbationibus simus uacui. Quibus ut occurramus, sit adhibenda uox, quæ duplici motu iuuet, audiendi, & dicendi, quæ secunda ratio erit. Tertiæ commoda cum incommodis comparat, & ostendit esse maiora. Quo pacto longior oratio memoria complectenda sit, præcepta tradit, ut per partes ediscatur, non exiguas, sed quæ locum quenq; ad finem perducant, quibus apponendæ sint notæ rei cõuenientes, ut si de naue dicendum, anchora, si de bello, spiculũ. Aliquando etiam quæ ab aliquo simili memoriam transferũt ad id quod continendum est, ut si Fabius tenendus sit, succurrat cunctator ille, si Cicero, ueniat in mentem ciceris. Aliquando etiam non similes, ut si annulum alliges, ut cur id feceris, requiras. Reliqua huius rei præcepta sunt, ut bene ualeamus, ut animus sit liber cogitationibus, ut digestus cibus, ut eadem cera, aut tabula utamur in qua scripsimus, ut adsit exercitatio cogitandi ediscendique, pauca primùm, deinde paulatim plura. Ut diuisione utamur, & bona compositione, ut poetica primùm ediscamus, deinde oratoria, tertio solutiora numeris, ut tardiora ingenia nocte interposita recordationem adhibeant. Postremò ingeniis

fideli &

fideli & magna memoria præditis, & tempore abundantibus,ad
uerbum ediscenda omnia imperat,dura uerò aut nulla, extēpo-
rali tamen dicendi facultate ualentibus,comprehēsis animo re-
bus,eloquendi facultatem liberam permittit, & quantum me-
moria natura studioq; ualeat, Themistoclis Mithridatis Crassi
atque Cyri exemplis ostendit.

De memoria. Cap. II.



*Emoriam quidam naturæ modò esse mu-
nus existimauerunt: estq; in ea non du-
biè plurimum: sed ipsa excolendo, sicut
alia omnia, augetur: & totus de quo di-
ximus adhuc inanis est labor,nisi cætera
partes,hoc uelut spiritu continentur. Nā*

Memoriæ commendatio ab utilitate.

*& omnis disciplina memoria cōstat, frustraq; docemur,si
quicquid audimus,præterfluat: & exemplorū,legū,respon
sorum,dictorum,beneq; factorū uelut quasdā copias, qui-
bus abundare,quasq; in promptu semper habere debet ora*

Oratori utilia. Thesaurus eloquētiæ, memoria.

*tor,eadem illa uis repræsentat. Neq; immeritò thesaurus
hic eloquentiæ dicitur. Sed non firmè tantùm continere, ue
rumetiam citò percipere, multa acturos oportet: nec quæ
scripseris modò,iterata lectione complecti: sed in cogitatis
quoq; rerum ac uerborum contextum sequi: & quæ sint
ab aduersa parte dicta,meminisse: nec utiq; eo quo dicta
sunt ordine refutare, sed opportunis locis ponere. Quid?
extemporalis oratio non alio mihi uidetur mentis uigore
constare. Nam dum alia dicimus: quæ dicturi sumus, in-
tuenda sunt. ita cum semper cogitatio ultra id quod est,lon
gius quærit: quicquid interim reperit, quodammodo apud
memoriam deponit: quod illa quasi media quadam manus
acceptum ab inuētione,tradit elocutioni. Non arbitror
autem mihi in hoc immorandum,quid sit quod memoriam
faciat: quanquam pleriq; imprimi quædam uestigia no-
stro animo,quæ uelut in ceris annulorum signa seruentur,
existimant. Neq; ero tam credulus,ut quasi habitu tardio
rem firmioremq; memoriam fieri putem. Eius autem quod*

Vis memoriæ.

*ad animum pertinet, magis admirer naturam, subitò res
uetustas tanto ex interuallo repetitas reddere se & offer
re: nec tantùm requirentibus,sed etiam sponte interim,nec
uigilantibus,sed etiam quiete compositis magis: eoq; illa
quoq; animalia quæ carere intellectu uidemus,meminerūt,
& agnoscunt,& quamlibet longo itinere diducta, ad assue
tas sibi sedes reuertuntur. Quid? non hæc uarietas mira
est,excidere proxima,uetera inhærere? hesternorum im-
memores,acta pueritiæ recordari? Quid quod quædam re
quisita se occultant,& eadem forte succurrunt? nec manet
semper memoria,sed aliquando etiam redit? Nesciretur
tamen quanta uis esset eius,quāta diuinitas illa,nisi in hoc
lumen orandi uim extulisset. Non enim rerum modo, sed
etiam uerborum ordinem præstat: nec ea pauca contexit,
sed durat propè in infinitum, & in longissimis actionibus
prius audiendi patientia quā memoriæ fides deficit. Quod
& ipsum argumentū est,subesse artem aliquam,iuuarique
ratione naturam: cum iidem docti facere illud,indocti &
inexercitati non possumus: quanquam inuenio apud Pla-*

In Phędro & Timæo.

*tonem obstare memoriæ, usum literarum: uidelicet quòd
illa quæ scriptis reposuimus,uelut custodire desinimus, &
ipsa securitate dimittimus. Nec dubium est, quin pluri-
mum in hac parte ualeat mentis intentio, & uelut acies
luminum à prospectu rerum quas intuemur, non auersa.
Vnde accidit, ut quæ per plures dies scribimus ediscendi*

Simonides artificiosæ memoriæ inuentor.

*caussa,cogitatione ipsa contineat. Artem autem memo
riæ primus ostendisse dicitur Simonides: cuius uulgata fa-
bula est: Cum pugili coronato carmen quale componi ui-
ctoribus solet,mercede pacta scripsisset, abnegata ei pecu-
niæ pars est,quòd more Poetis frequentissimo digressus, in
laudes Castoris & Pullucis exierat, quapropter partem
ab iis petere,quorum facta celebrasset, iubebatur. & per-
soluerunt,ut traditum est. Nam cum esset grande conui-
uium in honorem eiusdem uictoriæ,atq; adhibitus ei cœnæ
Simonides,nuncio est excitus,qòd eum duo iuuenes equis
aduecti desiderare maiorem in modum dicebantur. Et il-
los quidem non inuenit, fuisse tamen gratos erga se, exitu
comperit. Nam uix eo limen egresso,triclinium illud su-
pra conuiuas corruit, atq; ita contudit, ut non ora modò
oppressorum, sed membra etiam omnia requirentes ad se-
pulturā propinqui,nulla nota possent discernere. Tum Si-
monides dicitur,memor ordinis quo quisq; discubuerat,cor
pora suis reddidisse. Est autem magna inter authores dis-
sensio,Glaucone Carystio,an Leocrati,an Agatharcho, an
Scopæ scriptum sit id carmen: & Pharsali fuerit hæc do-
mus,ut ipse quodā loco significare Simonides uidetur atq;
Apollodorus,& Eratosthenes & Euphorion & Larissæus
Eurypilus tradiderunt: an Cranone,ut Apollas Callima
chus,quem secutus Cicero hanc famam latius fudit. Scopā*

2. de Orat.

*nobilem Thessalum perisse in eo conuiuio constat, adiicitur
sororis filius: putāt & ortos plerosq; ab illo Scopa,qui ma
ior ætate fuerit: quanquam mihi totum de Tyndaridis fa-
bulosum uidetur: neq; omnino huius rei meminit usquam
poeta ipse profectò non taciturus de tanta sua gloria. Ex
hoc Simonidis facto notatum uidetur, iuuari memoriam
signatis animo sedibus,idq; credere suo quisq; experimen
to. Nam cum in loca aliqua post tempus reuersi sumus,nō
ipsa agnoscimus tantùm,sed etiam quæ in his fecerimus re
miniscimur,personæq; subeunt,nonnunquam tacitæ quoque
cogitationes in mentem reuertuntur. Nata est igitur,*

Ars memoriæ confirmandæ.

*ut in plerisq;,ars ab experimento. Loca discunt quamma-
ximè spatiosa,multa uarietate signata, domum fortè ma-
gnam,& in multos diductam recessus. In ea quicquid no-
tabile est,animo diligenter affigitur, ut sine cunctatione
ac mora parteis eius omnes cogitatio possit percurrere. Et
primus hic labor est,non hærere in occursu. Plus enim quā
firma debet esse memoria,quæ aliam memoriam adiuuet.
Tum quæ scripserunt,uel cogitatione complectuntur, &
alio signo quo moneantur,notant: quod esse uel ex re tota
potest, ut de nauigatione, militia: uel ex uerbo aliquo.
Nam etiam excidentes, unius admonitione uerbi in memo
riam reponuntur. Sit autem signum nauigationis, ut an-
chora: militiæ,ut aliquid ex armis. Hæc itaque digerunt,
primum sensum,uel locum uestibulo quasi assignant,secun
dum atrio,tum impluuia circumeunt: nec cubiculis modò
aut exedris,sed stratis etiam similibusq; per ordinē com-
mittunt. Hoc facto,cum est repetenda memoria, incipiunt
ab initio loca hæc recensere,& quod cuiq; crediderunt,re-
poscunt,& eorum imagine admonentur: ut quālibet mul-
ta sint quorum meminisse oporteat, sint singula connexa
quodam choro,ne errent coniungentes prioribus sequentia
solo ediscendi labore. Quod de domo dixi, & in operibus
publicis,& in itinere longo,ut urbium ambitu,& picturis
fieri potest. Etiam fingere sibi has imagines licet. Opus*

Loca & imagines.

*est ergo locis,quæ uel finguntur, uel sumuntur: imagini-
bus,uel simulacris,quæ utiq; fingenda sunt. Imagines no-
tæ sunt quibus ea quæ ediscenda sunt,notamus: ut quomo-
do Cicero dicit, locis pro cera, simulacris pro literis uta-*

2. de Orat. & 1 Partit.

*mur. Illud quoq; ad uerbum ponere,optimum fuerit: Lo-
cis est utendum multis, illustribus, explicatis modicis in-
teruallis: imaginibus aliquid agentibus, acribus, insigni-
tis,quæ occurrere,celeriterque percutere animum possint.
Quo magis miror quomodo Metrodorus in XII signis*

per quæ

Locorũ & imaginum nimis minutim facta concisio, perpetuis orationibus parũ apta.

per quæ Sol meat, trecenos & sexagenos inuenerit locos. Vanitas nimirum fuit atq; iactatio circa memoriam suã potius arte quàm natura gloriantis. Equidem hæc ad quædam prodesse non negauerim, ut si rerum nomina multa per ordinem audita, reddenda sint. Nanq; in ijs quæ didicerunt locis reponunt res illas, mensam, ut hoc utar, in uestibulo, in atrio puluinum, & sic cætera: deinde relegentes, inueniunt ubi posuerint. Et forsitan in hoc sunt adiuti, qui auctione dimissa, quid cuiq; uẽdidissent, testibus argentariorum tabulis reddiderũt: quod præstitisse Hortensium

Senec. li. 1. Declama.

dicunt. Minus idem proderit in ediscendis quæ orationis perpetuæ erunt. Nam & sensus non eandem imaginem quam res habent, cum alterum fingendum sit, & horum tamen utrunq; commonet. Sed sermonis alicuius habiti uerborum contextus eadem arte quomodo comprehendetur? Mitto quòd quædam nullis simulacris significari possunt, ut certæ cõiunctiones. habeamus enim sanè, ut qui notis scribunt, certas imagines omniũ, & loca scilicet infinita, per quæ uerba quæ sunt in quinq; contra Verrẽ secũdæ actionis libris, explicentur, ut meminerimus etiam omniũ quasi depositorum: nonne impediri quidem eorum quæ dicit, decursum necesse est duplici memoriæ cura? Nã quomodo poterunt copulata fluere, si propter singula uerba ad singulas formas respiciendum erit? Quare & Carneades, & Scepsius (de quo modò dixi) Metrodorus, quos Ci-

2. de Orat. Longioris orationis memoria cõplectendæ præcepta.

cero dicit usos hac exercitatione, sibi habeant sua: nos simpliciora tradamus. Si longior complectenda memoria fuerit oratio, proderit per partes ediscere (laborat enim maximè onere) & hæ partes non sint perexiguæ, alioqui nimis multæ erunt, & eam distinguent atque concident. Nec utiq; certum imperauerim modum, sed maximè ut quisq; finietur locus: nisi fortè tam sit numerosus, ut ipse quoq; diuidi debeat. Dãdi sunt certi quidã termini, ut contextum uerborũ (qui est difficillimus) continuet crebra meditatio, partes deincept ipsas repetitus ordo cõiungat. Non est inutile, quò facilius hæreant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoneat & quasi excitet memoriam. Nemo enim ferè tam infœlix, ut quod cuique loco signum destinauerit, nesciat: ut si erit tardus ad hoc, eo quoq; adhuc remedio utatur, ut ipsæ excitẽt notæ. Hinc est ex illa arte non inutile, attendere signa ad eos qui exciderunt sensus: anchoram (ut suprà posui) si de naue dicendum esset: spiculum, si de prælio. Multum enim signa faciunt, & ex alia memoria uenit alia, ut cum translatus annulus uel alligatus commoneat nos cur id fecerimus.

Similia maximè memoriã renouant.

Hæc magis adhuc adstringunt, quę memoriã ab aliquo simili transferunt ad id quod continendum est: ut in nominibus, si Fabius forte sit tenendus, referamus ad illũ cunctatorem, qui excidere non potest: aut ad aliquem amicũ, qui idem uocetur. quod est facilius in Apris, & Vrsis, & Nasone, aut Crispo: ut id memoriæ affigatur, unde sunt nomina. Origo quoq; aliquando declinatorum, tenendi magis caussa est, ut in Cicerone, Verrio, Aurelio, si debent inseri. Illud neminem non iuuabit, ijsdem quibus scripserit ceris, ediscere. Sequitur enim uestigijs quibusdam memoriam, & uelut oculis intuetur non paginas modò, sed uersus propè ipsos. qui tum dicit similis legenti. Iam uerò si litura aut adiectio aliqua aut mutatio interueniat, signa sunt quædam quæ intuentes errare non possumus.

Triplex ediscẽdi ratio, tacite, uoce modicè expressa, & alio legente.

Est ratio, ut illi de qua primùm locutus sum arti non dissimilis, ita (si quid me experimenta docuerunt) & expeditior & potentior, ediscere tacitè. Nam id quoq; est, quod tum erat optimum, si non subirent uelut ociosum animum plerunque aliæ cogitationes, propter quas excitandus est uoce, ut duplici motu iuuetur memoria, dicendi, & audiendi. Sed hæc uox sit modica, & magis murmur. Qui autem legente alio ediscit, in parte tardatur, quòd acrior est oculorum quàm aurium sensus. in parte iuuari potest, quòd cum semel aut bis audierit, continuò illi memoriam suam experiri licet, & cum legente cõtendere. Nam & alioqui id maximè faciendum est, ut nos subinde tentemus: quia continua lectio & quæ magis, & quæ minus hærent, æqualiter transit. In experiendo teneasne, & maior intẽtio est, & nihil superuacui temporis perit, quo etiam quæ tenemus, repeti solent: ita sola quæ exciderunt, retractantur, ut crebra iteratione firmetur: quanquam solent hoc ipso maximè hærere, quòd exciderunt.

Memoriæ conducentia.

Illud ediscendo scribendoq; commune est, utriq; plurimũ conferre bonam ualetudinem, digestum cibum, animum cogitationibus alijs liberum. Verùm & in his quæ scripsimus, complectendis, multum ualent, & in ijs quæ cogitamus, cõtinendis, (propè sola excepta, quæ potentissima est, exercitatione) diuisio & compositio.

Diuisio & cõpositio.

Nam qui rectè diuiserit, nunquam poterit in rerum ordine errare. Certa sunt enim non solùm in digerendis quæstionibus, sed etiam in exequendis, si modò rectè dicimus, prima ac secunda, & deinceps: cohæretque omnis rerum copulatio, ut ei nihil neq; subtrahi sine manifesto intellectu, neq; inseri possit.

Scæuolæ in lusu scruporum memoria.

An uerò Scæuola in lusu duodecim scruporum, cum prior calculum promouisset, essetq; uictus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine quo dato errasset, recordatus redijt ad eum quicum luserat, isq; ita factum esse confessus est: minus idem ordo ualebit in oratione, præsertim totus nostro arbitrio constitutus, cum tantum ille ualeat alternus? Etiã quæ bene composita erunt, memoriam serie sua ducent. Nam sicut facilius uersus ediscimus, quàm prosam orationem: ita prosa uincta, quàm dissoluta. Sic contingit, ut etiam quæ ex tempore uidebantur effusa, ad uerbum repetita reddantur:

Quintiliani memoria.

quod mea quoq; memoria mediocritatem sequebatur, siquando interuentus aliquorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coegisset. nec est mendacio locus, saluis qui interfuerunt.

Labor & exercitatio cogitãdi multa & ediscẽdi in arte memoriæ potẽtissima.

Siquis tamen unam maximamq; à me artem memoriæ quærat, exercitatio est, & labor, multa ediscere, multa cogitare, & (si fieri potest) quotidie, potentissimum est. Nihil æquè uel augetur cura, uel negligentia intercidit. Quare & pueri statim, ut præcepi, quamplurima ediscant: & quæcunq; ætas operã iuuandæ studio memoriæ dabit, deuoret initio tædium illud & scripta & lecta sæpius reuoluendi, & quasi eundem cibum remandendi. Quod ipsum hoc fieri potest leuius, si pauca primùm, & quę * tædium non afferant, cœperimus ediscere: tum quotidie adijcere singulos uersus, quorum accessio labori sensum incrementi non afferat, in summam ad infinitum usq; perueniat: & poetica prius, tum oratorum, nouissimè etiam solutiora numeris, & magis ab usu dicendi remota. qualia sunt iurisconsultorum. Difficiliora enim debent esse quæ exercent, quò sit leuius ipsum illud in quod exercent, ut Athletæ ponderibus plumbeis assuefaciunt manus, quibus uacuis & nudis in certamine utendum est. Non omittam etiam quod quotidianis experimẽtis deprehenditur, minimè fidelem esse paulò tardioribus ingenijs recentem memoriam.

* odium.

Noctis cõmoda:

Mirũ dictu est, nec in promptu ratio, quantum nox interposita afferat firmitatis. siue quiescit labor ille, cuius sibi ipsa fatigatio obstabat, siue maturatur atq; concoquitur, seu firmissima eius pars est recordatio: quæ statim referri non poterant, contexuntur postera die: confirmatq; memoriam idẽ illud tempus, quod esse in caussa solet obliuionis. Etiam illa pręuelox ferè citò effluit, &

*effluit, & uelut præsenti officio functa nihil in posterũ de-
beat, tanquam dimissa discedit. Nec est mirum magis hę-
rere animo, quę diutius affixa sint. Ex hac ingeniorum*
An ad uerbum ediscẽdum. *diuersitate nata dubitatio est, ad uerbum sit ediscendum
dicturis, an uim modò rerum atq; ordinem complecti satis
sit: de quo sine dubio non potest in uniuersum pronunciari.
Nam si memoria suffragatur, tempus non desit, nulla me
uelim syllaba effugiat: alioqui etiam scribere sit superua-
cuum. Idq; præcipuè à pueris obtinendum, atq; in hanc
consuetudinem memoria exercitatione redigenda, ne nobis
discamus ignoscere. Ideoq; & admoneri, & ad libellum*
93 *respicere, uitiosum, quòd libertatem negligentiæ facit: nec
quisquam se parum tenere iudicat, quod ne sibi excidat nõ
timet. Inde interruptus actionis impetus, & resistens ac
salebrosa oratio, & qui dicit ediscenti similis, etiam omnẽ
bene scriptorum gratiã perdit uel hoc ipso, quòd scripsisse
se confitetur. Memoria autem facit etiam prompti ingenij
famam, ut illa quæ dicimus, nõ domo attulisse, sed ibi pro-
tinus sumpsisse uideamur: quod & Oratori & ipsi caussæ
plurimum confert. Nam & magis miratur, & minus ti-
met iudex quæ non putat aduersus se præparata. Idq; in
actionibus inter præcipua seruandum est, ut quædam etiã
quæ optimè uinximus, uelut soluta enunciemus: & cogi-
tantibus nonnunquã & dubitantibus similes quærere ui-
deamur quæ attulimus. Ergo quid sit optimum, neminem*
Quid in debili memoria. *fugit. Si uerò aut memoria natura durior erit, aut non suf-
fragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia se uerba
alligare, cum obliuio unius eorum cuiuslibet, aut deformẽ
hæsitationem, aut etiam silentium inducat. Tutiusq; mul-
to, comprehensis animo rebus ipsis, libertatem sibi eloquen
di relinquere. Nam & inuitus perdit quisq; id quod elege
rat uerbum: nec facilè reponit aliud, dum id quod scripse-
rat, quærit. Sed ne hoc quidem infirmæ memoriæ remediũ
est nisi in ijs qui sibi facultatem aliquam dicendi ex tem-
pore parauerunt. Quòd si cui utrunq; defuerit, huic omit-
tere omnino totum actionum laborem, ac si quid in literis
ualet, ad scribendum potius suadebo conuertere. Sed hæc*
Exẽpla memoriæ. *rara infœlicitas erit. Cæterùm quantum natura stu-*
Thucydides 1. *dioq; ualeat memoria, uel Themistocles testis, quem unum
intra annum optimè locutum esse Persice constat, uel Mi-*
Plin. lib. 7. *thridates, cui duas & uiginti linguas, quot nationibus im*
Valer. 8. *perabat, traditur notas fuisse: uel Crassus ille diues, qui*
Plin. 7. *cum Asiæ pręesset, quinq; Græci sermonis differentias sic*
Valer. 8. *tenuit, ut qua quisq; apud eum lingua postulasset, eadem*
Xenophon in Pædia. *sibi ius redditum ferret. uel Cyrus, quem omnium militũ
tenuisse creditum est nomina. Quin semel auditos quamli-
bet multos uersus protinus dicitur reddidisse Theodectes.
Dicebantur etiam nunc esse qui facerent, sed mihi nunquã
ut ipse interessem contigit: habenda tamen fides est uel in
hoc, ut qui crediderit, & speret.*

ARGVMENTVM.

Quibus nominibus appelletur pronunciatio, & quantam ha-
beat uim ac potestatem in orationibus, testimoniis exemplis &
similibus ostendit, & qui pronunciationi tanquam parum natu-
rali detrahunt, reprobat. Deinde in uocem & gestum diuidit,
quorum uox ad auditum, gestus ad oculos pertinet. In uoce duo
spectanda monet, naturam, & usum. In natura quantitatem &
qualitatem In qualitate, an grãdis uel exigua, uel inter has ex-
tremitates media. In qualitate, an cãdida, fusca, plena, exilis, le-
uis, aspera, contracta, fusa, dura, flexibilis, clara, obtusa. In utendi
modo, ut ea sit pro uarietate rerum acuta, grauis, flexa, intenta,
remissa, lenta, concitata. Ad uocem augendam atque etiam
tuendam hæc ait conducere, corporis firmitatem, quam ambu-
latio, unctio, ueneris abstinentia & frugalitas præstent. Fauces
molles & lenes, Humorem in ore mediocrem. Ediscere uaria
clamosa & flexuosa: Exerceri quotidie dicendo. Hic confir-
matam & constitutam uocem, iisdem propriis quibus orationẽ,
circunscribit, ut sit emendata, dilucida, ornata, & apta Emenda-
tam ait fore, si non erit rustica, peregrina, absurda, rudis, imma-
nis, dura, rigida, uana, præpinguis, tenuis, inanis, acerba, pusilla,
mollis, effœminata, spiritu breui, parum durabilis, in receptu diffi
cili. Dilucidam, si erit explanata & distincta Ornatam, si erit fa-
cilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura,
secans aera, auribus sedens, mediis sonis utẽs, qui, cum augenda
erit, excitentur, cum summittenda, temperentur. Aptam, si rerũ
de quibus dicimus, & animorum habitibus erit accommodata
in rebus lætis, plena, simplex, & hilaris: In certamine, erecta. In
ira, atrox, & aspera ac densa, ac crebra respiratione In inuidia fa
cienda, lentior. In blandiendo, fatendo, rogando, satisfaciendo,
lenis & sommissa. Suadendo, monendo, pollicendo & consolan-
do, grauis. In metu & uerecundia, contracta, Adhortando, for-
tis, Disputando, uolubilis, concinna, contracta. In miseratione,
flexa & flebilis, In egressionibus, fusa, In expositione ac sermo-
nibus, recta, In magnis affectibus, elata, In compositis, submissa.

In procemio plerunq; lenis cum gestu modesto, In narratio-
ne, apertior, In confirmatione, agilior, acrior & instantior. In
propositione, partitione & interrogatione, sermoni proxima. In
egressione lenis, dulcis & remissa. In epilogis si utimur enume-
ratione, concisa, continens. Si concitamus, nunc intenta, nunc
remissior, nunc plenior. Si placamus, inclinata & lenis. Si mise-
rationem excitamus, flebilis, In summa, in tota caussa & parti-
bus eius, rebus, personis & sententiis conueniens. Hactenus
de uoce, nunc de gestu secunda pronunciationis parte, quam uo
ci consentire, & cum ea animo parere confirmat, eumq; ex effe-
ctis, exẽplis similibusq; nõ uulgariter celebrat, & qualis sit eius
in omnibus corporis partibus obseruatio, ut capite, uultu, palpe
bris, genis, superciliis, naribus, labris, ceruice, collo, manibus, digi-
tis, pedibus, toga & comis, quæ pronunciationis illustramenta
iuxta personarum, rerum & partium orationis uarietatem ua-
rię obseruare debeat Orator, describit, quem ad personas primũ,
deinde ad res respicere iubet. Atq; in personis, quis, apud quos,
& quibus præsentibus dicat, intuendum monet. In rebus qua-
tuor, Primùm tota caussa qualis sit, tristis ne an hilaris, grandis,
an pusilla, cui generum dicendi differentia adiungitur, Sitne de-
monstratiui generis caussa, an deliberatiui, uel iudicialis, Secun-
do quæ sit partium differentia, exordii, narrationis, probationis,
& epilogi. Tertio quæ sententiæ. Quarto qualia uerba, quæ ut
sententiæ, uarię rebus & partibus atq; etiam officiis, ut docendi,
mouendi, aut conciliandi, accommodanda sint. Deniq; totam ge
stuum obseruationem ad uocem & animi affectus attemperan-
dam esse. Postremò cum præcepta generaliter tradita sint, nõ
omnia omnibus, sed alia aliis conuenire, & decora esse, cum in
actione decorum præcipuè spectetur, exemplis comœdorum si-
milibus probat. Cumq; gestuum in dicendo, & uocis maxima sit
gratia, si cum mediocritate his utamur, argutias eorum & flexus
superstitiosos procul remouendos esse, & modum adhibendum
ne histriones, aut mimi, non oratores uideamur, monet.

De pronunciatione. Cap. III.

*PRonunciatio à plerisque actio dicitur. sed
prius nomen à uoce, sequens à gestu uide-
tur accipere. Nanq; actionẽ Cicero alias* 3. de Orat.
quasi sermonem, alias eloquentiam quan- 8. & 1 Orato.
*dam corporis dicit. Idem tamẽ duas eius
partes facit, quæ sunt eædem pronunciationis, uocem, atq;
motum. Quapropter utraq; appellatione indifferẽter uti*
licet. Habet autem res ipsa miram quãdam in oratio- Pronũciationis laus
*nibus uim ac potestatem. Neque enim tam refert qualia
sint quæ intra nosmetipsos composuimus, quàm quo modo
efferantur. nam ita quisq; ut audit, mouetur. Quare neq;
probatio ulla, quæ modò uenit ab Oratore, tam firma est,
ut non perdat uires suas nisi adiuuetur asseueratione di-
centis. Affectus omnes languescant necesse est, nisi uoce,
uultu, totius propè habitu corporis inardescant. Nã cum
hæc omnia fecerimus, fœlices, si tamen nostrum illum ignẽ
iudex conceperit: ne dum eum supini securiq; moueamus,
non & ipse nostra oscitatione soluatur. Documento sunt
uel scenici actores, qui & optimis poetarum tantum adij-
ciunt gratiæ, ut nos infinitè magis eadẽ illa audita quàm
lecta dele-*

lecta delectent, & uilissimis etiam quibusdam impetrent aures: ut quibus nullus est in bibliothecis locus, sit etiam frequens in theatris. Quòd si in rebus quas fictas esse scimus & inanes, tantū pronunciatio potest, ut iram, lachrymas, solicitudinem afferat, quanto plus ualeat necesse est ubi & credimus? Equidem uel mediocrem orationem commendatam uiribus actionis, affirmauerim plus habituram esse momenti, quàm optimam eadem illa destitutam. Siquidem & Demosthenes quid esset in toto dicendi opere primum, interrogatus, pronunciationi palmam dedit, eidemq; secundum ac tertium locum, donec ab eo quæri desineret: ut eam uideri posset non præcipuam, sed solam iudicasse. Ideoq; ipse tam diligenter apud Andronicum hypocriten studuit, ut admirantibus eius orationem Rhodijs, non immerito Aeschines dixisse uideatur. Quid si ipsum audissetis? Et M. Cicero unam in dicendo actionem dominari putat. Hac Cn. Lentulum plus opinionis consecutum, quàm eloquentia tradit. Eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece, totius populi Romani lachrymas concitasse, Antonium & Crassum multum ualuisse, plurimùm uerò Quin. Hortēsium: cuius rei fides est, quòd eius scripta tantum intra famam sunt, qui diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis existimatus est, nouissimè quoad uixit, secundus: ut appareat placuisse aliquid eo dicēte, quod legentes non inuenimus. Et hercle cum ualeant multū uerba per se, & uox propriam uim adijciat rebus, & gestus motusq; significet aliquid, profectò perfectum quiddā fieri cum omnia coierint, necesse est.

Cice. i Bruto, & 3 de Orat.

3. de Orat.

In Bruto.

De Orat 3

In Bruto.

Improbat quorundā errorem pronunciationi detrahentium.

Sunt tamen qui rudem illam, & qualem impetus cuiusq; animi tulit, actionē iudicent fortiorem, & solam uiris dignam, sed non alij ferè, quàm qui etiam in dicendo curam, & artem, & nitorē, & quicquid studio paratur, ut affectata & parum naturalia solent improbare, uel qui uerborum atq; ipsius etiā soni rusticitate, ut L. Cottam dicit Cicero fecisse, imitationē antiquitatis affectant. Verùm illi persuasione sua fruantur, qui hominibus, ut sint Oratores, satis putant nasci, nostro labori dent ueniam, qui nihil credimus esse perfectū, nisi ubi natura cura iuuetur. In hoc igitur non contumaciter consentio, primas partes esse naturæ. Nam certè bene pronunciare nō poterit, cui aut in scriptis memoria, aut in ijs quæ subitò dicenda erunt, facilitas prompta defuerit: nec si inemendabilia oris incommoda obstabunt. Corporis etiam potest esse aliqua tanta deformitas, ut nulla arte uincatur. Sed ne uox quidem nisi liberalis, actionem habere optimam potest. Bona enim firmaq; ut uolumus uti licet: mala uel imbecilla & inhibet multa, ut insurgere, exclamare: & aliqua cogit, ut summittere, deflectere, & raucas fauces ac latus fatigatum deformi canticō reficere. Sed nos de eo nunc loquimur, cui non frustra præcipitur.

3. de Orat. & i Bruto.

„
„
„

Pronunciationis diuisio in uocē & gestum.

In uoce spectatur natura & usus.

Quātitas uocis.

Qualitas. Plin. lib. 28 cap 6.

Spiritus.

Cum sit autem omnis actio, ut dixi, in duas diuisa partes, uocem, gestumq;, quorum alter oculos, altera aures mouet, per quos duos sensus omnis ad animū penetrat affectus: prius est de uoce dicere, cui etiam gestus accommodatur. In ea prima obseruatio est, qualem habeas, secunda, quomodo utaris. Natura uocis spectatur quantitate et qualitate. Quantitas simplicior est. In summa enim grandis aut exigua est: sed inter has extremitates mediæ sunt species, et ab ima ad summam, ac retrò, multi sunt gradus. Qualitas magis uaria est. Nam est & candida & fusca, & plena & exilis, & lenis & aspera, & contracta & fusa, & dura & flexibilis, & clara & obtusa. Spiritus etiā longior, breuiorq;. Nec caussas cur quicq; eorum accidat, persequi proposito operi necessarium est, eorumne sit differentia in quibus aura illa concipitur, an eorum per quæ uelut organa meat, an ipsi propria natura, an prout mouetur: lateris pectorisue firmitas, an capitis etiam plus adiuuet. Nam opus est omnibus, sicut non oris modò suauitate, sed narium quoq;, per quas quod superest uocis egeritur. Dulcis tamen esse debet, non exprobrans sonus.

Vtēdi uoce ratio.

Vtendi uoce, multiplex ratio. Nam præter illam differentiam, quę est tripertita, acutæ, grauis, flexæ: tum intētis, tum remissis, tum elatis, tum inferioribus modis opus est, spatijs quoq; lentioribus aut citatioribus, sed ijs ipsis media interiacent multa: & ut facies quanquam ex paucissimis cōstat, infinitam habet differentiam: ita uox etsi paucas quæ nominari possint, cōtinet species, propria cuiq; est: & non hæc minus auribus, quàm oculis illa dignoscitur.

Vocis cura quō habenda.

Augentur autem, sicut omnium, ita uocis quoq; bona, cura, & negligentia minuuntur. Sed cura non eadem Oratoribus, quæ phonascis, conuenit: tamen multa sunt utrisque communia, firmitas corporis, ne ad spadonum & mulierum & ægrorum exilitatem uox nostra tenuetur, quod ambulatio, unctio, ueneris abstinentia, facilis ciborum digestio, id est frugalitas, præstat. Præterea ut sint fauces integræ, id est molles ac leues, quarum uitio & frangitur, & obscuratur, & exasperatur, & scinditur uox. Nam ut tibia eodem spiritu accepto, alium clausis, alium apertis foraminibus, alium non satis purgata, alium quassa sonum reddunt: ita fauces tumentes strangulant uocem, obtusæ obscurant, rasæ exasperant, conuulsæ fractis sunt organis similes. Finditur etiam spiritus obiectu aliquo, sicut lapillo tenues aqua, quarum fluxus etiam si ultra paulum coit, aliquid tamē caui relinquit post idipsum quod offenderat. Humor quoq; uocem ut nimius impedit, ita cōsumptus destituit. Nam & fatigatio corpora non ad præsens modò tempus, sed etiam in futurum afficit. Sed ut communiter & phonascis & oratoribus necessaria est exercitatio, qua omnia conualescunt, ita curæ non idem genus est. Nā neque certa tempora ad spatiandum dari possunt tot ciuilibus officijs occupato, nec præparare ab imis sonis uocem ad summos, nec semper à contentione condere licet, cum pluribus iudicijs sæpe dicendum sit. Nę ciborum quidem est eadem obseruatio. Non enim tam molli teneraq; uoce, quàm forti ac durabili opus est: cum illi omnes etiam altissimos sonos leniant cantu oris, nobis pleraq; asperè sint concitateq; dicenda, & uigilandæ noctes, & fuligo lucubrationum bibenda, & in sudata ueste durandum. Quare uocem delicijs non molliamus, nec imbuatur ea consuetudine, quę duratura non sit: sed exercitatio eius talis sit, qualis usus: nec silentio subsidat, sed firmetur consuetudine, qua difficultas omnis leuatur.*

* cōquiescere.

Ediscere uaria, plurimū ad uocis exercitationem confert.

Ediscere antē quo exercearis, erit optimum (nam ex tempore dicenti, auocatur cura uocis, ille qui ex rebus ipsis cōcipitur affectus) & ediscere quammaximè uaria quæ & clamorem, & disputationem, & sermonem, & flexus habeant, ut simul in omnia paremur. Hoc satis est, alioqui nitida illa & curata uox insolitum laborem recusabit, ut assueta gymnasijs & oleo corpora, quālibet sint in suis certaminibus speciosa atq; robusta, si militare iter fascesq; & uigilias imperes, deficiant, & quærant unctores suos, nudumq; sudorē. Illa quidem in hoc opere præcipi quis ferat, uitandos soles atq; uentos, & nubila etiam ac siccitates? Ita si dicendum in Sole, aut uentoso, humido, calidoue die fuerit, reos deseremus? Nam crudum quidem, aut saturum, aut ebrium, aut eiecto modò uomitu, quæ cauenda quidam monēt, declamare neminem, qui sit mentis compos, puto. Illud non sine caussa est ab omnibus præceptum, ut parcatur maximè uoci in illo à pueritia in adolescentiam transitu, quia

Parcēdum uoci in trāsitu à pueritia ad adolescentiā.

natur aliter

naturaliter impeditur, non, ut arbitror, propter calorem, quod quidam putauerunt, (nam est maior alijs) sed propter humorem potius. Nam hoc ætas illa turgescit. Itaq; nares etiam, ac pectus, eo tempore tument, atq; omnia uelut germinãs, tenera, & iniuriæ obnoxia. Sed ut ad propositum redeam, iam confirmatæ constitutæq; uocis genus exercitationis optimum duco, quod est operi simillimũ, dicere quotidie sicut agimus. Namq; hoc modo non uox tantùm confirmatur & latus, sed etiam corporis decẽs & accommodatus orationi motus componitur. Non alia est autem ratio pronunciationis, quàm ipsius orationis. Nam ut illa emendata, dilucida, ornata, apta, esse debet: ita hæc quoq; emendata erit, id est uitio carebit, si fuerit os facile, explanatũ, iucundum, urbanum, id est, in quo nulla neq; rusticitas neq; peregrinitas resonet. Non enim sine caussa dicitur barbarum, græcumue. Nam sonis homines, ut æra tinnitu, dignoscimus. Ita fiet illud quod Ennius probat, cũ dicit suauiloquenti ore Cethegum fuisse: non quod Cicero in ijs reprehendit, quos ait latrare, non agere. Sunt enim multa uitia, de quibus dixi, cum in quadam primi libri parte puerorum ora formarem, opportunius ratus in ea ætate facere illorum mentionem, in qua emendari possunt. Itaq; sit ipsa uox primùm (ut sic dicam) sana, id est, nullũ eorum de quibus nunc dixi, patiatur incommodum, deinde nõ subsurda, rudis, immanis, dura, rigida, * uana, præpinguis, aut tenuis, inanis, acerba, pusilla, mollis, effœminata, spiritus, nec breuis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis. Dilucida uerò erit pronunciatio, primùm, si uerba tota exegerit, quorum pars deuorari, pars destitui solet, plerisq; extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. Vt est autem necessaria uerborum explanatio, ita omnes computare & uelut annumerare literas, molestum, & odiosum. Nam & uocales frequẽtissimè coeunt, & consonantium quædam insequente uocali dissimulantur utrinsq; exemplum posuimus,

Vox ad orationem accommodãda, ut sit emendata, dilucida, ornata, apta.

Cice. ĩ Bruto.

Lib. 1. ca. 1. & 1.

*Varia.

Dilucida.

Multum ille & terris.- Vitatur etiam duriorum inter se congressus, unde pellexit, & collegit, & quæ alio loco dicta sunt. Ideoq; laudatur in Catulo suauis appellatio literarum: Secundum est, ut sit oratio distincta, id est ut qui dicit, & incipiat ubi oportet, & desinat. Obseruandum etiam quo loco sustinendus & quasi suspendendus sermo sit (quam Græci ὑποδιαστολὴν, uel ὑποστιγμὴν uocant) quo deponendus. Suspenditur, Arma uirumq; cano, quia illud uirum, ad sequentia pertinet ut sit, uirũ, Troiæ qui primus ab oris. & hic iterum. nam etiamsi aliud est unde uenit, quàm quò uenit, non distinguendum tamen, quia utrunq; eodem uerbo cõtinetur, uenit. tertio Italiam, quia interiectio est fato profugus, & continuum sermonẽ qui faciebat. Italiam Lauinaq;, diuidit: ob cãdemq; caussam, quarto profugus: deinde, Lauinaq; uenit Littora: ubi iam erit distinctio, quia inde alius incipit sensus. Sed in ipsis etiam distinctionibus tempus alias breuius, alias longius dabimus. interest enim, sermonem finiat, an sensum. Itaque illam distinctionem Littora, protinus altero spiritus initio insequar. cum illuc uenero, -Atq; altæ mœnia Romæ: deponam, & morabor, & nouum rursus exordiũ faciam. Sunt aliquando & sine respiratione quædam moræ etiam in periodis: ut in illa, In cœtu uerò populi Romani, negocium publicum gerens, magister equitum, &c. Multa membra habent. Sensus enim sunt alij atq; alij, et sicut una circunductio est, ita paulum morandum in his interuallis, non interrumpendus est contextus. & econtrario spiritum interim recipere sine intellectu mora necesse est: quo loco quasi surripiendus est: alioqui si inscitè recipiatur, non minus afferat obscuritatis, quàm uitiosa distinctio. Virtus autem distinguendi fortasse sit parua, sine qua tamen esse nulla alia in agendo potest.

Aeneid. 1.

Cice ĩ Bruto.

Distincta

* ὑποδιαστολήν.

Aeneid. 1.

Philip. 2.

Ornata est pronunciatio, cui suffragatur uox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aera, auribus sedens. Est enim quædam ad auditum accommodata, non magnitudine, sed proprietate, ad hoc uelut tractabilis, utiq; habens omnes in se qui desiderantur sonos, intentionesque, & toto (ut aiunt) organo instructa: cui aderit lateris firmitas, spiritus cum spatio pertinax, tum labori non facilè cessurus. Neq; grauissimus, ut in musica, sonus, nec acutissimus orationibus conuenit. Nam & hic parum clarus, nimiumq; plenus, nullum afferre animis motum potest, et ille prætenuis, & immodicæ claritatis, cum est ultra uerum, tum neq; pronunciatione flecti, neq; diutius ferre intentionem potest. Nam uox, ut nerui, quo remissior, hoc & grauior & plenior: quo tensior, hoc tenuis & acuta magis est. Sic imum non habet, summa rumpi periclitatur. Medijs igitur utendum sonis: hiq;, cum augenda intentio est, excitandi: cum summittenda, sunt temperandi. Nã prima est obseruatio rectè pronunciandi, æqualitas, ne sermo subsultet imparibus spatijs ac sonis, miscens longa breuibus, grauia acutis, elata summissis: & inæqualitate horũ omnium, sicut pedum, claudicet. Secunda, uarietas est, quod solum est pronunciatio: ne quis pugnare inter se putet æqualitatem & uarietatem: cum illi uirtuti contrarium sit uitium inæqualitas, huic, qui dicitur μονοειδὲς, quasi quidam unus aspectus. Ars porro uariandi cum gratiam præbet, ac renouat aures, tum dicentem ipsa laboris mutatione reficit: ut standi, ambulandi, sedendi, iacendi uices sunt, nihilq; eorum pati unum diu possumus. Illud uerò maximum (sed id paulò post tractabimus) quòd secundum rationem rerum de quibus dicimus, animorumq; habitus, conformanda uox est, ne ab oratione discordet. Vitemus igitur illam quæ græce μονοτονία uocatur, una quædam spiritus ac soni intentio: non solum ne dicamus omnia clamosè, quod insanum est: aut intra loquendi modum, quod motu caret: aut summisso murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio, sed ut in ijsdem partibus, ijsdemq; affectibus, sint tamen quædam non ita magnæ uocis declinationes, prout aut uerborum dignitas, aut sententiarum natura, aut depositio, aut inceptio, aut transitus postulabit: ut qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, sine quo ne membris quidem suas lineas dedissent. Proponamus enim nobis illud Ciceronis in oratione nobilissima pro Milone principium, nonne ad singulas penè distinctiones, quamuis in eadem facie, tamen quasi uultus mutandus est? Etsi uereor Iudices, ne turpe sit pro fortissimo uiro dicere incipientem timere. Etiam si est toto proposito contractum atq; summissum, quia & exordium est, & soliciti exordium, tamen fuerit necesse est aliquid plenius et erectius dum dicit, Pro fortissimo uiro, quàm cum, Etsi uereor: &, Turpe sit: &, Timere. Iam secunda respiratio increscat oportet, & naturali quodam conatu, quo minus pauidè dicimus quæ sequuntur, & quo magnitudo animi Milonis ostenditur, Minimeque deceat, cum T. Annius ipse magis de Reipublicæ salute, quàm de sua perturbetur. Deinde quasi obiurgatio sui est, Me ad eius caussam, parem animi magnitudinem afferre non posse. Tum inuidiosiora, Tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos. Illa uero iam penè apertis (ut aiunt) tibijs, Qui quocunq; inciderunt, ueterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum requirunt. Nam sequens latum etiam atq; fusum est, Non enim corona con-

Ornata.

Vox bona.

Pronunciatio æquabilis, ac pro rerum & uerborum natura uarianda.

Variandæ artis bona.

Monotonia uitãda.

Facies.

Vultus.

Quam uario uocis flexu pronunciandũ exordium pro Milone.

rona confessus uester cinctus est, ut solebat. Quod notaui, ut appareret non solùm in membris caussæ, sed etiam in articulis esse aliquam pronunciandi uarietatem: sine qua nihil neq; maius neq; minus est.

Vox nõ nimis urgenda.

Vox autem ultra uires urgenda non est. Nam & suffocata sæpe, & maiore nisu minus clara est, & interim elisa, in illum sonum erumpit cui græci κλωσμὸν nomen à gallorum immaturo cãtu dederunt. Nec uolubilitate nimia cõfundenda quæ dicimus: qua & distinctio perit, & affectus, & nonnunquam etiam uerba aliqua sui parte fraudantur. Cui contrarium est uitium nimiæ tarditatis. Nam & difficultatem inueniendi fatetur, & segnitia soluit animos, & in quo est aliquid, tẽporibus præfinitis * aquam perdit.

* alludit ad ratiunẽ clepsydrarum.

Oris dispositio.

Promptum sit os, non præceps: moderatum, non lentum.

Spiritus.

Spiritus quoq; nec crebrò receptus concidat sententiam: nec eousq; trahatur, donec deficiat. Nam & deformis est consumpti illius sonus, & respiratio sub aqua diu pressi similis, & receptus longior & non opportunus: ut qui fiat non ubi uolumus, sed ubi necesse est. Quare longiorem dicturis periodum, colligendus est spiritus: ita tamen, ut id neq; diu, neq; cum sono faciamus, neq; omnino ut manifestum sit: reliquis partibus optimè inter iuncturas sermonis reuocabitur.

De Orat. 1

Demosthenis cura spiritus.

Exercendus autem est ut sit quàmlongissimus: quod Demosthenes ut efficeret scandens in aduersum continuabat quàm posset plurimos uersus. Idem quò facilius uerba ore libero exprimeret, calculos lingua uoluens dicere domi solebat. Est interim & longus, & plenus, & clarus satis spiritus, non tamen firmæ intentionis, ideoq; tremulus: ut corpora quæ aspectu integra, neruis parum sustinẽtur. Id βράγχον græci uocant.

Vitia male pronunciantium.

Sunt qui spiritum cum stridore per raritatem dentium non recipiunt, sed resorbent. Sunt qui crebro anhelitu, & introrsum etiam clarè sonante, imitentur iumenta onere & iugo laborantia. Quod affectant quoque, tanquam inuentionis copia urgeantur, maiorq; uis eloquẽtiæ ingruat, quàm quæ emitti faucibus possit. Est alijs concursus oris, & cum uerbis suis colluctatio. Iam tussire, & expuere crebro, & ab imo pulmone pituitam trocbleis adducere, & oris humore proximos spargere, & maiorẽ partem spiritus in eloquendo per nares effundere, etiam si non utiq; uocis sunt uitia, quia tamen propter uocem accidunt, potissimùm huic loco subijciantur.

Cantãdi uitium.

Sed quodcunque ex his uitium magis tulerim, quàm quo nunc maximè laboratur in caussis omnibus scholisq;, cantandi: quod inutilius sit an fœdius, nescio. Quid enim minus Oratori conuenit, quàm modulatio scenica, & nonnunquam ebriorum aut comessantium licentiæ similis? Quid uero mouendis affectibus contrarium magis, quàm cum dolendum, irascendum, indignandum, commiserandum sit, non solùm ab ijs affectibus, in quos inducendus est iudex recedere, sed ipsam fori sanctitatem ludorum talarium licentia soluere? Nam Cicero illos ex Lycia & Caria rhetoras propè cantare in epilogis dixit.

In Orato.

Nos etiam cantandi seueriorem paulo modum excessimus. Quisquamne, non dico de homicidio, sacrilegio, parricidio, sed de calculis certè atq; rationibus, quisquam deniq; (ut semel finiam) in lite cantat? Quod si omnino recipiendum est, nihil caussæ est cur non illam uocis modulationem fidibus ac tibijs, imò mehercule, quod est huic deformitati propius, cymbalis adiuuemus. Facimus tamen hoc libenter: Nam nec cuiquam sunt iniucunda quæ cantat ipse: & laboris in hoc, quàm in agendo, minus est. Et sunt quidam qui secundum alia uitæ uitia, etiam hac ubiq; audiendi quod aures mulceat, uoluptate ducantur.

In Orato.

Quid ergo? non & Cicero dicit esse aliquem in oratione cantum obscuriorem? Et hoc quodam naturali initio uenit. Ostendam non multò post, ubi & quatenus recipiendus sit hic flexus, & cantus quidem, sed (quod pleriq; intelligere nolunt) obscurior.

Pronũciatio apta.

Iam enim tempus est dicendi quæ sit apta pronunciatio: Quæ certè ea est, quæ ijs de quibus dicimus, accommodatur: quod quidẽ maxima ex parte præstant ipsi motus animorum sonatq; uox ut feritur.

Affect.⁹ duplices, ficti & ueri.

Sed cũ sint alij ueri affectus, alij ficti & imitati: ueri naturaliter erumpunt, ut dolentium, irascentium, indignãtium: sed carent arte, ideoq; sunt disciplinæ traditione formandi. Contrà qui effinguntur imitatione, artem habent: sed hi carent natura: ideoq; in his primùm est bene affici, & concipere imagines rerum, & tanquam ueris moueri. Sic uelut media uox, quem habitum à nostris acceperit, hunc Iudicum animis dabit.

Vox, mẽtis index.

Est enim mentis index, ac totidem, quot illa, mutationes habet. Itaq; lætis in rebus plena, simplex, & ipsa quodam modo hilaris fluit: at in certamine erecta totis uiribus, & uelut omnibus neruis intenditur. Atrox in ira, & aspera ac densa, & respiratione crebra. Neq; enim potest esse longus spiritus, cum immoderatè effunditur. Paululum in inuidia facienda * lentior, quia non ferè ad hanc nisi inferiores confugiunt: at in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando, lenis & summissa.

* lenior.

Suadentium, & monentium, & pollicentium, & consonantium grauis. In metu & uerecundia contracta, adhortationibus fortis, disputationibus teres, miseratione flexa & flebilis, & cõsultò quasi obscurior: at in egressionibus fusa, & securæ claritatis, in expositione ac sermonibus recta, & inter acutũ sonum & grauem media. Attollitur autem cõcitatis affectibus, compositis descẽdit, pro utriusq; rei modo altius uel inferius.

De gestu pronunciationis.

Quid autem quisq; in dicendo postulet locus, paulum differam, ut de gestu prius dicam: qui & ipse uoci consentit, & animo cum ea simul paret. Is quãtum habeat in Oratore momenti, satis uel ex eo patet, quòd pleraque etiam citra uerba significat.

Cic. 1 Part.

Nutus prò uoce.

Quippe non manus solùm, sed nutus etiam declarant nostram uoluntatem, & in mutis pro sermone sunt: & salutatio frequenter sine uoce intelligitur atq; afficit, & ex ingressu uultuq; perspicitur habitus animorum: & animalium quoq; sermone carẽtium, ira, lætitia, adulatio, & oculis, & quibusdam alijs corporis signis deprehenditur.

Picturæ uis

Nec mirum si ista, quæ tamen in aliquo sunt posita motu, tantum in animis ualent, quum pictura tacens opus, & habitus semper eiusdem, sic in intimos penetret affectus, ut ipsam uim dicendi nonnunquam superare uideatur. Contra si gestus ac uultus ab oratione dissentiant, tristia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes: non authoritas modò uerbis, sed etiam fides desit.

Speculi usus.

Decor quoq; à gestu atq; motu uenit. Ideoq; Demosthenes grande quoddam intuens speculum, componere actionem solebat. Adeo quamuis fulgor ille sinistras imagines reddat, suis demum oculis credidit quod efficeret.

Capitis gestus.

Præcipuum uero in actione, sicut in corpore ipso, caput est, cũ ad illum de quo dixi decorem, tum etiam ad significationẽ decoris. Illa sunt, ut sit primò rectum, & secundum naturam. Nam & deiectu humilitas, & supino arrogantia, et in latus inclinato languor, & præduro ac rigente barbaria quædam mentis ostenditur. Tum accipiat aptos ex ipsa actione motus, ut cum gestu concordet, & manibus ac lateribus obsequatur. Aspectus enim semper eodem uertitur quo gestus, exceptis quæ aut damnare, aut concedere, aut à nobis remouere oportebit: ut idem illud uultu uideamur auersari, manu repellere:

-Dij talem terris auertite pestem. &,

Aeneid. 3.

- Haud equidem tali me dignor honore.

Aeneid. 1.

Significat uero plurimis modis. Nam præter annuendi, renuendi,

renuendi,confirmandiq; motus,sunt & uerecundiæ, & du
bitationis,& admirationis,& indignationis noti & com
munes omnibus. Solo tamen eo facere gestum scenici quo-
que doctores uitiosum putauerunt. Etiam frequens eius nu
tus non caret uitio: adeo iactare id, & comas excutien-
tem rotare,phanaticum est. Dominatur autem maxi-
mè uultus. Hoc supplices,hoc minaces,hoc blandi, hoc tri-
stes,hoc hilares,hoc erecti,hoc summissi sumus. hoc pendēt
Vultus. homines,hunc intuentur,hunc spectant etiam antequam di
cimus. hoc quosdam amamus, hoc odimus.hoc plurima in-
telligimus. hic est sæpe pro omnibus uerbis. Itaq; in ijs quæ
ad scenam componuntur fabulis, artifices pronunciandi à
personis quoq; affectus mutuantur: ut sit Niobe in tra-
gædia tristis, atrox Medea, attonitus Aiax, truculentus
Hercules. In comœdijs uero præter aliam obseruationem,
qua serui,lenones,parasiti,rustici,milites,uetulæ,meretri-
culæ,ancillæ,senes austeri,ac mites,iuuenes seueri ac luxu
riosi,matronæ,puellæ, inter se discernuntur: pater ille cu-
ius præcipuæ partes sunt,quia interim concitatus, interim
lenis est,altero erecto,altero composito est supercilio, atq;
id ostendere maximè Latinis actoribus moris est, quod cū
Oculi. ijs quas agunt partibus congruat. Sed in ipso uultu plu
rimum ualent oculi,per quos maximè animus emanat, ut
citra motum quoque & hilaritate enitescant, & tristitia
Lachrymę quoddam nubilum ducant. Quinetiam lachrymas his na
dolore aut tura mentis indices dedit: quæ aut erumpunt dolore, aut
lætitia lætitia manant. Motu uero intenti,remissi,superbi,torui,
manātes. mites,asperi fiunt: quæ ut actus poposcerit, fingentur. Ri-
gidi uero & extenti,aut languidi & torpentes,aut stupen
tes,aut lasciui & mobiles,aut natantes, & quadam uolu-
ptate suffusi, aut limi, & (ut sic dicam) uenerei, aut po-
scentes aliquid,pollicentesue nonnunquam esse debebunt.
Nam opertos compressosue eos in dicendo, quis nisi planè
rudis,aut stultus habeat? Et ad hæc omnia exprimenda,in
Palpebræ. palpebris etiam & in genis est quoddam deseruiēs his mi
Genæ. nisterium. Multum & superciliys agitur. Nam & ocu
Superci-
lia. los formant aliquatenus,& fronti imperant. His contra-
Sanguis. hitur,attollitur,demittitur: ut una res in ea plus ualeat,
sanguis ille qui mentis habitu mouetur, & cum infirmam
uerecundia cutem accipit,effunditur in ruborem: cū me-
Rubor. tu refugit,abit omnis,& pallore frigescit: tēperatus me-
Supercilia. dium quoddam serenum efficit. Vitium in superciliys,si aut
immota sunt omnino,aut nimium mobilia,aut inæqualita-
te) ut modo persona comica dixeram) dissident, aut con-
tra id quod dicimus finguntur. Ira enim contractis,tristi-
tia deductis, hilaritas remissis ostenditur. Annuendi
quoque & renuendi ratione demittuntur, aut alleuantur.
Narēs. Naribus labrisq; non ferè quicquam decenter osten-
dimus,tametsi derisus, contemptus, fastidium significari
Sermo 1. solet. Nam & corrugare nares (ut Horatius ait) & in-
flare,& mouere, & digito inquietare, & impulsu subito
spiritum excutere,& diducere sæpius, & plana manu re-
supinare,indecorum est: cum emuncto etiam frequentior
non sine caussa reprehendatur. Labra & porriguntur ma
Labra. lè,& scinduntur,& adstringuntur,& diducuntur,& den
tes nudant,& in latus ac penè ad aurem trahuntur, & ue
lut quodam fastidio replicantur,& pendent, & uocē tan-
tum altera parte demittunt. Lambere quoq; ea & morde-
*efferēdis. re,deforme est: cum etiam in * efficiendis uerbis modicus
eorum esse debeat motus. Ore enim magis quàm labris lo
Ceruix. quendum est. Ceruicem rectam oportet esse,nō rigidam
aut supinam. Collum diuersa quidem,sed pari deformitate
Collum. & contrahitur,& tenditur: sed tenso subest & labor,te-
Mentum. nuaturq; uox ac fatigatur. Affixum pectori mentum,
minus claram,& quasi latiorem presso gutture facit. Hu Humeri.
merorum rarò decens alleuatio atque contractio est. Bre-
uiatur enim ceruix,& gestum quendam humilem atq; ser
uilem & quasi fraudulentum facit,cum se in habitum adu
lationis admirationis,metus, fingunt. Brachij mode- Brachia.
rata proiectio remissis humeris, atque explicantibus se in
proferenda manu digitis, continuos & decurrentes locos
maximè decet. At cum speciosius quid uberiusq; dicēdum
est,ut illud, Saxa atque solitudines uoci respondent, expa- Pro Arch.
tiatur in latus, & ipsa quodammodo se cum gestu fundit
oratio. Manus uero,sine quibus trunca esset actio ac de- Manuum
bilis,uix dici potest quot motus habeant, cum penè ipsam gestus.
uerborum copiam persequantur. Nam cæteræ partes lo-
quentem adiuuant, hæ (propè est ut dicam) ipsæ loquun-
tur. An non his poscimus? pollicemur? uocamus? dimitti-
mus? minamur? supplicamus? abominamur? timemus?
interrogamus? negamus? gaudium, tristitiam, dubitatio-
nem,confessionem,pœnitentiam,modum,copiam, numerū,
tempus, ostendimus? Non eadem concitant? supplicant?
inhibent? probant? admirantur? uerecundantur? Non in
demonstrandis locis atq; personis, aduerbiorum atq; pro-
nominum obtinent uicem? ut in tanta per omnes gentes na
tionesq; linguæ diuersitate, hic mihi omnium hominū com
munis sermo uideatur. Et ij quidem de quibus sum locu-
tus,cum ipsis uocibus naturaliter exeunt gestus: alij sunt
qui res imitatione significant: ut si ægrum tentantis ue-
nas medici similitudine,aut citharædum formatis ad mo-
dum percutientis neruos manibus ostēdas, quod est genus
quamlongissimè in actione fugiendum. Abesse enim pluri-
mum à saltatore debet Orator,ut sit gestus ad sensus ma-
gis quàm ad uerba accommodatus: quod etiam histrioni-
bus paulò grauioribus facere moris fuit. Ergo ut ad se ma
num referre,cum de se ipso loquatur,& in eum quem de-
monstret,intendere,& aliqua his similia permiserim: ita
non effingere status quosdam. & quicquid dicet, ostende-
re. Neque id in manibus solùm, sed in omni gestu ac uoce
seruandum est. Non enim aut in illa periodo, Stetit so-
leatus Prætor populi Romani, inclinatio incumbentis in Act.7.
mulierculam Verris effingenda est: aut in illa, Cædebatur In eadem.
in medio foro Messanæ: motus laterum qualis esse ad uer
bera solet, torquendus: aut uox qualis dolore exprimitur,
eruenda: cum mihi Comœdi quoq; pessimè facere uidean-
tur,qui etiam si iuuenem agant. cum tamen in expositione
aut senis sermo,ut in Hydriæ prologo: aut mulieris, ut in
Georgo, incidit, tremula uel effœminata uoce pronunciāt.
Adeò in illis quoque est aliqua uitiosa imitatio, quorum
ars omnis constat imitatione. Est autem gestus ille ma-
ximè communis,quo medius digitus in pollicem contrahi- Digiti.
tur explicitis tribus,& principijs utilis cum leui in utran-
que partem motu modicè prolatus simul capite atque hu-
meris sensim ad id quo manus feratur, obsecundantibus:
& in narrando certus, sed tum paulo productior: & in
exprobrando & arguendo acer atque instans. Longius
enim partibus his & liberius exeritur. Vitiosè uero idem
sinistrum quasi humerum petens in latus agi solet: quan-
quam adhuc peius aliqui transuersum brachium proferūt,
& cubito pronunciant. Duo quoque medij sub pollicem
ueniunt,& est hic adhuc priore gestus instantior, princi-
pio & narrationi non accommodatus. At cum tres con-
tracti pollice premuntur, tum digitus ille, quo usum opti-
mè Crassum Cicero dicit,explicari solet. Is in exprobran- Index Craſſi.
do & indicando (unde ei nomen est) ualet: & alleuata
ac spectante humerum manu paulum inclinatus affirmat: De Orat. 2.
uersus in terram & quasi pronus urget: aliquando pro
numero

numero est. Idem summo articulo utrinq; leuiter apprehen-
so, duobus modicè curuatis, minus tamen minimo, aptus
ad disputandum est. Acrius tamen argumẽtari uidentur,
qui medium articulum potius tenent: tanto contractiori-
bus ultimis digitis, quanto priores descenderunt. Est &
ille uerecundæ orationi aptissimus, quo quatuor primis le-
uiter in summum coeuntibus digitis, non procul ab ore aut
pectore fertur ad nos manus, & deinde prona ac paulu-
lum prolata laxatur. Hoc modo cœpisse Demosthenem cre
do in illo pro Ctesiphonte timido summissoq; principio: sic
Pro Arch. formatam Ciceronis manum cum diceret, Siquid est in me
ingenij iudices, quod sentio quàm sit exiguum. Eadem ali-
quatenus liberius deorsum spectantibus digitis colligitur
in os, & fusius paulo in diuersum resoluitur, ut quodam-
modo sermonem ipsum proferre uideatur. Binos interim
digitos distinguimus, sed non inserto pollice, paulum tamẽ
inferioribus intrà spectantibus, sed ne illis quidem tensis
qui suprà sunt. Duo interim extremi palmam circa ima
pollicis premunt, ipse prioribus ad medios articulos iungi-
tur: interim quartus obliquè reponitur: interim quatuor
remissis magis quã tensis, pollice intus inclinato, habilẽ in
latus demonstrando, aut distinguendo quæ dicimus, manũ
facimus, cum supina in sinistrum latus, prona in alterum
fertur. Sunt & illi breues gestus, cum manus leuiter pan
*fouentiũ. data, qualis * nouentium est, paruis interuallis, & subas-
sentientibus humeris mouetur: maximè apta parcè &
quasi timidè loquentibus. Est admirationi conueniens ille
gestus, quo manus modicè supinata, ac per singulos à mini-
mo collecta digitos, redeunte flexu simul explicatur atque
conuertitur. Nec uno modo interrogantes gestum com-
ponimus: plerunq; tamen uertentes manum, utcunq; com-
posita est. Pollici proximus digitus, mediumq; qua dexter
est, unguem pollici summo suo iungens, remissis cæteris, est
& approbantibus & narrantibus & distinguentibus de-
coris. Cui non dissimilis, sed compressis tribus digitis, quo
nunc Græci plurimum utuntur etiam utraque manu, quo-
ties enthymemata sua gestu uelut cornu tundunt cæsim.
Manus lenior promittit & assentatur, citatior hortatur,
interim laudat. Est & ille urgentis orationem gestus uul-
garis magis quàm ex arte, qui contrahit alterno celerique
motu & explicat manum. Est & illa caua, & rara, & su-
pra humeri altitudinem elata cum quodã motu uelut hor-
tatrix manus, à peregrinis scholis iam prorè recepta. Tre-
mula scenica est. Digitos, cum summi coierunt, ad os refer-
re cur quibusdam displicuerit, nescio. Nam id & leuiter
admirantes, & interim subita indignatione uelut pauescẽ-
tes, & deprecantes, facimus. Quin compressam etiam ma-
num in pœnitentia uel ira pectori admouemus, ubi uox uel
inter dentes expressa non dedecet, Quid nũc agam? Quid
Auersopollice. faciam? Auerso pollicè demonstrare aliquid, receptum
magis puto, quàm Oratori decorum. Sed cum omnis mo-
tus sex partes habeat, septimusq; sit ille qui in se redit or-
bis, uitiosa est una circumuersio: reliqui, ante nos, & dex-
tra læuaq;, & sursum & deorsum aliquid ostendunt: in
posteriora gestus non dirigitur. Interim tamen uelut reijci
solet. Optimè autẽ manus à sinistra parte incipit, in dex-
tra deponitur: sed ut deponi, non ut ferire uideatur: quan-
quam & in fine interim cadit, ut citò tamen redeat: et nõ-
nunquam resilit uel negantibus nobis, uel admirantibus.
Hic ueteres artifices illud rectè adiecerunt, ut manus cum
sensu & inciperet, & deponeretur. Alioqui enim aut an-
te uocem erit gestus, aut post uocem: quod est utrinq; de-
forme. In illo lapsi nimia subtilia sunt, quòd interuallum
motus tria uerba esse uoluerunt: quod nec obseruatur, nec
fieri potest: sed illi quasi mẽsuram tarditatis celeritatisq;
aliquam esse uoluerunt, nec immeritò, ne aut diu ociosa es-
set manus, aut (quod multi faciunt) in actionum continuo
motu conciderent. Aliud est quod & fit freqũtius, et ma-
gis fallit. Sunt quædam latentes sermonis percussiones, &
quasi aliqui pedes, ad quos plurimorum gestus cadit: ut sit
unus motus, Nouũ crimen: alter, C. Cæsar. tertius, Et antè Pro Liga.
hanc diẽ: quartus, Inauditum: deinde, Propinquus meus:
&, Ad te Quintus Tubero detulit. Vnde id quoq; fluit ui-
tium, ut iuuenes cũ scribunt, gestu præmodulati cogitatio-
nem, sic cõponant, quo modo casura manus est. Inde & il-
lud uitiũ, ut gestus qui in fine dexter esse debet, in sinistrũ
frequenter desinat. Melius illud, cum sint in sermone omni
breuia quædã membra, ad quæ, si necesse sit, recipere spiri-
tum liceat, ad hæc gestũ disponere: ut puta, Nouũ crimen
C. Cæsar, habet per se finẽ quendã suũ, quia sequitur cõiun-
ctio deinde, Et hanc diẽ inauditũ, satis circumscriptũ est.
Ad hæc cõmodanda manus est, idq; dũ erit prima & cõ-
posita actio. At ubi iam calor eã concitauerit, etiã gestus
cum ipsa orationis celeritate crebrescet. Alijs locis citata,
alijs pressa cõueniet pronunciatio. Illa transcurrimus, con-
gerimus, abũdamus, festinamus: hæc instamus, inculca-
mus, infigimus. Plus autem affectus habẽt lentiora: ideoq;
Roscius citatior, Aesopus grauior fuit: quòd ille comœ-
dias, hic tragœdias egit. Eadẽ motus quoq; obseruatio est.
Itaq; in fabulis, iuuenũ, senũ, militum, matronarũ grauior
ingressus est: serui, ancillæ, parasiti, piscatores citatius mo-
uentur. Tolli autẽ manũ artifices supra oculos, demitti in-
fra pectus uetant: adeò à capite eam petere, aut ad imum Manuum gestus.
uentrẽ deducere uitiosum habetur. Ad sinistrã intra hume-
rum promouetur, ultrà nõ decet. Sed cũ auersantes in læ-
uam partẽ uelut propellemus manũ sinister humerus pro-
ferendus, ut cũ capite ad dextrã ferente consentiat. Ma- Sinistræ gestus.
nus sinistra nunquã sola gestũ rectè facit: dextra se frequẽ-
ter accõmodat, siue in digitos argumenta digerimus, siue
auersis in sinistrũ palmis abominamur, siue obijcimus ad-
uersas siue in latus utranq; distẽdimus, siue satisfaciẽtes,
aut supplicãtes. Diuersi autẽ sunt hi gestus, siue summitti-
mus, siue adorantes attollimus, siue aliqua demõstrationi
aut inuocationi protẽdimus, Vos Albani tumuli atq; luci. Pro Milo.
Aut Gracchanũ illud, Quò me miser conferam? quò uer- De Orat 3
tam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. an do-
mum? matremne ut miseram lamentantemq; uideam &
abiectam? Plus enim affectus in his iuncta exhibent ma-
nus. In rebus paruis, tristibus, mitibus, breues: magnis, læ-
tis, atrocibus, extensiores sunt. Vitia quoq; earũ subij- Vitia gestuum manuum.
cienda sunt, quæ quidẽ accidere etiã exercitatis actoribus
solent. Nã gestum poculũ poscentis, aut uerbera minãtis,
aut numerũ quingentorũ flexo pollice efficientis, quæ sunt Numerare digitis.
à quibusdã scriptoribus notata, ne in rusticis quidem uidi.
At ut brachio exerto introspiciatur latus, ut manũ alius
ultra sinum proferre non audeat, alius inquantum patet
longitudo protendat, aut ad tectum erigat, aut repetito ul-
tra læuum humerum gestu ita in tergum flagellet, ut con-
sistere post eum parum tutum sit, aut sinistrũ ducat orbem,
aut temere sparsa manu in proximos offendat, aut cubitum
utrunq; in diuersum latus uentilet: sæpe scio euenire. Solet
esse & pigra, & trepida, & secanti similis: interim etiam
uncis digitis, aut à capite deijciatur, aut eadẽ manus supi-
nata in superiora iactetur. Fit et ille habitus, qui esse in sta- Habitus pacificator.
tuis pacificator solet, qui inclinato in humerũ dextrũ capi-
te, brachio ab aure protẽso, manũ infesto pollice extendit:
qui quidẽ maximè placet ijs qui se dicere sublata manu ia-
ctãt. Adijcias licet eos qui sentẽtias uibratis digitis iacu-

lantur, aut manu sublata denūciant, aut (quod per se interim recipiendū est) quoties aliquid ipsis placuit, in ungues erigūtur. sed uitiosum id faciunt, aut digito quanto plurimum possunt erecto, aut etiā duobus, aut utraq; manu admodum aliquid portantium composita.

Vitia trepidationis.

His accedunt uitia non naturæ, sed trepidationis, cum ore cōcurrente rixari, si memoria fefellerit, aut cogitatio non suffragetur, quasi faucibus aliquid obstiterit insonare, in aduersum tergere nares, obambulare sermone imperfecto, resistere subitò, & laudem silentio poscere: quæ omnia persequi propè infinitum est. Sua enim cuiq; sunt uitia. Pectus ac uenter ne proijciantur, obseruandum. Pandant enim posteriora, & est odiosa omnis supinitas. Latera cum gestu consentiant. Facit enim aliquid & totius corporis motus: adeò ut Cicero plus illo agi, quā manibus ipsis putet. Ita enim dicit in Oratore, Nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto se ipse moderans, & uirili laterum flexione.

Femur ferire.

Femur ferire, quod Athenis primus fecisse creditur Cleon, & usitatum est, & indignatos decet, & excitat auditorē.

In Bruto.

Idq; in Callidio Cicero desiderat. Non frons, inquit, percussa, non femur, pedū (quod minimū est) nulla supplosio. Quanquā (si licet) de fronte dissentio. Nā & complodere manus, scenicum est, & pectus cadere. Illud quoq; rarò decebit, caua manu summis digitis pectus appetere, siquando nosmetipsos alloquemur, cohortantes, obiurgantes, miserantes. quod siquando fiet, togam quoq; inde remoueri non decebit.

Pedum gestus, & eorum uitia.

In pedibus obseruantur status & incessus. Prolato dextro stare, et eadē manum ac pedē proferre, deforme est. In dextrum incumbere interim datur, sed æquo pectore: qui tamen comicus magis quàm oratorius gestus est. Male etiā in sinistrū pedem insistentium dexter aut attollitur, aut summis digitis suspenditur. Varicare supra modū, & in stando deforme est, & accedēte motu propè obscœnum. Procursio opportuna, breuis, moderata, rara. Conueniens etiā ambulatio quædā, propter immodicas laudationum moras: quanquam Cicero rarum incessum, neq; itu longum probat.

In Orato.

Discursare uerò, &, quod Domitius Apher de Sura Manilio dixit, satagere, ineptissimū: urbaneq; Flauius Virginius interrogauit de quodā suo antisophiste, quot millia passuū declamasset. Præcipi & illud scio, ne ambulantes auertamur à iudicibus, sed sint obliqui pedes ad concilium nobis respicientibus. Id fieri iudicijs priuatis non potest. Verùm & breuiora sunt spatia, nec auersi diu sumus. Interim tamen recedere sensim datur. Quidam & resiliūt, quod est planè ridiculum. Pedis supplosio ut loco est opportuna, ut ait Cicero, in contentionibus, aut incipiendis, aut finiēdis, ita crebra & inepti est hominis, & desinit iudicem in se conuertere.

De Orat. 3

Est & illa indecora in dextrum ac læuum latus uacillatio, alternis pedibus insistentium. Longissimè fugienda mollis actio, qualē in Tityo Cicero dicit fuisse, unde etiam saltationis quoddam genus Tityus sit appellatum.

In Bruto. Tytius.

Reprehendendu est & illa frequens & concitata in utranq; partem nutatio, quam in Curione patre irrisit & Iunius, quærens quis in lintre loqueretur. & C. Sicinius: nam cum assidente collega, qui erat propter ualetudinem & deligatus, & plurimis medicamentis propter dolorem artuum delibutus, multū se Curio ex more iactasset, Nunquam, inquit, Octaui, collegæ tuo gratiam referes: qui nisi fuisset, istic hodie te muscæ comedissent.

In Bruto.

Iactantur & humeri: quod uitium Demosthenes ita dicitur emendasse, ut cum in angusto quodam pulpito stans diceret, hasta humero dependens immineret: ut si calore dicendi uitare id excidisset, offensatione illa commoneretur. Ambulantem loqui ita demum oportet in caussis publicis, in quibus multi sunt iudices, si quod dicimus, quasi singulis inculcare peculiariter uelimus. Illud uerò non ferendum, quòd quidam reiecta in humerum toga, cum dextra sinum usq; ad lumbos reduxerunt, sinistra gestum facientes spatiantur, & fabulantur: cum etiam læuam restringere prolata longius dextra sit odiosum. Vnde moneor ut ne id quidem trāseam ineptissimè fieri, cum inter moras laudationum aut in aurem alicuius loquuntur, aut cū sodalibus iocantur, aut nonnunquam ad librarios suos ita respiciunt, ut sportulam dictare uideantur. Inclinari ad iudicem cum doceas, utiq; si id de quo loquaris, sit obscurius, decet. Incumbere aduocato aduersis subsellijs sedenti, contumeliosum. Reclinari etiam ad suos, & manibus sustineri, nisi planè iusta fatigatio est, delicatum: sicut palàm moneri, excidentis. aut legere. Nanq; in his omnibus & uis illa dicendi soluitur, & frigescit affectus, & iudex parum sibi præstari reuerentiæ credit. Transire in diuersa subsellia, parùm uerecundum est. Nam & Cassius Seuerus urbanè aduersus hoc facientes lineam poposcit. Et si aliquādo concitatè itur, nunquā non frigidè reditur.

Gestus mutādi ratio.

Multa ex ijs quę præcipimus, mutari necesse est ab ijs qui dicunt apud tribunalia. Nam & uultus erectior, ut eum apud quem dicitur, spectet: & gestus, ut ad eundem tendens elatior sit necesse est, & alia quæ occurrere etiam me tacente omnibus possunt. Itemq; ab ijs qui sedentes agunt.

Sedentium gestus

Nam & ferè fit hoc in rebus minoribus: & ijdem impetus actionis esse non possunt, & quædam uitia fiunt necessaria. Nam & dexter pes à læua iudicis sedenti proferendus est, & ex altera parte multi gestus necesse est in sinistrum eant, ut ad iudicē spectent. Equidem plerosq; & ad singulas sententiarum clausulas uideo assurgentes sibi, & nonnullos subinde aliquid etiam spatiantes: quod an deceat, ipsi uiderint, cum id faciunt, non sedentes agunt. Bibere aut etiam esse inter agendum, quod multis moris fuit, & est quibusdam, ab Oratore meo procul absit. Nam siquis aliter dicendi onera perferre nō possit, non ita miserum est non agere, potiusq; multo, quàm & operis & hominum contemptum fateri.

Cultus Oratoris.

Cultus non est proprius Oratoris aliquis, sed magis more conspicitur. Qua re sit, ut in omnibus honestis debet esse, splendidus & uirilis. Nam & toga, & calceus, & capillus, tam nimia cura quàm negligentia sunt reprehendenda. Est aliquid in amictu, quod ipsum aliquatenus temporum conditione mutatum est. Nam ueteribus nulli sinus: perquam breues post illos fuerunt. Itaq; etiam gestu necesse est usos esse in principijs eos alio, quorum brachium, sicut Græcorum, ueste continebatur. Sed nos de præsentibus loquimur.

Laticlauius. Cinctura.

Cui laticlauius non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usq; perueniant. Nam infra mulierum est, supra centurionum. Vt purpuræ rectè descendant, leuis cura est. Notatur interim negligentia.

Togæ forma.

Latum habentium clauum modus est, ut sit paulum cinctis summissior. Ipsam togam rotundam esse, et aptè cæsam uelim. Aliter enim multis modis fiet enormis. Pars eius prior medijs cruribus optimè terminatur, posterior eadem portione altius quàm cinctura. Sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, nunquam certè sit inferior. Ille qui sub humero dextro ad sinistrum obliquè ducitur uelut balteus, nec strangulet, nec fluat. Pars togæ quæ postea imponitur, sit inferior: nam ita & sedet melius, & continetur. Subducenda etiam pars aliqua tunicæ: ne ad lacertum in actu redeat: tum sinus inijciendus humero, cuius extremam oram reiecisse non dedecet. Operiri autem humerum cum toto iugulo non oportet.

oportet, aliòqui amictus fiet angustus: & dignitatē, quæ est in latitudine pectoris, perdet.

Pectoris latitudo.

Sinistrum brachium eousque alleuandum est, ut quasi normalem illum angulum faciat. Super quod ora ex toga duplex æqualiter sedeat.

Annuli multi non habendi.

Manus non impleatur annulis præcipuè medios articulos non transeuntibus: cuius erit habitus optimus, alleuato pollice, & digitis leuiter inflexis, nisi si libellum tenebit: quod non utique captandum est. Videtur enim fateri memoriæ diffidentiam, & ad multos gestus est impedimento. Togam ueteres ad calceos usque demittebant, ut Græci pallium. Idq; ut fiat, qui de gestu scripserunt circa tempora illa, Plotius Nigidiusq; præcipiunt. Quo magis miror Plinij Secundi docti hominis, & in hoc usque libro penè etiam nimium curiosi persuasionem, qui solitum id facere Ciceronem uelandarum uaricum gratia tradit: cum hoc amictus genus in statuis eorum quoq; qui post Ciceronem fuerunt, appareat.

Varices Ciceronis.

Palliolum, sicut fascias quibus crura uestiuntur, & focalia, & aurium ligamenta sola excusare potest ualetudo. Sed hæc amictus obseruatio, dum incipimus: procedente uerò actu, iam penè ab initio narrationis sinus ab humero rectè uelut sponte delabitur: & cū ad argumenta ac locos uentum est, reijcere à sinistro togā, deijcere etiam si hæreat, sinum, conueniet.

Reliqui gestus actu procedēte in amictu adhibendi.

Læuam à faucibus ac summo pectore abducere licet. Ardent enim iam omnia. Et ut uox uehementior ac magis uaria est, sic amictus quoq; habet actum quendam uelut præliantem. Itaque ut læuam inuoluere toga, & incingi, penè furiosum est, sinum uerò in dextrum humerum ab imo reijcere, solutum ac delicatum, fiuntq; adhuc peius aliqua: ita cur laxiorem sinum sinistro brachio non subijciamus? Habet enim acre quiddam atque expeditum, et calori concitationiq; non inhabile. Cum uerò magna pars est exhausta orationis, utique afflante fortuna penè omnia decent, sudor ipse & fatigatio, & negligentior amictus, & soluta ac uelut labens undique toga. Quo magis miror hanc quoque succurrisse Plinio curam, ut ita sudario frontem siccari iuberet, ne comæ turbarentur, quas componi post paulum, sicuti dignum erat, grauiter & seuerè uetuit.

Comarum turbatio.

Mihi uerò illæ quoque turbatæ præ se ferre aliquid affectus, & ipsa obliuione curæ huius commendari uidentur. At si incipientibus, aut paulum progressis decidat toga, non reponere eam prorsus negligentis aut pigri, aut quomodo debeat amiciri, nescientis est. Hæc sunt uel illustramenta pronunciationis, uel uitia: quibus propositis, multa cogitare debet Orator.

Oratori cogitandū, ut pronunciatio tum gestu quā uoce ad affectum dicendi accōmodetur.

Primùm, quid, apud quos, quibus præsentibus sit acturus. Nam ut dicere alia alijs, & apud alios magis conuenit: sic etiam facere. Neque eadem in uoce, gestu, incessu, apud Principem, Senatum, populum, magistratum, priuato, publico iudicio, postulatione, actione similiter decent. Quam differentiam subijcere sibi quisq; qui animum intenderit, potest, tum quæ de re dicat, & efficere quid uelit.

Rei obseruatio quadruplex.

Rei quadruplex obseruatio est. Vna in tota caussa. Sunt enim tristes, hilares, solicitæ, securæ, grandes, pusillæ: ut uix unquam ita solicitari partibus earum debeamus, ut non summæ meminerimus. Altera, quæ est in differentia partium, ut in prooemio, narratione, argumentatione, epilogo. Tertia in sententijs ipsis, in quibus secundum res & affectus uariantur omnia. Quarta, in uerbis, quorum ut est uitiosa, si efficere omnia uelimus, imitatio: ita quibusdam nisi sua natura redditur, uis omnis aufertur.

Laudationum actio.

Igitur in laudationibus (nisi si funebres erunt) gratiarum actione, exhortatione, similibus, læta & magnifica & sublimis est actio. Funebres cōciones, consolationes, plerunq; caussæ reorum, tristes atq; summissæ. In Senatu conseruanda authoritas: apud populum, dignitas: in priuatis, modus. De partibus caussæ, & sententijs uerbisque, quæ sunt multiplicia, pluribus dicendum.

Partium orationis pronunciatio.

Tria autem præstare debet pronunciatio: conciliet, persuadeat, moueat: quibus natura cohæret, ut etiam delectet. Conciliatio ferè aut commendatione morum (qui nescio quomodo ex uoce etiam atque actione pellucent) aut orationis suauitate constat: persuadendi uis asseueratione, quæ interim plus ipsis probationibus ualet.

Persuasio.

An ista (inquit Callidio Cicero) si uera essent, sic à te dicerentur? &, Tantum abest ut inflammares nostros animos: somnum isto loco uix tenebamus. Fiducia igitur appareat, & constantia, utique si authoritas subest. Mouendi autem ratio aut in repræsentandis est, aut imitandis affectibus.

Mouendi affectus ratio.

Ergo cum iudex in priuatis, aut præco in publicis dicere de caussa iusserit, leniter consurgendum: tum in componenda toga, uel (si necesse erit) etiam ex integro inijcienda, duntaxat in iudicijs (apud principem enim & magistratus ac tribunalia non licebit) paulum est commorandum, ut & amictus sit decentior, & protinus aliquid spatij ad cogitandum. Etiam cum ad iudicem nos conuerterimus, & consultus prætor permiserit dicere, non protinus est erumpendum, sed danda breuis cogitationi mora. Mirè enim auditurum dicturi cura delectat, & iudex se ipse componit. Hoc præcipit Homerus Vlyssis exemplo, quem stetisse oculis in terram defixis, immotoq; sceptro, priusquam illam eloquentiæ procellam effunderet, dicit.

Iliad. 3.

In hac cunctatione sunt quædā non indecentes, ut appellāt scenici, moræ, caput mulcere, manū intueri, infringere articulos, simulare conatū, suspiratione solicitudinē fateri, aut quod quēq; magis decet: eaq; diutius, si iudex nondum intēdet animū. Status sit rectus: æqui & diducti paululum pedes, uel procedens minimo momento sinister: genua recta, sic tamen, ut non extendantur.

Status.

Humeri remissi, uultus seuerus, non mæstus, nec stupens, nec languidus: brachia à latere modicè remota: manus sinistra, qualem suprà demonstraui: dextra cum iam incipiendum erit, paulum prolata ultra sinum, gestu quàm modestissimo, uelut expectans quando incipiendum sit. Vitiosa enim sunt illa, intueri lacunaria, perfricare faciem, & quasi improbam facere: tendere confidentia uultum, aut quò sit magis toruus, superciliјs adstringere: capillos à fronte contra naturam retroagere, ut sit horror ille terribilis: tum, id quod græci frequentissimè faciunt, crebro digitorum labiorumq; motu commentari: screare: pedem alterum longè proferre: partem togæ sinistra tenere: stare diductum, uel rigidum, uel supinum, uel incuruum, uel humeris, ut luctaturi solent, ad occipitium ductis.

Prooemij pronunciatio.

Prooemio frequentissimè lenis conuenit pronunciatio. Nihil est enim ad conciliandum gratius uerecundia. Non tamen semper: Nec enim uno modo dicuntur exordia, ut docui. Plerunque tamen & uox temperata, ac gestus modestus, & sedens humero toga, & laterum lenis in utranq; partem motus, eodem spectantibus oculis, decebit.

Narrationis.

Narratio magis prolatam manum, amictum recidentem, gestum distinctum, uocem sermoni proximam, ac tantum * apertiorem, sonum simplicem frequentissimè postulabit, in his duntaxat, Quintus igitur Ligarius cum esset adhuc nulla belli suspicio. &, A. Cluentius Habitus pater huiusce.

*acriorem

Pro Liga.

Pro Cluē.

Aliud in eadem poscunt affectus uel concitati, Nubit genero socrus. uel flebiles, Constituitur in foro Laodiceæ spectaculum acerbum & miserum toti Asiæ prouinciæ.

Act. 3.

Maximè uaria et multiplex actio est probationum. Nam & proponere, partiri, interrogare, sermoni sunt proxima, & contradictionem sumere.

Probationum.

Propositionum.

Nam ea quoque diuersa propositio est. Sed hac tamen aliquando irridentes, aliquando imitantes pronunciamus. Argumentatio plerunq; agilior, & acrior, & instantior, consentientem orationi postulat etiam gestum, ut est fortem celeritatem. Instandum quibusdam in partibus, & densanda oratio. Egressiones ferè lenes, & dulces, & remissæ, ut raptus Proserpinæ, Siciliæ descriptio, Cn. Pompeij laus. Neque est mirum minus habere contentionis ea quæ sunt extra quæstionem. Mollior nonnunquam cum reprehensione diuersæ partis imitatio, Videbar uidere alios intrantes, alios autem exeuntes, quosdam ex uino uacillantes. Vbi non diffidens à uoce permittitur gestus: quo fit in utranque partem tenera quædam, sed intra manus tamen, & sine motu laterum translatio. Accendendi iudicis plures sunt gradus. Summus ille, & quo nullus est in Oratore acutior, Suscepto bello, Cæsar, gesto iam etiam ex parte magna. Prædixit enim, Quantum potero uoce contendam, ut populus hæc Romanus exaudiat. Paulum inferior, & habens aliquid etiã iucunditatis; Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? Plenius adhuc & lentius, ideoque dulcius, In cœtu uerò populi Romani negocium publicum gerens. Producenda omnia, trahendæque tum uocales, aperiendæque sunt fauces. Pleniore tamẽ hæc canali fluunt, Vos Albani tumuli atque luci. Nam cantici quiddam habent, sensimq; resupina sunt, Saxa atq; solitudines uoci respondent. Tales sunt illæ inclinationes uocis, quas inuicem Demosthenes atque Aeschines exprobrant, non ideo improbandæ, cum enim uterque alteri obijciat, palàm est utrunque fecisse. Nam neque ille per Marathonis & Platearum & Salaminis propugnatores recto sono iurauit, nec hic Thebas sermone defleuit. Est his diuersa uox, & penè extra organum, cui græci nomen amaritudinis dederunt, supra modum ac penè naturam uocis humanæ acerba: Quin compescitis uocem istam indicem stultitiæ, testem paucitatis? Sed id quod excedere modum dixi, in illa parte prima est, Quin compescitis. Epilogus si enumerationem rerum habet, desiderat quandam concisorum continuationem: si ad concitandos iudices est accommodatus, aliquid ex ijs quæ suprà dixi: si placandos, inclinatam quandam lenitatem: si misericordia commouendos, flexum uocis, & flebilem suauitatem, qua præcipuè franguntur animi, quæq; est maximè naturalis. Nam etiam orbos uiduasq; uideas in ipsis funeribus canoro quodam modo proclamantes. Hic etiam fusca illa uox, qualem Cicero fuisse in Antonio dicit, mirè facit. habet enim in se quod imitemur. Duplex est tamen miseratio: altera cum inuidia, qualis modò dicta de damnatione Philodami: altera cum deprecatione demissior. Quare etiam si est in illis quoque cantus obscurior, In cœtu uerò populi Romani. non enim hæc rixantis modo dixit. & Vos Albani tumuli. neque enim quasi inclamaret aut testaretur locutus est: tamen infinito magis illa flexa & circunducta sunt, Me miserum, me infelicẽ. & Quid respondebo liberis meis? & Reuocare tu me in patriam potuisti Milo per hos, ego te in eadem patria per eosdem retinere non potero? Et cum bona C. Rabirij uno sestertio addicit, O meum miserum acerbumq; præconium. Illa quoq; mirè facit in peroratione uelut deficientis dolore & fatigatione confessio: ut pro eodem Milone, Sed finis sit: neq; enim præ lachrymis iam loqui possum. Quæ similem uerbis habere debent etiam pronunciationem. Possunt uideri alia quoque huius partis atque officij, reos excitare, pueros attollere, propinquos producere, uestes laniare: sed suo loco dicta sunt. Et quia in partibus caussæ etiam alijs est ua-

Argumentationis.
Egressionis.
Imitationis.
Accendendi iudicis.
Pro Rabirio perduelli.
Epilogi pronunciãdi ratio.
In Bruto, & de Orato. 1.
Miseratio duplex.
Act. 7.
Pro Milone.
Lib. 7.
Verborum uarietati pronunciatio interdũ accommodanda.

rietas, satis apparet accommodandam sententijs ipsis pronunciationem, sicut ostendimus. Sed uerbis quoque, quod nouissimè dixeram, non semper, sed aliquando. An non hæc, Misellus & pauperculus, summissa atque contracta: Fortis, & uehemens, & latro, erecta & concitata uoce dicenda sunt? Accedit enim uis & proprietas rebus tali adstipulatione: quæ nisi adsit, aliud uox, aliud animus ostẽdat. Quid quòd eadem uerba mutata pronunciatione indicant, affirmant, exprobant, negant, mirantur, indignantur, interrogant, irrident, eleuant? Aliter enim dicitur,

Tu mihi quodcunq; hoc regni,- &,
Cantãdo tũ illum?- &, Túne ille Aeneas?- &,
-Meq; timoris Argue tu Drance.-

Et ne morer, intra se quisque uel hoc, uel aliud quod uolet, per omnes affectus uerset: uerum esse quod dicimus sciet.

Vnum iam his adijciendum est, cum præcipuè in actione spectetur decorum, sæpe aliud alios decere. Est enim latens quædam in hoc ratio, & inenarrabilis: & ut uerè hoc dictum est, caput esse artis, decere quod facias: ita id neque sine arte esse, neq; totum arte tradi potest. In quibusdam uirtutes non habent gratiam, in quibusdam uitia ipsa delectant. Maximos actores comœdiarum Demetrium & Stratoclea placere diuersis uirtutibus uidimus. Sed illud minus mirum, quòd alter deos, & iuuenes, & bonos patres seruosq;, & matronas, & graues anus optimè: alter acres senes, callidos seruos, parasitos, lenones, & omnia agitatiora melius. Fuit enim natura diuersa. Nam uox quoque Demetrij iucundior, illius acrior erat. Annotandæ magis proprietates, quæ transferri non poterãt, manus iactare, & dulces exclamationes theatri caussa producere, & ingrediendo uentum concipere ueste, & nonnunquam dextro latere facere gestus: quod neminem alium præter Demetrium decuit: nanq; in hæc omnia, statura & mira specie adiuuabatur. illum cursus, & agilitas, & uel parùm conueniens personæ risus, (quem non ignarus rationis populo dabat) & contracta etiam ceruicula. Quicquid horum alter fecisset, fœdissimum uideretur. Quare norit se quisque, nec tantùm ex communibus præceptis, sed etiam ex natura sua capiat consilium formandæ actionis. Neque illud tamen est nefas, ut aliquem uel omnia uel plura deceant. Huius quoq; loci clausula sit eadem necesse est, quæ cæterorum est, regnare maximè modum. Non enim comœdum esse, sed Oratorem uolo. Quare neq; in gestu persequemur omnes argutias, nec in loquendo distinctionibus, temporibus, affectionibus molestè utemur: ut si sit in scena dicendum,

Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem
Cum arcessor ultrò? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?

Hic enim dubitationis moras, uocis flexus, uarias manus, diuersos nutus actor adhibebit. Aliud oratio sapit, nec uult nimium esse condita. Actione enim constat, non imitatione. Quare non immeritò reprehenditur pronunciatio uultuosa, & gesticulationibus molesta, & uocis mutationibus resultans. Nec inutiliter ex Græcis ueteres transtulerunt, quod ab his sumptum Lenas Popilius posuit, esse hanc mociosam actionem. Optimè igitur idem, qui omnia, Cicero præceperat, quæ suprà ex Oratore posui: quibus similia in Bruto de Marco Antonio dicit. Sed iam recepta est actio paulo agitatior, & exigitur, & quibusdam partibus conuenit: ita tamen temperanda, ne dum actoris captamus elegantiam, perdamus uiri boni & grauis authoritatem.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

Aeneid. 4
Aeglog. 3.
Aeneid. 2.
& 11.
In agendo aliud alios decere.
Modus in omnibus adhibẽdus.
Terent. in Eunucho.
Hoc cap.

M. F. QVINTILIANI DE INSTIT. ORATORIA

LIBER DVODECIMVS.

ARGVMENTVM.

Difficillimam operis partem sibi superesse, hac præfatione testatur, in quam dum à leuioribus initium duxerit, perseuerando per singula penè imprudens euectus sit, sed ne nunc quidem deficiendum esse, quamuis paucissimos habeat quos sequatur. Ac Ciceronem quidē solū esse, qui de optimo dicendi genere scripserit, se autem & de genere dicendi, & de moribus Oratoris esse dicturum. quæ præfatio ad attentionem comparata est.

PROOEMIVM.



*ENTVM est ad partem operis destinati longè grauissimam. Cuius equidem onus si tantum opinione prima concipere potuissem, quanto me premi ferens sentio, maturius consuluissem uires meas. Sed initio pudor omittendi quæ promiseram, tenuit: mox quamquam per singulas propè partes labor cresceret, ne perderem quæ iam effecta erant, per omnes difficultates animo me sustentaui. Quare nunc quoque, licet maior quàm unquam moles premat, tamen prospicienti finem mihi constitutum est uel deficere potius, quàm desperare. Fefellit autem, quòd initium à paruis cœperamus: mox uelut aura solicitante prouecti longius, dum tantùm nota illa, & plerisque artium scriptoribus tractata præcipimus, nec adhuc à littore procul uidebamur, & multos circa uelut iisdem se uentis credere ausos habebamus. Iam cum eloquendi rationem nouissimè repertam, paucissimisq; tentatam ingressi sumus, rarus qui iam procul à portu recessisset, reperiebatur. Postquam uerò nobis ille quem instituebamus, Orator, à dicendi magistris dimissus, aut suo iam impetu fertur, aut maiora sibi auxilia ex ipsis sapientiæ penetralibus petit: quàm in altum simus ablati, sentire cœpimus. Nunc cœlum undiq;, & undiq; pontus. Vnum modò in illa immensa uastitate cernere uidemur M. Tullium, qui tamen ipse, quamuis tanta atq; ita instructa naue hoc mare ingressus, contrahit uela, inhibetq; remos, & de ipso demū genere dicendi quo sit usurus perfectus Orator, satis habet dicere. At nostra temeritas etiam mores ei conabitur dare, & assignabit officia. Ita nec antecedentem cōsequi possumus, & longius eundum est, ut res feret. Probabilis tamen cupiditas honestorum, & uel tutioris * audacia est tentare quibus paratior uenia est.*

Admiscet primò similitudinem, deinde allegoriam à nauigantibus.

Aeneid. 3.

* audentię.

ARGVMENTVM.

Ostendit Oratorem nisi bonum uirum esse non posse, non solum in dicendi officio, sed etiam in arte ipsa, & orationis facultate. quod probat ab ingenio, studio, doctrina & authoritate boni Oratoris. quæ ei necessaria sint, malis autem & stultis hominibus minimè conuenire. Soluit dicendi contraria exempla in Demosthene & Cicerone, quos & malos uiros fuisse negat, & meliores Oratores potuisse fieri, si omnia perfecta habuissent, concedit. Artem etiam defendit, quæ tametsi in caussis malis Oratorem instruat, tamen in eisdem animum oratoris, & consilium spectandum esse, quo fiat ut sæpe quod contra æquitatem esse uideatur, ex caussa aliqua rectum & honestum sit, ut cum tyranni interfector etiam contra leges defenditur.

Non posse Oratorem esse nisi uirum bonum. Cap. I.



IT ergo nobis Orator quē instituimus, is qui à M. Catone finitur uir bonus dicendi peritus. Verùm id quod ille posuit prius, etiā ipsa natura potius ac maius est, utiq; uir bonus, uō cò tantùm, quòd si uis illa dicēdi malitiam instruxerit, nihil sit publicis priuatisq; rebus perniciosius eloquentia, sed nos quoque ipsi, qui pro uirili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus, pessimè mereamur de rebus humanis, si latroni comparemus hæc arma non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipsa natura in eo quod præcipuè indulsisse homini uidetur, quoq; nos à cæteris animalibus separasse, non parens, sed nouerca fuerit si facultatem dicendi, sociam scelerum, aduersam innocentiæ, hostem ueritatis inuenit. Mutos enim nasci, & egere omni ratione satius fuisset, quàm prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere. Longius tendit hoc iudicium meum. Neq; enim tantùm id dico, eum qui sit Orator, uirum bonum esse oportere: sed ne futurum quidem Oratorem, nisi uirū bonum. Nam certè neque intelligentiam concesseris iis qui proposita honestorum ac turpium uia, peiorem sequi malint: neque prudentiam iis qui in grauissimas frequenter legum, semper uerò malæ conscientiæ pœnas à semetipsis improuiso rerum exitu inducantur. Quòd si neminem malum esse nisi stultum eundem, non modò à sapientibus dicitur, sed uulgò quoque semper est creditum: certè nō fiet unquam stultus Orator. Adde quòd ne studio quidem operis pulcherrimi uacare mens, nisi omnibus uitiis libera, potest: primùm, quòd in eodem pectore nullum est honestorum turpiumq; consortium: & cogitare optima simul ac deterrima, non magis est unius animi, quàm eiusdē hominis bonum esse ac malum. Tum illa quoque ex caussa, quod mentem tantæ rei intentam, uacare omnibus aliis etiam culpa carentibus curis oportet. Ita demum enim libera, ac tota, nulla distringente atque aliò ducente caussa, spectabit id solum ad quod accingitur. Quòd si agrorum nimia cura, & solicitior rei familiaris diligentia, & uenandi uoluptas, & dati spectaculis dies, multum studiis auferunt (huic enim rei perit tempus quodcunque alteri datur) quid putamus facturas, cupiditatem, auaritiam, inuidiam? quarum impotentissimæ cogitationes, somnos etiam ipsos, & illa per quietem uisa perturbant. Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam uariis affectibus concisum atq; laceratum, quàm mala mēs. Nam & cum insidiatur, spe, curis, labore distringitur: & iam cum sceleris compos fuerit, solicitudine, pœnitentia, pœnarum omnium expectatione torquetur. Quis inter hæc literis, aut ulli bonę arti locus? Non hercle magis quàm frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. Agè, non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas? Quid igitur ex libidine ac luxuria spei? Non præcipuè acuit ad cupiditatem literarum amor laudis? Non igitur malis esse laudem curæ putamus? Iam hoc quis non uidet, maximam partem orationis in tractatu æqui boniq; consistere? Dicetne de his secundum debitam rerum

Confirmat definitionē Oratoris à Catone proditam, & nim eius amplius extendit.

Probat Oratorem non moribus tantū, sed etiam arte & facultate nisi uirum bonum esse non posse, primùm ab eius ingenio.

A studio eloquētiæ.

A doctrina Oratori necessaria, quæ in malum & improbum cadere non potest.

dignitatem malus atque iniquus? Deniq; ut maximã partem quæstionis eximam, demus, id quod nullo modo fieri potest, idem ingenij studij, doctrinæ, pessimo atq; optimo uiro, uter melior dicetur Orator? Nimirum qui homo quoque melior. Non igitur unquam malus idẽ homo, & perfectus Orator. Nõ enim perfectum est quicquam, quo melius est aliud.

Ab authoritate ad persuadendum necessaria.

Sed ne more Socraticorum nobismetipsis responsum finxisse uideamur, sit aliquis adeo contra ueritatem obstinatus ut audeat dicere, eodem ingenio, studio, doctrina præditum, nihilo deteriorem futurum Oratorem malum uirum quàm bonum. Conuincamus huius quoque amentiam. Nam hoc certè nemo dubitabit, omnem Oratorem id agere, ut iudici quæ proposita fuerint, uera & honesta uideantur. Vtrũ igitur hoc facilius bonus uir persuadebit, an malus? Bonus quidem: & dicet sæpius uera atq; honesta. Sed etiã siquando aliquo ductus officio (quod accidere, ut mox docebimus, potest) falsò hæc affirmare conabitur, maiore cum fide necesse est audiatur. At malis hominibus ex contemptu opinionis, et ignorantia recti, nonnunquam excidit ipsa simulatio. Inde immodestè proponunt, sine pudore affirmant. Sequitur in ijs quæ certum est effici non posse, deformis pertinacia, & irritus labor. Nam sicut in uita, ita in caussis quoq; spes improbas habent. Frequẽter autem accidit, ut his etiam uera dicentibus fides desit, uideaturq; talis aduocatus, malæ caussæ argumentum.

Quales Oratores Cicero & Demosthenes fuerint.

Nunc de ijs dicendum est, quæ mihi quasi conspiratione quadam uulgi reclamari uidetur. Orator ergo Demosthenes non fuit? atqui malum uirum accepimus. Non Cicero? atqui huius quoq; mores multi reprehenderunt. Quid agam? magna responsi inuidia subeunda est, mitigandæ sunt prius aures. Mihi enim nec Demosthenes tam graui morum dignus uidetur inuidia, ut omnia quæ in eum ab inimicis congesta sunt, credam, cum & pulcherrima eius in republica consilia, et finem uitæ clarum legã. Nec M. Tullio defuisse uideo in ulla parte ciuis optimi uoluntatem. testimonio est actus nobilissimè consulatus: integerrimè prouincia administrata: & repudiatus uigintiuiratus: & ciuilibus bellis, quæ in ætatem eius grauissima inciderunt, neq; spe neq; metu declinatus animus quo minus optimis se partibus, id est reipublicæ, iungeret.

Defendit timiditatẽ Ciceronis.

Parum fortis uidetur quibusdam: quibus optimè respondit ipse, non se timidum in suscipiendis, sed in prouidendis periculis: quod probauit morte quoq; ipsa, quam præstantissimo suscepit animo. Quòd si defuit his uiris summa uirtus, sic quærentibus an Oratores fuerint, respondebo, quomodo Stoici si interrogentur an sapiens Zeno, an Cleanthes, an Chrysippus, respondeant magnos quidem illos ac uenerabiles, non tamen id quod natura hominis summum habet, consecutos. Nam & Pythagoras, non sapientem se, ut qui ante eum fuerunt, sed studiosum sapientiæ uocari uoluit. Ego tamen secundum communem loquendi consuetudinem sæpe dixi, dicamq;, perfectum Oratorem esse Ciceronem, ut amicos & bonos uiros & prudentissimos dicimus uulgò, quorum nihil nisi perfectè sapiẽti datur.

Cicero pfectus orator secundum loquẽdi consuetudinem, non secundum ueritatem.

Sed cum propriè, & ad legem ipsam ueritatis loquẽdum erit, eum quæram Oratorem, quem & ille quærebat. Quanquã enim stetisse ipsum in fastigio eloquẽtiæ fateor, ac uix quid adijci potuerit inuenio, fortasse inuenturus quid adhuc abscissurum putem fuisse, (nam ferè sic docti iudicauerunt, plurimum in eo uirtutum, nonnihil fuisse uitiorum, & se ipse multa ex illa iuuenili abundantia coercuisse testatur)

In Orato. & in Bruto.

tamen quando nec sapientis sibi nomen, minimè sui cõtemptor, asseruit, & melius dicere certè data longiore uita, et ætate ad componendum securiore potuisset: non malignè crediderim defuisse ei summam illam, ad quam nemo propius accessit. Et licebat, si aliter sentirem, fortius id & liberius defendere. An uerò M. Antonius neminem à se uisum eloquentem, quod tanto minus erat, professus est, ipse etiam M. Tullius quærit adhuc eum, & tantùm imaginatur ac fingit: ego non audeam dicere, aliquid in hac quæ superest æternitate inueniri posse, eo quod fuerit, perfectius? Trãseo illos qui Ciceroni ac Demostheni ne in eloquentia quidem satis tribuunt: quanquam neq; ipsi Ciceroni Demosthenes uideatur satis esse perfectus, quem dormitare interim dicit: nec Cicero Bruto Caluoq;, qui certè compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt, nec Asinio utrique, qui uitia orationis eius etiam inimicè pluribus locis insequuntur.

In Orato.

Concedamus sanè (quod minimè natura patiatur) repertum esse aliquem malum uirum summè disertum: nihilo tamen minus Oratorem eum negabo. Nam nec omnibus qui fuerint manu prompti, uiri fortis nomen concesserim, quia sine uirtute intelligi non potest fortitudo.

Summè disertum sine uirtute non esse Oratorẽ.

An ei qui ad defendendas caussas aduocatur, non est opus fide, quam nec cupiditas corrumpat, nec gratia auertat, nec metus frangat, sed proditorem, transfugam, præuaricatorem donabimus Oratoris illo sacro nomine? Quòd si mediocribus etiam patronis conuenit hæc quę uulgò dicitur bonitas, cur non Orator ille qui nõdum fuit, sed potest esse, tam sit moribus quàm dicendi uirtute perfectus?

Quantus qualisq; sit Orator.

Non enim forensem quandam instituimus operam, nec mercenariam uocem, nec (ut asperioribus uerbis parcamus) non inutilem sanè litium aduocatum, quem denique caussidicum uulgò uocant, sed uirum cum ingenij natura præstantem, tum uerò tot pulcherrimas artes penitus mente complexum, datum tandẽ rebus humanis, qualem nulla antea uetustas cognouerit, singularem, perfectumq; undiq;, optima sentientem, optimeq; dicentem.

Oratoris officia.

In hoc quota pars erit, quòd aut innocentes tuebitur, aut improborum scelera compescet, aut in pecuniarijs quæstionibus ueritati contra calumniam aderit? Summus ille quidem in his quoque operibus fuerit, sed in maioribus clarius elucebit, cum regenda Senatus consilia, & popularis error ad meliora ducendus. An non talem quendam uidetur finxisse Virgilius, quem in seditione uulgi iam faces & saxa iaculantis, moderatorem dedit?

Aeneid. 1.

Tum pietate grauem ac meritis si forte uirum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant.

Habemus igitur ante omnia uirum bonum: post hæc adiecit dicendi peritum,

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Doctrina & authoritas cũ uirtute cõiuncta debet esse in Oratore,

Quid? non in bellis quoque idem ille uir quem instituimus, si sit ad prælium miles cohortandus, ex medijs sapientiæ præceptis orationem trahet? Nam quomodo pugnam ineuntibus, tot simul metus, laboris, doloris, postremò mortis ipsius exciderint, nisi in eorum locum pietas, & fortitudo, & honesti præsens imago successerit? Quæ certè melius persuadebit alijs, qui prius persuaserit sibi. "Prodit enim se, quamlibet custodiatur, simulatio: nec unquã tanta fuerit eloquendi facultas, ut non titubet ac hæreat quoties ab animo uerba dissentiunt. Vir autem malus aliud dicat necesse est quàm sentit. Bonos nũquam honestus sermo deficiet, nunquam rerum optimarum (nam ijdẽ etiam prudentes erunt) inuentio: quæ etiam si lenocinijs destituta sit, satis tamen natura sua ornatur: nec quicquam non disertè, quod honestè dicitur." Quare iuuentus, immò omnis ætas (neque enim rectæ uoluntati serum est tempus ullum) totis mentibus huc tendamus, in hoc elaboremus: forsan & consummare contingat. Nam si natura non prohibet esse

uirum bonum, & esse dicendi peritum, cur nō aliquis etiā unus utrunque consequi possit? cur autem non se quisq; speret fore illum aliquem? Ad quod si uires ingenij non suffecerint, tamen ad quem usque modum processerimus, meliores erimus ex utroq;. Hoc certè prorsus eximatur animo, rem pulcherrimam eloquentiam cum uitijs mentis posse misceri. Facultas dicendi si in malos incidit, & ipsa iudicanda est malum. peiores enim illos facit, quibus cōtingit.

Eloquētia cum uitiis mentis nō miscetur.

Videor mihi audire quosdam (nec enim deerunt unquā qui diserti esse quàm boni malint) illa dicentes, Quid ergo tantum est artis in eloquentia? cur tu de coloribus, & difficilium caussarum defensione, nonnihil etiam de cōfesso loquutus es, nisi aliquando uis & facultas dicendi expugnat ipsam ueritatem? Bonus enim uir non agit nisi bonas caussas, eas porrò etiam sine doctrina satis per se tuetur ueritas ipsa. Quibus ego, cum de meo primùm opere respōdere, etiam pro bono uiri officio, siquando eum ad defensionem nocentium ratio duxerit, satisfaciam. Pertractare enim quo modo, aut pro falsis, aut etiam pro iniustis aliquando dicatur, non est inutile, uel propter hoc solum, ut ea facilius & deprehendamus, & refellamus, quemadmodum remedia melius adhibebit, cui nota quæ nocent fuerint.

Præcepta artis dicendi non repugnare probitati & religioni.

Neque enim Academici cum in utranque disserunt partem, non secundum alteram uiuunt. Neque Carneades ille, qui Romæ audiente Censorio Catone non minoribus uiribus contra iustitiam dicitur disseruisse, quàm pridie pro iustitia dixerat, iniustus ipse uir fuit. Verùm & uirtus quid sit, aduersa ei malitia detegit: & æquitas fit ex iniqui contemplatione manifestior: & plurima contrarijs probantur. Debent ergo Oratori sic esse aduersariorum nota consilia, ut hostium imperatori.

Mala ut uitentur, discenda. Carneadis disputatio pro uirtute & cōtra.

Verùm & illud, quod prima propositione durum uidetur, potest afferre ratio, ut uir bonus in defensione caussæ uelit auferre aliquando iudici ueritatem. Quod si quis à me proponi mirabitur, (quanquam non est hæc mea propriè sententia, sed eorum quos grauissimos sapiētiæ magistros ætas uetus credidit) sic iudicet, pleraq; esse quæ nō tam factis, quàm caussis eorum, uel honesta fiant, uel turpia. Nam si hominem occidere, sæpe uirtus: liberos necare, nonnunquam pulcherrimum est: asperiora quædam adhuc dictu, si communis utilitas exegerit, facere conceditur. Ne hoc quidem nudum est intuendum, qualem caussam uir bonus, sed etiam quare, & qua mente defendat.

Facta & actiones ora torum non ex seipsis, sed ex cōsiliis eorum æstimanda.

Ac primùm concedant mihi omnes oportet, quod Stoicorum quoque asperrimi confitentur, facturum aliquando bonum uirum, ut mendacium dicat, & quidem nonnunquam leuioribus caussis: ut in pueris ægrotantibus, utilitatis eorum gratia multa fingimus, multa non facturi promittimus: nedum si ab homine occidendo grassator auertēdus sit, aut hostis pro salute patriæ fallendus: ut hoc quod aliàs in seruis quoque reprehendendum est, sit aliàs in ipso sapiente laudandum. Id si constiterit, multa iam uideo posse euenire, propter quæ Orator bene suscipiat tale caussæ genus, quale remota ratione honesta non suscepisset.

Interdum maioris utilitatis caussa mentiri ac fallere licere.

Nec hoc dico, quia seueriores sequi placet leges pro patre, fratre, amico, periclitantibus: tametsi non mediocris hæsitatio est, hinc iustitiæ proposita imagine, inde pietatis, nihil dubij relinquamus. Sit aliquis insidiatus tyranno, atque ob id reus: utrumne saluū eum nollet is qui à nobis finitur Orator? an si tuendum susceperit, non tam falsis defendet, quàm qui apud iudices malā caussam tuetur? Quid si quædam benefacta damnaturus est iudex, nisi ea non esse facta conuicerimus: non uel hoc modo seruabit Orator non innocentem modò, sed etiam laudabilem ciuem? Quid si quædam iusta natura, sed conditione temporum inutilia ciuitati sciemus: nonne utemur arte dicendi, bona quidem, sed malis artibus simili? Ad hoc, nemo dubitabit, quin si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, saluos esse eos magis è republica sit, quàm puniri. Si liqueat igitur Oratori, futurum bonum uirum, cui uera obijcientur, non id aget, ut saluus sit? Da nunc ut crimine manifesto prematur dux bonus, & sine quo uincere honestè ciuitas non possit: nonne ei communis utilitas Oratorem aduocabit?

Declarat exemplis quæ dixit.

Certè Fabritius Cornelium Rufinum, alioqui & malum ciuem, & sibi inimicum, tamen quia utilem sciebat ducem, imminente bello palàm consulem suffragio suo fecit: atque id mirantibus quibusdam respondit, A ciue se spoliari malle, quàm ab hoste uenire. Ita hic si fuisset Orator, non defendisset eundem Rufinum uel manifesti peculatus reum? Multa dici possunt similia, sed uel unum ex his quodlibet sufficit.

Fabricii nobile factū & dictum.

Non enim hoc agimus, ut istud illi quē formamus uiro sæpe sit faciendum, sed ut si talis coegerit ratio, sit tamen uera finitio, Oratorem esse uirum bonum dicendi peritum. Præcipere uerò ac discere quomodo etiā probatione difficilia tractentur, necessarium est. Nam frequenter etiam optimæ caussæ similes sunt malis, & innocens reus multis uerisimilibus premitur: quo fit, ut eadem actionis ratione sit defendendus, qua si nocens esset. Iam innumerabilia sunt bonis caussis malisque communia, testes, literæ, suspiciones, opiniones. Non aliter autem uerisimilia quàm uera & confirmantur, & refelluntur. Quapropter ut res feret, flectetur oratio, manente honesta uoluntate.

Concludit Oratorem esse uirum bonum, & artem aliquando in malis etiā caussis esse necessariā.

Flectenda oratio manente honestate.

ARGVMENTVM.

Philosophiæ cognitionem Oratori necessariam esse non ad uiuendum modò, sed etiam ad dicendum contendit, nec unam illius partem, sed omnes tres, ut rationalem, morem, & naturalem, quarum singularum materiā & uires explicat. Deinde Philosophiam non ab uno aliquo, sed omnibus, & ab optimo quoq; esse petendam: cum turpe sit uni sectæ addictum esse. Nec uerò præcepta tantum, sed exèmpla etiam illustrium dictorum factorumque cognoscenda.

Cognoscenda esse Oratori quibus mores formentur. Cap. II.



Vando igitur Orator est uir bonus, is autem citra uirtutē intelligi non potest, uirtus etiam si quosdam impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est, mores ante omnia Oratori studijs erunt excolendi, atq; omnis honesti iustiq; disciplina pertractanda: sine qua nemo nec uir bonus esse, nec dicendi peritus potest. Nisi fortè accedamus ijs, qui natura constare mores, & nihil adiuuari disciplina putant: scilicet, ut ea quidem quæ manu fiunt, atque eorum etiam contemptissima confiteantur egere doctoribus: uirtutem uerò, qua nihil homini quo ad deos immortales propius accederet, datum est, obuiam & illaboratam, tantùm quia nati sumus, habeamus. Abstinens erit, qui idipsum quid sit abstinentia ignorarit? Et fortis, qui metus doloris, mortis, superstitionis, nulla ratione purgauerit? Et iustus, qui æqui boniq; tractatum qui leges quæ natura sunt omnibus datæ, quæq; propria populis & gentibus constitutæ, non eruditiore aliquo sermone tractauerit? O quàm istud parum putant, quibus tam facilè uidetur. Sed hoc transeo, de quo neminē qui literas uel primis, ut aiunt, labris degustarit, dubitaturū puto: ad illud sequens reuertar, ne dicendi

tur, & senatum in quo sit dicenda sententia, non liquebit? Academiam quidam utilissimam credunt, quòd mos in utrunque partem disserendi, ad exercitationem forensium caussarum proximè accedat. Adijciunt loco probationis, quod ea praestantissimos in eloquentia uiros ediderit. Peripatetici studio quoque se quodam Oratorio iactant. Nam theses dicere exercitationis gratia ferè est ab his institutum. Stoici sicut copiam uitoremque eloquentiae ferè praeceptoribus suis defuisse concedant necesse est, ita nullos aut probare acrius, aut concludere subtilius contendunt. Sed haec inter ipsos, qui uelut sacramento rogati, uel etiam superstitione constricti, nefas ducunt à suscepta semel persuasione discedere. Oratori uerò nihil est necesse in cuiusquam iurare leges. Maius enim est opus atque praestantius ad quod ipse tendit, & cuius est uelut candidatus, si quidem est futurus cum uitae, tum etiam eloquentiae laude perfectus. Quare in exemplum bene dicendi facundissimum quenque proponet sibi ad imitandum moribus uerò formandis quàm honestissima praecepta, rectissimamque ad uirtutem uiam deliget. Exercitatione quidem utetur omni, sed tamen erit plurimus in maximis quibusque, ac natura pulcherrimis. Nam quae potest materia reperiri ad grauiter copioseq; dicendum magis abundans, quàm de uirtute, de republica, de prouidentia, de origine animorum, de amicitia? Haec sunt quibus mens pariter atque oratio insurgant, uerè bona, quae mitigent metus, coerceant cupiditates, eximant nos opinionibus uulgi, animumque caelestem. Neque ea solum quae talibus disciplinis continentur sed magis etiam quae sunt tradita antiquitus dicta actu praeclarè, & nosse, & animo semper agitare conueniet. Quae profectò nusquam plura maioraque, quàm in nostrae ciuitatis monumentis reperientur. An fortitudinem, iustitiam, fidem, continentiam, frugalitatem, contemptum doloris ac mortis, melius alij docebunt, quàm Fabritij, Curij, Reguli, Decij, Mutij, alijque innumerabiles? Quantum enim Graeci praeceptis ualent, tantum Romani (quod est maius) exemplis. Tantumque non cognatis id è rebus admoneri sciet, qui non modò proximum tempus, lucemque praesentem intueri satis credat, sed omnem posteritatis memoriam, spatium uitae honestae, & curriculum laudis existimet. Hinc mihi ille iustitiae haustus bibat, hinc sumptam libertatem in caussis atque consilijs praestet. Neque erit perfectus Orator, nisi qui honestè dicere & sciet, & audebit.

Nulli sectae addictus Orator.

Ab optimo quoq; discendum esse & hauriendũ ex omnibus.

Dicta & facta praeclara cognoscenda, & uirtute praeditorũ exẽpla sequenda.

ARGVMENTVM.

Necessariam esse Oratori iuris scientiam, eamq; promptam & paratam in omni disputatione, contendit. Nec difficilem esse, cum paucis rebus neque adeò multis praeceptis constet, & bona parte in bonorum uirorum sensu sit positae. Itaque reprehendit eos qui relicto eloquentiae studio, ignauia se ad ius ciuile uel ad philosophiam contulerunt.

Necessarium iuris ciuilis Oratori esse scientiam. Cap. III.



Vris quoq; ciuilis necessaria huic uiro scientia est, & morum ac religionum eius Reipublicae quam capesset. Nam qualis esse suasor in consilijs publicis priuatis ue poterit, tot rerum quibus praecipuè ciuitas continetur, ignarus? Quo autem modo patronum se caussarum non falsò dixerit, qui quod est in caussis potentissimũ, sit ab altero petiturus? penè non dissimilis ijs, qui poetarum scripta pronunciant. Nam quodammodo mandata perferet, & ea quae sibi à iudice credi postulaturus est, aliena fide dicet: & ipse litigantium auxiliator, egebit auxilio. Quod ut fieri nonnunquam minore incommodo possit, cum domi praecepta & composita, sicut & caetera quae in caussa sunt, in discendo cognita ad iudicem perferet: quid fiet in ijs quaestionibus quae subitò inter ipsas actiones nasci solent? non deformiter respectet? & inter subsellia minores aduocatos interroget? Potest autem satis diligenter accipere quae tum audiet, cum ei dicenda sunt? aut fortiter affirmare, aut ingenuè pro suis dicere? Possit in actionibus: quid fiet in altercatione, ubi occurrendum continuò, nec libera ad discendum mora est? Quid si forte peritus iuris ille non aderit? Quid si quis non satis in ea re doctus, falsum aliquid subiecerit? Hoc enim est maximum ignorantiae malum, quòd credit eum scire, qui moneat. Neque ego sum nostri moris ignarus, oblitus ue eorum qui uelut ad arculas sedent, & tela agentibus sub ministrant: neque idem Graecos quoque nescio factitasse, unde nomen his pragmaticorum datum est. Sed loquor de Oratore, qui non clamorem modò suum caussis, sed omnia quae profutura sunt, debet. Itaque eum nec inutilem si ad horam forte constiterit, neque in testationibus faciendis esse imperitum uelim. Quis potius praeparabit ea, quae cum aget, esse in caussa uelit? Nisi forte imperatorem quis idoneum credit in praelijs quidem strenuum & fortem, & omnium quae pugna poscit, artificem: sed neque delectus agere, nec copias contrahere atque instruere, nec prospicere commeatus, nec locum capere castris scientem, prius est enim certè parare bella, quàm gerere. Atqui simillimus huic sit aduocatus, si plura quae ad uincendum ualent, alijs reliquerit: cum praesertim hoc, quod est maximè necessarium, non tam sit arduum, quàm procul intuentibus fortasse uideatur. Namque omne ius quod est certum, aut scripto aut moribus constat: dubium, aequitatis regula examinandum est. Quae scripta sunt, aut posita in more ciuitatis, nullam habent difficultatem: cognitionis sunt, enim non inuentionis. at quae consultorum responsis explicantur, aut in uerborum interpretatione sunt posita, aut in recti prauique discrimine. Vim cuiusque uocis intelligere, aut commune prudentium est, aut propriũ oratoris: aequitas optimo cuique notissima. Nos porrò & bonum uirum, & prudentem in primis, oratorem putamus: qui eum se ad id quod est optimum natura, direxerit, non magnopere commouebitur si quis ab eo consultus dissentiet, cum ipsis illis diuersas inter se opiniones tueri concessum sit. Sed etiam si nosse quid quisque senserit uolet, lectionis opus est, qua nihil est in studijs minus laboriosum. Quod si plerique desperata facultate agendi, ad discendum ius declinauerunt, quàm id scire facile est oratori, quod discunt qui sua quoque confessione oratores esse non possunt? Verum & M. Cato cum in dicendo praestantissimus, tum iuris idem fuit peritissimus: & Scaeuolae Seruioque Sulpitio concessa est etiam facundiae Virtus. Et M. Tullius non modò inter agendum nunquam est destitutus scientia iuris, sed etiam componere aliqua de eo coeperat: ut appareat posse oratorem non discendo tantùm iuri uacare, sed etiam docendo. Verùm ea quae de moribus excolendis, studioque iuris praecipimus, ne quis eò credat reprehendenda, quòd multos cognouimus, qui taedio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam necesse est, confugerint ad haec diuerticula desidiae: quorum alij se ad album ac rubricas transtulerunt, & formula-

rij, uel, ut

Arculas telorum intellige, unde illud Virgili. Suffice tela mihi.

Iuris cognitionem difficilem nõ esse.

Vituperat eos q; ignauia se ad ius ciuile uel ad philosophiam contulerunt.

1.de Or. & Pro Mur. rij, uel, ut Cicero ait, legulei quidam esse maluerunt: tan quam uiliora eligentes ea, quorum solam facilitatem sequebantur, alij pigritia arrogantioris, qui subitò fronte conficta, immissaque barba, ueluti despexissent oratoria præcepta, paulum aliquid sederunt in scholis philosophorum, ut deinde in publico tristes, domi dissoluti, captarent authoritatem contemptu cæterorum. Philosophia enim simulari potest, eloquentia non potest.

ARGVMENTVM.

Historiam quoque oratori necessariam esse uult, cum uerum, tum etiam fabulosam, in qua tamen antiquitatis & senectutis maior sit authoritas.

Necessariam oratori cognitionem historiarum. Cap. IIII.



N primis uerò abundare debet orator exemplorum copia, cum ueterum, ut etiã nouorum: adeò ut non ea modò quæ conscripta sunt historijs, aut sermonibus uelut per manus tradita, quæque quotidie aguntur, debeat nosse: uerùm ne ea quidem quæ sunt à clarioribus poetis ficta, negligere. Nam illa quidem priora, aut testimoniorum, aut etiam iudicatorum obtinent locum. Sed hæc quoque aut uetustatis fide tuta sunt, aut ab hominibus magnis præceptorum loco ficta creduntur. Sciat ergo quamplurima: unde etiam senibus authoritas maior est, quòd plura nosse & uidisse creduntur: quod Homerus frequentissimè testatur. Sed non est expectanda ultima ætas, cum studia præstent, ut quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis seculis uixisse uideamur.

Poetarum figmenta non negligenda.

Senibus authoritas maior est.

ARGVMENTVM.

Quæ dicta sunt de moribus Oratoris, & de rerum cognitione, ad instrumenta illius pertinent, quibus adduntur hæc artificialia, inuentio, dispositio, elocutio, memoria, actio. Sed in primis animi præstantia contra uerecundiam est necessaria, ne debilitetur in agendo orator, & iusta fiducia destituatur. Vbi quàm intelligat uerecundiam, declarat, ne ingenuus ac modestus pudor reprehendi uideatur, qui adeò oratori est necessarius, ut si de sit, fingendus sit etiam in dicendo, ac præ se ferendus. Esse etiam hæc naturalia in necessaria parte oratoris, uocem, latera, decorem, quibus Trachallum temporibus suis excelluisse dicit.

Quæ sint oratoris instrumenta. Cap. V.



Aec sunt quæ me redditurum promiserã instrumenta, non artis, ut quidam putauerunt, sed ipsius oratoris. Hæc arma habere ad manum, horum scientia debet esse succinctus, accedente uerborum figurarumque facili copia, & inuentionis ratione, & disponendi usu, & memoriæ firmitate, & actionis gratia. Sed plurimum ex his ualet animi præstantia, quam nec metus frangat, nec acclamatio terreat, nec audientium authoritas ultra debitam reuerentiam tardet. Nam ut abominanda sunt contraria his uitia, confidentiæ, temeritatis, improbitatis, arrogantiæ: ita citra constantiam, fiduciam, fortitudinem, nihil ars, nihil studium, nihil profectus ipse profuerit: ut si des arma timidis & imbellibus. Inuitus mehercle dico, quoniam & aliter accipi potest, ipsam uerecundiam, uitium quidem, sed amabile, & quæ uirtutes facillimè generet, esse interim aduersam, multisque in caussa fuisse, ut bona ingenij studijque in lucem non prolata, situ quodam secreti consumerentur. Sciat autem si quis hæc fortè minus adhuc peritus distinguendi uim cuiusq; uerbi, leget: nõ probitatem à me reprehendi, sed uerecundiam, quæ est timor quidam reducens animum ab ijs quæ facienda sunt: unde confusio, & cœpti pœnitentia, & subitum silentium. Quis porrò dubitet uitijs adscribere affectum propter quem facere bene sit pudet? Neque ego rursus nolo eum qui sit dicturus, & solicitum surgere, & colore mutari, & periculum intelligere: quæ si non accident, etiam simulanda erunt: sed intellectus hic sit operis, non metus: moneamurque, non concidamus. Optima est autem emendatio uerecundiæ, fiducia: & quamlibet imbecilla frons, magna conscientia sustinetur. Sunt & naturalia, ut suprà dixi, quæ tamen & cura iuuantur, instrumenta, uox, latus, decor: quæ quidem tantum ualent, ut frequenter famam ingenij faciant. Habuit oratores ætas nostra copiosiores: sed cum diceret, eminere inter æquales Trachallus uidebatur. ea corporis sublimitas erat, is ardor oculorum, frontis authoritas, gestus præstantia, uox quidem, non ut Cicero desiderat, penè tragœdorum, sed super omnes, quos ego quidem audierim, tragœdos. Certè cum in basilica Iulia diceret primo tribunali, quatuor autem iudicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum, & intellectum, &, quod agentibus cæteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini. Sed hoc uotum est, & rara fœlicitas: quæ si non adsit, sanè sufficiat, ab ijs quibus quis dicit, audiri. Talis esse debet orator, & hæc scire.

Animi præstantia oratori necessaria.

Verecũdia uitium amabile.

Verecũdia duplex, & utra reprehendenda.

Naturalia instrumenta quæ cura iuuẽtur.

Trachallus orator.

ARGVMENTVM.

Maturè incipiendum esse caussas agere præcipit, ne si citius id fiat, efferamur, sin tardius, deficiamus, idque à facilioribus tentandum. Quod postquam inceptum est, melius esse ad studia aliquando resilire & relabi, & quodammodo renouari, quàm se niel progredi, quò firmior in posterum & prudentior orator euadat, quod Ciceronem fecisse probat.

Quod sit incipiendum caussas agere tempus. Cap. VI.



Gendi autem initium sine dubio secundum uires cuiusque sumendum est: neque ego annos definiam, Cum Demosthenem puerum admodum actiones pupillares habuisse manifestum sit: Caluus, Cæsar, Pollio, multum ante quæsturam omnes ætatem grauissima iudicia susceperint: prætextatos egisse quosdam sit traditum: Cæsar Augustus duodecim natus annos, auiam pro Rostris laudauerit. Modus mihi uidetur quidam tenendus, ut neque præproperè distringatur immatura frons, & quicquid est illud adhuc acerbum, proferatur. Nam inde & contemptus operis innascitur, & fundamenta iaciuntur impudentiæ, & (quod est ubique perniciosissimum) præuenit uires fiducia. Nec rursus differendum est tyrocinium in senectutem. Nam quotidie metus crescit, maiusque fit semper quod ausuri sumus: & dum deliberamus quando incipiendum sit, incipere iam serum est. Quare fructum studiorum uiridem & adhuc dulcem promi decet, dum & uenia & spes est, & paratus fauor, & audere non dedecet: & si quid desit operi, supplet ætas: & si qua sunt dicta iuueniliter, pro indole accipiuntur: ut totus ille

Actiones pupillares, cum ipse tutores suos in ius uocaret. ui de Plut. in uitam Demosth.

ille Ciceronis pro Sexto Roscio locus. Quid enim tam com mune, quàm spiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Quæ cum sex & uiginti natus annos summis audientium clamoribus dixerit, deferbuisse tempore, & annis liquata iam fenior idem fatetur. Et hercle quantumlibet secreta studia contulerint, est tamen pro. prius quidam fori profectus: alia lux, alia ueri discriminis facies: plusque, si separes, usus sine doctrina, quàm citrà usum doctrina ualeat. Ideoq; nonnulli senes in scho la facti, stupent nouitate cum in iudicia uenerunt, & omnia suis exercitationibus similia desiderant. At illic & iudex tacet, & aduersarius obstrepit, & nihil temere dictum perit: & si quid tibi ipse sumas, probandum est: & laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem, aqua deficit: & omisso magna semper flandi tumore, in quibusdam caussis loquendum est, quod illi diserti minimè sciunt. Itaque nonnullos reperias, qui sibi eloquentiores uideantur, quàm ut caussas agant. Cæterum illum quem iuuenem, tenerisque adhuc uiribus nitentem, in forum deduximus, & incipere à quam maximè facili ac fauorabili caussa uelim, ut catuli ferarum molliore præda saginantur: & non utique ab initio continuare operam, & ingenio adhuc cultum inducere, sed iam scitutem quid sit pugna, & in quam rem studendum sit, refici atque renouari. Sic & tyrocinij metum dum facilius est audere, transierit, nec audendi facilitatem usque ad contemptum operis adduxerit. Vsus est & hac ratione M. Tullius: & cum iam clarum meruisset inter patronos qui tum erant, nomen, in Asiam nauigauit, seque & alijs sine dubio eloquentiæ ac sapientiæ magistris, sed præcipuè tamen Apollonio Moloni, quem Romæ quoque audierat, Rhodi rursus formandum ac uelut recoquendum dedit. Tum dignum operæprecium uenit, cum inter se congruunt præcepta & experimenta.

Asconius apud Gell. septé & uiginti numerat. In Ora. & Bruto.

Actionem &c. alludit ad clepsydras oratorum.

A leuioribus incipiendú esse, nec continuó progrediendú.

In Bruto.

ARGVMENTVM.

Oratorem ad defendendum, quàm ad accusandum propensiorem esse debere iudicat, & tamen interdum uel publico uel priuato officio ad accusandum adduci, non pœnæ nocentium, sed emendationis cupiditate, id exemplis clarissimorum uirorum confirmat. In caussis autem recipiendis, quamuis multæ sint, tamen amicis, ac potissimum si iudices fuerint, obsequendum esse, sed cauendum interim ne quid ambitiosè uel pro potentibus contra ueritatem, uel pro humilibus contra dignitatem faciamus. Dimittendam etiam nonnunquam caussam im prudenter susceptam, postquam iniquam esse cognouerimus. Illud prorsus indignum esse adiungit, eloquentiam in quæstu haberi tametsi iusta gratia referenda sit bene merenti oratori, præsertim si egeat, in quo tamen ipse modum seruare debeat, neque unquam pacisci cum litigatore, ne merces esse uideatur potius, quàm officiosa beneuolentia, quod ualde alienum sit à liberalissima facultate, & infra dignitatem oratoris.

Quæ in suscipiendis caussis oratori obseruanda sint. Cap. VII.

Defendere quàm accusare honestius.



VM satis in omne certamen uirium fecerit prima ei cura in suscipiendis caussis erit: in quibus defendere quidem reos profectò quàm facere uir bonus malet: non tamen ita nomen ipsum accusatoris horrebit, ut nullo neque publico neque priuato duci possit officio, ut aliquem ad reddendam rationem uitæ uocet. Nam & leges ipsæ nihil ualeant, nisi actoris idonea uoce munitæ: & si ,, pœnas scelerum expetere fas non est, propè est ut scelera ,, ipsa permissa sint: & licentiam malis dari, certè contra bonos est. Quare neque sociorum querelas, nec amici uel propinqui necem, nec erupturas in Rempublicam conspirationes inultas patietur orator: non pœnæ nocentium cupidus, sed emendandi uitia, corrigendique mores. Non qui ratione traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur. Itaque ut accusatoriam uitam uiuere, & ad deferendos reos præmio duci, proximum latrocinio est: ita pestem intestinam propulsare, cum pro pugnatoribus patriæ comparandum. Ideoque principes in Republica uiri non detrectauerunt hanc officij partem: creditique sunt etiam clari iuuenes obsidem Reipublicæ dare malorum ciuium accusationem, quia nec odisse improbos, nec simultates prouocare, nisi ex fiducia bonæ mentis uidebantur. Idque cum ab Hortensio, Lucillis, Sulpitio, Cicerone, Cæsare, plurimis alijs, tum ab utroque Catone factum est; quorum alter appellatus est sapiens: alter nisi creditur fuisse, nix scio cui reliquerit huius nominis locum. Nam que defendet omnis orator, idemque portum illum eloquentiæ suæ salutarem, non etiam piratis patefaciet, ducetur que in aduocationem maximè caussa. Quoniam tamen omnes qui non improbè litigabunt, quorum certè bona pars est, sustinere non potest unus, aliquid & commendantium personæ dabit, & ipsorum qui iudicio decernent ut optimi cuiusque uoluntate moueatur. nanque hos & amicissimos uir bonus habebit. Summouendum uerò est utrunque ambitus genus uel potentibus contra humiles uenditandi operam suam: uel illud etiam iactantius, minores utique contra dignitatem attollendi. Non enim fortuna caussas uel iustas uel improbas facit. Neque uerò pudor obstet, quo minus susceptam, cum melior uideretur, litem, cognita inter dicendum iniquitate, dimittat cum prius litigatori dixerit uerum. Nam & in hoc maximum, si æqui iudices fumus, beneficium est, ut non fallamus uana spe litigantem. Neque est dignus opera patroni, qui non utitur consilio. Et certè non conuenit ei quem oratorem esse uolumus, iniusta tueri scientem. Nam si ex illis quas suprà diximus caussis falsum tuebitur, erit tamen honestum quod ipse faciet. Gratis ne ei semper agendum sit, tractari potest. Quod ex prima statim fronte diiudicare, imprudentium est. Nam quis ignorat, quin id longè sit honestissimum, ac liberalibus disciplinis, & illo quem exigimus animo dignissimum, non uendere operam, nec eleuare tanti beneficij authoritatem? cum pleraque hoc ipso possint uideri uilia, quòd precium habent. Cæcis hoc, ut aiunt, satis clarum est: nec quisquam qui sufficientia sibi (modica autem hæc sunt) possidebit, hunc quæstum sine crimine sordium fecerit. At si res familiaris amplius aliquid ad usus necessarios exiget, secundum omnes sapientium leges patietur sibi gratiam referri: cum & Socrati collatum sit ad uictum & Zeno, Cleanthes, Chrysippus mercedes à discipulis acceptauerint. Neque enim uideo quæ iustior acquirendi ratio, quam ex honestissimo labore, & ab ijs de quibus optimè meruerint, quique si mutuem præstent, indigni fuerint defensione. Quod quidem non iustum modò, sed necessarium etiam est, cum hæc ipsa opera, tempusque omne alienis negocijs datum, facultatem aliter acquirendi recidant. Sed tum quoque tenendus est modus: ac plurimum refert, & à quo accipiat, & quantum, & quousque. Paciscendi quidem ille piraticus mos, & imponentium periculis precia, procul abominanda negociatio, etiam à mediocriter improbis aberit: cum præsertim bonos homines bonasque caussas tuenti non sit metuendus ingratus: qui si futurus, malo tamen ille peccet. Nihil ergo acquirere uolet orator ultrà

Accusatoria uita & delatoria latrocinio proxima, accusare tamen scelera tos inter dum maximè laudabile.

Cato Censorius & Vticensis.

In caussis recipiẽdis obsequẽdũ nõnunquã amicis & iudicibus, si nihil cõtra ueritatem dignitatem agitur.

Caussa iniqua dimittenda.

Gratis ne semper agendum.

Xenophon memorabilium. I.

Paciscendi mos piraticus.

ultrà quàm satis erit: ac ne pauper quidem tanquam mercedem accipiet, sed mutua beneuolentia utetur, cum sciat se tanto plus præstitisse: quia nec uenire hoc beneficium oportet, nec perire. Denique ut gratus sit, ad eum magis pertinet, qui debet.

ARGVMENTVM.

Caussam quam dicturus est, oratori diligenter cognoscendam esse præcipit, quòd nonnulli negligentia, alii ambitione leuius curent, neque uero per alium, ut plerique, neque ex libellis, sed per seipsum cognoscendam. Summam autem diligentiam adhibendam, ita ut neque tempori parcatur, neque fugiatur molestia quo minus sæpe etiam de eadem re audiamus. Notanda etiam interim esse quædam, ne excidant, monet.

Acriter quoque litigatori instandum, eumq; uersandum omnem in partem, & modò ex nostra, modò ex aduersarii persona agendum. Instrumenta litis & inspicienda omnia, & pertractanda, & per totam caussam eundum, perscrutando erueodoq; quicquid in ea uel testibus tractandis uel argumentis aptum esse queat. Postremò etiam iudicis personam esse sumendam, & omnibus ante oculos propositis, uidendum quid in quaque re firmissimum sit, & æstimandum in utranq; partem, ut totius caussæ euentus ante iudicium prospiciatur.

Quæ in discendis caussis oratori obseruanda sint. Cap. VIII.



*Roxima discendæ caussæ ratio: quod est orationis fundamentum. Neque enim quisquam tam ingenio tenui reperitur, qui cum omnia quæ sunt in caussa, diligenter cognouerit, ad docendum certè iudicem non sufficiat. Sed eius rei paucissimis cura est. Nam ut taceam de negligentibus, quorum nihil refert ubi litium cardo uertatur, dum sint quæ uel extra caussam ex personis aut communi tractatu locorum occasionem clamandi largiantur: aliquos & ambitio peruertit, qui partim tanquam occupati, semperque aliud habentes quod antè agendum sit, pridie ad se uenire litigatorem, aut eodem matutino iubent, nonnunquam etiam inter ipsa subsellia didicisse se gloriantur: partim iactantia ingenij, ut res citò accepisse uideantur, tenere se & intelligere prius penè quàm audiant, mentiti, cum multa & disertè, summisque clamoribus, quæ neque ad iudicem, neque ad litigatorem pertineant, decantauerunt, bene sudantes beneque comitati per forum reducuntur. Ne illas quidem tulerim delicias eorum, qui doceri amicos suos iubent: quanquam minus mali est, si illi saltem rectè discant, rectèque doceant. Sed quis discet tam bene, quàm patronus? Quo modo autem sequester ille, & media litium manus, & quidam interpres, impendet æquo animo laborem in alienas actiones, cum dicturus ipse non sit? Pessimæ uerò consuetudinis, libellis esse contentum, quos componit aut litigator, qui confugit ad patronum, quia liti ipse non sufficit: aut aliquis ex eo genere aduocatorum, qui se non posse agere confitentur: deinde faciunt id quod est in agendo difficillimum. Nam qui iudicare quid dicendum, quid dissimulandum, quid declinandum, mutandum, fugiendum etiam sit, potest, cur non sit orator, quandò quod difficilius est facit? Hi porrò non tantum nocerent si omnia scriberent uti gesta sunt. Nunc consilium & colores adijciunt, & aliqua peiora ueris, quæ plerique cum acceperunt, immutare nefas habent, & uelut themata in scholis posita custodiunt. Deinde deprehenduntur, & caussam quam discere ex suis litigatoribus noluerunt, ex aduersarijs discunt. Liberum igitur demus ante omnia ijs quorum negocium erit, tempus, ac locum: exhortemurque ultro, ut omnia quamlibet uerbosè, & unde uolent repetito tempore exponant. Non enim tam obest audire superuacua, quàm ignorare necessaria. Frequenter autem & ulnus remedium in ijs orator inueniet, quæ litigatori in neutram partem habere momentum uidebantur. Nec tanta sit acturo memoriæ fiducia, ut subscribere audita pigeat. Nec semel audisse sit satis: cogendus eadem iterum ac sæpius dicere litigator: non solùm quia effugere aliqua prima expositione potuerunt, præsertim hominem (quod sæpe euenit) imperitum, sed etiam ut sciamus an eadem dicat. Plurimi enim mentiuntur, & tanquam non doceant caussam, sed agant, non ut cum patrono, sed ut cum iudice loquuntur. Quapropter nunquam satis credendum est, sed agitandus omnibus modis, & turbandus, & euocandus. Nam ut medicis non apparentia modò uitia curanda sunt, sed etiam inuenienda quæ latent, sæpe ipsis ea quisanandi sunt, occulentibus: ita aduocatus plura quàm ostenduntur, aspiciat. Nam cum satis in audiendo patientiæ impenderit, in aliam rursus ei personam transeundum est, agendusque aduersarius, proponendum quicquid omnino excogitari contrà potest, quicquid recipit in eiusmodi disceptatione natura. Interrogandus quàm infestissimè, ac premendus. Nam dum omnia quærimus, aliquando ad uerum ubi minimè expectauimus, peruenimus. In summa optimus est in discendo patronus incredulus. Promittit enim litigator omnia, testem populum, paratissimas consignationes, ipsum denique aduersarium quædam non negaturum. Ideoque opus est intueri omne litis instrumentum: quod uidere non est satis: perlegendum erit. Nam frequentissimè aut non sunt omnino quæ promittebantur, aut minus continent: aut cum alio aliquo nocituro permista sunt: aut nimia sunt, & fidem hoc ipso detractura, quòd non habent modo. Denique linum ruptum, aut turbata * cera, aut sine agnitore signa frequenter inuenies: quæ nisi domi excusseris, in foro inopinata decipient: plusque nocebunt destituta, quàm non promissa nocuissent. Multa etiam quæ litigator nihil ad caussam pertinere crediderit, patronus eruet: modò per omnes quos tradidimus argumentorum locos eat: quos ut circunspectare in agendo, & attentare singulos minimè conuenit, propter quas diximus caussas: ita in discendo rimari necessarium est, quæ personæ, quæ tempora, quæ loca, instituta, instrumenta, cætera: ex quibus non tantùm illud quod est artificiale probationis genus colligi possit, sed qui metuendi testes, quomodo sint refellendi. Nam plurimum refert, inuidia reus, an odio, an contemptu laboret: quorum ferè pars prima superiores, proxima pares, tertia humiliores premit. Sic caussam perscrutatus, propositis ante oculos omnibus quæ prosint noceantue, tertiam deinceps personam induat iudicis, fingatque apud se agi caussam, & quod ipsum mouisset de eadem re pronunciaturum, id potentissimum apud quencunque agetur, existimet: & sic eum rarò fallet euentus, aut culpa iudicis erit.*

Negligentes in caussa cognoscenda atque etiam ambitiosos taxat.

Delicatos per alios caussam discẽtes, aut aliorum libellis contentos uituperat.

Caussa quo pacto oratori ex litigatore cognoscẽda, & quæ huius rei commoda.

Patronus in discendo incredulus optimus.

* cætera.

Li. 5. ca. 10.

ARGVMENTVM.

Oratorem in agendo cautum, non ambitiosum esse oportere monet, sed dissimulandam artem si offenderit, & utilitati seruiendum. Nullam caussam uel tenuem illi repudiandum, neque, si res non suppeditat dicendi materiam, extra petendam, & tum uel maximè à maledicendi petulantia, quæ odiosa est, nec caussæ tantum, sed etiam patrono nocet, abstinendum. Plures caussas, quàm agere possit, non suscipiendas, & in his quæ dicturus sit, scribenda frequenter, uel etiam si fieri

possit

possit, sculpenda, hoc est, orator se omni ratione ad memoriam comparabit, cuius tamen facultatem non semper futuram ait, nec eam, ubi deerit, tentandam, quod obesset plurimum, sed cura potius omni atque ingenio contendendum, cui doctrina, studium & exercitatio suffragabuntur.

Quæ seruanda in agendis caussis oratori sint. Cap. IX.



Væ sint in agendo seruanda, toto ferè opere executi sumus: pauca tamen propria huius loci, quæ nō tam dicendi arte, quàm officijs agendi continentur, attingā. Ante omnia, ne, quod plerisque accidit, ab utilitate eum caussæ. præsentis cupido laudis abducat. Nam ut gerentibus bella, non semper exercitus per plana & amœna ducendus est, sed adeundi plerunque asperi colles, expugnandæ ciuitates quanlibet præcisis impositæ rupibus, aut operum mole difficiles: ita oratio gaudebit quidem occasione latius decurrendi, & æquo congressa campo, totas uires popolariter explicabit: at si iuris anfractus, aut eruendæ ueritatis latebras adire cogetur, non obequitabit, nec illis uibrantibus concitatisque sententijs uelut missilibus utetur: sed operibus, & cuniculis, & insidijs, & occultis artibus rem geret. Quæ omnia non dum fiunt laudantur, sed cum facta sunt: unde etiam cupidis minus opinionis, plus fructus uenit. Nam cum illa dicendi uitiosa iactatio inter plausores suos detonuit, resurgit uere uirtutis fortior fama: nec iudices à quo sint moti dissimulant, & doctis creditur: nec est orationis uera laus nisi cum finita est.

Cautū esse oratorē in agēdo, sed non ambitiosū oportere.

Veteribus quidem etiam dissimulare eloquentiam fuit moris: idque M. Antonius præcipit, quò plus dicentibus fidei, minusque suspectæ aduocatorum insidiæ forent. Sed illa dissimulari quæ tum erat, potuit: nondum enim tantum dicendi lumen accesserat, ut etiam per obstantia erumperet. Quare artes quidem & consilia lateant, & quicquid si deprehenditur perit. Hactenus eloquentia secretum habet. Verborum quidem delectus, grauitas sententiarum, figurarum elegantia, aut non sunt, aut apparent. sed uel propter hoc ipsum ostentanda non sunt, quòd apparent: aut si unum è duobus eligendum caussa potius laudetur quàm patronus. Finem tamen hunc præstabit orator, ut uideatur optimam caussam optimè egisse. Illud certum erit, neminem peius agere, quàm qui displicenta caussa placet. necesse est enim extra caussam sit quod placet.

Dissimulādā esse artem si ostendente.

Nec illo fastidio laborabit orator, non agendi caussas minores, tanquam infra eum sint, aut detractura sit opinioni minus liberalis materia. Nam & suscipiendi ratio iustissima est officium, & optandum etiam ut amici quàm minimas lites habeant: & abunde dixit bene, qui rei satisfecit.

Caussas minores etiam oratori suscipiēdas.

At quidam etiam si fortè susceperunt negocia paulo ad dicendum tenuiora, extrinsecus adductis ea rebus circumliniunt: ac si defecerint alia, conuitijs implent uacua caussarum: si contingit, ueris: si minus, fictis: modò sit materia ingenij, mereaturque clamorem dum dicitur. Quod ego adeò longè puto ab oratore perfecto, ut eum ne uera quidem obiectaturum, nisi id caussa exigit, credam.

In caussis tenuibus nō esse materiam extra petendam aut inferenda cōuitia.

Ea est enim prorsus canina, ut ait Appius, eloquentia, censuram maledicendi subire: quod facientibus, etiam malè audiendi præsumenda patientia est. Nam & in ipsos fit impetus frequenter qui egerunt, & certè patroni petulantiam litigator luit. Sed hæc minora sunt ipso illo uitio animi, quo maledicus à malefico non distat nisi occasione. Turpis uoluptas, & inhumana, & nulli audientium bono grata: à litigatoribus quidem frequenter exigitur, qui ultionem malunt, quàm defensionem. Sed neque alia multa ad arbitrium eorum facienda sunt. Hoc quidem quis hominum liberi modò sanguinis sustineat, petulans esse ad alterius arbitrium? Atqui etiam in aduocatos partis aduersæ libenter nonnulli inuehuntur: quod, nisi si forte meruerint, & inhumanum est respectu communium officiorum, & cum ipsi qui dicit, inutile (nam idem iuris responsuris datur) tum caussæ contrarium, quia planè & aduersarij sunt, & inimici: & quantulumcunque his uirium est, contumelia augetur.

Canina eloquentia.

Super omnia perit illa quæ plurimum oratori & authoritatis & fidei affert, modestia, si à uiro bono in rabulam latratoremque conuertitur, compositus non ad animum iudicis, sed ad stomachum litigatoris. Frequenter etiam species libertatis deducere ad temeritatem solet, non caussis modò, sed ipsis quoque qui dixerunt, periculosam.

Modestia oratori necessaria.

Nec immeritò Pericles solebat optare, ne quod sibi uerbum in mentem ueniret, quo populus offenderetur. Sed quod ille de populo, id ego de omnibus sentio qui tantundem possunt nocere. Nam quæ fortia dum dicuntur uidebantur, stulta cum læserunt uocantur.

Periclis uotum populare.

Nunc quia uarium ferè propositum agentium fuit & quorundam cura tarditatis, quorundam facilitas temeritatis crimine laborauit: quem credam fore in hoc oratoris modum tradere non alienum uidetur. Afferet ad dicendum curæ semper quantum plurimum poterit. Neque enim solùm negligentis, sed & mali, & in suscepta caussa perfidi ac proditoris est, peius agere quàm possit. Ideoque ne suscipiendæ quidem sunt caussæ plures, quàm quibus suffecturum se scias.

Quis modus caussas agere uolētibus statuendus.

Dicet scripta quàm res patietur plurima: & ut Demosthenes ait, si continget, & Sculpta. Sed hoc aut primæ actiones, aut quæ in publicis iudicijs post interiectos dies dantur, permiserint: at cum protinus respondendum est, omnia parari non possunt, adeò ut paulo minus promptis etiā noceat scripsisse, si alia ex diuersa quàm opinati fuerant, occurrerint. Inuiti enim recedunt à præparatis, & tota actione respiciunt requiruntque num aliquid ex illis interuallis, atque ex tempore dicendis inseri possit. quod si fiat, non cohæret, nec commissuris modò, ut in opere male iuncto hiantibus, sed ipsa coloris inæqualitate detegitur. Ita nec liber est impetus, nec cura contexta, & utrunque alteri obstat. Illa enim quæ scripta sunt, retinent animum, non sequuntur. Itaque in his actionibus omni, ut agricolæ dicunt, pede standum est. Nam cum in propositione ac refutatione caussa consistat, quæ nostræ partis sunt, scripta esse possunt: quæ etiam, responsurum aduersarium certum est, (est enim aliquando certum) pari cura refelluntur. Ad alia unum paratum afferre possumus, ut caussam bene nouerimus, alterum ibi sumere, ut dicentem aduersarium diligenter audiamus.

Retinent animū, non sequuntur, id est confirmant memoriā, non ad omnia apta sunt.

Licet tamen præcogitare plura, & animum ad omnes casus componere: idque est tutius stylo, quò facilius & omittitur cogitatio, & transfertur. Sed siue in respondendo fueris subitò dicendum, siue quæ alia ita exegerit ratio, nunquam oppressum se ac deprehensum credet Orator, cui disciplina & studium & exercitatio dederit uires etiam facilitatis: quemque armatum semper, ac uelut in procinctu stantem, non magis unquam in caussis oratio, quàm in rebus quotidianis ac domesticis sermo deficiet, nec se unquam propter hoc oneri subtrahet, modò sit caussæ dicendæ tempus: nam cætera semper sciet.

ARGVMENTVM.

Varia esse dicendi genera, & alium alio delectari, sicut in picturis & statuis, quarum uarios & excellentes artifice commemorat: quibus traductis ad Orationis similitudinem confert

Oratores

Oratores latinos, distantes inter se ac dissimiles, io quibus tamen Ciceronē unū omnibus anteponit, & defendit cōtra obtrectatores. Deinde exponit genera dicendi, & ex tribus optimum facit quod atticum uocabant, lo eoque reprehendit prauum quorundam iodicium, qoi ornatum & amplitudinem ab hoc genere remouentes, aridi atque exucti erant. Græcorum autem facundiam latinæ anteponit, quod & sono literarum dulcior, & copia uerborum uberior sit. In quo tamen medetur latinorum ioopiæ, quòd dotes græcorum alijs uirtutibus æquare possint, noo uerborum modò tractatione, sed & rebus illorum opes compensando, præsertim in magna & ornata oratione: nam in subtili græcos superiores esse. Eodemque in loco rursus improbat atticos aridos illos atque ieiunos, qui omnia propriis ac necessariis modò uerbis dicenda putabant: ornatum negans minus aptum, & secundum naturam esse in magna oratione, quàm proprietatem io subtili: additque eodem uoluptati auditorum seruiendum esse, modò id cautè & modicè fiat, ne officiatur caussarum utilitati. Quæstiooem quoque aliam inducit hoc loco, de dicendi & scribendi ratione, quam uult eandem esse oportere in utroque opere: nec aliter scripta, quàm quæ dicenda forent, ad posteros tradenda esse, exceptis iis ubi actio ad tempus & auditorum uoluntatem accommodatur, ut io caussis. In infinitis quæstioouibus naturæ rerum sicut in dicendo, ita in scribendo seruiendum esse. Post hæc facit alteram diuisionem Orationis: in genus subtile, graue, & medium. Quorum primum ad docendum, secundum ad mouendum, tertium ad delectandum accommodatum sit. In subtili acumen esse, & in narrando probandoque ualere. Medium, amœnum, floridum, uerbis ac sententiis mediocriter oroatum. Graue, magnum, uehemens, copiosum, quod ooducat, sed ui trahat auditorem, & in quanuis partem auferat. Itaque in eo esse personarum fictiones liberiores, amplificationes, sublata contra fidem, & omnia affectuum genera, non tam ad docendum delectandum'ue, quàm ad incitandum auditorem accommodata. Addit deinde his tribus & alia quædam genera media inter illa, & ipsorum quodammodo gradibus temperata, ut io musicis sonia minus maximo, & rursus minimo maius, quod tamen medium inter utrunque nondum sit, sed citrà consistat. Atque io his omnibus generibus uult Oratorem instructum ac paratum esse debere, ut unoquoque aptè & decenter utatur, uel in tota uel in aliqua parte caussæ, cum alia aliò modo dicenda sint, ut grauiter, acriter, seuerè, uehementer, concitatè, copiosè, amarè; comiter, remissè, subtiliter, blandè, leniter, dulciter, breuiter, urbanè, eosque reprehendit qui intemperato quodam & plausibili magis quàm sano genere in caussis utebantur, quasi hoc esset aptum & populare. Postremo hæc omnia prædicta facilia esse bono & exercitato Oratori iudicat, qui tamen iudicium & modum adhibere debeat, ne intemperantia prolabatur.

De genere dicendi. Cap. X.

Li. 2. c. 15. * rhetorices.



*Uperest ut dicam de genere orationis. Hic erat propositus à nobis in diuisione prima locus tertius: nam ita promiseram, me de arte, de artefice, de opere dicturum. Cum sit autem * Rhetoris atq; Oratoris opus oratio, pluresque eius formæ, sicut ostendam, in omnibus his & ars est, & artifex: plurimum tamen inuicem differunt: nec solum specie, ut signum signo, & tabula tabula, & actio actione, sed genere ipso, ut à Græcis Tuscanicæ statuæ, & Asianus eloquens Attico. Suos autem hæc operum genera quæ dico, authores, sic etiam amatores habent: atque ideo nondum est perfectus Orator, ac nescio an ars ulla, non solùm quia aliud in alio magis eminet, sed quòd non una omnibus forma placuit, partim conditione uel temporum uel locorum, partim iudicio cuiusque atque proposito. Primi, quorum quidem opera non uetustatis modò gratia uisenda sunt, clari pictores fuisse dicuntur Polygnotus atq; Aglaophon, quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa propè rudia, ac uelut futuræ mox artis primordia, maximis qui post eos extiterunt authoribus præferant, propriò quodam intelligendi (ut mea fert opinio) ambitu. Post Zeusis atque Parrhasius non multum ætate distantes (circa Peloponnesia ambo tempora. nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xenophontem inuenitur) plurimum arti addiderunt. Quorum prior luminum umbrarumque inuenisse rationem, secundus examinasse subtilius lineas traditur. Nam Zeusis plus membris corporis dedit, id amplius atque augustius ratus, atque (ut existimant) Homerum secutus, cui ualidissima quæque forma etiam in fœminis placet. Ille uerò ita circumscripsit omnia, ut eum legumlatorem uocent, quia Deorum atque Heroum effigies, quales ab eo sunt traditæ, cæteri tanquam ita necesse sit sequuntur. Floruit autem circa Philippum, & usque ad successores Alexandri, pictura præcipuè, sed diuersis uirtutibus. Nam cura Protogenes, ratione Pamphilus ac Melanthius, facilitate Antiphilus, concipiendis uisionibus (quas φαντασίας uocant) Theon Samius, ingenio & gratia quam in se ipse maximè iactat, Apelles est præstantissimus. Euphranorem admirandum facit, quòd & cæteris optimis studijs inter præcipuos, & pingendi fingendique idem mirus artifex fuit. Similis in statuis differentia. Nam duriora, & Tuscanicis proxima Calon atque Egesias, iam minus rigida Calamis, molliora adhuc suprà dictis Myron fecit. Diligentia ac decor in Polycleto suprà cæteros: cui quanquam à plerisque tribuitur palma, tamen ne nihil detrahatur, deesse pondus putant. Nam ut humanæ formæ decorem addiderit suprà uerum, ita non expleuisse deorum authoritatem uidetur. Quin ætatem quoque grauiorem dicitur refugisse, nihil ausus ultra leues genas. At quæ Polycleto defuerunt, Phidiæ atque Alcameni dantur. Phidias tamen dijs quàm hominibus efficientibus melior artifex traditur: in ebore uerò longè citra æmulum, uel si nihil nisi Mineruam Athenis, aut Olympium in Elide Iouem fecisset: cuius pulchritudo adiecisse aliquid etiā receptæ religioni uidetur. adeò maiestas operis deum æquauit. Ad * ueritatem Lysippū & Praxitelem accessisse optimè affirmant. Nam Demetrius tanquā nimius in ea reprehenditur, & fuit similitudinis quàm pulchritudinis amantior. In oratione uerò si species intueri uelis, totidem penè reperias ingeniorum, quot corporum formas. Sed fuere quædam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenij uim præ se ferentia. Hinc sunt Lælij, Africani, Catones, Gracchique, quos tu licet Polygnotos uel Calonas appelles. Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium temporum Oratorum ingens prouentus. Hinc uim Cæsaris, indolem Cælij, subtilitatem Callidij, grauitatem Bruti, acumen Sulpitij, acerbitatem Cassij, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatem Calui reperiemus. In his etiam quos ipsi uidimus, copiam Senecæ, uires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Crispi, sonum Trachalli, elegantiam Secundi. At M. Tullium non illum habemus Euphranorem circa plurium artium species præstantem, sed in omnibus quæ in quoque laudantur, eminentissimum. Quem tamen & suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem, & Asianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractum exultantem, ac penè (quod procul absit) uiro molliorem. Postea uerò quàm triumuirali proscriptione consumptus est, passim qui oderant, qui inuidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præsentis potentiæ, non responsurum inuaserunt. Ille tamen qui ieiunus à quibusdam & aridus habetur, non aliter ab ipsis inimicis malè audire, quàm nimijs

Plin. li. 34. cap. 7.

Pictores clari, de quibus uide Pli. lib. 35. cap. 9. & 10.

Intelligendi id est, iudicij, si artem intelligas, id est, quo modo uel mentem, canum in plano exprimant.

Statuarij.

* id est uerarum rerum formas expressisse.

Reddito cōparationis, qua uarias orationis formas esse ostendit.

Horū omnium genera dicendi exprimit. C. de Cla. Oratorib.

Cicero in omnib. eminentissimus.

mijs floribus & ingenij affluentia potuit. Falsum utrunque, sed tamen illa mentiendi propior occasio. Præcipuè uerò presserunt eum, qui uideri Atticorum imitatores concupierant. Hæc manus quasi quibusdam sacris initiata, ut alienigenam, & uirum superstitiosum, deuinctumque illis legibus insequebatur. Vnde nunc quoque aridi, & exucci, & exangues (hi sunt enim qui suæ imbecillitati, sanitatis appellationem, quæ est maximè contraria, obtendant) quia clariorem uim eloquentiæ uelut solem ferre non possunt, umbra magni nominis delitescũt. quibus quia multa, & pluribus locis Cicero ipse respondit, tutior mihi de hoc disserendi breuitas erit. Et antiqua quidem illa diuisio inter Asianos atque Atticos fuit, cum hi pressi & integri, contrà inflati illi & inanes haberentur: & in his nihil superflueret, illis iudicium maximè ac modus deesset. Quod quidam, quorum & Santra est, hoc putant accidisse, quòd palatim sermone Græco in proximas Asiæ ciuitates influente, nondum satis periti loquendi, facundiam concupierint: ideóque ea quæ propriè signari poterant, circuitu cœperint enunciare, ac deinde in eo perseuerarint. Mihi autem orationis differentiam fecisse & dicentium & audientium naturæ uidentur. quòd Attici limati quidem & emuncti nihil inane aut redundans ferebant: Asiana gens tumidior alioqui & iactantior, uaniore etiam dicendi gloria inflata est. Tertium mox, qui hæc diuidebant, adiecerunt genus, Rhodium: quod uelut medium esse, atque ex utroque mistum uolunt. Neque enim Atticè pressi, neque Asianè sunt abundantes: ut aliquid habere uideantur gentis, aliquid authoris. Aeschines enim, qui hunc exilio delegerat locum, intulit eò studia Athenarum, quæ uelut sata quædam cælo terráque degenerant, saporem illum Atticum peregrino miscuerunt. Lenti ergo quidem ac remissi, non sine pondere tamen: neque fontibus puris, neque torrentibus turbidis, sed lenibus stagnis similes habentur. Nemo igitur dubitauerit longè esse optimum genus Atticorum. In quo ut est aliquid inter ipsos commune, id est iudicium acre, tersumque ita ingeniorum plurimæ formæ. Quapropter mihi falli multum uidentur, qui solos esse Atticos credunt tenues, & lucidos, & significantes, sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes. Nam quis erit hic Atticus? Sit Lysias. hũc enim amplectuntur amatores istius nominis modum. Non igitur iam usque ad Coccum & Antocidem remittemur. Interrogare tamen uelim an Isocratis atticè dixerit. Nihil enim tam est Lysiæ diuersum. Negabunt? At eius schola principes Oratorum dedit. Quæratur similius aliquid. Hyperides Atticus? Certè. At plus indulsit uoluptati. Transeo plurimos, Lycurgum, Aristogitona, & his priores Isæum, Antiphontem: quos ut homines, inter se genere similes, differentes dixeris specie: quid ille, cuius modò fecimus mentionem, Aeschines? nonne his latior, & audentior, & excelsior? Quid denique Demosthenes? non cunctos illos tenues, & circunspectos ui, sublimitate, impetu, cultu, compositione superauit? non insurgit locis? non figuris gaudet? non translationibus nitet? non oratione ficta dat carentibus uocem? non illud iusiurandum per cæsos in Marathone ac Salamine propugnatores Reipublicæ, satis manifestò docet præceptorem eius Platonem fuisse? Quem ipsum num Asianum appellabimus, plerunque instinctis diuino spiritu uatibus comparandũ? Quid Periclea? similemne credimus Lysiacæ gracilitati, quem fulminibus & cælesti fragori comparant comici, dum illi conuiciantur? Quid est igitur cur in ijs demum qui tenui uenula per calculos fluunt, atticum saporem putent? ibi demum thymum redolere dicant? Quos ego existimo, siquod in his finibus uberius inuenerint solum, fertilioremúe segetem, negaturos Atticã esse, quòd plus quàm acceperit seminis reddat, quia hanc eius terræ fidem Menander eludit. Itaque siquis nunc ad eas Demosthenis uirtutes, quas ille summus Orator habuit, tamen quæ defuisse ei, siue ipsius natura, siue lege ciuitatis uidentur, adiecerit, ut affectus concitatus moueat, audiam dicentem, non fecit hoc Demosthenes? & siquid exierit numeris aptius, fortasse non possit, sed tamen siquid exierit, non erit Atticum? Melius de hoc nomine sentiant, credantque Atticè dicere, esse optimè dicere. Atque in hac tamen opinione perseuerantes Græcos magis tulerim. Latina mihi facundia, ut inuentione, dispositione, consilio, cæteris huius generis artibus similis Græcæ, ac prorsus discipula eius uidetur: ita circa rationem eloquendi uix habere imitationis locum. Namque est ipsis statim sonis durior quandò & iucundissimas ex Græcis literas non habemus, uocalem alteram, alteram consonantem, quibus nullæ apud eos dulcius spirant: quas mutuari solemus quoties illorum nominibus utimur. Quod cum contingit, nescio quo modo uelut hilarior protinus renidet oratio, ut in Zephyris. & Zopyris, quæ si nostris literis scribantur, surdum quiddam & barbarum efficient, & uelut in locum earum succedent tristes & horrida, quibus Græcia caret. Nam illa quæ sexta est nostrarum, penè non humana uoce, uel omnino non uoce potius, inter discrimina dentium efflanda est: quæ etiam cum uocalem proxima accipit, quassa quodam modo, utique quoties aliquam consonantium frangit, ut in hoc ipso frangit, multo fit horridior. Aeolica quoq; litera, qua seruum ceruumq; dicimus, etiã si forma à nobis repudiata est, uis tamen nos ipsa persequitur. Duras & illa syllabas facit, quæ ad coniungendas demum subiectas sibi uocales est utilis, alias superuacua, ut equos ac equum scribimus, cum ipsa etiam hæ uocales duæ efficiant sonum qualis apud Græcos nullus est, ideóque scribi illorum literis non potest. Quid, quod pleraque nos illa quasi mugiente litera eludimus M, qua nullum græcæ uerbum cadit? At illi y iucundam, & in fine præcipuè quasi tinnientem, illius loco ponunt, quæ est apud nos rarissima in clausulis. Quid quod syllabæ nostræ in B literam, & D innituntur? adeò asperè, ut plerique non antiquissimorum quidem, sed tamen ueterum, mollire tentauerint, non solum auersa pro abuersis dicendo, sed & in præpositione B literæ absonam & ipsam S subijciendo. Sed accentus quoque cum rigore quodam, tum similitudine ipsa minus suaues habemus. quia ultima syllaba nec acuta unquam excitatur, nec flexa circunducitur, sed in grauem, uel duas graues cadit semper. Itaque tanto est sermo Græcus Latino iucundior, ut nostri poetæ quoties dulce carmen esse uoluerunt, illorum id nominibus exornent. His illa potentiora, quòd res plurimæ carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre, aut circumire: etiam in ijs quæ denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissimè reuoluit: at illis non uerborum modò, sed linguarum etiam inter se differentium copia est. Quare qui à Latinis exiget illam gratiam sermonis Attici det mihi in loquendo eandem iucunditatem, & parem copiam. Quod si negatum est, sententias aptabimus ijs uocibus quas habemus, nec rerum nimiam tenuitatem, ut non dicam pinguioribus, fortioribus certè uerbis miscebimus, ne uirtus utraque pereat ipsa confusione. Nam quo minus adiuuat sermo, rerum inuentione pugnandum est. Sensus sublimes

In Bruto.

Genera dicendi, Atticum Asianum.

Rhodium.

Atticũ genus optimum. Id est astrictissimum & pressi atque adeo inornati.

Lege ciuitatis, qua Orator uetabatur epilogo uti, ne affectus mouere.

De Latino sermone, qui inferior Græco est, & tamen æquari potest.

υ & ζ aut φ

F

Q

p u

M

N

B

D

ab, abs.

Quomodo medendum latinorum inopiæ.

sublimes uarijque eruantur. Permouendi omnes affectus erunt, oratio translationum nitore illuminanda. Non possumus esse tam graciles? simus fortiores. Subtilitate uincimur? ualeamus pondere. Proprietas penes illos est certior? copia uincamus. Ingenia Græcorum etiam minora suos portus habent, nos plerunque maioribus uelis moueamur: ualidior spiritus nostros sinus tendat. Non tamen alto semper feremur. nam & littora interim sequenda sunt. Illi facilis per qualibet uada accessus, ego aliquid non multo tamen altius, in quo mea cymba non sidat, inueniam. Neque enim si tenuiora hæc ac pressiora Græci melius, in eoque uincimur solo, & ideo in comœdijs non contendimus, prorsus tamen omittenda pars hæc orationis, sed exigenda ut optimè possumus: possumus autem rerum & modo & iudicio esse similes: uerborum gratia, quam in ipsis non habemus, extrinsecus condienda est. An non in priuatis & acutus, & indistinctus, & non supra modum elatus M. Tullius? non in M. Callidio insignis hæc uirtus? non Scipio, Lælius, Cato, in eloquendo uelut attici Romanorum fuerunt? Cui porrò non satis est, quo nihil esse melius potest?

Iterum respondet aticis, & ostẽdit eloquẽtiam naturalem esse.

Ad hoc quidam nullam esse naturalem putant eloquentiam, nisi quæ sit quotidiano sermoni simillima, quo cum amicis, coniugibus, liberis, seruis loquamur, contenti promere animi uoluntatem nihilque arcessiti & elaborati requirentes: quicquid huc sit adiectum, id esse affectationis, & ambitiosæ in loquendo iactantiæ, remotum à ueritate, fictumque ipsorum gratia uerborum, quibus solum à natura sit officium attributum, seruire sensibus: sicut athletarum corpora etiam si ualidiora fiant exercitatione, & lege quadam ciborum, non tamen esse naturalia, atque ab illa specie quæ sit concessa hominibus, abhorrere. Quid enim, inquiunt, attinet circuitu res ostendere, & translationibus, id est, aut pluribus aut alienis uerbis, cum sua cuique sint assignata nomina? Denique antiquissimum quenque maximè secundum naturam dixisse contendunt, mox poetis similiores extitisse, etiam si parcius, simili tamen ratione falsa & impropria uirtutes ducentes. Qua in disputatione nonnihil ueri est, ideoque non tam procul, quàm fit à quibusdam, recedendum à proprijs atque communibus. Si quis tamen (ut in loco dixi compositionis) ad necessaria, quibus nihil minus est, aliquid melius adiecerit, non erit hac calumnia reprehendendus. Nam mihi aliam quandam uidetur habere naturam sermo uulgaris, aliam uiri eloquentis oratio: cui si res indicare modò satis esset, nihil ultra uerborum proprietatem elaboraret: sed cum debeat delectare, mouere, in plurimas animum audientis species impellere, utetur ijs quoque adiutorijs, quæ ab eadem sunt nobis concessa natura. Nam & lacertos exercitatione constringere, & augere uires, & colorem trahere, naturale est: ideoque in omnibus gentibus alius alio facundior habetur, & eloquendo dulcis magis. Quod si non eueniret, omnes pares essent, & idem omnes deceret. At loquuntur, & seruant personarum discrimen. ita quo quisque plus efficit dicendo, hoc magis secundum naturam eloquentiam dicit.

Tẽporibus etiam & auribus seruiendum.

Quapropter ne illis quidem nimium repugno, qui dandum putant nonnihil esse temporibus atq; auribus nitidius aliquid atque affectatius postulantibus. Itaque non solum ad priores Catonem Gracchosque, sed ne ad hos quidem Oratorem alligandum puto. Atque id fecisse M. Tullium uideo, ut cum omnia utilitati, tum partem quandam delectationi daret, cum & ipsam se rẽ agere diceret (agebat autem maximè) litigatoris. Nam hoc ipso proderat, quòd placebat. Ad cuius uoluptates nihil equidem quod addi possit inuenio, nisi ut sensus nos quidem dicamus plures. Neque enim fieri potest salua tractatione caussæ, & dicendi authoritate, si crebra hæc lumina & continua fuerint, ut non inuicem offecerint. Sed me hactenus cedentem nemo insequatur ultrà, do tẽpori, ne crassa toga sit, non serica: ne intonsum caput, non in gradus atque annulos totum comptum: cum in eo qui se non ad luxuriam ac libidinem referat, eadem speciosiora quoque sint, quæ honestiora. Cæterùm hoc quod uulgò sententias uocamus (ueteribus præcipueque Græcis in usu non fuit, apud Ciceronem inuenio) dum rem contineant, & copia non redundent, & ad uictoriam spectent, quis utile neget? Feriunt animum, & uno ictu frequenter impellunt, & ipsa breuitate magis hærent, & dictione persuadent.

In Bruto.

Ac sunt qui hæc excitatiora lumina etiam si dicere permittant, à componendis tamen orationibus excludenda arbitrentur. Quocirca mihi ne hic quidem locus intactus est omittendus, quòd plures eruditorum aliam esse dicendi rationem, aliam scribendi putauerunt: ideoque in agendo clarissimos quosdam, nihil posteritati mansurisque mox literis reliquisse, ut Periclem & Demadem: rursus alios ad componendum optimos, actionibus idoneos non fuisse, ut Isocratem: præterea in agendo plus impetus posse plerunque, & petitas uel paulo licentius uoluptates. Commouendos enim esse, docendosque animos imperitorum. At quod libris dedicatur, & in exemplum editur: tersum ac limatum, & ad legem ac regulam compositum esse oportere, quia ueniat in manus doctorũ, & iudices artis habeat artifices. Quin illi subtiles, ut sibi ac multi persuaserunt magistri, παράδειγμα dicendo, ἐνθύμημα scribendo esse aptius tradiderunt.

An sit eodẽ modo scribendum & dicendum.

Mihi unum atque idem uidetur bene dicere, ac bene scribere: neque aliud esse oratio scripta, quàm monumentum actionis habitæ. Itaque nullas non (ut opinor) debet habere uirtutes dico, non uitia. Nam imperitis placere aliquando quæ uitiosa sunt, scio. Quo different igitur? Quòd si mihi des concilium iudicum sapientum, perquam multa recidam ex orationibus non Ciceronis modò, sed etiam eius qui est strictior multo, Demosthenis. Neque enim affectus omnino mouendi erunt, nec aures delectatione mulcendæ, cum etiam prooemia superuacua esse apud tales, Aristoteles existimet, non enim trahentur his illi sapientes. propriè & significanter rem indicare, probatione colligere, satis est. Cum uerò iudex detur aut populus, aut ex populo, laturique sententiam indocti sæpius, atque interim rustici: omnia quæ ad obtinendum quod intendimus, prodesse credemus, adhibenda sunt: eaq; etiam cum dicemus, promenda, & cum scribemus ut doceamus quomodo dici oporteat. An Demosthenẽ mallem sic egisse ut scripsit, aut Ciceronem? aut eos præstãtissimos Oratori alio quàm scriptis cognoscimus? Melius egerunt igitur, an peius? nam si peius, sic potius oportuit dici ut scripserunt. si melius, sic oportuit scribi ut dixerunt.

Profert sententiã suã.

Quid ergo? Semper sic aget Orator ut scribit? Si licebit, semper. quod si impediant breuitate tempora à iudice data, multum ex eo quod potuit dici, recidetur: editio habebit omnia. Quæ autem secundum naturam iudicantium dicta sunt, non ita posteris tradentur, ne uideantur propositi fuisse, non temporis. Nam id quoque plurimum refert, quomodo iudex audire uelit: atque ei uultus sæpe ipse rectus est dicentis, ut Cicero præcepit. Ideoque instandum ijs quæ placere intellexeris, resiliendum ab ijs quæ non recipientur. Sermo ipse qui facilè iudicem doceat, optandus. Nec id mirum sit, cum etiam testium personis aliqua mutentur. Prudenter enim, qui cum interrogasset rusticũ testẽ an Amphionem nosset,

Quãdo aliter dicere Oratori, aliter scribere licebit. Propositi non temporis, id est infinitæ quæstionis, non caussæ.

Differētiā & ph assignat Priscia lib. 1.

nosset, negante eo, detraxit aspirationem, breuiauitque secundam eius nominis syllabam. & ille eum sic optimè nouat. Huiusmodi casus efficiunt ut aliquando dicatur aliter quàm scribitur, cum dicere quomodo scribendum est, non licet.

Triplex dicendi genus.
Subtile.
Grande.
Medium.

Alteru est diuisio, quæ in tres partes & ipsa discedit, qua discerni posse etiam rectè dicendi genera inter se uidentur. Nanque unum subtile, quod ἰσχνὸν uocant. Alterum grande atque robustum, quod constituunt ἁδρὸν. Tertium alij medium ex duobus, alij floridum, nanque id ἀνθηρὸν appellant, addiderunt. quorum tamen ea ferè ratio est, ut primum docendi, secundum mouendi, tertium illud utrocunque nomine, delectandi, siue aliud interconciliandi præstare uidetur officium. In docendo autem acumen, in interconciliando lenitas, in mouendo grauitas uideatur. Itaque illo subtili præcipuè ratio narrandi probandique consistet: sed quod etiam detractis cæteris uirtutibus, suo genere plenum sit. Medius hic modus, & translationibus & crebrior, & figuris erit iucundior, egressionibus amœnus, compositione aptus, sententijs dulcis, lenior tamen, ut amnis lucidus quidam, & uirentibus utrinque syluis inumbratus. At ille qui laxa deuoluat, & pontem indignetur, & ripas sibi faciat, multus & torrens iudicem uel nitentem contrà, feret, cogetque ire quà rapit. Hic Orator & defunctos excitabit, ut Appium cæcum: apud hunc & patria ipsa exclamabit, aliquemque (ut apud Ciceronem in oratione contra Catilinam in Senatu) alloquetur. Hic & amplificationibus extollet orationem, & in superlationum quoque eriget: Quæ Charybdis tam uorax? &, Oceanus mediusfidius ipse. Nota sunt enim iam studiosis hæc lumina. Hic deos ipsos in congressum propè suum sermonemque deducet; Vos enim Albani tumuli atque luci: uos, inquam, Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ & æquales. Hic iram, hic misericordiam inspirabit: hic dicet, Te uidit, & fleuit, & appellauit. & per omnes affectus tractatur. Hinc itaque illuc sequetur, nec doceri desiderabit. Quare si ex tribus his generibus necessariò sit eligendum unum, quis dubitet hoc præferre omnibus, & ualidissimum alioqui, & maximis quibusque caussis accommodatissimum? Nam & Homerus breuem quidem cum animi iucunditate, & propriam, (id enim est non errare uerbis) & carentem superuacuis eloquentiam Menelao dedit, quæ sunt uirtutes generis illius primi. Et ex ore Nestoris dixit dulciorem melle profluere sermonem: qua certè delectatione nihil fingi maius potest. Sed summam aggressus, ut in Vlysse, facundiam, magnitudinem illi iunxit: cui orationem niuibus hybernis copia uerborum atque impetu parem tribuit. Cum hoc igitur nemo mortalium contendent: hunc ut deum homines intuebuntur. Hanc uim & celeritatē in Pericle miratur Eupolis, hanc fulminibus Aristophanes comparat: hæc est uera dicendi facultas.

Pro Cælio
Inuect. 1.
Philip. 2.
Pro Milo.
Iliados. γ.
Iliados ά.
Iliados γ.
In comœdia Δῆμοι.
In Nebulis.

Sunt & alia media genera, interiecta tribus prædictis.

Sed neque his tribus quasi formis inclusa eloquentia est. Nam ut inter gracile ualidumque, tertium aliquid constitutum est: ita horum internalla sunt. Atq; inter hæc ipsa mistum quiddam ex duobus medium est eorum. Nam & subtili plenius aliquid atque subtilius, & uehementi remissius atque uehementius inuenitur: ut illud lene aut ascendit ad fortiora, aut ad tenuioru summittitur: ac sic propè innumerabiles species reperiuntur, quæ utique aliquo momento inter se differant: sicut quatuor generaliter uentos à totidem mundi cardinibus accepimus flare, cum interim plurimi medij eorum, uarietate regionum ac fluminum propriè deprehendantur. Eademque musicis ratio est, qui cum in cithara quinque constituerunt sonos, plurima deinde uarietate complent spatia illa neruorum, atq; ijs quos interposuerunt, inserunt alios, ut pauci illi transitus multos gradus habeant.

Orator omnia dicendi genera tenere debet, & ea caussis accommodare.

Plures igitur etiam eloquentiæ facies, sed stultissimum quærere ad quam recturus se sit Orator: cum omnis species, quæ modò recta est, habeat usum, atque id ipsum omne sit Oratoris, quod uulgo genus dicendi uocant. Vtetur enim, ut res exiget, omnibus: nec pro caussa modò, sed & pro partibus caussæ. Nam ut non eodem modo pro reo capitis, & in certamine hæreditatis, & de interdictis ac sponsionibus, & de certa re credita dicet, sententiarum in senatu, & concionum, & priuatorum consiliorum seruabit discrimina, uitam ex differentia personarum, locorum, temporumque mutabit: ita in eadem oratione aliter conciliabit, non ex ijsdem partibus iram & misericordiam petet: alias ad docendum, alias ad mouendum adhibebit artes. Non unus color proœmij, narrationis, argumentorum, egressionis, perorationis, seruabitur. Dicet idem grauiter, seuerè, acriter, uehementer, concitatè, copiòsè, amarè, comiter, remissè, subtiliter, blandè, leniter, dulciter, breuiter, urbanè, non ubique simul, sed ubicunque par sit. sic fiet tum id propter quod maximè repertus est usus orationis, ut dicat & utiliter, & ad efficiendum quod intendit, potenter: tum laudem quoque nec doctorum modò, sed etiam uulgi consequetur.

Corruptū iudiciū quorundam de generibus dicendi.

*Falluntur enim plurimum, qui uitiosum & corruptum dicendi genus, quod aut uerborum licentia resultat, aut puerilibus sententiolis lasciuit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris, si leuiter excutiantur, flosculis nitet, aut præcipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit: magis existimant populare atque plausibile. Quod quidem placere multis nec inficior, nec miror. Est enim iucundioris ac fauorabilis qualiscunque eloquentiæ, & ducit animos naturali uoluptate uox omnis, neque aliunde illi per foru atque aggerem circuli: quo minus mirum est quòd nulli non agentiū parata uulgi corona est. Vbi uerò quid exquisitius dictum accidit auribus imperitorum, quale cunque id, quod modò se ipsi posse desperent, habent, habet admirationem: neque immeritò: nam nec illud quidem facilè est. Sed euanescunt hæc atque emoriuntur comparatione meliorum ut lana tincta fuco citra purpuram placet: at si contuleris etiam lacernæ, conspectu melioris obruatur, ut Ouidius ait. Si uerò iudiciū his corruptis acrius adhibeas ut buccinis purpuram: iam illud quod fefellerat, mentitū colorem, & quadam uix enarrabili fœditate pallescat. Luceat igitur hæc citra solem, ut quædam * exigua animalia ignieuli uidentur in tenebris. Deniq; mala multi probant, nemo improbat bona. Neque uero omnia ista de quibus locuti sumus, Orator optimè tantum, sed etiam facillimè faciet. Neque enim uis summa dicendi est admiratione digna, si infelix usque ad ultimum solicitudo persequitur, ac Oratorem macerat & coquit, ægrè uerba uertentem, & perpendendis coagmentandisque eis intabescentem. Nitidus ille, & sublimis, & locuples, circumfluentibus undique eloquentiæ copijs imperat. Desinit enim in aduersa niti, qui peruenit in summum. Scandenti, circum ima labor est: cæterum quantum processeris, mollietur diues & lætius solum. Et si hæc quoque iam leuius suprema perseuerantibus studijs euaserit, inde fructus illaborati offerunt sese, & omnia sponte prouenium: quæ tamen quotidie nisi decerpantur, arescunt. Sed & copia habet modum, sine quo nihil nec laudabile, nec salutare est: & nitor ille cultum uirilem, & inuentio iudicium. Sic erunt magna, non nimia: sublimia, non abrupta*

Fucus, herbæ genus, cuius tinctura purpuram imitatur, unde metaphora, fucū facere.

* Lampyridas Græci uocant, Horatius noctilucā, Nitedulā.

Prædicta omnia esse debere facilia Oratori, sed cum modo.

fortia, non temeraria: seuera, non tristia: grauia, non tarda: læta, non luxuriosa: iucunda, non dissoluta: plena, non tumida. Similis in cæteris ratio est. Tutissima ferè per medium uia quia utriusque ultimum uitium est.

Tutissima uia per medium.

ARGVMENTVM.

Oratorem emeritum, & iam uel ætate uel alio incommodo ingrauescentem, maturè cessare ab opere iubet, non ita tamen, ut se ocio dedat, sed ut uel historiam scribat, aut præceptis eloquentiæ, formandisque nouis oratoribus operam det, suo Ciceronisque exemplo. Deinde excusat præceptorum magnitudinem, & extenuat non in artibus tantũ ac rerum cognitione percipienda, sed etiam in moribus, & nos ingenij ac uoluntatis nostræ admonet, in qua situm sit ut boni uiri esse uelimus, cum ad uirtutem & honestatem nati simus. Ingenij uim immensam esse, modò in artibus discendis (quod uel solius adolescentiæ spatio fieri possit) rationem & ordinem & modum adhibeamus, nec indulgeamus uitijs quorundam præceptorum, & nos ipsi finem in scholis maturè faciamus. Rerum autem cognitionem, usum nobis & lectionem allaturam esse, nec ita multo tempore si studiis ris ocium & horas uacuas impendamus. Id exemplis illustrium & doctissimorum uirorum confirmat, quibus nos ad spem eloquentiæ studiumque capessendum hortatur, nec remittendum conatum, quo minus, si ad summa non poterimus, saltem ad aliquem locum perueniamus.

Quæ post finem studia. Cap. XI.

HIs dicendi uirtutibus usus Orator in iudicijs, consilijs, concionibus, Senatu, in omni deniq; officio boni ciuis, finem quoque dignum & optimo uiro, & opere sanctissimo faciet: non quia prodesse unquam satis sit, & illa mente atq; illa facultate prædito non conueniat operis pulcherrimi quamlongissimum tempus, sed quia decet hoc quoque prospicere, ne quid peius quàm fecerit, faciat. Neq; enim scientia modo constat Orator, quæ augetur annis, sed uoce, laterum firmitate: quibus fractis aut imminutis ætate seu ualetudine, cauendum est ne quid in Oratore summo desideretur, ne intersistat fatigatus, ne quæ dicet, parum audiri sentiat, ne se quæratur priorem. Vidi ego longe omnium quos mihi cognoscere contigit, summum Oratorem, Domitium Afrum, ualde senem, quotidie aliquid ex ea quam meruerat authoritate perdentem, cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alij (quod indignum uidebatur) riderent, alij erubescerent quæ occasio illis fuit dicendi, malle eum deficere quàm desinere. Neq; erãt illa qualiacunq; mala sed minora. Quare antequam in has ætatis ueniat insidias, receptui canet, & in portum integra naue perueniet, Neq; enim minores eum cum id fecerit, studiorum fructus sequentur. Aut ille monumenta rerum posteris, aut, ut L. Crassus in libris Ciceronis destinabat, quærentibus tradet, aut eloquentiæ componet artem, aut pulcherrimis uitæ præceptis dignum os dabit. Frequentabunt uero eius domum optimi iuuenes more ueterum, & uerã dicendi uiam uelut ex oraculo petent. Hos ille formabit quasi eloquentiæ parens, & ut uetus gubernator littora & portus, & quæ tempestatũ signa, quid secundis flatibus, quid aduersis ratis poscat, docebit: non humanitatis solùm communi ductus officio, sed amore quodam operis. Nemo enim minui uelit id, in quo maximus fuit. Quid porrò est honestius, quàm docere quod optimè scias? Sic ad se Cælium deductum à patre Cicero profitetur. Sic Pansam, Hircium, Dolabellam in morem præceptoris exercuit, quotidie dicens, audiensq;. Ac nescio an eum tunc beatissimum credi oporteat fore, cum iam secretus & consecratus, liber inuidia, procul à contentionibus, famam in tuto collocarit, & sentiat uiuus eam quæ post fata præstari magis solet, uenerationem, & quid apud posteros futurus sit uidebit. Conscius sum mihi, quantum mediocritate ualui, quæque antea scierim, quæque operis huiusce gratia potuerim inquirere, candidè me atq; simpliciter in notitiam eorum, siqui forte cognoscere uoluissent, protulisse. Atque id uiro bono satis est docuisse quod scierit. Vereor tamen, ne aut magna nimium uidear exigere qui eundem uirum bonum esse, & dicendi peritum uelim: aut multa, qui tot artibus in pueritia discendis, morum quoq; præcepta, & scientiam iuris ciuilis, præter ea quæ de eloquentia tradebantur, adiecerim: quique hæc operi nostro necessaria esse crediderim, uelut pondus rei perhorescant, ac desperent ante experimentum. Sed hi primùm renuncient sibi, quanta sit humani ingenij uis, quàm potens efficiendi quæ uelit, cum maria transire, syderum cursus numerosq; cognoscere, mundum ipsum penè dimetiri, minores sed difficiliores artes potuerint. Tum cogitent, quantam rem petant, quamque nullus sit hoc proposito præmio labor recusandus. Quod si mente conceperint, huic quoque parti facilius accedent, ut ipsum iter neque imperuium, neque saltem durum putent. Nam id quod prius quodque maius est, ut boni uiri simus, uoluntate maximè constat: quam qui uera fide induerit, facilè easdem quæ uirtutem docent artes accipiet. Neque enim aut tam perplexa, aut tam numerosa sunt quæ premunt, ut non paucorum admodum annorum intentione discantur. Longam enim facit operam, quod repugnamus. Breuis est institutio uitæ honestæ beatæque, si credas. Natura enim nos ad mentem optimam genuit: adeoque ducere meliora uolentibus promptum est, ut uerè intuenti mirum sit illud magis, malos esse tam multos. Nam ut aqua piscibus, ut sicca terrenis, circunfusus nobis spiritus uolucribus conuenit: ita certè facilius esse oportebat, secundum naturam, quàm cõtra eam uiuere. Cætera uero, etiam si ætatem nostram non spatio senectutis, sed tempore adolescentiæ metiamur, abunde multos ad discendum annos habent. Omnia enim breuiora reddet ordo & ratio, & modus. Sed culpa est in præceptoribus prima, libenter detinentibus puerum partim cupiditate diutius exigendi mercedulas, partim ambitione, quò difficilius sit quod pollicentur, partim etiam inscitia tradendi, uel negligentia. Proxima in nobis, qui morari in eo quod nouimus, quàm discere quæ nondum scimus, melius putamus. Nam ut de nostris potissimum studijs dicam, quid attinet tam multis annis, quàm in more est plurimorum, (ut de his à quibus magna in hoc pars ætatis absumitur, taceam) declamitare in schola, & tantum laboris in rebus falsis consumere, cum satis sit modico tempore imaginem ueri discriminis, & dicendi leges comperisse? Quod non dico quia sit unquam omittenda dicendi exercitatio, sed quia non sit in una eius specie consenescendum. Cognoscere enim, & præcepta uiuendi perdiscere, & in foro nos experiri potuimus, dum scholastici sumus. Dicendi ratio talis, ut non multos annos poscat. Quælibet enim ex ijs artibus quarum prius habui mentionem, in paucos libros contrahi solet. adeò infinito spatio ac traditione opus non est. Reliqua est, quæ uires cito facit, consuetudo. Rerum cognitio quotidie crescit, & tamen multorum ad eas librorum necessaria lectio, est quibus aut rerum exẽpla ab historicis, aut dicendi ab Oratoribus petũtur, Philosophorũ quoq; consultorumq; opiniones si cuti alia, uelimus legere necessarium est. Quæ quidem possumus omnia: sed breue nobis tempus nos facimus

Oratoris senescentis officia.

De Ora. 1.

Cic. Epist. Fami. IX. & Sueton. de Rhetor. illust.

Excusat & extenuat præceptorum magnitudinem à ui humani ingenij, a præmijs propositis, a facilitate discendi & exemplis.

Facile esse ut boni uiri simus.

Artes non multo tempore disci posse.

Usu & lectione rerũ cognitionem multi parari

Quantulum enim studijs impartimur? Alias horas uanus salutandi labor, alias datum fabulis ocium, alias spectacula, alias conuiuia trahunt. Adijce tot genera ludendi, & insanam corporis curā: Trahat inde peregrinatio, rura, calculorum anxia solicitudines, multæ caussæ libidinū & uinum, & flagitiosus omni genere uoluptatū animus. Ne ea quidem tempora idonea, quæ supersunt. Quæ si omnia studijs impenderentur, iam nobis longa ætas, & abunde satis ad discendum spatia uiderentur: & diurna tantū computantibus tempora, & noctes quarum bona pars omni somno longior est, adiuuarent. Nunc computamus annos, non quibus studuimus, sed quibus uiximus. Nec uerò si Geometræ, & Grammatici, cæterarumq; artium professores omnem suam uitam, quamlibet longa fuerit, in singulis artibus consumpserunt, sequitur ut plures quasdā uitas ad plura discenda desideremus. Neq; illi didicerunt hæc usque in senectutem, sed ea sola didicisse contenti fuerunt, ac tot annos in utendo, non in percipiendo exhauserunt. Cæterum ut de Homero taceam, in quo nullius non artis aut perfecta aut certè non dubia uestigia reperiuntur: ut Eleum Hippiam transeam, qui non liberalium modò disciplinarum præ se scientiam tulit, sed uestē & annulum crepidasq;, quæ omnia manu sua fecerat, in usu habuit, atque ita se præparauit, ne cuius alterius ope egeret, né ue ullius rei: Gorgias quoq; summæ senectutis, id quærere auditores, de quo quisq; uellet iubebat. Quæ tandem ars digna literis Platoni defuit? Quot seculis Aristoteles didicit, ut non solum quæ ad philosophos atq; Oratores pertinent, sciētia complecteretur, sed animalium satorumque naturas omnes perquireret? Illis enim hæc inuenienda fuerunt, nobis cognoscenda sunt. Tot nos præceptoribus tot exemplis instruxit antiquitas, ut possit uideri nulla sorte nascendi ætas felicior, quàm nostra, cui docendæ priores elaborauerunt.

Cicero 3. de Ora. Cice. 1. & 3. de Orat. & 2. de finib.

Marcus Censorius Cato idem orator, idem historiæ conditor, idem iuris, idem rerum rusticarum peritissimus, inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi seculo literas Græcas ætate iam declinata didicit, ut esset hominibus documento, ea quoque percipi posse, quæ senes concupissent. Quàm multa, imò penè omnia tradidit Varro? Quod instrumentum dicendi M. Tullio defuit? Quid plura? cum etiam Cornelius Celsus mediocri uir ingenio, non solum de his omnibus cōscripserit artibus sed amplius rei militaris, & rusticæ etiam, & medicinæ præcepta reliquerit: dignus uel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus.

Hortatur & monet nihil desperandū esse, sed enitendū ad summa, etiam si citra consistendum sit.

At perficere tantum opus, arduum est, & nemo perfecit. Ante omnia sufficit ad exhortationem studiorum, nō capere id rerum naturam, ut quicquid non est factum, ne fieri quidem possit, cum omnia quæ magna sunt atque admirabilia, tempus aliquod quo primùm efficerentur, habuerint. Quantum enim Poesis ab Homero & Virgilio, tantum fastigium accepit eloquentia à Demosthene atque Cicerone. Deniq; quicquid est optimum, antè non fuerat. Verùm etiam si quis summa desperet (quod cur faciat, cui ingenium, ualetudo, facultas, præceptor, non deerunt?) tamen est (ut Cicero ait) pulchrū in secundis tertijsque consistere. Neq; enim si quis Achillis gloriam in bellicis consequi non potest, Aiacis aut Diomedis laudem aspernabitur; neque qui Homeri, non Tyrtæi. Quinimo si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fore eo qui optimus fuisset, arbitraretur: ij ipsi qui sunt optimi, non fuissent: neque post Lucretium ac Macrum Virgilius, neq; post Crassum & Hortensium Cicero, sed nec alij postea uicerint. Verùm ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi. An Pollio & Messala, qui iam Cicerone arcem tenente eloquentiæ, agere cæperunt, parum in uita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriæ tradiderunt? Alioqui pessimè de rebus humanis perductæ in summum artes mererentur, si quod optimum fuisset, defuisset. Adde quòd magnos modica quoque eloquentia parit fructus: ac si quis hæc studia utilitate sola metiatur, penè illi perfectæ par est. Neque erat difficile, uel ueteribus uel nouis exemplis palàm facere, non aliunde maiores honores, opes, amicitias, laudem præsentem futuram hominibus contigisse, si tamen dignum literis esset, ab opere pulcherrimo, cuius tractatus atque ipsa possessio plenissimam studijs gratiam refert, hanc minorem exigere mercedem, more eorum qui à se non uirtutes, sed uoluptatem quæ fit ex uirtutibus, peti dicunt. Ipsam igitur orandi maiestatem, qua nihil dij immortales melius homini dederunt, & qua remota muta sunt omnia, & luce præsenti & memoria posteritatis carent, toto animo petamus, nitamurque semper ad optima: quod facientes, aut euademus in summum, aut certè multos infra nos uidebimus.

In Orato.

Habes Marcelle Victori, quibus præcepta dicendi pro uirili parte adiuuari posse per nos uidebantur: quorum cognitio studiosis iuuenibus si non magnam utilitatem afferet, at certè, quod magis petimus, bonam uoluntatem.

Conclusio totius operis.

Huius capitis explanationem, errore, quodam amice lector huc traslulimus, II. capitis lib. vi. Subijcienda est.

SVpradictis } Operibus affectuum mouendorū. Eum habitum } Affectum. Multi } qui sibi nomen Oratoris occuparunt. Atque hoc est } Posse in quem uelit animum rapere iudicem. Proprium opus est } Peculiaris labor. Libellis } Actis. Quia sensum oculorum } Præmit amor amantes, quoniam ut scribit Plato in Symposio, Amor omnis excæcat, ut qui amat, quod uerum sit cernere nequeat. Hinc quoque fit, ut sui ipsius cognitio omnium maxime homini sit difficilis, quandoquidem ita comparatum est à natura, ut quisque sui ipsius amore teneatur, ex quo fonte omnium uitiorum riuulos scaturire idem Plato testatur. Mores } Conuenientes cuique pro sua conditione, fortuna, sexu, ætate, officio. Hæc enim sunt quæ mores alios faciunt secundum quendam intellectum, si generaliter accipias mores. In hac parte } Affectuum. Fluere } Sua sponte obuenire. Quo } Per quam uirtutem. Quod } genus affectuum: Conuicium } Scommata. Honestus } Dignitate præditus. Inuidiosum } Inuidiæ obnoxium. Rei } Propter quam alicui inuidemus. Somnia quædam uigilantium } Alludit, opinor, Fabius noster ad senarium Iambicum ueteris cuiuspiam Poetæ Græci, quem Basilius magnus in quadam epistola ad Nazianzenum sic ferè refert, αἱ γὰρ ἐλπίδες τῶν ἐγρηγορότων ἐνύπνια, id est. Etenim spes uigilantium sunt somnia. ἐνάργεια } Vocabulum hoc dupliciter apud authores scribitur. nam qui uim orationis, & efficaciam mouendi quam habet, spectant, ab opere ἐνέργειαν uocant, eo quòd Græcis ἔργον opus dicatur. Porrò qui lucem quam rebus addit, attendunt, à claritate nominant ἐνάργειαν, quam Græcis ἀργὸς clarus dicitur. posterius probasse uidetur Marcus Cicero, qui illustrationem ad euidentiam uertit. Equus ille Pallentis } Certum est hunc locum librariorum negligentia mutilum circūferri. Nam Virgiliana quæ notat Fabius, Aeneidos undecimo sic habent.

Et bellator equus positis insignibus Aethon,
It lachrymans, guttisque humectat grandibus ora.

M. F. QVINTILIANI DE INSTITVTIONE ORATORIA, ad Marcellum Victorium libri duodecimi & ultimi finis.

DECLAMATIONVM XIX. INDEX.

M. FABII QVINTILIANI

DECLAMATIONES.

PARIES PALMATVS, DECLAMATIO PRIMA.

ARGVMENTVM.

Quidam cui erat filius cæcus, quem hæredem instituerat, induxit illi nouercã, iuuenemq; in secreta domus parte seposuit. Is noctu, dum in cubiculo cũ uxore iaceret, occisus est, inuentusq; postero die habens gladiũ filij defixum in uulnere, pariete ab ipsius ad filij cubiculũ uestigijs palmæ cruẽtato. Accusant se inuicẽ Cæcus & Nouerca.

Pro Cæco contra Nouercam.

SI IVVANTIA innocentissimus, Iudices, uti uellet ambitu tristissimæ calamitatis, poterat allegare uobis amissam cum oculis cogitationum omniũ temeritatẽ, sed eũ ostẽdere innocentiã suã moribus maluit, quàm aduersis, neque pietatis neq; conscientiæ suæ grauem ferre contumeliam potest, ut parricidiũ non fecisse uideatur beneficio cæcitatis. Quare nõ petit ut miserũ putetis, nisi & innocẽs fuerit, nõ petit ut afflictũ alleuatis, nisi & probauerit sese infelicior ẽ quòd patrem amisit, quàm quòd oculos. Aestimate iuuenẽ iis moribus, quibus uidentem æstimaretis, uita, pudore, pietate. Quæ si omnia sibi, ut erunt promissa, constiterint, nullo terrebitur crimine. Nec quòd sceleratissima fœminarum calamitatem nostram cruentato pariete imitata est, expauescimus. Quo diligentior, quo solicitior fuit ne deprehenderetur, hoc magis indicauit sibi oculos non defuisse. Gratias agimus, quòd nimium auidæ suspicionis argumenta in nostram transtulit partem, non esse Cæci scelus difficilius probaretur, nisi omnia sic acta essent, ut fecisse Cæcus uideretur. Quare Iudices non improbe sperauerim futurum, ut suspecta sint uobis, quæ tam inconsiderate facta sunt contra miseram cæcitatem. Primùm, quòd spatium illud ingens domus, quod in medio fuit ita digestio cruore satiatum est usque ad cubiculum miserrimi iuuenis, tanquam planè timuerit parricida ne non deprehenderetur. Deinde, sceleri nox potissimum electa, quo tempore inueniri maritus sine uxore non posset. Tum in cæde, in qua nemo utitur ferro, nisi alieno, gladius adolescentis, ne argumentum deesset Nouercæ, relictus est. Postremò, peractum uulnere uno scelus, quod obiiceretur manibus errantis. Et tamen contra tam multa incredibilia solum aduocat Nouerca testamentum, uultque illud esse precium parricidij: ut rerum intellectu in diuersum coacto, occisum eò probet patrem, quòd non meruerit occidi. Nos uero istud (si crimen putaris) agnoscimus. Iuuenis hic patris sui hæres solus est. Hoc testamentum, si uiuente adhuc miserrimo sene notum esse in domo potuit, scitis quis illi debuerit irasci. Nam quòd inuisum fuisse filiũ patri iactat, crimen Nouercæ erat, si confiteremur. Idque probari ex hoc putat, quòd secretum non filius accipit à patre, sed cæcitas. Quo loco dissimulare satis callide conatur inuidiam suam. Pater qui filium cæcum in semota penatum parte seposuit, eripuit Nouercæ oculis uoluptatem. Namque ista cum inuasisse uacuos penates uideretur, cum patri filium Cæcum hoc esse crederet quod orbitatem, excogitauit indulgentissimus senex quemadmodum hic miser patri suo in eadem domo esset, Nouercæ in alia, accepit secretũ quod erat petiturus. Quod quo sit animo senis factum, potestis interrogare testamentum. Neque ego grauissimum patrem supprema sua inuenti iactasse crediderim, ut hæredem filium scriberet. non est res quæ imputatur, istam magis oportet uel aliquo indicio, uel suspicione muliebri arcana mariti deprehendisse, & statim omnibus nuptiarum renunciasse pignoribus. Nam cum propter pecuniam ames, idem amoris & spei finis est. Habuerat adulescens gladium in cubiculo suo semper, siue antequam in hanc fortunam incideret paratum, siue quia cæcitatis miseræ solatium est habere rem uidentium. Certe nunquam illum pater timuerat, nunquam Nouerca obiecerat. Palam positum est sub oculis omnium tota domo notissimum ferrum. Scitis quanto negligentius custodiat ferrum bona conscientia, quàm etiam extra suspicionem sit res sine usu. Innocentia facit ut ferrũ subtrahi possit etiam uidenti. Siue igitur aliquis ex seruolis corruptus est, præsertim in tam facili occasione, siue ipsi Nouercæ nõ defuit audacia ad ferendum, quod facere poterat & præsente priuigno, utique (quod dubitari non potest, quod facit certum sceleris authorem) maluit in cæde alieno uti quàm suo gladio quisquis illum relicturus est. Reliqua Iudices si fieri possunt facta, æstimate. Dicitur cæcus sine rectore, sine duce, ex illa penatium parte secreta, & penè ex alia domo, per inane longum, per tot offensa limina, per excubantes seruulos errasse cum ferro, cubiculum deinde patris ingressus, in neutram deflexisse partem, sed recto gradu sicut ducere oculi solent, ad lectulum accessisse leuiter, non in totum incidisse, non antè peruenisse quàm crederet. Vos Iudices criminum tumultum ex rerum fide ducite. Dormiens senex, quem cæcus percussor quæreret, excitatus antè esset quàm inueniretur. Iungunt his multo incredibiliora, ut occiderit patrem, pepercerit Nouercæ, parricidiũ autem uno ictu explicauerit, quod ferè uix etiam iis contingere solet, qui oculos manu sequuntur. Nulla ergo luminum uirtus, sed homo ferrum missurus in casum, satis felix si percussisset quamcunque corporis partem, in ipsam protinus animam incidit, & an morti satisfecisset, intellexit. Officium Iudices oculorum est renunciare manibus quid actum sit. Cæci percussoris una securitas fuerat, sæpius ferire. Negat præterea quicquam se ex his Nouerca sensisse, cum iuxta iaceret, nec explicat unde illud acciderit maximæ signum trepidationis. Si & pater uno ictu perierat, neque ista uigilabat, nunquam gladium reliquit percussor securus. Reliqua Iudices nimium suspecta, improbe assimulata. Spaciosissimus paries, & longissimum domus latus habuit notas sanguinis, quas reliquisse uideretur manus reuertentis. O quàm bene quicquid uolunt imitantur oculi. Stupeo, si qua est fides, omnia priuignum illa nocte fecisse. Dicitur ad notum Nouercæ gladium in uulnere reliquisse, quem suum negare non posset. Deinde per totum parietem quid aliud inscripsisse, quàm se parricidam sanguinem patris usque ad cubiculum suum perduxisse, & uiam sequentibus reliquisse? Hoc fecit aliquis negaturus? Gratulor tibi adolescens, si non potuisti parricidium illud admittere, nisi ut relinqueres argumentum cæcitatis. habuisti innocentiæ necessitatem. Caussam igitur miserrimi adolescentis sic apud uos agere proposui, ut primùm ipsum defendam, quasi reus tantum sit, deinde cum esse securus de huius innocentia cœpero, tunc ingrediar Nouercæ accusationem. Spectabitis utrunque suis moribus, suis caussis, eritque facilior uia uestræ religionis. Quanquam duos indicia complexa sunt, nos tamen tanquam de singulis cognoueritis. Et primum sic agam, tanquam iuuenis habeat oculos, tanquam impetus eius nulla corporis debilitate frangantur. Interrogabo quid antè perdite, quid flagitiosè, quid impiè fecerit, per quæ se parricidam scelera promiserit. Innocentia per gradus certos ab homine discedit, & ne in maximis trepidet audacia, diu uires in minoribus colligit. Nemo inde cœpit, quo incredibile est peruenisse. Dicas necesse est quæ huic cum patre odia fuerint, quæ uiolenta dissensio inter sacrorum instituta, numinum pignora. Crede mulier etiam tua caussa. Nam si facile est filio occidere patrem, facilius est uxori maritum. Loquar nunc de infirmitate miseræ cæcitatis. Temeritas omnis animorum, calamitate corporum frangitur, & frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum. Ad solum se alligat destituta mœrorem. Vultus ille perpetua nocte coopertus ac timidus

non concipit nefas ad quod ducibus oculis peruenitur. Cogitat semper errare & offendere, cogitat eundi redeundique difficultatem. Magna innocentiæ necessitas est, neminem facilius posse deprehendi. Semper se custodiunt miseri, ne esse miserabiles desinant, & quisquis amisit oculos, laborat ne merito perdiderit. Quid aliud cæcitas discit, quàm rogare, blandiri? Odium omne adiuuant oculi, & hunc in pectoribus humanis furorem lumina accendunt, nec leuis animis accedit insania, quoties quem exœcreria aspicias. Cæcus miserior est quàm ut inuisus sit, timidior est quàm ut oderit. Præterea nocentibus liberis frequentissimas ad parricidium caussas suggessit illud quod uidebant. Vitijs enim nostris in animum per oculos uia est. Alijs tradidit in parentum sanguinem luxuria ferrum, luxuria uidentium crimen, alijs meretriculæ amor immodica poscentis, amor, cui renunciant oculi., Cæcus infelix patrem occidit? deinde cui manum porriget securior? cuius humeris leuior incumbet? Quis contumelias seruorum castigabit seuerius? quis calamitatem tam obnoxiam maiore reuerentia proteget? Inter felices alius est ordo uotorum, Cæcus filius optat superstitem parentem. Volo nunc scire quemadmodum dicat explicitum tam difficile facinus. Cæcus parricidium cogitauit. cum quo? cuius se commisit oculis? iturus per totam domum, quem ducem elegit? Ille qui erat in cubiculo suo solus, secum (opinor) secum deliberat. Sufficit sibi, cum homine expeditissimo loquitur. Cur enim socium conscientiæ quærat? omnia potest scire. Primùm, nox quando sit. Deinde prospicere solicite, an omnis familia dormiat. Gradu suspenso ponere certa uestigia, & in omnem timoris sui partem solicitum circumagere uultum. O quàm parum est in metu ipsos etiam oculos habere. Ita non iste sibi dixit, Occidere quidem patrem uolo, sed quem sequentur hæ manus? Nocte solus egrediar, sed quando perueniam? Putas nos iunctis habitare liminibus? domus inter patrem filiumque media. Quantum erroris, quantum moræ, spatium ingens, & uix metiendum. Cæcitas inconsulta quid agis? nox ante deficiet. Quid si deinde uterque uigilauerit? quid si Nouerca? Age, limen inueniam, cardinem sine strepitu mouebo, dormientis cubiculum intrabo, quiescentem setiam patrem. semel satis erit, nec nouerca uigilabit. Securus egrediar, sciente nullo reuertar. Vota sunt ista, sed oculorum. Cæcus desperaret etiamsi tã multa nox polliceretur. Hoc loco quæram necesse est, quæ ratio fuerit ut iuuenis ad parricidium suo potissimum gladio uteretur. Nimirum illud in mentem uenit, quia erat relicturus. Nam si alienum & ignotum in uulnere patris gladium reliquisset, poterat de percussore dubitari. Hic attulit suum, ut etiam si euasisset, tamen ferro suo teneretur. Cur ergo, inquis, gladium in cubiculo tuo habebas? quia habueram semper, quia usurus illo non eram. Ferrum ergo parricidio meo tot ante annos præparaui, & secundum illum quem minabar patri, tandiu innocens fui? Ego eram ferro ac mente paratus, & tot abiere noctes? Antè gladium illum familiarem oculis tuis feci, ante omnibus seruulis notum. pependit in cubiculo tanquam testis conscientiæ meæ palàm in medio negligenter, sic ut subtrahi posset. Non illum conscientia trepida uelauit, tam notus in cubiculo fuit, quàm cæcitas domini. Quisquis ferrum præparat sceleri, sic illud habet, ut possit suum negare. Ponite nunc ante oculos actum parricidii, deprehendetis difficultatem, Dono illud, dum à suo limine egreditur, dum illos quos accepit à patre seruulos, fallit, ecce cubiculum senia inuenit aliquando, ecce paries ille deficit, & percussoris manus subitò destituit, cessere fores sine strepitu, quid postea agit? Verum ipsum cubiculi parietem circuit, an se committit in medium, & per spatia tenebrarum armatam manum iactat? Ecce patris lectulum tenet, & iam dormientium anhelitus imminens audit, unde sciet quò dirigat ferrum? quem potius feriat ex duobus? Tentauit ergo uultus, & pectus obiectum? breuissimam periturae animæ uiam quærit? & quantus erit sopor, qui ista non sentiat? Dices, neque ego sensi, Ideo intelligis quàm malam caussam habeas, cuius & una & incredibilis defensio est. Ita feritur in sinu tuo maritus, & tu nihil sentis? Ad latus tuum fata hominis peraguntur, tu taces tanquam te priuignus occiderit priorem? Ita non ille percussus est homo, quem Cæcus occidit? Te uerò (si nihil aliud) calens ille cruor denique suscitasset. Sed quàm manifesta est conscientia quæ te ad hanc compellit necessitatem, ut cum occisum à priuigno tuo patrem uideri uelis, cogaris dicere nihil sensisse? Sufficit, uicimus, innocentes sumus. Cum in eodem lectulo fueris, cum amplexa sis forsitan illum qui occisus est, tam incredibilem profiteris soporem? Cur ergo tu incolumis es? quæ tam iratis manibus sanguinem tuum fortuna subtraxit? Certe dormiebas, certe nihil senseras. Ita priuignus te reliquit, qui deprehendi non timebat? Occidit ergo aliquis patrem, & nouercæ pepercit? Maximum omnium nefas fortiter fecit, minori sceleri statim par non fuit? Omnia humana sacra confudit, uiolare non est ausus pectus odiorum? Incredibile est, sine fide est, non occidere Nouercam, cui imputes quòd patrem occidat. Quid ais adolescens? tu ne circa illum sanguinem defecisti? Illa te blandius rogauit anima? perdidisti ergo illud, quod nihil senserat, quòd nox, quod silentium, quid tempus superetat sceleris alterius? Tu si facere parricidium posses, ideo patrem tantum occidisses, ut tibi & nouercam liceret occidere. Non uideo cur, nisi uideri uelit relictam mulierem ideo tantum, ut uideretur illud nefas illa fecisse. callide satis. Sed hoc alio protinus argumento subuerteretur. Non est eiusdem consilii, nouercæ parcere ut substituat ream, & gladium relinquere quò ipse deprehendatur. Sæpius uti necesse habeo argumento cæcitatis, & hoc etiam loco, quo de illo uulnere disputandum est, Mehercule si percussor intrasset qui uideret, qui lumen præ se tulisset, nõ tamen tam feliciter librasset ictum, quem etiam si nullæ fallerent tenebræ, metus & conscientia magni sceleris testes incertum fecissent. Raró contingit semel ferire carnifici, quamuis componat ipse ceruicem. & expectata manus homicidarum nouissimè uelut quoddam genus artis exerceat. Sic ergo librauit manum cæcus, ut ipsam protinus feriret animam? Ego mehercule etiam illud admiror, quòd cum patrem uellet, non nouercam percussit. Præter animum nihil uitium habet parricidæ primus ictus, ille trepidat, ille cogitat, ille erubescit, ille est ab innocentia proximus, ille præstat hoc solum, ut sequens fortius feriat. Interrogare nunc uolo quæ iuueni caussa fuerit, ut reliquerit gladium. Scilicet noluit Nouercam suam infamari. Abstulit sibi omnem defensionem, & se parricidam confessus est. ferrum in uulnere reliquit. Si nondum occisum putabat, iterum feriret. Si iam perfectum nefas intelligebat, auferret indicium. Sed quid ego rem manifestissimam colligo? Si uultis Iudices scire à quo sit gladius relictus, cogitate cui expedierit ut inueniretur. Sed paries usque ad cubiculum priuigni uestigio manus cruentatus est. Cogitate Iudices ante omnia, non esse tam callidum hominem, neque consilii iacentis, qui cęcus explicare conetur facinus etiam oculis difficile. Ille ergo non existimat, cum manum cruentam parieti applicat, uestigium à se parricidii sui relinqui? cum dexteram qua duce utebatur, ueste tergere, atque ita abire sine uestigio posset, totum parietem cruentabat, & ubique aliquid de patre misero relinquebat? Quid futurum esset postero die, quantam expectaret inuidiam ad lucem, non cogitabat, sed disponebat indicium certum, indubitatum, sine errore, quod Nouerca sequeretur usq; ad cubiculum suum; usque ad limen ipsum? O admirabilem casum, nec cruor antè defecit? Vtar hoc loco natura ipsius rei. Palmatus sanguine paries inuentus sic est, totam manum explicuit, omnes digitos diligenter expressit. Totum ergo sanguinem consumeret intra prima uestigia. Pone enim manum cruentatam, atque adeò (ut istis etiam blandiar) madentem, pone mensuram tenens, spacium parietis, diu enim in secretam domus partem reuertendum est, debet proxima pars à cubiculo patris habere plurimum sanguinis, sequens minus, tertia minimum, ultima nihil. Nam cruor quoties admotus est, transit, aut in manu tarde rapientis arescit. Hoc quid esse dicamus, quòd circa cubiculum utrunque sanguinis istiua uestigium quasi incipit? huic est paries palmatus & illinc? Quomodo pertulit manus quod relinquebat? Nouerca istud, Nouerca secretis cõposuit oculis, illa miserum dextrea sanguinem tulit, & manum subinde renouauit. Palmatus paries habet distantiam, uacat aliquid loci, integrum ubique uestigium est, Cæcus manus traxisset. Quæro nunc, unde tantum sanguinis in manu? Tunc enim ex omni uulnere cruor profluit & effunditur, cum ferri recentem uiam sequitur. At quoties eodem quo factum est cluditur telo, latet tota mortis inuidia. Præterea cum manus ex parte qua palmare uestigium potest, plicetur in capulo, & se dum telo occupat claudat, necesse est exteriore ut parte respersa sit. Tuus autem qui palmatus est paries, uestigium eius partis ostendit, ad quam cruor peruenire non potuit. Vestrum est nunc omnia ista comparare, perpendere, Cur prudentior sit iudex in deprehendendo scelere, quàm reus in admittendo, hoc esse in caussa puto, quòd alter tantum pro se cogitat, alter pro parte utraque. Totius sum adolescentis misertimi caussam, nunc inspicere nolo quanto certioribus argumentis Nouerca teneatur. Transeo illum uulgarem & omnibus notum de comparatione personarum locum. Alius diceret, maritum & uxorem, nisi liberis initiarentur, non fortissimis corporum uinculis inhærere. Ego illud potius dicam. Decepta est mulier expectatio tua. Veneras quasi in uacuam domum, & sine hærede. Expectaueras ut infelix iste iuuenis ab

ipsis

Ipsis proximus nuptiarum tuarum expelleretur auspicijs, extorrem & inopem summoueret pater blādo corruptus amplexu, & omnino summam calamitatem corporis occurrere delicatis uxoris oculis netaret. Inuenisti pium & deuotum unico, & senem, & de omnibus coniugis tui desperasti ob id affectibus. Miserrimus est maritus quisquis inducit filio Nouercam, quòd uxori non uidetur posse utrunque amare. Quæro igitur ante omnia, ubi occisus est maritus? In cubiculo suo. hoc paulò antè priuigno defendendum non fuit. Occisus est in cubiculo senex. Ita ille percussor non timuit nadrem? Audio secretum nuptiarum, & matrimonialis lectuli solitudinem occisurum intrare. Quem quæram? ubi relinquitur maritus ab uxore innocens? Noctem autem ad scelus quia elegit? Non tuum tempus est. quid si accedit huic etiam sceleris occasio? Non uenire debes ad secretam domus partem, nec tota tibi penatium sacra peragenda sunt. Tu non cogitas quemadmodum suspensa manu sonantem blande cardinem flectas. taces secundum occasionem, & expeditum tibi in proximo facinus est. Non times ne quis deprehendas. Ipsi quoque serruli longius quiescunt, & præstatur grande secretum genio loci. Tibique ferire cum uelis, scire an dormiat licet. Nox & ferrum, & securus maritus, quidnam isto delicatius scelere? Occisum esse miserum senem cum tu uolueris scimus. Quomodo tamen, inquit, gladius peruenit in meam potestatem, qui priuigni fuit? Hæremus, hic difficilis expugnandus est locus. Quis credet mihi si dixero, Gladium Cæcus ille perdidit, perpetua nocte clausæ genæ non custodierunt? Fingere nimirum ad tempus uidebor, & rem nimium manifestam impudenter complorare. Scilicet semper isti apposita capulo manus, & diebus ac noctibus curæ. Nolo tanquam callido glorieris ingenio, non decepisti trucem horridumque latronem, nostri tibi occasionem præbuere mores. Nam quòd uno ictu occisus est senex, ad te suspicio magis respicit. Tu præparare corpus illud ad ictus potes, dum uideris amplecti. Tu blanda manu prætentare pectus, ubi assiduo miscens pulsu non quiescat anima, ubi statim mors sit, ubi de spiritu sanguinis ictum explorare antè & cognoscere licet. Potest & uno ictu mulier occidere. Venio nunc ad uestigia parietis cruentati, quibus te satis abundeque pressimus dum adolescentem defendimus. Hæc sunt tamen quæ contra te reseruata sunt. Cum maritus tuus in cubiculo occideretur, sciebas nullum tibi relictum patrocinium, nisi aliquid cæcitati simile fecisses: ideoque sanguinem in illam partem induxisti, in quam quæri uolebas, ut postero die omnia inuidia, sanguinis notas & uestigia præparata sequeretur. Infamas cæcum, consiliū ex calamitate sumpsisti. Sciebas illum non aliter, si dux defecisset, ingredi posse, quam si uestigia parietis perpetuitate dirigeret. Simulasti itaque cæcitatem, & ne quid sceleri impio deesset, mariti tui cruore lusisti. Omnia tibi composita atque simulata sunt per otium & securitatem, tanquam scelus transferretur ingenio. Nunc enim ex innocens, quia priuigni gladius in uulnere, quia paries cruentatus. hoc sufficere utrunque indicio putabas? Quàm facili momento caussæ fata uertuntur! quòd fecisse etiā in scelus frequenter inuentus est, qui obijciebat. Sed caussas, inquit, parricidij iste habuit, quem iratus pater in secretam domus partem relegauerat. Mulier, illa forsitan ignominia felicioris uideretur esse priuigni. Cæcitatis beneficium est, cum illi secretum datur. O præclarum senis optimi singularemque pietatem, quàm blande ille seposuit miserum suum? quàm diligenter uxoris gaudentis exclusit oculos? quàm multo cæcum pudore donauit? Si felicior, inquit, esses pater, ego tibi potius cederem domo tota, Nunc miser illam occupa partem, in qua nemo te uideat, in quā solus ego ueniam. sint circa te serruli fideles. non gemitus tuos audiat quisquam, non flebili mœrore pascatur. Nihil est quod te solicitet conuersatione nostri. Secretum quod cæcitati præstatur, ideo præstatur, ut minus oculi desiderentur. Aliquis odit filium cæcum, & hac tantum ultione contentus est, ut illi assignet quietam, & sepositam, & meliorem domus partem? Ita ais ego sic intelligebam, quasi abdicaret, quasi expelleret. Iratus igitur senex tenet iuuenem suum uelut interiore complexu, & à limine obstat? Rogo, quòd duos separas media domo, te integram, sanam, illum infelicem, cæcum, contumeliæ opportunum, iniuriæ facilem, utrum filio irascitur, an uxori? Nolo, inquit, iuuenis ætatis amœna domus parte, ne hæc quæ nitidioribus tectis elaborata sunt, pertineant ad oculos tuos. Quis tam stultè irascitur cæco, ut putet illius interesse ubi habitare iubeatur? Te potius ille submouet, tuis inuidiam facit oculis. tibi dicit, Sufficiat, satis est, habes maiorem domus partem. absentem puta, misero in paternis ædibus aliquem angulum relinque. Pater qui filio sub Nouerca assignat secretam domus partem, confitetur uxori se abdicare non posse. Transi ad aliud genus defensionis, Sibi caussam cædis non fuisse, cum hic hæres inuentus sit omnium bonorum. Quis enim alius esse debeat, ut huic properandum fuerit ad hæreditatem? Filius scriptus non timet pœnitentiam testamenti. Omnium bonorum hæres relictus est. Non ergo irascebatur pater cum daret secretam domus partem. Non possunt tibi diuersa prodesse, eadem obijceres reo si exhæredatus esset. Elige utrum uoles. Si sciuit se esse hæredem, amare magis patrem debuit: si ignorauit, non habuit quod speraret ex morte patris. Reliquum est ut intueamur, ille qui periit, ab utro magis uestrum desideretur. Te opinor hic grauius afficit dolor, impatientius hic luctus exanimat, tuque obsoletam protinus uestem, & tempori accommodata lugubria flammeo reuertente mutabis: hic uero iuuenis, qui si fortunæ suæ mala cum præteritis comparet, cæcus cœpit esse nunc primum, quid non miser in hoc sene perdidit? uiuebat illi magna pietas, aderant quocunque iusserat de facie patris oculi. non illudere infelicibus tenebris contumaces serruli poterant, nec (quod extremum contumeliarum genus est) ut dominum ageret rogabant. Nunc quanta dij boni ludibria sunt uentura? Iunxere se pariter cæcitas & solitudo. Quid tibi nunc miserrime adolescens hæreditas prodest, quam tantum audis? quid enim circa te pecunia potest? quæ fruendi uoluptates? quid aliud quàm spoliorum facilis occasio? Quàm bene ista omnia paterni oculi custodiebant? quàm facilè decipi, quàm facilè denudari, quàm sine labore falli potes? quàm citò inops fieri? Morte patris exhæredatus es. Quid nunc tibi nisi perpetuus imminet mœror, & execratio uitæ? Miser post omnia & lachrymas perdidit, nec dolentem adiuuant oculi. Incipis apud te gladius habere quod agat. Quærit, ecce quæris nuper ferrum. Nunc, inquit, huc reddite illud, innocens donec habuit meas manus tantum. si mori necesse est, illi potissimum incumbam. Hoc illa iam olim grauis & infelix anima querebatur. Vbi nunc meæ uires? ubi impetus? ubi dextera tam fortis? uno ictu puto ne me quidem ipsum mihi continget occidere.

Annotatiunculæ Rhetoricæ Persiualdi Bellingenij Cæci nati Burgensi, in priorem M.F.Quintiliani declamationem.



I iuuenis } Exordium est.

Se. } Coniunctio est exordiis mire opportuna, sic Cicero pro Archia Poeta, si quid est in me ingenij iudices.

Iuuenis innocentissimus } Captat beneuolentiam à persona cæci, ab illius ætate quem iuuenem uocat, & ab innocentia, ipsum innocentissimum dicendo.

Innocentissimus } atque hic aduerte artificium Rhetoricum, ut à doctrina quempiam commendaturus, non doctum illum, sed doctissimum dices. Idem faciendum in uituperationibus, ut pro flagitioso flagitiosissimum dicas, sic & in suasoriis ac dissuasoriis rem non simpliciter bonam aut malam, sed optimam aut pessimam dicas. Ita fiet ut & aduersarium fortius ferias, grauius lædas, atque auditorum siue iudicum animos, aut ad amorem, odium, aut misericordiam magis commoueas huiusmodi superlatiuorum exaggeratione.

Vti uellet. } Atque hic rursum aduerte rhetoricum artificiū, quo dicis te de industria multa omittere cōmunia aut nota tuæ defensionis præsidia, idem in laudationibus ac suasionibus faciendum, cum dicis tibi non deesse argumenta, quibus hoc aut illud facile posses probare, aut improbare, suadere aut dissuadere, quę tamen omnia prudens omittis.

Ambitu } id est, exaggeratione malorum quæ illum ambiunt.

Tristissimæ calamitatis. } Recte dixit tristissimæ, quid enim cæcitate tristius? sic Thobias noster (ut sacra prophanis iungā) iussus ab angelo gaudere respondit, quale mihi gaudium sedenti in tenebris, sic & poetæ noctem tristem ac cæcam appellant. Atque hic rursum aduerte rhetoricum artificium, nempe maximam cum uerborum tum sententiarum exaggerationem, & quod in primis in oratore spectandum est, propriam atq; appositam uerborum (ut ita dixerim) harmoniam, nempe innocentissimus, ambitu, tristissimæ, & reliqua id genus summum animi dolorem, summam cæci calamitatem, summam rei indignitatē, & contumeliam testantia, ut auditorū ac iudicū animos magis ad commiserationem cōmoueas, id quod in primis requirūt orationes ac declamationes iudiciariæ. Sit satis hæc monuisse semel, ut in sequentibus omnia summæ, & uerba cōmiserationis plena, propria atque apposita diligenter obserues, & feliciter imiteris.

Amissam} Atque hic sententiam aduerte latentem,& indicatam rerum naturam,nempe oculos duces esse temerarios,impellente affectuum æstu, sic Seneca: Impudicus oculus impudicæ mentis est nuncius. & Christus oculum nunc simplicem, nunc nequam,nunc scandalizantem appellat. Hieronymus,obliquos & Terentius limos oculos uocat multa olim uates oculis tribuere,nempe amorem,gratiam, & ad omnem nequitiæ fenestrā internos animorum affectus pulsantem. Cæcitatem uero timidam,nihil audentem solam,tacitam, ac secum pensabundam ac uaria uoluentem, fingere. Atque hic aliam aduerte sententiam, nempe operum incrementa organis deficientibus accelerari non posse. Primum enim animus concipit nephas,quem si membrorum ministeria destituant frustra secum irascitur. Norunt hoc Theologi de efficaci & inefficaci uoluntate differentes membra quoque ut sunt animorum instrumenta, ita si desint patrocinantur reo. Atque hic argumentum est rhetoricum tanto apud iudices efficacius, quanto uelut tam protritum recitatur neglectius, quo sic colligis: nihil fieri potest quod non ante conceperit animus, cui ut in agendo membra subseruiunt,ita ea illorum defectu colligitur animum nihil unquam tale uoluisse, nec ausum fosse,ut in concipiendo tanto scelere esset tam temerarius, quàm oculi destituerent duces maxime temerarii Atq; hoc est quod dicit,cæcum posse allegare amissum,cum oculis cogitationum omnium,tantum nephas audendi temeritatem,quā & in factis, & in animorum cogitationibus esse dicimus. Est enim temeritas dum animus aut quoduis aliud membrum, aliquid temere uult, audet, dicit, facit.

Sed cum} Hic probat hanc particulam innocentissimus, describendo uetam innocentiam,quam uita potius,& morea innoxij atque innocui quam à sceleribus temperantia testatur, alterum enim uel inuitæ necessitatis, alterum uero bonæ & (ut ita dixerim) innoxiæ uoluntatis est. Itaque duplex est innocentia, altera naturæ,seu necessitatis,quæ neq; mala neq; bona dici debet,altera est uoluntatis, quæ in hoc sita est, ne quem lædas ut maxime possis, atque hæc uera & christiana est innocentia.

Aduersis} Id est,aduersitatib. substātiuæ,ut uocant,neutrius generis, cæcitatem intelligit, summam (ut uidetur) aduersitatem, præsertim ubi crimen intenditur cæcitati, aut ciuis alteri aduersitati.

Pietatis} Nempe eius quam filius habere debet erga patrem. Atque hic aduerte fortissimum defensionis argumentum, ductū à persona filij erga patrem,ualet hoc argumentum in iudicarius si quando per locum à persona, aut personarum circunstantiis aliquid uelis confirmare,aut confutare, præsertim si crimen alicui intentatum fuerit, ad quod aut probādum aut depellendum mire ualet hic locus,quem dixi.

Conscientiæ} Ad illud refertur quod superius dixit, amissam cum oculis cogitationem temeritatem, non quod cæcitas non sit obnoxia uarijs animi cogitationibus, sed quod hoc boni præstet cæcitas,quòd in audendo non sit temeraria. Facit itaq; orbitas, ut animus tantum nephas non audeat concipere, facit quoque filij in parentem pietas,ut non uelit audere tantum nephas,atque hæc duo innocentiam præstant, innocentia uero bonam conscientiam facit, Dicit itaque cæcum esse innocentissimum,id quod duobus efficacissimis argumentis probat, nempe amissa cum oculis cogitationum temeritate & pietate,quam filius in parentem habere solet.

Contumeliam } Astute planeque (ut ita dixerim) rhetoricè & ad commouendos animos iudicum astutissime dictū, nempe non tam sibi quàm filiali, ut ita dixerim, in partem pietati suæque bonæ conscientiæ factam iniuriam, sic nos quoque defensuri, accusaturi, laudaturi, aut uituperaturi quempiam, aut suasuri,aut dissuasuri quidpiam,dicemus nos ad hoc adactos parim innocentia,partim conscientia fretos, exaggerabimus quoque non nostram modo,sed communem iniuriam.

Vt parricidium &c } Hic ponit iniuriam illatam bonæ conscientiæ,ac patriæ pietati,quibus profecto non leuis fieri iniuria, si sola cæcitas innocentem declaret,sic nos quoque alios ab animi ac uoluntatis bonis,& bona conscientia potius quàm à corporis bonis defendemus,accusabimus, laudabimus, uituperabimus,& ingenere iudiciali reo patrocinatur, magis hoc ostendere conabi mur, illum hoc noluisse potius quam non potuisse,idque argumentis à personæ circunstantiis ductis,nempe ab educatione,ac parentum probitate, & fama optima, maxime uero ab necessitudine, atq; amicitia, actor uero totus in hoc esse debet, ut reū hoc primū uoluisse,deinde potuisse,tertio fecisse, ostēdat.

Quare } Idem alius uerbis repetit, ut affectus iudicum magis moueat ad commiserationem,atque hic copiæ fructus uel maximus, cuius uel tum maxime nobis usus fuerit maximus, cum iudicem parum attentum aut parum bene erga nos affectum uiderimus,sic præcipit Cicero secundo de Oratore.

Miserum. } Ad cæcitatem refertur.

Innocens. Hoc ad patriam pietatem, & bonam conscientiam refertur,atque hic uides authorem in hoc magis incumbere, ut probet illum per innocentiam & bonam conscientiam ac patriam pietatem noluisse potius quam per cæcitatem,tantum facinus aut noluisse,aut non potuisse admittere.

Aestimate.} Perstat in tuenda innocentia,idem nobis faciendum si liceat,nam si certum est crimen, deprecatione potius, & anteactæ uitæ, & meritorum cōmemoratione,potius quàm innocentiæ declaratione opus est,hæc Quintilianus de statibus.

Aestimate } Sciendi atque æstimandi uerba proprie ad iudices pertinent, quorum est multa scire, cognoscere, intelligere, credere, & incerta & quæ animis concipiuntur,ueluti eorū precium æqua iustitiæ lance æstimare, seu trutinare. Atque hic uides quod supra dixi propriam ubique, & appositam esse uerborū harmoniam nobis in primis imitandum, ualet enim ad commouendos animos,seu iudicū seu auditorem in quemuis affectum.

Aestimate. } Apostrophe est captatque beneuolentiam à persona iudicum, ipsos alloquendo,& nominando, multa illis tribuendo, quod sæpe facit Cicero nunquam non illorum auxilia implorans,beneuolentiam captans, obtestans, attentos ad dociles reddens,atque hæc iudicem tractandorum sunt officia.

Aestimate. } Descriptio ueræ innocentiæ animo æstimandæ, atque in animis sita sit,quorum sola bona proprie æstimantur, reliqua tanti ualent, quanti æstimantur,ut aurum, argentum,idque omnis omnium rerum æstimatio,non in ipsis rebus,aut earum bonitate,sed in ipso animorum iudicio, sita est. Iam innocentiam animos facit,& uita innoxia,non autem cæcitas, neq; externarum rerum quæuis, ut quæ sæpe imponant humano iudicio,& quibus bene aut male uti potest.

Nec quod. } Hic anthipophora est, hoc est, spōtanea & prior tacitæ obiectionis solutio, quæ si fiat in exordio causæ turpis, aut dubiæ, insinuatio uocatur, utilis utraque figura ad eximendum affectum exanimo iudicum, quæ contra nos habere possit.

Terrebitur. } Partim propter innocentiam, partim propter bonam conscientiam Horatio dicente. Hic murus æneus esto. Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Verum is cui frigida est mens criminibus, & cui tacita sudant præcordia culpa, is magnum portat in pectore testem.

Sceleratissima } Hic anthitesis est,componitur enim scelerat tissimum innocentissimo.

Expauescimus. } Hæc uox respondet illi uoci terrebitur, atque hinc uidere est uedum minitari omnia ubiq; summæ & perpetuum orationis filum nobis quoque suendum.

Quo diligentior. } Subaudi,quæ mulier.

Gratias } Ironia est.

Auidæ. } Id est, magnæ & apparentis coniecturæ. Sumpta metaphora ab auiditate muliebri, ac peragendi sceleris, aut auide peracti fingendi.

Argumenta,} Argumenta sunt signa, coniecturæ, rationes, quibus aliquid probatur,aut improbatur.

Nostram partem. } Id est,ad patrocinandū cæco Sunt enim duæ partes in genere iudiciali, actoria & rei.

Non esse } Sententia est longa uerissima.

Improbe. } Id est, non omnino uane. Alludit ad nouercalem improbitatem, quæ tantum ausa sit nephas concipere in priuignum cæcum.

Vobis. } Emphasim habet,captatque iudices.

Inconsiderate } Refertur ad illud quod superius dixit, auidæ. Est enim inconsyderata auiditas.

Primum} Hic detegitur argumentis ductis à loco, à tempore, à cæcitate, ab ipso peracti sceleris modo, & ab animo filij in patrem, & ab hæreditate relicta, & ab ante acta uita, & ab ipsis nouercalis calumniæ argumentis,& ab ipsa patrate cædis à nouerca in cæcum fictione, & à loco, & à tempore, & modo peracti sceleris, gladii relicti, cruentari parietis. Hos itaquam omnibus locis, atque argumentis ab utriusque & patris persona, & à rerum circunstantiis ductis, coniunctur nouerca ementitæ cæcitatis, tandem eo redit quod principio dixit. Nempe ad innocentiæ tutelam, quam probat à cæci patrisque persona, & hæreditate relicta, & uita ante acta, & dato cubiculo. Deinde recurrit ad cæcitatis præsidium, ut probet illum non fecisse. Deinde utrunque confert, & utriusque circunstantias, & utri mors senis futura sit utilior. Diluit obiectum gladium. Inuehitur in nouercam ac muliebre depingit ingenium. Patrit pietatem ostendit. Ponit præterea multas uetas & graues sententias de nouercali coniugio.

Et tamen }

Et tamen } Argumenta utriusq; partis & multa, & credibilia esse debent. Sunt enim rhetorica, & quæ minime necessario insequuntur.

Et tamen } Descriptio inconsideratæ auiditaria muliebris, ac nouercalis ingenii. Ponuntur hic quoq; multa de testamento, & hæreditate quæ iuris ciuilis peritiam requirūt. Oratore in primis uel Cicerone ac Fabio testibus necessaria.

Aduocat } id est allegat. Atq; hic aduerte curiosum, argutum, ingeniosum, ac subtile uocum artificium, quarum altera nempe allegare, cæco iudices parat, altera uero uocat à muliebri & nouercali uociferatione sumpta, nouercam inducit in odium iudicum, atq; nihil alleget ut cæcus noster, & multa, & magna, & uera, sed unum tantum idq; coactum, & quod à communi hominum sensu abhorreat, atq; hic muliebre simul, & nouercale ingenium, & rhetoricum artificium disce. Nempe ut aduersariū suo iugules gladio, cumq; suis ipsius uerbis conuincas, id quod & cæcus facit, qui & ipsa unico & coacto nouercæ argumento seipsum defendit, atq; illam iugulat.

Rerum intellectu } Id est, communi hominum sensu, quibus nouerca potius exclusæ hæreditatis dolorem uita uidetur, quā & filius & cæcus, & hæres, & priuignus, patriq; semper gratissimus, & à patrio cubiculo procul habitans nocte sopitis scilicet custodibus, unico uulnere, & ferro in uulnere relicto, patremque cum uxore cubitantem nihil tale sentiente, uoluisse aut potuisse ferire. Ac parietem ad suum usq; cubiculum cruentare, quod hæres fuerit declaratus. Vides rerum intellectu in diuersa coactum, uides muliebre & nouercale ingenium.

Eo } Id est ideo.

Istud } Nempe quod nō meruerit occidi. Ironia est & Ironica criminis concessio, risum ac beneuolentia iudicis captans.

Istud } Nempe quod sequitur, iuuenis, &c.

Miserrimū } Commouet animos iudicum ad commiserationem senis longe miserrimi, tum quod senex, tum quod occisus sit. Atq; hic uides omnia semper summa. Iuuenem innocentissimum, senem miserrimum, illam sceleratissimam.

Scitis } Prius æstimare, deinde scitis posuit gradatione quadā ac uerbis quæ proprie ad iudices, ut dixi pertinēt, quos uolumus aduersariorum uitia scire, nostra uero bona ab his æstimari permit tacite indicans rhetorico artificio, ad captandam iudicum beneuolentiam. Hac arte captantur iudices.

Quis } quis pro uter posuit. Nouercam lentiam. A modestia personæ tuæ, atque artificio modesto oblique taxando aduersario. Idq; tibi longe utilius erit quàm si illum aperto Marte lacessas, quod si feceris, uideberis affectu peccare. Quod in te ne appareat quiddam, danda est opera, si iudicem & causam tuam esse uelis. Taxamus autem oblique multis modis, nempe prouerbiis, sententiis, figuratis locutionibus, risu, ironia, periphrasi, subdola laudatiuncula, ac pronominibus demonstratiuis.

Irasci } Primum irasci, & deinde occidere. Hic enim est scelerum gradus cum antithesi. Nam ita innocentiæ opponitur.

Irasci } Muliebre & nouercale uerbum, quod cum innocētia cæci elegantissime simul & appositissime pugnat. Vtraq; enim in animo sita est. Pugnant itaq; hæc ut cæco beneuolos, nouercæ inuisos iudices facias, atq; hic est omnia uniuersæ rhetoricæ fructus ac spes posse persuadere, & ad persuadēdum iudicum seu auditorum affectus quo uis, uerbis, tropis, figuris, coloribus, argumentis deniq; impellere. Vt Cicero primo de Oratore.

Nam quod } Antipophora est, cui opportunæ sunt hæ uoces, nam quod, quod autem, iam quod, iam uero.

Iactat } Muliebre & nouercale uerbum, & muliebriter de spe causæ ac reperti argumenti insolubilis exultantis. Atq; hic uide quod iam toties dixi, uerba electa, & apposita, ac propria, sententias uero breues atq; argutas, quæ duo ad persuadendum efficacissima sunt, & præcipua uenustæ orationis ornamenta.

Nam quod } Probat rerum intellectum in diuersa coactum, tum quod ob hæreditatem patrem à filio occisum indicat, tum quod inuisum patri filium nouerca iactet. Atq; hic nota authorem in altero uocandi, in altero iactandi, in utroq; uero proprio nouercali ingenii uerbo usum esse. Iactat enim & mulier & nouerca nouercales muliebris animi curas, quas cum laude sui in odium filii apud omnes iactat atq; effutit suo magno probro.

Crimen nouercę } Propria atq; apposita locutio nouercæ crimen, quemadmodum enim crimen est filium occidere patrem, ita crimen non uidetur leue si nouerca priuigno cæco odium apud patrem adgenerat, non quod non sit nouercale, sed quod ille cæcus hæres atq; probus patri quæ gratissimus sit, hæc sunt quæ crimen faciunt.

Si confiteremur } Rhetoricum artificium est non cōfitendo fateri, & nō laudando laudare, & sic de aliis causarum generibus.

Idque } Hic ponitur probatio nouercæ.

Putat } Putat inquit, non definit, idq; muliebriter inepte colligens coactu rerum intellectu, & falso & fragili nititur fundamento, atq; hæc omnia & illius causam eleuant, & nostram iuuant, & muliebre simul & nouercale ingenium & rhetoricum ubiq; artificium proximum.

Quo loco } Id est, quo argumento seu uelamento, atq; hoc quoque muliebriter.

Suam } Emphasim habet odio plenam.

Callidæ conatur dissimulare } Hæc uerba muliebre simul & nouercale ingenium describunt, dissimulans, callidum, & infirmo conatu plenum.

Pater } Probat non inuisum, imo gratum patri filium, cuius mentem aperit, ac prudentiam, & studium erga filium, & nouercæ crimen ostendit.

Nanq; } Probat præcedentem orationem, atq; hic uides filiū oratoris, ac neruos coniunctionum, ac uim atq; efficaciam uerborum, sententiarum, atq; argumentorum pro cæco nostro, & hæc omnia planè contraria, ubi nouercale depingit ingenium, uerbis quidem propriis copiosum, sed argumentorum inops. Sic nobis quoque personæ tractandæ sunt in quouis themate.

Cum inuasisse } Militaria uerba planeq; (ut ita dixerim) nouercalia: Nam ut milites urbem ciuibus uacuam inuadunt, diripiunt, spoliant, ærariū expilant. Sic & nouerca seni nupta iam tum animo hæreditatem militariter, & ut ita dixerim, nouercaliter concepit, occupauit, inuasit.

Videretur } Muliebris ingenii uerbum, cui plura uidentur quàm sunt.

Imputetur } Id est, iactetur, aut ob quam rem patri sit in uisus filius, aut quod ob hoc nouerca posset prætexere, filioq; imputare patris necem.

Istud } Odiosam planeq; nouercalem habet emphasim.

Nam cum } Verissima sententia.

Habuerat } Tacitæ obiectionis solutio, & graphica & uera cæcitatis descriptio. expertus loquitur. Adde breues, argutas, ac ueras sententias cæcitatem depingentes, & gladii obiectionem, & à loco, & tempore & coniecturis, & à cæci innocentia & patris securitate, & ab hoc quod nouerca nunquā obiecerat. & à patratæ cædis modo, ædiumq; loco, & nocte, & seruulorum excubiis, & ex hoc quod nouerca nihil sensit.

Leuiter } Ego leniter legendum sentio, quod magis quadrat suspenso gradui.

Criminum tumultum } Id est, tumultuaria, planeq; confusa & turbulenta magis, quàm uiolenta, auidæ & inconsideratæ nouercæ argumenta.

Iungunt } Muliebre & nouercale uerbum. Nam nouerca & mulier, multa consulit: aduocat apud has se iactans, quæ & multa & magna male cohærentia. Nempe quem diximus criminū tumultum muliebriter iungunt ac consuunt.

Cæci percussoris } Sententia.

Negat } Argumentum pro cæco à persona nouercæ, cuius ipsum & fructum supra diximus.

Suspecta } Idem superius.

Improbe } Sic superius, quo loco.

O quam bene } Sententia est cū exclamatione mire mouens animos iudicum.

Stupeo } A tempore & persona cæci, & factorum incredibili multitudine argumenta ducuntur.

Ad uotum } Ironia est.

Gratulor } Apostrophe est, iudicum beneuolentiam captans à persona cæci.

Innocentiæ necessitatem } Id est, argumenta necessaria ad probandam innocentiam, quam perpetuam allegat, idem nobis faciendum.

Causam } Docilitas imitanda & dispositio.

Interrogabo } A uita anteacta.

Et ne } Sententia.

Tua causa } Id est, contra te.

Mulier } Odiosa uox.

Nam si } Probat hanc particulam, tua causa.

Loquar nunc } Graphica & cæca cæcitatis descriptio.

Loquar nunc } Graphica uera, artificiosa, arguta & sententiosa, & uerbis quàm propriissimis contexta, & ad cæci tutelam efficacissima cæcitatis descriptio, opportuna quoque & elegans digressio, & ad commouendos iudicum animos efficacissima.

Cæcus } A persona patris, & cæci crebris, acutis, & argutis interrogationibus facta patris, & cæci collatione, maximè ad commiserationem mouentur iudices, ad quod agendum efficaciores sunt crebræ, breues, acutæ, & argutæ interrogationes, & personarum &

rum & circumstantiarum comparationes, quàm simplices sine interrogatione sententiæ.

Volo nunc scire} Transitio & superius promissæ ad nouercalem accusationem plena argumentis, à collatione cæci & nouercæ, & ratione, & loco, & tempore perpetrati sceleris cum circumstantiarum collatione cæci & nouercæ. Valent hic ad commouendos iudicum animos, nobis diligenter obseruanda atque imitanda. Huc pertinent crebræ interrogationes cum suis responsionibus. Obserua ubiq; uerborum proprietatem, cuius usum atque efficaciam superius tradidimus, multis propterea modis interrogamus, respondemus subinde nobisipsis, idq; aut repetitione, aut alia quauis ratione, iam & nonnunquam elegantissime interrogamus tantum. In summa breues, crebræ, argutæ, acutæ, & ironicæ interrogationes uerborumq; clarorum latinorum atque electorum, proprius, appositius, ac tempestiuus usus, & optimus bonæ orationis dispositio ad perorandum ac persuadendum plurimum faciunt. Adde & apostrophen crebram & ironiam iunctam crebris interrogationibus ac responsionibus atq; obiectionibus, graphice rem totam describentibus, maximeq; iudicũ animos permouentibus, quarum hic plena sunt.

Hoc loco} Ironica, & efficax ad commouendos affectus iudicum transitio, gladii nouercalem obiectionem diluens, causam diligenter examinans. Nam in omni facto, non solum euentus, uerumetiam animus expendendi sunt: Quæ spes, quæ ratio lucri, metus, odii, gratiæ, amoris, & quomodo aliquod factũ sit, quo instrumento, consilio, auxilio, loco, tempore. Hæc inquam omnia atque singula oratoribus ac iudicibus diligenter examinanda sunt.

Ponite nunc} Alia non minus elegans transitio, ab ipsa perpetrati sceleris ratione argumenta ducens efficacissima, inspersis crebris atq; efficacissimis modestissimisq; ad commouendos affectus iudicum, aduersariorum, concessionibusq; dandi ac donandi & permittendi uerbis texuntur.

Dices} Noua & elegans antypophora coactum rerum intellectum ostendens, seq; ipso nouercæ argumento defendens, huius rei usum supra ostendimus. Aduerte ubique plurimas atque efficacissimas interrogationes, ac uerborum proprietatem optimamque dispositionem, & ironicas, & argumenta à maiori efficacissima.

Sæpius} A cæcitate elegans & noua trãsitio, efficax, propria, interrogans, & ironica.

Præter} Sententia.

Interrogare} Iam tertium redit ad gladium, sed suo more, hoc est ironice & crebris & acutis interrogatiunculis.

Sed paries} Noua antypophora superioribus artificio non dissimilis.

Vtar} Ingeniosa defensio à natura rei.

Nunc} Transitio est & ad nouercalem calumniam diluẽdam superius promissa ingressio. Vide oratoris fidem, cõstantiam, memoriam, in orationis dispositionem ac filum, à se & indicatum artificium rhetoricum, de comparatione personarũ. Vide quàm hoc, ut & superius cæcitatem, ut fortius feriat, sic nobis quoque agendum est. Vide & copiam & quàm sæpe redeat ad eadem loci, temporis, gladii, ostii, seruulorum, cædis paratæ, nouercæ non sentientis & hæreditatem animo inuadentis, argumẽta & signa paterni erga cæcum studii, quæ non solum defendit, uerumetiã nouercam grauiter accusat in ipsam, quæ diximus, cędis argumenta transferens.

Genio} Id est, diis domesticis, laribus, suis penatibus.

Venerat} Idem superius cum patri, &c. Sed hic aliquanto fusius explicat in exordio perstricta, quæ iam toties diximus argumenta, atq; hic est usus copiæ quam superius tradidimus.

Alius diceret} Rhetoricum est artificium, omnium uulgares obiectiones negligere, ut fortius ferias, & aduerte physicum & ingeniosum argumentum.

Expectaueras} Muliebris & nouercalis ingenii, paterniq; erga cæcum studii descriptio.

Miserrimus} Sententia superiori in exordio similis.

Audeo} A loco & tempore contra nouercam ironice interrogando & respondendo.

Noctem} A tempore & reliquis ad peragendum scelus opportunitatibus ac circunstantiis oratori ac iudici diligenter examinandis.

Sacra peragenda} Id est, prætereunda.

Sacra} Nempe eum locum intellige, in quo erant penates, quos mox genios loci appellat.

Quomodo} Nouercalis obiectio ac solutio ironica crebro & acute interrogans, sententiosa, copiosa, & uerbis proprijs, claris, lectis, latinis, quæ omnia ac singula diligenter obseruata, atq; imitata oratorem præstant: Et aduerte copiam de gladii obiectione cum fictione facetissima atq; appositissima, & rerum natura docte & diligenter expensa, quæ omnia ac singula magni cuiusdam sunt ac rari artificii rhetorici.

Venio nunc} Transitio copiosa & subtilis.

Quam facili} Sententia.

Sed causas} Alia obiectio superioribus artificio non dissimilis, copiosa, efficax, & quæ superius dixit, de præstito cubiculo, quo animo id feceris pater, & de illius prudentia atque amore erga cæcum filium, nunc inuidiam & cædis suspitionem tamq; mariti in nouercam transferens. Reliqua huius declamationis argumenta, schemata, tropos, locos, figuras, coloresq; rhetoricos, uerborum appositam proprietatem, & reliqua id genus quę ad rhetoricum artificium spectant, qui uolet persequatur, mihi satis fuit utcunque quosdam locos indicasse, & præcipua huius declamationis cum argumenta tum ornamenta, ad quorum iudicium atque amussim, & hanc & reliquas cum declamationes, tum orationes, in quauis causa studiosus lector expendat. Nos interim ad alterius declamationis qualemcunq; enarrationem properamus, paucis illius præcipua tantum argumenta indicaturi, utq; cum priori & personis, & argumento, & statibus satis conueniat: nisi quod hæc mihi uideatur esse, & argumentis firmior & in sententiis atque interrogationibus crebrior, minus tamen altera colorata ac figurata. Sed mihi non tam colores, figuras, tropos ac schemata, cum argumenta ac probationes indicare uisum est, quod in his magis quàm in coloribus, figuris, tropis, ac schematibus, orationum ac declamationum neruus, compago, uincula, sensus, filum, robur, ne dum elegantia atque ornatus, consistere, & ab his magis quàm à coloribus pendere uidentur. Iam quod ad huius posterioris declamationis argumẽtum attinet, priori ut dixi non dissimile nihil dicam, ut quod & in ipsis librorum frontispiciis sese uidendum, ac legendum offerat. Et quod ipse Quintilianus in hac sua declamatione non semel repetit. Proinde omissis argumentorum, ac uerborum ambagibus rem ipsam aggredimur.

CAECVS PRO LIMINE, DECLAMATIO II.

ARGVMENTVM.

Ex incendio domus adolescens patrem extulit. Dum matrem repetijt, & ipsam & oculos amisit. Induxit illi pater nouercam. Quæ accessit quodam tempore ad maritum, dixitq; parari illi uenenum, quod iuuenis in sinu haberet, & sibi promissam dimidiam partem bonorum si illud marito porrexisset. Intrauit ad cæcum pater interrogauitq; an hæc uera essent: ille negauit. exquisiuit, & inuenit in sinu uenenum. Interrogauit cur parasset, ille tacuit. Recessit pater & mutato testamento, nouercam, fecit hæredem. Eadem nocte strepitus in domo fuit. Intrauit familia in cubiculum domini, inuenitq; ipsum occisum, & nouercam iuxta cadauer dormienti similem, cæcum in limine cubiculi sui stantem, gladiũ eius sub puluino cruentatum. Accusant se inuicem Cæcus & Nouerca.

Pro Cæco contra Nouercam.



ENTIO, Iudices, pudori iuuenis, pro quo minimum est quod parricida non est, grauissimum uideri quod absoluendus est cõtra Nouercam, & plurimum cæco de reuerentia deperire uirtutum, cum in patrocinio summæ pietatis aufertur, quicquid alium defenderet innocentem hoc primum itaque publicis allegamus affectibus, quod pro se reus indignatur uti corporis probatione. Solus omnium non remittit sibi, ut incredibilior sit in parricidio Cæcus, quàm fuit cum uideret. Homo omnium quos unquam miseros fecere uirtutes innocentissimus, parricidium negauit antequam pater occideretur, & ne quid hodiernę solicitudini præstari puteris, fecit, quod est summum in rebus humanis nefas, ne uel in alio crederetur. Ignoscite per fidem, quod indignatur se iuuenis in honorem tantum calamitatis absolui. Filium qui patrem ex incendio

ex incendio sua cæcitate seruauit, facinus est hoc tantùm innocentem uideri, ꝙ illum non potuerit occidere. Nam quod ad mulierem iudices pertinet, quæ defendi non potest nisi patrem Cæcus occidit, tam impudentem delationis necessitatem malo, quã si tantùm negaret. Viderit qui fiduciam ueritatis putat, ꝙ Cæco facinus obiectum est. Deprehensa mulieris audacia est, quæ non potest nisi incredibilium comparatione defendi, & quisquis Cæcum inuicem accusat, solus est reus. Aliæ Iudices esse debuerunt aduersus hanc debilitatẽ probationes. Cæcus in parricidio non debet suspectus fieri, sed deprehendi. Quæso itaque Iudices ut hæc prima propter caussam iuuenis putetis, quæ contra illũ nimia sunt. Nihil magis debet esse pro Cæco, quàm ꝙ aduersus illum fuerunt multa fingenda. Et constat de pietate, de innocentia hominis, qui expugnandus fuit parricidii similitudine. Congesta sunt aduersus miseram debilitatem, ferrum, cruor, uenenũ, & quicquid non potest esse negligentiæ, nisi nescientis. Nemo Iudices, nemo diligentior debet esse ad facinus, quàm qui parricidium potuit facere Cæcus. Iuuenis iste de quo summa in rebus humanis monstra finguntur, eius fuit erga parentes semper affectus, quem nefas est optare de liberis. Cum domus ignium septa uiolentia rapuisset miseris senibus omne præsidium, illa festinatione qua fugimus, erumpimus, in medium cucurrit incendium. In quanto tunc periculo fuit rerum naturæ pietas? Dum diu multumq; attonitus hæret, dum ad utrunq; respicit, aduerunque discurrit, penè infelicissimos parẽtes perdidit pietatis æqualitas. Vt demum miserrimos senes eluserat iam propior ignis (audiat licet inuita pietas) patrem iuuenis elegit, & de pariter ardentibus uices disposuit affectus. Vtadum posito sene, cum illum quoque miraremur explicitum, iterum flammas aperuit, & undique coeuntis incendii redditus globis aserat iuuenis, si tardius perdidisset oculos. Facinus est existimare Iudices, non hoc quoque maximis contigisse conatibus, ut seruaretur & mater. Minus tamen in utroque fecerat, nisi perdidisset oculos. Videntur qui filium in eo magis parente mirantur, in cuius salutẽ faciem uultumq; consumpsit. Patri præstitit cæcitatem, qui amisit oculos, dum repetit quam reliquerat matrem. Non expectatis, certum habeo Iudices, ut excusem ꝙ pater induxit Cæco Nouercam. Factum est eo tempore, quo constabat patrem filio senẽ soluendo non esse. Contenderim quinimmo iuuenis fuisse consilium, ut pater cui matrimonium filiumq; abstulerat incendium, residua senectutis alia solaretur uxore, & ut domus quæ Cæcũ tantum habebat & senem, acciperet ex coniugio ministeria custodita. Facinus est Iudices, ꝙ bonos priuignos Nouercæ facilius decipiunt, nec leuius oderunt. Quàm multis insidiis, quàm multis artibus patet cæcitas innocentis? Mulier cui spem inuadendæ hæreditatis præstabat debilitas priuigni, senectus mariti, intellexit hoc solum deesse sceleris occasioni, ut prius infamaretur parricidii Cæcus. Viso igitur hoc, quòd sibi iuuenis non uidebatur esse priuignus, uenenum quod in miseri sinu abdiderat, deprehensura, nunciauit patri, tanquam parricidium pararetur. Et quia mendacium poterat facilè nudari si quem conscium nominasset, totam delationem sic ordinauit, ut sibi crederetur promissam dimidiam partem bonorum, si uenenum seni uoluisset ipso porrigere. Videtis Iudices, qua præparatione Nouerca ad testamentum patris accesserit. Mulierem quam credit maritus noluisse partem bonorum accipere pro scelere, necesse est sic remuneret, ut faciat hæredem. O quanto aliter probaretur parricidium, quod iam potest deprehendi! Mulier quæ se dicebat in eõ scientiam sceleris admissam, non hoc primum exegit à patre, ut quæreret quis parasset Cæco uenenum, quis dedisset, unde maximum sciebat posse fieri quæstionis errorem, instituit ut innocentissimus iuuenis interrogaretur repente, subitò infamatura uelut deprehensi trepidationem, seu tacuisset Cæcus, seu negasset. Adductus ad filium senex dixit iuueni quicquid audierat. Nunquam Iudices tam simplicis innocentiæ fuit facinus negare. Non esset ausus iuuenis coram ea muliere mentiri, quæ prodidit & scijt ubi esset uenenum. Vt uero sensit infelix instantem Nouercam, postulantemq; ut sinus iuuenis exquireretur, tunc uero attonitus, hærens, & tota malorum suorum cogitatione confusus, intellexit hoc argumentum eius esse quæ parasset ut posset deprehendi. Igitur propere, festinanter omnia membra pertractans, & mersis in sinum manibus, dum cuncta suspicionibus, dum tactu iuuenis explorat, uenenum primus inuenit. Laudo Iudices innocentiam silentii, laudo fiduciam, quòd interrogatus cui parasset, non putauit sibi defendendum uenenum. Rẽ quinimmo fecit eius qui sciret patrem non crediturum, & (quæ maxima est innocentiæ contumacia) persuasionem senis nulla uoluit excusatione corrumpere. Non fuit illud trepidatio, non tacita confessio. Quisquis habet uenenum, habet & quod respõdeat deprehensus. Fecit post hæc senex rem hominis quem non mouisset quicquid inuenerat. Non torsit ministeria Cæci, & de scelere in quo solus nocens esse parricida non poterat, non explicauit ordinem quæstionis, sed, quod plus est quàm absoluere, remisit iuueni defensionem. Verum deinde intellectis deterrimę mulieris insidiis, filium paulisper uoluerit exhæredatione protegere, & diligentius de patrimonio suo deliberaturus, interim captauerit ut uideretur mulieris cupiditati iam non obstare priuignus, an facillimum fuerit ut exhæredationem quoque impetraret Nouerca Cæci ab homine cui tam multa persuaserat, cogitationibus uestris relinquo. Hoc tantũ dixisse contentus sum, Testamentum continuò mutauit. Et ne quis miretur hanc festinationem, statim subsequutum est ut periret. An interfuerit Iudices iuuenis huius, ut uiueret pater, qui iam alio monebatur hærede, uos æstimabitis. Certe non interfuit ut occideretur. Facinus Iudices quod illa nocte in cubiculo Nouercæ, quod in lectulo factum est, domus tota persensit. Nemo non sibi uisus est iuxta fuisse. Excitari sola Nouerca non potuit illo in loco unde uenerat fragor. Concurrit familia quò solicitos atque trepidantes ducebat strepitus, quem sequebantur. Inuenerunt senẽ occisum, Nouercam iuxta cadauer sic iacentem, ne statim possent interrogare quis occidisset. Nunciatum est deinde facinus & Cæco. Inuentus est (quod innocentiæ sufficit) non à scelere rediens, stans in limine cubiculi sui attonito, quo discurrebant uidentes. Vt deinde ferrum iuuenis inquireretur, exegit eadem utique quæ postulauerat de ueneno. Quòd in lectulo gladius cruentatus inuentus est, non deprecor Iudices, quin contra cæcitatem non minus argumentum putetis, quàm quòd inueniri potuit uenenum in parricidii suspicione. Gladius cruẽtatus nouissima probatio debet esse, non sola. Ignoscite malorum periculorum metus, ignoscite humana discrimina. Defensionem iuuenis primùm lacrymis gemitusq; prosequimur. Perdidit infelix patrem, perdidit & cæcitas illum senem, cuius oscula, cuius amplexum imponebat uulneribus oculorum, cui præstabat Cæcus ut uiueret. Misera ignorantia, misera debilitas, quòd te Nouerca non sic potius decipere maluit, ut biberes uenenum. Facinus est Iudices comparationem fieri, ut incredibile sit parricidium. Idem uos putatis efficere noctium merita, & affectus osculis blanditiisque quæsitos, quod natalium pignorumq; reuerentia? Nullas ego facilius perire crediderim, quàm corporum charitates. Et licet matrimoniis paulatim reuerentia grauitatis accedat, possunt tamen distrahi facilitate qua coeunt. Vxor est, quam iungit, quam diducit utilitas, cuius hæc sola reuerentia est, quòd uidetur inuenta caussa liberorum. Aspicimus matrimoniorum singula momenta rixantia: mutant quotidie domos, & per amplexus lectulosque discurrunt. Placet etiam post liberos alius maritus, & unde deprehendas omnium scelerum facilitatẽ, possunt non amare iuuenes. Quid si huic uxoriæ utilitati nouercale nomen adiungas? Mulieri quæ post liberos inducitur, matrimonii non contingit tota reuerentia. Quanto alios præstat affectus, diligere uitæ lucisque authorem? Liberi ac parentis non alius mihi uidetur affectus, quàm quo rerum natura, quo mundus ipse constrictus est. Quisquàm ne mortalium confodiet illud sacrum uenerãdumq; corpus, quod potest ex ignibus rapere, pro quo bene consumuntur oculi? Non inuenio Iudices quẽadmodum possit esse contra liberos salua reuerentia. Non est difficile ut maritum uxor occidat, si non est difficilius ut filius patrem. Non est Iudices quòd putetis inter mulierem & uirum de scelere quæri, neque est quòd se Nouerca sexus occasione tueatur. Maior est cæcitatis infirmitas. Sunt & fœminis ad scelera uires, cum habent caussas uxorum. Quinimmo si interroges, facilius hæc pectora metus, odium, ira corrumpunt, & quoniam non habent roboris tantum, unde uitia mentium uincant, plerunque facinus infirmitate fecerunt. Sanè tamen illis sceleribus sufficere non possint, quæ discursum, quæ exigunt laborem, quod uerò tam muliebre possis inuenire facinus, quàm occidere hominem iuxta te iacentem? aggredi senem, qui se tuis crediderit amplexibus? cuius somnos ipsa disponas? ipsa custodias? Omnis alius percussor deprehendi potest antequam feriat, uxor non sentitur, nisi dum occidit. Non est Iudices incredibile ut occiderit mulier hominem, quem dicitur potuisse cæcus occidere. Facinus est Iudices, si cæcos habere non credimus nisi necessitatis innocentiam. Prima est infirmitas cæcitatis, ut nolit. Fallitur quisquis hanc calamitatem non animorum putat esse, sed corporum. Totius hominis debilitas est oculos perdidisse. Et si diligenter actus intueatis humanos, ministeria luminum sumus. Cæcus non irascitur, non odit, non concupiscit. Et cum corpora nostra uigorem de luminibus accipiant, pereunt cum suis uitia caussis. En ad quod erumpant manus, quæ proxima quęq; tandiu quærit,

manus

manus quæ sua quoque ministeria nō explicant. Audebit quicquam corpus illud quod ad singulos sibi uidetur decidere motus? cui quicquid ante se est, donec exploretur, abruptum est? Facinus admittet, in quo nihil ipse facturus est? Facinus, quod totū credat alij? Quid si cæcitas sit quam fecerint ignes? Nemo in incendiis solos e homine perdit oculos. Tunc facies sentit incendium, cum ambusti defecere gressus, cum opponi non possunt pro oculis manus, & ad lumina nostra flammas omnium membrorum uulneribus admittimus. Cæcum uel hoc faciet innocentem, quòd licet uiribus, licet sufficiat audacia, non habet persuasionem hominis, qui possit imponere. Nefas est Iudices hunc iuuenem reliquarum debilitatum ratione defendi. Quàm incredibile est ut occideret patrem, qui pati non potuit ut perderet? Rogo quid opus est gladio, quid ueneno parricidæ? quantulum fuit potius seruare matrem? Rapiatur ex parētibus illa infirmior, illa peritura. Parricidium sic facere potuisti, ut optimus filius uidereris. Quantum deinde putatis impatientissimis affectibus accessisse post cæcitatem? charior est pater cum in locum successit oculorum, & tunc est infinita pietas, cum in illa debeas amare quod feceris. Quid dicitis Iudices? Transferet in facinus hunc cæcitatis suæ iuuenis fauorem, ad quem quotidie laudatura ciuitas coit, cui assident omnes liberi, omnes parentes? faciet se pietatis pariter & sceleris exemplum? Facilius est ut occidas patrem à quo sis ipse seruatus. Nullius unquam Iudices parricidij magis debuistis excutere caussas. Cupiditas, inquit, iuuenē egit in facinus. Hoc si credibile, si uerum est, debet uideri, mulier hæres maritum, an patrē cæcus exhæredatus occiderit. Habeant sane Iudices hanc nefariæ cupiditatis festinationem, quos uitiorum ardor, quos quotidie luxuria præcipitat. Quò cæco hæreditatem uel innocentem? Oculi sunt, oculi, per quos paupertatem ferre non possumus, oculi tota nostra luxuria. Hi nos in omnia quotidie uitia præcipitant, mirantur, adamant, cōcupiscunt. Facilius impleas animi satietatem. Quò per fidem diuitias iuueni, apud quem omnium rerum diuersitas perijt? Circundes licet hanc debilitatem fulgore, diuitijs: cæco tamen tunc magis cuncta desunt, cum contigerunt, nec inuenias debilitatem cui magis cum paupertate conueniat. Homo in honorem parentem excæcatus, patrimonio sub patre melius utetur. Et quod per fidem parricidij genus iuuenis elegit? Venenum, inquit, parauit. Cur per fidem, si sufficit ferro, facinus aggreditur cui adhibere conscium, cui præstare debeat ministrum, cum maius habere possit in gladio parricida secretum? An postea iuueni succurrit quid possent facere manus, & se circa uenenum deprehensa debilitas collegit in utero? Nemo Iudices, nemo nescit quemadmodum possit occidere. Intellexit Iudices Nouerca quàm incredibile esset ut uideretur cæcus parasse uenenum. Igitur adiecit tentatam se ut illud ipsa porrigeret. Date per fidem Iudices operam, inuenite uerba. secretò priuignus & Nouerca de parricidio loquuntur. Ita se non putat uterque tentari? Quid cogitatis, quid dicitis Iudices? Nullum ne in tota domo quod corrūperet aliud parricida pectus inuenit? Difficilius hoc credas Nouercæ, si te à nullo alio putes impetraturum. Non ergo iuuenis credit hoc omnes loqui cum patre? omnium blanditiarum primum esse sermonem? Nouercam timeas negantem. Non habet fidem, ei credere parricidium, quem scias proditurum nisi impetraueris. Per fidem Iudices diligenter attendite criminis diuersitatem. Tentatum se in parricidij conscientia mulier affirmat. Quis uerò dubitet, nunquam hoc priuignum futile facturum, si habere conscium potuisset alium? Atqui uenenum tam parauit, emit. Et cū hoc ipse facere non potuerit Cæcus, quis est iste cui parricidij tantū instrumenta creduntur? Cur non idem porrigit seni? uel si non potest decipi maritus nisi manibus uxoris, cur antè parricidium struitur, quàm sciat an Nouerca promittat? Nam quòd uult uideri promissam sibi partem bonorum, non est argumentum, nisi & ipsum probetur. Mulier quæ solicitatur ad facinus, quemadmodum sibi consulit ne illam parricida decipiat? Et probationes prospicere debuit, seu factura quod rogabatur, seu proditura. Adde quòd neque odit Nouercam Cæcus, cui parricidiū credit, neque hæreditate corrumpitur, cuius contentus est parte dimidia. Nemo Iudices parricidium faciet, quo alius utatur. Eaigo igitur ut illud parricidium Cæci, tu socia, tu conscia manifestius probes. Quid opus est ut iam uenenum iuuenis habeat? potius sermonibus uestris interpone testes, fac coram seruis loquatur, fac intersint amici, fac audiat pater. Facillimum est Cæci decipere secretum. Vtere mulier homine qui se commisit oculis tuis. Vtere uerbis, quę regis: manibus, quæ moues. Volo uenenum ipse proferat, ipse porrigat, uolo te rursus in facinus hortetur, uolo plura promittat. Parricidium Cæci deprehendi potest, dum tibi fatetur. Sed, inquit, inuentus est tenens uenenum. Exiguum argumentum Nouerca de magna facilitate fecisti. Non accusas Cæcum, sed ostendis. Homo expositus ad omnem occasionem, ad omne ludibrium, quem tactus, quem proxima quæq; decipiunt, quid refert quid in sinu habeat? ille quem deprehendere possis, qualem relinquas? A quo modo Nouerca digressa est, cuius ordinauit uestes, tetigit sinus, membra composuit, uenenum potest habere sic ut nesciat: potest sic, ut aliud putet. Si me hercule uolueris, tenebit palam, si iusseris, accipiet coram seruulis, coram amicis, & si uenenum non dices, hauriet, bibet. Nullo magis Iudices argumento potest innocentia cæcitatis intelligi, quam quòd uidetur iuuenis deprehensus. Si parricida est, & exquiritur, hanc saltem sibi præstabit dissimulationem, ne teneat uenenum. Neminem Iudices credo mirari, quòd iuuenis interrogatus cui parasset, uerba non habuit. Non fuit illud patris indignatio, non fuit dolor, uenenum iuuenis expauit. Auferunt nobis uocem, quæ fieri posse non credimus, & silentium est admiratio subita miserorum. Nescit tacere deprehensorum scelerum trepidatio, & statim respōdet illa cum suo sibi scelere parata defensio. Tacere facilius est deceptis, quàm deprehensis. Quid per fidem facere noltis iuuenem, quem de parricidio consulit pater ille seruatus? Miror hercule non dixisse, Volui, sum ueneficus, sum parricida, & inuidiam putarem si confessus esset. Bene quidem quòd nescit iuuenis quemadmodum parricidiū neget, neq; habet illa deprehensorum multa uerba. Venenum quod tenet Cæcus, ipsius est si illud excuset. Sed, inquit, exhæredatus est à patre. Poteram Iudices secretum hoc senis profundumque uocare consilium, contra iuuenem tamen esse non debet, etiam ut de parricidio crediderit Nouercæ. Notum hoc Iudices ac uulgare facinus est, quòd plerunque contra liberos amantur uxores, & sequentium matrimoniorum non aliunde quàm de damno pietatis affectus est. Genus infirmissimæ seruitutis est senex maritus, & uxoriæ charitatis ardorem flagrantius frigidis cōcipimus affectibus. Quid quòd necesse est impatiētius amet maritus uxorem, qui sibi uidetur filium iam perdidisse? Facillimum est de cæco parricidium credere, cum hucusq; erraueris, ut inquireres. Volo scire Iudices, quid fecerit homo senex, qui parricidam filium sciat. Non culeum parat, non illud porrigit uenenum, non saltē abdicatione dimittit: testamentum tantummodo mutat, & parricida sola paupertate punitur. Rogo, quis præcipitat? urget? adeone non potest fieri idem postero die? grauius hoc faciet pater, si non præstiterit uxori. Quid quòd hoc ipsum tam placide, tam quiete facit, quasi captet imponere? Quid dicitis miserorū parentum affectus? Exhæredaturus filium pater, non aduocat propinquos, non contrahit amicos, nullis lachrymis tabulæ, nulla uociferatione complentur? Nescis senex, quanta tibi opus sit ratione tabularum, exhæredas miserabilem parricidam. Nō est, Iudices quod putetis ideo nullum adiectum ad exhæredationē iuuenis elogium, quia de scelere constaret. Nemo unquam ideo non obiecit filio parricidium, quia crederetur. Per fidem Iudices, duorum inter quos de scelere quæritur, æstimemus mutato testamento proximam noctem. Iuuenis, seu innocens, seu parricida est, adhuc in suo silentio stupet, nec facilè dixerim, unde maior trepidatio, si alienum tenuit, an suum uenenum. Nouerca rē inter manus habet anxiam, trepidam. Nihil est difficilius quàm differre gaudium, quod scias te non mereri. & filio se esse prælatam, non est longa persuasio. Expectat nūc ut iuuenis agat caussam postero die, ut credulum senem propinqui, ut ciuitas uniuersa castiget, & se Nouerca sensit unius tantum noctis hæredem. Non creditur testamento hominis, qui eadem nocte qua filium exhæredauit, occiditur. Tractemus nunc Iudices ipsius sceleris comparationem. Cæcus ignorat ubi iaceat senex, an iam quiescat. Et quàm difficile est ut credat illum, qui modò de parricidio suspicatus est, dormire patrem? Tu scires quando senem uicerit lassitudo curarum. Cæco quis renūciat quod dici noctisue secretum? Scis pariter an tua quiescentium fores uallauerit cura seruorum. Tu facere potes occasionem, uxor & domina. Cæco fortassis ad aliud limen errandum est, tibi hoc solum restat, ut scias. Cæcus necesse est quietem patris ipsa corporum electione confundat. tu iugulum, tu potes pertractare pectus, dum amplecteris. Nobis iterum casus redit, rursus incerta tentanda sunt. tibi restat ut statim membra componas, ut quiescas. Non sufficiunt facinus facturo solæ cogitationes, & uix tam multa pariter scireris oculis. Per fidem Iudices ab utro credibilius est occisum senem? à nouerca, quæ prospexit ut alius posset esse suspectus. an à iuuene, cuius inuidia periturus erat, etiam ut illū alius occidat? Intuemini per fidem Iudices procedētem parricidam. Quos non ista uestigia frangant rumpantque somnos? Vestigia plura semper errantium, quæ non ualent suspensis prætentatisq; gressibus librare corpus, & quia diu sunt incerta, nutātia, necesse est grauius

est grauius premant solum cui crediderint. Quanto ea hoc turbæ plus accipiat necesse est illa nocturni silentij quies, quòd ambulantis cæci nec manus cessant, præmittuntur, explorant, & adesse se nunciant? Illa per quæ complexus ueniunt, non sunt in potestate cæci, quibus toto se fateatur strepitu. Quicquid occurrit, nequaquam potest euitare cæcitas nisi offensa. Vt ambulare, ut ingredi nocte possimus, dies facit. Quàm multa deinde superfunt postquam ad patrem peruentū est? Exploretur necesse est pariter iacentium prima diuersitas, uultus, ora tractentur, detrahantur uelamenta corporibus, quæratur uulneri locus. Ita ex duobus neutrum excitat? Grauior semper dexteræ tractatus errantis. Paulatim deinde admouendus est pectori mucro, & nequa confundatur ignorantia unium liber ictus, præcedat oportet gladium manus. Vnde tantum uirium cæco, ut in uno statim ictu mors tota peragatur? Incertum uulnus sit necesse est, cuius impetum non regitis oculi, nec possis custodire destinatum ferro locum, dum ad colligendum uulneris pondus, dextra redire permittitur. Vtrum deinde iuuenis post uulnus unum continuo fugit? Et quemadmodum scit an facinus expleuerit? an potius expectat ut de parricidio cadaueri credat? Ecce iterum per eadem incerta redeundum est, omnia rursus periculose tentanda nemēti. Fidem uestram Iudices, ut nobis prosit argumentum criminis nostri, cæcus si nec uenire, nec reuerti sine strepitu potest, neque sic occidere potuit, ut deciperet nouercam. Te, te hoc loco mulier interrogo, quæ tam grauis quies, ut te mors tam uicina non excitet? Paruulis nocturni turbamur offensis. Excitant nos exigui plerunque motus, uox incerta, longinqua, & aliquando ipsum silentium. Illorum sanè iuxta te suprema non sentias, quos senectus languorque dissoluunt? Hominis qui ferro occiditur, tumultuatur exitus, & similis est repugnanti. Qoid quod necesse est nulla mors inquietior sit, quàm quæ statim tota est? Nam quòd dormiens occisus est, non est quòd sic æstimetis, tanquam per illam quietem transierit in mortem, sit aliquid necesse est inter soporem mortemque medium, nec potest iungi tanta diuersitas, cum sit somnus ipse pars uitæ. Non multum interest, quietem nostram ratio uitæ rumpat, an mortis. Hominem qui dormiens occiditur, ipsa mors excitat. Sane non habuerit supremam uocem, habet utique palpitationes, habet motus, & quicquid totus lectulus sciat. Et quando mulier seni tuo blandius implicita iacuisti? Sicci'ne dormis, quæ modò turbasti totam domum? cuius pruriginis parricida, miser est maritus? Ecce uitalibus ruptis in amplexus tuos effunditur cruor, & fugiens per uulnus anima agit anta se anhelitus, agit crebra suspiria. En iterum largus ille sanguis circa tuos duratur artus, stringeris deficientium rigore membrorum, non moueris, nō expauescis, sed dormis per tot diuersi ates. Non relinquitur quid aliud simulare possit mulier, cui necesse est iuxta eum inueniri quem occidit. Non est Iudices quòd incredibile putetis, ut quis perferat dormientis simulationem, nihil est quòd facilius humana calliditas possit imitari. Sic quidam cadauerum expressere pallorem, & contra uerbera & experimenta telorum, mortuum pertulere patientiam. Quanto facilius est simulare rem, cuius imitationi sufficit clausisse lumina, laxasse membra, dedisse suspiriis modum, & anhelitus negligenter egisse? Inter dormientem simulantemque non est nisi cōscientia. Nam quòd ad tot uestigia, tot motus, tot proclamationes in eodem tenorem durauit, nolite mirari, facilius excites dormientem. Et hæc est omnium natura rerum, ut quid diutius perferas, quam quod imitaris. Simulare somnum habet & hanc facilitatem, quod uidetur similis excitato, qui deprehensus est. Quid hoc esse uis mulier, quòd te non excitat res qua domus tota turbatur? Illam seruilis negligentiæ quietem, illos sine curis, sine affectibus somnos, illos qui non statim primo timore prosiliunt, fragor noctis agitauit. Quantus deinde fremitus discurrentium tota domo? Prima sunt euigilātium præsidia clamores, nec potest quieta res esse noctis auxilium. Minore strepitu commota es cum excitareris. Ecce cubiculi uestri fores trepidæ festinationis effringuntur impulsu: en lumen super lectulum ingerunt multæ manus, & ad prostratorum corporum similitudinem cubiculum gemitu uociferatione completur. Tu taces, & in cadaueris similitudinem usque resoluta es. Hoc tu quietem putas esse? Patientia est. Vestræ Iudices æstimandum relinquo prudentiæ, strepitum quem in cubiculo senis fuisse cōfessi sunt qui illo potissimum concurrerunt, utrum putetis factū colluctatione morientis, an à peracta cæde referentis gladium mulieris fuisse discursum? An hoc quoque inter artes nouercæ, ut omnibus sceleris sui partibus sensim quieteque dispositis, ipsa ad excitandam familiam fecerit strepitum, cui hoc solum supererat, ut sic inueniretur? Fragor quo familia excitata est, si redeūtis cæci fuit, deprehensus iuuenis esset antequam gladium referret. Vt sciatis Iudices neminem fuisse in domo, quem non fragor ille confuderit: cæcus quoque inuentus in limine est, sicut solet ultro citroque commeare. Iuuenis si inter suum patrisque cubiculum facile discurrit, quid adhuc in limine facit? Euasit, effugit, gladium iam reposuit. Et quanto facilius est cæco simulare somnos, multum quietis imitari? Quod per fidem maius subitæ confusionis argumentum est, quàm quod cæcus exiliuit, & stetit? Grauius necesse est expauescant, quibus de solitudine sua non renunciant oculi, & quorum conclusus animus non exit in uisus, non habet unde timori suo par sit. Deprehensus est iuuenis ubi illum destituerat impetus timoris. Potest negligere cæcitas in cubiculo suo ducem, in quo dies omnes cūctasque noctes agit iter, quod iam multis offensis, multis edidicit erroribus. Extra limen cęcitas est, inde error, inde tenebræ. Nihil est innocentius cęco, qui nec in scelere deprehensus est, nec in dissimulatione. Proclamat hoc loco iuuenis. Vt primùm, inquit, mi pater, fragor me domus, & uelut rui confudere gemitus, iterum tanquam te rapturus exilui. Tunc primum miser sensi factus cæcitatis, steti, donec mihi renunciaretis occisus, & in illa discurrentium trepidatione tenui miser uotum timoris. O si numen aliquod paulisper accommodasset oculos, primus in cubiculum intrassem patris, inuenissem fortassis adhuc aliqua uerba morientis, loqui & interrogare potuissem. Tarda & trepida sunt officia seruorum. Ego te deprehendissem Nouerca uigilantem. Sed, inquit, gladius cæci cruentatus inuentus est. Non est Iudices cæcitatis audacia, de parricidio referre gladium, & homo cuius paulo ante exquisiti sunt sinus, non referret in cubiculum suum ferrum, quod nō tegere posset, non abscondere, & tamen cruentatum sciat. Quis hanc Iudices impudentiam ferat? Negat cæco surripi potuisse gladium mulier, quæ se quiete defendit. Et quanto facilius est somnos decipere miserorum? Grauior est quies, quibus ex lassitudine calamitatum uenit. Cæco uero facile est etiam uigilanti surripere gladium. Quemadmodum autem parator argumentum? Quæ iam facere non potest negligentia, & facilius est ut cæcitatem intenti oculi gladium cruentatum reponentes. Has tantum caussas habet qui occidit alieno. Sentio Iudices iamdudum indignari miserrimum iuuenem, quòd argumentis, quòd probatione defenditur reddenda sunt maximo uirorū patrocinia tam piæ cæcitatis, & agenda reliqua pars caussæ admiratione. Intueri mihi Iudices uideor expeditionis illius incredibilem nouamque faciem. Vadit rapto patre iuuenis per ardentes crescentesque flammas. Dicturum me putatis, ut euadat, ut fugiat? Properat miser, ut reuertatur. En membra contactu stringuntur ignium: Pater tamen toto cooperitur amplexu, & ardentibus tunc quoque penè luminibus, texeruot manus alterius oculos. Hoc me nunc putatis stupere, mirari, quòd huic iuuenis oneri per medios ignium globos & ruentia tecta sufficit? Illud est cui uix habere possit mortalitas fidem. Visus est sibi fecisse rem facilem. Quanta dij deæque pietatis audacia est, ire rursus in flammas, illo ubi patrem penè perdideris? Iam non erat illud penetrale, iam non erat domus, ubique tamen iuueni uidebatur ardere mater. Iam miser undique flagrantibus membris, cum discurrentem clusisset ignis, quod solum supererat uitium genus, matrem quærebat oculis. Non fuit illud primum ignium, perire lumina candentia, non protexerunt flagrantem sua membra faciem & oculi quærentibus matrem manibus arserunt. Rursus infœlix totum tactu perlustrat incendium, & unde maximus est collabentium culminum fragor, illo debilitas tanquam inuentura reuocatur. Solus omnium seruatus est beneficio cæcitatis. Protrahatur Iudices, si uidetur, in medium reus. plurimum probationibus adijcere debent truces uultus, terribiles minaxque facies. Hic est Iudices qui dicitur tota nocte discurrisse. Hic ille circunspectus, hic ille fœlix parricida. Recesserunt cuncta debilitatis officia, & hominis qui circum genua uestra ducendus est, non est qui dirigat gressus, non seruuli supersunt, non penates. Respondete per fidem, respondete mortales, utrum hic patrem occidit, an perdidit? Quid agis infœlicissime iuuenis? Rogandum est, neque habes totas preces. perit ille uester ambitus, uestra miseratio, sed nefas est ut reatus iste sentiat debilitatis aduersa. Nos agedum iuuenis duc, immo nostris humeris, nostris manibus innitere, nos tibi preces, nos accommodamus oculos. Quid aduersaris infœlix? Quid repugnas? Scimus te non rogare pro uita, sed dura miser, dura. saltem uiue dum uincas. decet te hic quoque uirtutum tuarum cumulus, decet ut digneris moriturus absolui.

Sequuntur

Sequuntur Annotationes succinctæ in secundam M. Fabij Quintiliani declamationem.

SEntio} Status huius declamationis duplex est, inficiatorius, & coniecturalis. Negat enim cæcus crimen, quod in nouercam multis & grauibus coniecturis, transferre conatur, id quod in superiori declamatione diximus. Proinde & in hac, & in alijs omnibus, cũ declamationibus, tum orationibus, memoria ac diligenti eorum quæ diximus obseruatione, atq; imitatione, ac propriorum uerborum, rerum, ac sententiarum, atq; argumẽtorum, descriptionum, ac probationum, & locorum e quibus argumenta depromuntur, quæ iam toties inculcamus, diligenti examinatione, atq; imitatione opus est.

Sentio} Thema est, & exordium calidum atque artificiosum cæco beneuolentiam, nouercæ odium apud iudices parans, ac nusquam non captans beneuolentiam iudicum à persona cæci, cui nimirum uidere dicit, si absoluatur, idque cõtra nouercam, sed & pium in parentes, & illa eo merito damnãdam, atque hunc non solum absoluendum, uerumetiam publica omnium uoce laudandum, ob pietatem in parentes exhibitam dicit, sic nobis faciendum si liceat: Nempe ut ostendamus eum pro quo dicimus non solum esse innocentem, uerumetiam bonum uirum. Actor uero diuersum habet ostendere, iam scis quid de exordio, & captanda iudicum beneuolentia diximus, & quæ sint uocea huic rei accommodæ, & de argumentis ab utriusque persona, loco, tempore, ac modo perpetrati sceleris, & à personatum, circunstantiarum, gladij, ueneni, ac parricidij, & patris incendio liberati, & parricidij comparatione ductis, deque fructu argumentorum, copiæ, ironiæ, sententiarum, interrogationum, probationum, descriptionum, transitionum, earumque particulis, quibus cognosci ac fieri debent ac possunt argumẽta, probationes, transitiones, nihil dicam, tantum hoc moneo, ut quæ in superiori declamatione diximus & in hac & in alijs diligenter obserues & imiteris.

Sentio} Et à persona iudicum, ipsos alloquendo ac nominando, eorumque nomen secundo orationis loco collocando (id quod in primis oratori diligenter est obseruandum) & à cæci persona (id quod nusquam non agit in hac declamatione, ac proinde semel monuisse satis est) iudicum beneuolentiam captat, & à pietate, & à cæcitate, & ex hoc dum utrunque parentem incendio liberare parat, & matrem & oculos amittit, hoc tanto ac tali, tamq; pio, ac memorabili facinore, toti declamationi inspersо, & iudices captat, & nouercæ causam eleuat, pulcherrimo ab antecedentibus ducto argumento, nobis in primis imitando ut benefactorum præcedentium longa & crebra commemoratione, crimen aut extenuemus, aut depellamus, id quod & Quintilianus faciendum iubet, & Cicero pro Milone factitauit.

Et plurimum} Ad patris liberationem, ac matris, & luminum amissionem respicit. hæ sunt præcipue cæci uirtutes, hæc erga parentes reuerentia, cui multum discedet uirtutum, idest gratiæ si his qui & parentibus, & oculis, & hæreditate orbatus est, nunc contra nouercam tantum ueniat absoluendus, qui liberandæ matris gratia oculos amisit.

Cum in patrocinio} Probat præcedentem orationem.

Homo omnium} Elegans oratio, & pulcherrima comparatio, ac locutio, nempe homo innocentissimus omnium, quos uirtutes miseros reddidere, pulcherrima improprietas, qua dicit uirtutes miseros facere. Aduerte & improprie, propriam comparationem, grammaticam, qualis est si dicam, optimorum doctissimus.

Nephas} Ironica tota hæc mihi uidetur oratio, quæ aut parentum ab incendio liberationem, atq; orbitatem, ac ingenuũ silentium nephas uocat.

Alio} Nempe parricidio.

Hodiernæ solicitudini} Id est, causæ suæ, de qua solicitus est, aut ironicῶs dictum puto.

Ignoscite} Sic superius contra nouercam absoluendos, captatq; beneuolentiam iudicum, dum ut ignoscant, orat.

Per fidem} Excitandi uox est, & commouendis iudicum animis opportuna, criminis familiaris, sic dicimus per Deum immortalem, & reliqua id genus.

Fidem} Sic & in superiori declamatione, religionis nostræ, Est enim in iudicijs præstanda fides, religio, æquitas, atque integritas.

Nam} Transitio & antypophora, ut iam sæpe à nobis dictum est.

Mulierum} Odiosa emphasis.

Fiducia in ueritatis} Id est, qui rem altius, propius, ac penitius uolet ipsam ueritatem personarum collatione examinare.

Deprehensa} Scis quæ dixerim, de argumentorum multitudine præstanda, deq; artificio rhetorico, actoris & rei.

Et quisquis} Verissima sententia.

Debilitatem} Cæcitatem intellige.

Cæcus} Sententia longe uerissima.

Quæso} Conclusio.

Congesta} Sic & in superiori declamatione dixit, congesta, inconsideratæ auiditatis, animi muliebris, & nouercalis odij uerbum congesta, inquit, quasi ui, & odio in unum compacta, quibus nouerca conetur offundere tenebras iudicibus, & istum ter miserum, nempe oculis, parentibus, ac paterna hæreditate orbatum, multitudine argumentorum conatur opprimere, potius quam bonis, æquis, aut ueris rationibus, aut efficacibus argumentis, uelle uincere.

Ferrum, cruor, uenenum} Articulus est, seu asyndeton, & enumeratio eorum, quæ contra cæcum congesta sunt, quæ superius nimia dixit. Vide uocum proprietatem, & nusquam secum dissidens orationis filium. Tria hæc quæ diximus, turbulente simul, & inuidiose pronuncianda sunt.

Nemo, nemo} Emphatice repetitio est, mire ualens ad commouendos iudicum affectus: Si uero & graui uultu, & serio, uerissimam hanc sententiam pronuncies.

Iuuenis} Pulcherrima paternæ liberationis descriptio, & captatio beneuolentiæ à persona cæci.

Mulierem} ubique acerba ironia est.

Laudo iudices} Artificium est rhetoricum, ea non solũ excusare, aut extenuare, quibus indubie uidemur teneri, uerumetiam ostendere illa, ab eis præclare, aut dicta, aut facta esse. Sic Cicero pro Milone: Arma quæ uidebat, undique præsidio esse, non timori, Milonem cæsum quidem, sed iure confirmans. Sic & in oratore, seditiones defensas, ne dum laudatas legimus, ueluti necessarias. Sic silentium quod nouerca criminis confessionem interpretabatur, maximum innocentiæ argumẽtum esse dicit, Est enim ingenuum quoddam, ac uerecundum, ac modestum, alterum uero brutum, stupidum, stolidum, marmoreũ, planeq; index criminis, silentium est quo qui tacet, hoc ipso quod tacet, cõsentire ac fateri uidetur, ut habet notissima illa iuris regula.

Ministeria} Id est seruos. sic & seruitia & operas, pro seruis dicimus, in quos dominus uitæ necisq; potestatem habuit, mox legibus moderatam, ut est uidere apud ueteres iureconsultos de serui scribentes.

Quæstionis ordinem} Id est, non inquisiuit, quo ordine singula contigissent, qui in iudicijs in primis spectari debent, ne omnia perturbentur, & confundantur. Itaq; pater, neq; seruos, neq; filium, quæstionum tormentis examinauit.

Quod plus est} Defensionem remittere, plus est quam absoluere. Nemo enim absoluitur, nisi qui seipsum aut quem prius alter defenderit. At si defensionem iudex remittat, plus facit quã si defensum absolueret. Legant hæc iudices qui indicta causa innoxios condemnant, & qui diuitibus reis defensionem remittunt, & de ipso facto nihil inquirunt.

Verum deinde} Soluit obiectam exhæredationem, iureconsultorum diues argumentum.

Relinquo} Iudicum beneuolentiam captat, illis nihil non tribuendo, ac permittendo, ac si in illo quod iudicibus cogitandum relinquit, non ponat potissimum suæ causæ præsidium. Idẽ nobis faciendum est, & hic aliud aduertendum. Nempe incerta, ac dubia, & plausibilia iudicibus pro reo potius, quam pro actore æstimanda esse.

Et ne quis} Calida anthypophora, subitam testamenti mutationem subito diluens.

Aestimabitis} Sic paulo superius, relinquo.

Facinus iudices} Iudices captat, & facinus sine adiectiuo (suo more) posuit. Sic superius tantum calamitatis, inuicem accusat mulierem, quam & alia pleraque obscura, obsoleta ac difficilia, qualis est & multarum orationum compositio, impedita, intricata, inuoluta, minimeq; (ut ita dixerim) Fabiana, hoc est, facilis & clara. Est tamen hæc declamatio, bona, uera, ac solidis rationibus ac sententijs refortissima, quas nisi & in ipsis pene apicibus latentes obserues, neque mentem authoris assequeris, nec ullum fructum inde referes, adeo argumentum unum, aliud secum trahit. Ita ut hæc tota declamatio, nihil aliud esse uideatur, quam perpetua quædam argumẽtorum cõparatio, adeo tota est in refellendis obiectionibus, ferri, ueneni, cruoris, silẽtij, ac subito

musati

mutati testamenti, quibus opponit cæci pietatem, cæcitatem, patris liberationem, ac bonorum patrimoniorum matris ac luminum amissionem. Argumentatur quoque à loco, & tempore, & modo rei, & personis, & à lumine, & strepitu & personarum, simul & factorum collatione. Atque hæc si diligenter obserues, & fructũ & uoluptatem inde referes: Sic satis hæc monuisse semel, & paucis argumentorum locos indicasse, ut ex his, quæ diximus, ubique & facile argumentorum locos inuenies, quos mihi in genere & paucis non semel commonstrasse fuerit satis. Memineris quoque particularum, quibus argumenta & transitiones indicãtur, ut, nam quod, quod autem, &c. In summa noua sententia de muliere, gladio, parricidio, ueneno hæreditate, incẽdio, strepitu aliis id genus innumeris, transitionem atque argumentationem indicat: Idem faciunt interrogationes. Ad hæc memineris ironiæ ac proprietatis, uerborum ac descriptionis personarũ, ne toties eadem repetere cogamur.

Facinus } A strepitu familiæ.

Gladius cruentatus } Sententia oratoribus ac iudicibus notãda: memineris quoque eorum, quæ supra diximus de argumentorum multitudine, in quibus ordo seruandus est, qui ad dispositionem pertinet, quæ primum ab antecedentibus signis, deinde ab his quæ in rem præsentem cadunt: Postremo à consequentibus, & à personis priusquam à rebus argumenta colligit, & primum quidem à patria, parentibus, educatione, sexu, fortuna: deinde ab alijs personarum circumstantijs argumenta depromens, quibus tandem deuenitur ad nouissimam probationem. Iam quemadmodum in bello sunt triarij milites: sic & in orationibus ac declamationibus nouissimas probationes, efficacissimas esse necesse est, nisi causa turpis, aut dubia insinuationem in exordio postulet. Tunc enim & exordium & perorationem, munitissima esse necesse est.

Ignosce te } Ego agnoscite legendum sentio, ad patris liberationem, metus ac periculorum plenissimam hunc locum referẽdo, ac iudicum beneuolentiam captando, quorum est plausibilia pro reo agnoscere. Reliqua quæ sequuntur, dictis locis atque argumentis & grauibus de uero ac nouercali matrimonio sententijs, & personarum, & ueneni, parricidij, incendij, loci, temporis, strepitus, gladij cruentati, & sexus comparatione, & uerissima cæcitatis descriptione, & argumentis à simili, credibili, possibili, maiori, & à causis & interrogationibus, & à paterna liberatione, & anthypophoris, ueneni, gladij, silentij, & hæreditatis, & apostrophe, & ironiæ & notis, & modis potentialibus ad persuadendum efficacissimis (si crebriusculæ sint) & antypophora sumendæ uindictæ ob amissam hæreditatem, & argumento à tabulis ducto) de quo multa Fabius lib. 5.) plena ac nota sunt.

Oculi } Repetitio est ad persuadendum efficax, & sententiosa de oculis.

Fulgore, diuitiis } Articulus.

Cur per fidem } Subiectio est, cuius usum atque efficaciam in priori declamatione ostendimus.

Nemo } Repetitio.

Date } Ironia, & iudicum officium describitur.

Parauit, emit } Articulus.

Tantum } Ego tanti legendum sentio.

Potius } Ratio probandi atque examinandi criminis, tametsi seruorum atq; amicorum testimonia, iura nõ semper admittãt.

Non culeum } Culeus est saccus è corio aut canabe consutus, in quem homicidæ cum serpente, gallo, ac simia coniecti ac ligati, in mare detrudebantur. Est & culeus saccus frumentarius, & mensura uiginti aut triginta amphorarum, hæc Plynius & Iunius Pastus, & iureconsulti.

Abdicatione } Pater filium uiuus abdicat, mortuus exhæredat, dicitur quoq; sese aliquis abdicare magistratu.

Exhæredatorias Tabulæ } Mos uetus legitimæ exhæredationis. Porro de tabulis supra diximus, de quibus multa iureconsulti in summa: Tabulæ sunt literæ, seu libri legum, testamentorum & debitorum, & alearum receptacula. Porro olim ceratis tabulis utebantur, & tabulas pro ipsis legibus accepere, & literis, inde tabellarius, & tabellio, publicas literarum nuncius, quæ tabellæ uocabantur, nimirum tabulis (ut lex Musaica inscriptæ. Est & lex. 12. tabularum ab Atheniensibus mutuata, de qua multa Liuius & iureconsulti.

Elogium } Id est, præceptus legitimæ exhæredationis.

Secretum } Id est discrimen.

Te te } Emphatica & iracunda, & graui uoltu pronuncianda repetitio, interrogatio, atque apostrophe tres aculei ad pungendum nouercæ animum, & commouendos iudicum affectus efficacissimi.

Suprema } Id est, mortem supremam, substãtiuum neutrum. Sic & in priori declamatione: Non credo patrem iuuenis suprema, id est supremam animi uoluntatem, nempe testamentum iactasse, sic idem author alibi sæpius.

Sane } Concessio, cuius fructum supra diximus, ponitur quoque paulo inferius uerissima muliebrum blanditiarum, & physica mortis descriptio, in qua uerborum est expendenda proprietas, cuius usum in superiori declamatione tradidimus.

Sic quidam } Nempe in bello superati, & inter cadauera mortuis similes reperti, sic & à feris prostrati, & mortis simulatione liberati.

Fragor } Proprie tonitru, & frondium strepitus, fragor dicitur.

Reclamat iuuenis } Nihil æque efficax ad commouendos iudicum affectus, quàm si reum loquentem induxeris.

Sentio } Sic & in exordio: Sentio iudices, eadem utrobique sententia, idem est ad commouendum artificium.

Expeditionis } Id est liberationis. Metaphora bellica est: Nã patrem ab incendio liberaturo, igneum (ut ita dixerim) agmen turbandum, atque expugnandum erat. Est hic quoque argumentum à pietate, & graphica, planeq; militaris, paternæ liberationis descriptio, & captatio beneuolentiæ à persona cæci, cuius factum in credibilem Aeneæ pietatem superat. Est & hic quoque uidere efficaces apostrophes ac repetitiones. Atque hæc quæcunque in priores duas M. Fabii Quintiliani declamationes, utcunque scripsisse sit satis, quæ si proximi grandiora fortasse (uerbo absit iactantia) Dei Optimi Maximi munere moliri seu meditari conabimur.

MILES MARIANVS, DECLAMATIO III.

ARGVMENTVM.

Bello Cimbrico miles Marianus Tribunum stuprum sibi inferre conantem, propinquum Marij occidit. Reus est cædis apud imperatorem.

Pro Milite contra Tribunum.

Atiæ dedecoris atque flagitii castra ceperunt, cũ hæc furenti Tribuno mens subiecta est, ut in medio belli Cimbrici strepitu, ante signa (tuis honos sit habitus sanctissimis auribus) uberet prostare gladio cinctum, & uim turpissimam ac nefariam tentaret inferre (ne quid aliud dicam) fortiori. Habet æternam labes illa memoriam, & in exemplum, in quod facillime uitia proficiunt, noua culpa peruenit. Et licet impunita sit reo turpitus sua, tamen in hoc ruentis in deteriora seculi cursu, affirmo, plures erunt qui Tribunum imitentur, quàm qui Militem. Etsi nihil minus conuenire uidetur partibus aduocati, summe Imperator, quàm reo capite periclitanto subsidium miserationis auferre: memor tamen pro quo, & apud quem loquar, audacter, atque ac spero, tuto profiteor, Militem tuum, quicquid afferat casus hodie, sub ipso fortunæ minantis ictu stare securum. Aut enim absolues tanquam innocentem, aut punies tanquam uirum. Fas est uita periclitari, qui natum se meminit lege pereundi. Neque in militiam grauissimo asperrimoq; bello ita uenit, ut nesciret sibi mortem in procinctu habendũ, neque est tam imbellis, ut non forti pectore aduersa, dum non inhonesta, toleret. Affirmo tibi C. Mari, non sic nuper repugnasset si illum Tribunus uoluisset occidere. Neq; ignorauit quæ manerent eũ pericula, cum obscœnos furiosi corruptoris amplexus gladio diuelleret. Nec habeo sane quid in milite præsertim tuo laudem, si pudicus est tãtum quia expedit, nec si sit uitæ cupidissimus, ponitere eum facti sui potest. De interfectore corruptoris fortasse dubites, illud atque scio, de impudico Milite non deliberasses. Hunc uero C. Mari (defendatur enim tam fortiter Miles tuus, quàm uindicatus est) nec si dãnaueris, pœnitebit. Si fors ita tulerit, ibit ad pœnam pleno gradu, tam paratus mori pro pudicitia, quàm occidere: laudemq; perpetuam fortissimi pudoris secum feret. Omnis licet delatorum uis ingruat, nunquam tamen effici poterit ut Miles tuus magis doleat quòd accusatus, quàm quòd appellatus est. Sed neque hoc Roma parens, nec signa militaria, aquilæq; uictrices, nec tua summe Imperator, diuina uirtus sinat,

tus finat, ut tua quoque sententia quisquam uir & Romanus & Miles nimium pudicus sit, apud quem ante principia agendum est. Ecce cum maxime hoc agitur, ut inter Romanarum legionũ manipulos scorta deligere, & ad stuprum trahere sacramento rogatos posthac liceat ex decreto tuo, nec pudet accusatorẽ apud C. Marium (quod exemplum diuinitus nobis datum uidetur, quid in homine uirtus possit) assidentibus Legatis Præfectisq́, & istis illi prodigio dissimillimis Tribunis, toto armatorum iudicio, obijcere militi ꝙ uir sit, tantumq́; non durum ac rusticum, sed parum meretriciis artibus quærit ut educatum. At ego, si qua est fides, pudicitiam in Milite uiram laudare erubesco. Fœminarum est ista uirtus. Aliter laudandus est uir fortis, idoneus bello, promptus ad pericula, præstantis animi: libere dicam, dignior qui Trib. esset. Hoc enim propinquo Mari non erubesceres. Pater huic emeritis bello stipendiis tum, cum tota subnixum Numidia fregimus Iugurtham, exauctoratas armis manus agresti labore subegit. Prædura priscis moribus mater, frigoribus se solibus peruita, & in plerisque ruris operibus marito particeps, affirmo, quam nemo appellasset impune. Hic ortus ipse, procul ab omni contactu recesserat: pueriles quoq; annos, aliquo semper opere durando, sequi pecora primò, arcere gregibus feras, aliquid semper audere maius annis. Ludus fuit rotare saxa, uibrare iactu sudes, saltus agitare uenatu, mox urgentibus laceris humũ scindere, segnẽ futuris noualibus eruere syluam. Sic effectũ est, ut (quemadmodum aliqui putant) posset cito militare. Interim ex ultimo littore oceani, & direpta frigoribus plaga, gens à rerum natura bene relegata, stolida uiribus, indomita feritate, insolens successu, nec minus animorum immanitate, quàm corporum, beluis suis proxima, Italiam inundauit. Nec tamen tantum ui sua, quantum luxuria socordiaque nostrorum ducum elata, dũ nos in bello quoq; uitia pacis sequuntur, & delicati sumus etiã miseri, uastitatem agris, solitudinem iuuentuti, periculum imperio ac propè exitium attulit, apparuitq́; nunquã Populo Rom. ad propulsandam perniciem magis uiris opus fuisse. Itaque cũ appareret solutis militiæ disciplina, & non minor nobis pugna cum moribus esset, quàm cum hostibus, ad unicum C. Mari cum uirtutis tuæ, tum sanctitatis seueritatisque præsidium confugimus. Et mehercule festinarunt parentes ad nomen liberos mittere quamuis asperrimo bello, uelut occasionem complexi, ut sub te ponere rudimenta militiæ contingeret, cernere quotidie diuinæ uirtutis exemplum, te hortatorem operũ habere, te testem. Et cum hæc communis totius exercitus esset fœlicitas, dux Marius, tamen (o facinus indignum) plus reliquis consecuti uidebantur, quibus Trib. contigerat propinquus tuus. Quanta cura robora Militum legeris Imperator, ut hostibus prope humanas uires excedẽtibus opponeres parem delectum, uel ex eo manifestum est, quòd cum scires non ex censu esse uirtutem, præterita facultatum contemplatione, uires tantum animosq́; spectasti. Quid prodest? en quanta delectui tuo fit inuidia. diceris aduersus Cimbros puerum probasse. Sed neque te militaris ætas fefellit: cuius certissima mensura est, posse fortiter facere. Neq; illa libido fuit saltem uitiis usitata, quæ ad obscœnos Veneris impetus formæ cupidine incenditur, sed quidam perditus contumeliæ amor, ac summa flagitiorum uoluptas, inquinare honesta; hoc ipsum quòd primus ante signa procurrit, quòd ueteranos tyro præcedit, ꝙ redit puluere & cruore concretus, istud, istud, ꝙ tam uir est. Vulgaria sunt irritamenta cupiditatis, forma, ætas: singularis res est fortis concubinus. Illas cicatrices, illa uulnera, illa tot eximiæ decora militiæ, quid exequar ultra? Imperator, pudet me quod intelligis. Transeo oblatã nolenti munerum uacationem, & blandius quàm militiæ disciplina postulat, adulatum militi Tribunum, imperatas asperrimas expeditiones ut remitterentur, sæpe ordinis, sæpe affinitatis tuæ iactatam gratiam. Cõfitemur C. Mari, diutius uixit obscœnus corruptor, dum ista miles non intelligit. Non audeo dicere Imperator, concipe animo temporis illius habitum, reforma cogitationes tuas: in aliis fortasse caussis permittatur indignitatem rei oratione exaggerare, de iniuria nostra latine queri non possumus. parcendum uerbis est, inhibenda magna ex parte ueritas. præuaricandum mihi est, si pudorem habeo. Collatis cum hoste grauissimo communis castris, cum totum bellum quodam genere ad pedem uenisset, & omnium mentes imminẽtis pugnæ cogitatio impleset, circumfremente undiq; barbarico ululatu, Romano militi pro uallo excubanti, meretriciam obscœnæ libidinis patientiam aliquis imperat? Suum quisq; habeat fortasse iudiciũ, mea sententia nõ satis pudicus est miles, qui armatus tantum negat. Hoc expositionis loco Imperator malo accusatoribus credas. Illi narrarunt rẽ tibi & Romano & milite tuo dignam, tantumq́; non ardorem luminum, horrorẽ capillorum, fremitũ indignationis ante oculos dicendo posuerũt. Ad primum statim obscœnæ libidinis sermonem, nõ aliter quàm si in hostem classicũ cecinisset, gladium illum quem à te pro pudicitia nostrarum coniugum acceperat, per pectus infandi corruptoris exegit, & in latus ultra pedem. Si omnes milites tales habemus Mari, uicimus. Verebar equidem ne fugandi corruptoris caussa ferrum strinxisset, & (quod accidere interim solet) dum alter recessurum putat, alter percussurum non putat, tam honestũ opus casus fecisset. Neq; enim (ut opinor) hoc quoq; exigendũ fuit, ut cum cæcus amentia corruptor per uulnera ipsa rueret ad prendendos amplexus, miles etiam gladium reduceret. Ego uero parũ utiliter istum indignatũ puto, si in tanto dolore Tribunum potuit agnoscere. Ipse nihil excusat. Percussi, inquit. Gratia Marti, signisque. Occidi, hausi noxium ultrice dextera sanguinem, siue licuit, siue non licuit. Atque utinam plures mortes cepisset, ut impurum spiritum renascens pœna torqueret. Parum seuere militarem redeuntibus supplicijs disciplinam continemus, si Tribuno post hoc factum benè cessit quòd occisus est. Reum ergo cædis non inficiatione defendam. Viro forti præsertim & innocenti nihil facere conuenit quod negandum sit. Non abnuo crimen, immo si accusatores tacerent, ipsi narrassem. Obiicite igitur, sed, ut delatores decet, totum. Verecundissimum enim militem apud sanctissimas Imperatoris aures minus pudet confiteri quàm queri. Parũne dedecoris subimus ꝙ non de honoribus fortissimi uiri quæritur? & ut lõgissime uota procedant, rem honestissimam mihi fecisse, impune erit? Dãnetur etiam, & pudicitiã supplicio pendat. Conuenite legiones, intendite animo sancto contracta undiq; auxilia. Lex dicitur castris, nec pauci sunt qui hoc nolint licere, illud ualint. Non me hercule possum tenere, quo minus in accusatorem dolor meus erumpat. Quid dicis? Tu si Tribunus esses, hoc fecisses? Si miles esses, hoc tulisses? Date præcepta, cõponite disciplinã. Miles hac cõtumelia percussus est. indignis uerò uocibus contaminatus, nihil amplius aget, quàm tenuet? Et quis nõ illum inter prostitutos habeat, si cõmiserit ut possit iterum appellari? Neget tamen, & ultionem iniuriæ suæ differat. Ita puto, cũ illuserit Tribunus, quæretur. Iniicitur manus, & ab assignata statione miles abducitur, ut stuprum patiatur. Vos interrogo accusatores, quid faciet? feret libidinosas manus uulnera sua tractantes? deponet arma, an reponet? Vir est enim, auctorem habet, hoc primi ordines iubent. Aequũ est Tribuno militẽ parere. in diẽ sperare etiã processus potest. pro hoc merito accipiet fortasse uitẽ, ordines ducet, & sub illo alii militabũt. Si hæc conditio caussæ est, si defensio sui nõ permittitur, indicate, prædicate, si corruptorem non licet ferri, feret, non enim potest nuda manu repelli. Meminote, corruptor armatus est. Implicitus tamen infando nexu, cogitate quid sibi fecisset, utrũ id, si plura despiciat, immo, si uidetur, quò iustius queri possit, patiatur. Istud uero flagitiũ in conatu perest. Nã si libido ad uotũ obscœni corruptoris processerit, duo occidendi erunt. Libere itaque dixerim C. Mari, quam de fortissimo milite sententiam feras, magis tua interest. Huius quidẽ gloriæ nihil plus adiici potest, quàm si pro te tam honesta moriatur, hunc mirabitur sola meritum incorrupta testis uetustas, hoc factum patres liberis uel post pœnã præcipient. Tu cogita quid te sensisse homines sciant. Hoc uxẽplum in neutrã partẽ potest tacere. Cogitare certum est id quẽq; cum iudicat, probare quid in re simili ipse fecisset. Omnibus enim ad uirile robur per puerititũ iter est, & iam cõtra libidinẽ maturuisse nõ prodest. Recognosce incrementa tua, & honestã tantæ magnitudini memoriã pristinæ tenuitatis. Sine dubio te ad tot Cõsulatus, & actos, aut destinatos triumphos diuina uirtus tua sustulit: Memento tamen, & tu sub Tribuno militasti, nec ad hoc fastigium dignitatis tam breui tibi ne uiru contigisset, si sero cepisses. Dicã nunc ego præcipuã semper curã Romanis moribus pudicitiæ fuisse? Referam Lucretiã, quæ condito in uiscera sua ferro, pœnã à se necessitatis exegit, & ut quamprimum pudicus animus à polluto corpore separaretur, se ipsa percussit, quia corruptorem nõ potuit occidere? Si nunc placet tibi miles, quid ego Virginium narrẽ, qui filiæ uirginitatem, qua sola poterat, morte defendit, raptumq́; de pro aruo ferrum non recusanti puellæ immersit? Diuisit illi solum Appium, quem tamen Populus Romanus secessione à patribus, & propè ciuili bello persecutus, in uincula duci coegit: neque ulla res tum magis indignationem plebis commouit, quàm ꝙ pudicitiam auferre tentauerat filiæ militis. Hæc sunt honesta, hæc narranda fœminarum exempla. Nam uirorum quæ pudicitia est, nisi non corrumpere? Non sit mihi forsitan quærendum auersis auribus secuh in tantum uitia regnare, ut obscœnis cupiditatibus natura cesserit, ut polluere in sanguineam usq; patientiam maribus, incurrat iam libido in sexum suum. Finem tamẽ aliquem sibi uitia ipsa exceperunt, ultimũq;

ad hoc

ique ad hoc huius flagitii crimen fuit, corrupisse futurum uirum. Hoc uero cuius dementiæ est? In concubinatû iuniores legantur, & in muliebrem patientiam uocatur fortasse iam maritus. Ego uero gratulor militari disciplinæ, gratulor opinioni castrorum, si huius moris Tribunus in hunc primû incidit. Ita' ne tandem (iuuat enim uelut præsentis insequi furorem) scorta tua stipendium merentur, & sub signis exoletos trahis? Ideo meretrices ab exercitu summouerentur, intrare castra feminis non licet? Ita puto, nô opus est militem, hoc est plusquam uirum, tam iamq; in acie staturum, cui pro uirili portione salutem suam patria commisit, appellas. Fortasse classico sonante ideo stationes circuis, ideo uigilias ambis. En quem Tribunum faceres, cû præteratati militabant? Non hic professus est furor? nô manifesta dementia est? Vides munitum gladio latus, loricam ferro asperâ, clausam galea faciem, & ad terrorem belli cristas minantes, inscriptum in scuto C. Marii nomen, totum denique uirum Martio habitu horrentem. Hic tibi cultus prostituti uidetur? Appellabis de stupro? num afferes? Quid deinde expectas? ut ille te Tribunum putet, cum tu illum non putes militem? Vacat enim uitiis nostris, & ad omne uotum fluente fortuna lasciuit ociû, aut in eo saltem statu respub. est, ut ad restituendam eam satis sit milites impudicos non esse? Non de prolatâdo tibi imperio res est nec transmarinas (ut nuper) prouincias petimus: de Italiæ possessione certatur, pro aris focisq; côtendimus, an hæc omnia igni ferroq; uastetur, an nobis caput barbarus hostis excidat, an Cimbrice loquendum sit. Vita omnium nostrum & salus (pati nanq; aliud ne sub hoste quidem uiri timemus) in ultimum discrimen adducitur. Influxit Italiæ inaudita multitudo, quam ne ea quidem potuit sustinere terra, quæ genuit, inusitata corporum magnitudo, mores etiam Germanus fert. Strage nostrorum campi latent iam fugatorum Carbonis atque Syllani sub comparatione fœlix militia est. Iacet post amissum Scaurus exercitum. Seruilii Manliiq; bina cum tot legionibus castra perdidimus. Gens maiorem terrarum partem uictoriis peruagata, tantum in Mario stetit. Libenter te Imperator interrogo, in hoc rerum statu tales milites habere malis, an tales Tribunos? In tanto belli discursu, ne concessæ quidem ueneri dares ueniam. Nam quo ad altiorem quisq; honorum gradum extenditur, magis in exemplû spectantibus patet. Cum alii excubent armati, alii claustra portarum tueantur, alii uallum fossasq; scutis innixi cingant, cibû ipsum stantes capiant, Tribunus inter scorta uolutabitur? & has solas uigilias aget? ac ne ideo quidem breuem saltem frugalitatis perferet simulationem, ne hæc illum facere milites sciant? Age porro si uiueret Trib. & hoc ad te factum Imperator deferremus, circumstaret uniuersus exercitus, nec hanc militis contumeliâ, sed militiæ putaret, quid ageres? quid côstitueres? Beneficiû accepisti Mari, beneficiû, non habes necesse propinquû tuum occidere. Nam si uere æstimemus, imperium Pop. Rom. ad hanc diê militari disciplina stetit. Non enim nobis aut multitudo maior est quàm cæteris gentibus, aut uehementiora corpora, quàm uel his ecce Cimbris, aut maiores opes quàm locupletissimis regnis, aut mortis contemptus facilior quam plerisque barbaris caussam uitæ non habentibus. Principes nos facit seueritas institutorum, ordo militiæ, amor quidam laboris, & quotidiana exercitatione assidua belli meditatio. Itaq; plura penè moribus quâ uiribus uicimus, cum captiuæ quoq; sanctè habebantur, & contumelia etiam hosti aberat. Quæ omnia longa superbæ nobilitatis intermissa luxuria, tui nobis mores retulerunt. Dii profectò magnitudinem tuam curant Imperator ac diligunt, qui tibi super cæteras laudes obtulerunt tam honestæ sententiæ occasionem. Quòd miles fortiter fecit, si absoluis, tuum exemplum est, Nisi forte hoc me perturbari putaris, quòd Tribunus fuit. Ideo hercle turpior, ideo morte omni dignior. Hæc enim conditio superiorum est, ut quicquid faciunt, præcipere uideantur, & perniciosissimus est malæ rei maximus quisq; author. Quis continebit militiam? Quis castrensis disciplinæ præcipiat seueritatem? Quis te Imperator maioribus curis districto, delicta militum coercebit? Tribuni corpus & peccatum corriget? Ad quem confugiam? cui querar? Sic fit ut necesse habeamus ipsi nos uindicare. Tribunus fuit, & hic miles fuit. Tribunus. Hoc dicis, cui parere caligatum lex iubet, qui non solum militibus, sed centurionibus propositus, partem quâdam imperatoriæ potestatis obtinet. Ita opinor contra iura castrorum fecerat miles, etiam si tantum negasset. Nescit quod istius honoris fastigium, quæ potestas ordinis, tyro est. Age si ad te C. Mari aliquis impudicum militem detulisset, ferres dicentem, Tribunus me iussit? Quòd si par in utraq; parte delictum est, hoc tamen crimen militem saltem decet. Tribunus fuit uideor mehercle Imperator oblitus mediocritatis meæ, cum uix uniùs defensioni sufficiam, quædam pro uniuerso dicturus exercitu. Omnes has quæ circunstetere legiones florem Italiæ, ciuium sociorumq; robora, una uoce proclamare apud tribunal existima. Non ignominiæ Tribuni parere possumus, nemo nostrum recusat itinerum laborem, nec iniussum super arma falcem, nô æstiui solis ardorem, nec sub pellibus actam hyemem. ferienda sit fatigato fossa, pro uallo portisque uigilandum, fortiter ancipites inibimus pugnas, uulnera laude pensabimus, mors erit ignominia potior. Quicquid in pugna patimur, uirorum est. Imperet asperas Trib. expeditiones, si quo uertice montis hostis pellendus est, si inter infestos armatus saltus speculandum, sæuiat denique in terga uerberibus, exigat seru leni plagarum patientiam, leno etiam seruis excipitor, fortasse hac lege captiuos uendes. Si meretricia imperatur necessitas, si aductus obscœnam uim corruptoris arma tantum contumeliæ caussa habemus potius castra capiantur, & uim Tribuni interpellet Cimber. Nihil tale nouere Germani, & sanctius uiuitur ad oceanum. Quid futurum est Imperator, si ad pudicitiam militum pertinet uinci? An ignoramus Imperator quanta quondam populi Romani exarserit seditio, cum ex domo fœneratoris addictus lacero uerberibus tergo prorupisset in publicum, & illas suppliciorum notas tulisse se quereretur quòd uim corruptoris pati noluisset? Et ille tamen quanquam hoc flagitium conatus in addicto ac pene seruo, & uix libero, uidebatur aliquatenus memor fuisse Romanæ sanctitatis, qui uim obscœnissimam non tentauerat tusi aduersus alligatas manus, eo tamen usque populi Romani uindicta processit, ut ardentibus bello finibus, ad delectum nemo responderet, nisi & pœna corruptoris, & abrogatione legis satisfactum esset. Nolebant militare, quanuis hanc iniuriam non miles acceperat. Quid de Fabio Buteno loquar, qui filium impudicum cognita domi caussa necauit? Iamiam commilito quicunque casus manet, etiam si te Imperator damnaturus est, habes solatium, satius est quam à patre occidi. At propinquus C. Marii fuit. Corrûpitis Iudicem, & animo alioqui leui gratiæ pondus imponitis. Propinquus tuus fuit. Orem omnibus narrandâ, cum absolueris. Nam si quid tibi iudicandi fides tua caussa facere permittit, cogitas profectò quantû tibi hoc ipsum apud æmulos, quos uirtutibus offendit, allaturum sit inuidiæ, cum uidebetis aut corruptorem ulcisci iudicare innocentem, aut propinquum tuum etiâ uindicare nocentem. Olim iam Imperator inter fulgentes uirtutes tuas liuor locum quærit, & natura quidê omnibus nouitatis incrementis aduersa nobilitas, tuis tamê laudibus pressa & obruta rimatur occasionem criminum. Quod si bene inuidiam noui, hoc quoq; tibi obiicietur, quòd saltem propinquus tuus peccauit. Quare abdicandus & eiurandus est non tuus sanguis. Certe nihil minus committendum, quàm ut ulciscaris hoc flagitium in eo præsertim, qui apud malignos poterit uideri te permittente fecisse. An ille si unquam cogitasset se esse propinquum tuum, non has uirtutes tuas, inter quas fortuna tua minima est, cum ei uelut propius contemplari licuisset, toto pectore haurire debuerat? Non huic affinitatis suæ felicitati referre gratiam? Milites te melius imitantur. Quòd si post hanc mentem uiueret Tribunus, necessarium forsitan erat hac quoq; eum premi inuidia, quòd ista fecisset Marii propinquus, quòd ex ipsa stirpe uirtutum sustulisset se flagitii soboles. Nam cum bene sic liberat probro familia, quid attinet illud subinde Mario obiicere? Optimum fuerat non habuisse talem proximum, aut libenter perdidisse. Perorata Imperator, ut mediocritas ingenii mei tulit, caussas, scio commendationis partes esse reliquas, sed has superuacuas facit sanctitas tua. Quid enim uerear ne noceat reo humilitas apud te, cui uel gratior potest esse nuda uirtus, apud quem maximum est ex se cœpisse? Commendem tibi ordinem caligari militis, quem uelut incrementorum tuorum natalem libenter ab alto respicis? Adhuc fortasse patricium ualuerit genus, sed ductum tuis longa serie dignitatis ordinem ipsa uirtutum conditione meliorem fecisti. Nondum potuit alius procedere uir adhuc huius ætatis. Tamen cum uirum fortem, cum dignum tuis castris, tuis auspiciis probatum, commendo tibi quicquid melius miles fieri potest. Hoc quidem profectò non expectas, ut in extrema actione miserabili fletu, & humili obtestatione uitam genu nixus petat, nec tu rogari ab innocente exigis, nec uiro forti opus est precari absolutionem. Vnum rogat, ut si quid de caussa illius dubitas, des dilationem usque ad proximum prælium pone in prima acie, pone ante signa (fortiter dixerim) non inter tyrones, ubi plus periculi, quò maximus hostium globus ingruet, specta pugnantem. affirmo, tunc minus ignosces Tribuno. Liceat ire in aciem, congredi cum hostibus. Si perire debet, rogat te Imperator miles tuus, operâ mortis suæ utaris feliciter.

MATHEMATICVS, DECLAMATIO. IIII.

ARGVMENTVM.

Vir fortis optet præmium quod uolet. Qui caussas uoluntariæ mortis in Senatu non reddiderit, insepultus abijciatur. Quidam de partu uxoris Mathematicum consuluit. Is respondit uirum fortem futurum qui nasceretur, deinde parricidam. Cum adoluisset qui erat natus, bello patriæ fortiter fecit. Reddit caussas uoluntariæ mortis. Pater contradicit,

Pro filio contra patrem.

POsitus, P. C. in ea cõditione tristissimæ sortis, ut nec morte dignus sim, nisi me parricidã putetis, nec præmio, nisi innocentem, adeoq; ludibrijs miseræ diuersitatis uel necessitatis implicitus, ut impetrãdũ à uobis habeã odij mei fauorem, quęso præter omnia, quæ ante hoc tẽpus circa nos ordo prædictæ ueritatis explicuit, attulisse me credatis urgentiũ malorũ probationem. De parricidio uenit, ꝙ occidere ne possum, de fato, ꝙ mihi nõ licet mori. Non solus mathematicus seculo tẽporibusq; prædixit has manus, sed & ego me parricidium credo facturũ, plus quàm responsum, quàm sacræ artis præsagiũ, triste est, quod mihi sic minatur animus meus. Non habeo infelix in cogitationibus meis, unde non timeã, & facinus, quod sibi pro me pietas patris, quodq; singulorum innocẽtia rogat, sentio, patior, agnosco. Ne quis me tamen laborare putet miseræ persuasionis errore, accipite cur non possim dubitare de fato. Parricidiũ credit, qui facturus est, non timet, qui periturus est. Ante omnia igitur à grauitate publica peto, ne pro tota innocentia mea contenti sitis hoc, quòd uolo mori. Nec quia uideor contẽdere cũ mathematico, uincere necessitates, expugnare fatum, ideo mihi bene credi putetis & uitam. Aliud est, facinus non esse facturum, aliud mori uelle ne facias. Quinimmo (siqua est fides) hoc quod uos constantiã putatis, infirmitas est, ꝙ ad suprema confugio, animum meũ noui. Nouissima uictæ mentis integritas est in mea potestate, breui non habebo nec mortẽ. Fidem uestrã P. C. ne quid amplius de misera pietate speretis. Qui mori uolo ne parricidiũ admittam, non inuenio quemadmodũ illud possim non facere uicturus. Nã quod ad patrem pertinet, qui me retinet uiuere nolentem, non miror, ꝙ adhuc recẽti gloriæ nostræ gaudio stupet, & in opera mea totus oculis animoq; conuersus, parricidã nõ uidet per uirũ fortẽ. Hic est animus, quo me quamuis denunciatũ prædictumq; seruauit, & cum incertis adhuc dubijsq; uirtutibus præstiterit ut uiuerẽ, præstat meritis actisq; ne moriar. Nunc ille, ꝙ pietate, ꝙ uideor ipsius petere reuerẽtia, uocat parricidiũ suum, & in orbitate, quam facere sibi uidetur, non remedium meum, sed suum spectat affectum. Filius qui uult mori ne parricida sit, aliter sibi uidetur remunerari non posse, quàm ut ipse moriatur. Merito prorsus, merito miserum senem tristes solicitudines & præscij metus ad mathematicum & responsa miserunt. Debui uir fortis nunciari, parricida prædici. Siue.n. miseræ coniugis prodigiosa fœcunditas in multiosis pulsibus inter tales inquietauit amplexus, siue per anxias noctes dirosq; somnos feralibus senex imaginibus agitatus dicitur ad notissimũ sacræ artis antistitẽ, nõ spes, nõ auida uota, sed suspiria, metus, & præsagiũ magni nescio cuius incerti detulisse pallorẽ, quod aliud hoc esse uultis P. C. quàm primã fatalis instinctus necessitatẽ? De partu uxoris nõ potuit nõ interrogare, deinde nõ credidit. Referã nunc P. C. cuius artis, cuius fuisse dicatur authoritatis, quẽ putauit adeundũ, qui sic timebat. Homo qui, quod certum habeo, plurimis meruerat experimentis, ut ad illũ uelut ad oracula deorũ, plenumq; sacro spiritu pectus, hominum solicitudines metusq; cõfugerent, dicitur inspecta totius ratione cæli, digestis sideribus in numeros, ad publici priuatiq; fati stupuisse conspectũ, & tanta prosperorũ tristiumq; congerie magis ipso cõsultore perterritus, diu nõ commisisse uerbis, quod uidebat. Sed ò uirum grauitatis antiquæ, dignumq; cui se fatorum arcana nudarent. Cũ partus de quo quærebatur, multa præstaret propiora prospera, lætos incipiẽtes annos, non fuit cõtentus me hora prædicere, sed (quæ certissima est uera proferentium fides) quicquid deprehenderat, protulit in mediũ, & proclamauit futurum uirum fortẽ, deinde parricidã. Quis unquã P. C. fiducia maiore respondit? Cum summum facinus denunciaret, antè se dixit probaturum. Fecerat profecto P. C. interrogando mathematicorum pater rem non educaturi si quid tristius cõperisset, nisi hoc primũ de fato fuisset ut uiuerẽ. Sed nec mathematici fides circa momentũ aliquem ne cessauit ordinem, nõ numerus fefellit, nõ sexus in partu, non iuuenta, nõ robur. Illa quoq; quæ uelut extrinsecus consentiebant, affuere responso, bellũ, hostis, acies, ad illam ipsam qua fortiter facere poteramus, ætatẽ. Pater uero periculi sui denunciatione nõ territus, arma mihi, pro tristis necessitas, arma ipse circundedit, & suis ad pugnã manibus aptauit, tanquam mathamatico iam credidisset. Quis miretur ꝙ responsum non cõtempserit, dum sperabat ut fortiter facerem? Mori me nõ uult, & iam nõ superest nisi parricidiũ. O mors laudanda fortibus expetenda miseris, nõ recusanda felicibus, quantũ te quæsiuimus in bello? Tuli.n. (deos testor) in aciem, tuli non uirium iactationẽ, non gloriæ cupiditatẽ, sed ut patriæ præstaret aliquid utilitas mei, ut huoc mihi deploratum spiritum, hoc destinatum damnatumq; corpus, publicarum utilitatum usus absumeret. Ibi primũ miser didici quàm multa nescientes, quàm multa faceremus inuiti. In medios hostium globos perditus pugnator exilui, cessit acies. Densissima quæq; certamina solus inuasi, resistere nemo sustinuit. Obuijs ictibus membra nudaui, & ad incurrens ubiq; ferrum uitalia parata circumtuli, uacua circa me tela ceciderunt. Miserum me deceptæ cogitationis euentu, fortiter feci, dũ mereor occidi. Recedite gratulãtes, abite laudãtes, non circumeo tẽpla, non reddo uota numinibus, ad parricidiũ ueni. Quem ego paulo ante passus sum miseræ cõscientiæ pudorẽ? Ad patrem arma nõ retuli. Timui quinimmo ne mihi dum reuertor, occurreret, ne in oscula mea plenasq; adhuc uictricibus telis manus in cauto rueret amplexu. Quã tunc inter cæteras exclamationes deducentis exercitus uocem, quod circunstãtis populi murmur excepi? Magnum felicemq; iuuenẽ, si subito moreretur. Adiuuate dij pariter atq; homines, dum perire concupisco, dum uolo, misereminus, ne hunc ardorem fugientis animæ dilatione laxetis. Proclamo, testor, in nouissimo fati stamus abrupto prope est ut occidat patrẽ parricida prædictus, cum est mori paratus. Quid me pater adhuc detines? Quid morantis abeuntẽ? Melius quidẽ fuerat hunc spiritum aut in ipsa maternorum uiscerũ sede cõprimere, aut ut primum contactu suo cælum terrasq; polluerat, festinata morte dimittere. Sane tamẽ charitas patriæ priuatos uicerit metus, & in honorẽ uirtutum scelera nutrita sint, quicquid est propter quod educari me tanti fuit, explicitum peractumq; est. Restat una pars fati, ultimum solumq; facinus. Frustra me consolaris æquanimitate patientiaq; tua. Non idem utriusq; nostrum discrimen agitur. Tu mori periclitati, ego patrem inuitus occidere. Hoc primũ itaque extursu uobis P. C. quòd præmium peto. satis sit hactenus uiri fortis nomen agnoscere, hucusq; authoritatẽ sacræ legis attingere, ut illam in aduocationẽ sacræ mortis adducã. Relaturũ me putatis illa optionum uerba solennia, nõ capere magnorum precia meritorum solas æquitates, tanta remunerandum benignitate quòd fortiter fecit aliquis. quanta solicitaretis ut faceret? Nemini unquam minus soluendo ciuitas fuit. præstiti post quod mori continuò deberem. Sed securi estote de auiditate summæ potestatis, illud infinitum, illud immodicum, quod nobis uoluerunt licere leges, intra se consumit ille qui meruit. Titulos, imagines, honores, seruate uicturis, mihi præstare salutem patris, innocentiam meam, temporum pudorẽ. Quæso ne mihi ideo præmium negetis, quia fortassis & hoc debeatis odisse, quòd fortiter feci. Extra inuidiam est optio, cum id exigam, quod impetrare potuissem, etiam antequam fortiter facerem. Nam quod obiter optionis reddo rationem, quæso nequis ideo me parum aut prę mio fidere credat, aut caussis, quia utriusque iura miscui preces. Ignoscite ardori perire cupientis, quòd pariter imploro quæ singula sufficere potuissent. Fidem quinimmo uestram, siqua adhuc lex est quæ adiuuare possit mori uolentem, cõmodare, conferte. Est utriusque iuris & authoritas, quod in mea morte tribuatis. Præstare caussis ut moriar, præmio ut sepeliar. Sentio P. C. hoc primum ab affectibus publicis petendum, ne quis ideo, mori me uelle non credat, quia potius ad caussas ac uerba confugi, quia à uobis malui petere quicquid ab his potui manibus accipere. Merui fateor malignas interpretationes, uir fortis ut morerer. à bello reuersus arma posui. populi fauorem, gaudia ciuitatis inraui. Sed siue hoc est sepulturæ suæ magna reuerentia, pessimæque additæ pectoribus humanis infirmitates, ut esset quod timeret, qui non timet mortem, siue decuit innocentię amore pereuntem tranquillitas magna pereundi, ignoscite quæso cunctationi, patientiæ, moræ. Si me continuò occidissent, tanquam parricida moriebar. Neq; est P. C. quòd excludi præmium putetis cõtradictione patris. Eamus per magnorum operum reuerentiam de necessitate parendi, & aut interim nobis

nobis magna uenit contra nominis huius potentiam de uirtutum fauore libertas, aut obsequia peracta demum optione repetemus. Non est quòd uos resistentis moueat authoritas. Neminem inuenias mori uolentem, qui non habeat aliquem uetantem. Ille cui præsto non sunt pignora charitatis, lachrymis tamē audientium, & consolationibus, & promptissima semper exhortatione retinetur. Parētibus uero circa liberos unus affectus est, fauere uitæ, timere mortem. Non habent patientiam nec iustæ orbitatis, & inter supplicia licet pœnasq;, omnes tamen illis innocentes, omnes miseri sumus. Ego P.C. communem hanc impatientiam senis accendo pietate, reuerentia. Fieri non potest ut se mori debere persuadeat patri filius, propter quem se uidetur occidere. Hactenus leges, hactenus merita uirtutum, ueniamus ad necessitates. Mori uolo, mori uolo, ita ut reddidi caussas. Ita nō ex hac destinatione sentitis quicquid dici non potest? Videritis, quid uos hucusque protulerit, hinc incipit ratio. Quod uolo, fingite uitium ex populo turbaque petere, ius præmiorum. Non debet hoc uetari, quoties habet caussas, non potest, quoties non habet. Scilicet enim uerendum est, ne ad hoc inconsulte, ne temere leuitas humana prosiliat, & credibile est, ut quicquid apud hominem pro uita dici potest, ipsa sibi uita non dixerit. Abite gratulationes, silete blanditiæ, quoties iam putatis noluisse me mori? Primum hoc maximum, quòd pro incolumitate hominis natura commenta est, ut periremus inuiti, & contra me aduersos casus, patientiæ nobis æquanimitate succurreret. Inde est quòd inter luctus & desperationes fœda uiuacitate duramus. An uos me mouere non creditis quòd iuuenis sum? quòd modò uitæ uoluptates, modò gaudia lucis ingressus sum? Quantopere mihi blanditur, quòd publicis ex acie reportatus humeris lætitiam ciuitatis impleui? Quoties mehercle hæc uulnera, & rorantia hostili cruore arma complexus, animum supra necessitates ergo, supra fatum pono. Sed omnia mihi iam discussa, consumpta sunt, & honesta perēdi ratione uicta cesserūt. Quid mihi amplius cum corpore, quod oderunt oculi sui? cum quo quotidie properans anima rixatur? Non sunt mea mēbra, quæ passim uelut hostis alicuius lacerare, cōfodere. Homini qui semel renunciauit rebus humanis, non redditur uita, sed tēpus, & ipsa cupiditas rationq; pereundi, hoc ipso quo uetamur, accrescit. Felicior mehercle qui moritur antequam debeat, antequam uelit. Penè serò renunciat uitæ, quisquis sic ad exitum peruenit, ut hoc illum facere nemo miretur. Et tantum debet mors negari, de quo non sufficit hoc pœnæ genus, ut ipse se potius occidat. Nam quòd lex iussit, ut moriturus redderet caussas, quòd insepultum noluit abiici, si sic properasset erumpere, ut nō nunciaret hoc prius, non fateretur, fallitur quisquis ideo factum putat, ut teneremur inuiti. Illa uero non timet pereundi temeritatē, nec secretum doloris abeunti libenter inquirit. Sciebat illos non aliter uisuros proferre caussas, quos sceleris conscientia, quos maioris cruciatus metus in suprema compelleret. Igitur ne supplicia properato lucrarentur obitu, rursus in pœnam nocentis insepulti corporis reuocauit iniuria. Lex placida, mitis, caussas mortis reddi uoluit, nō æstimari. Possum igitur P.C. publica quadam uice generis humani respondere quærentibus caussas mortis interrogatus, At ego difficilius redderem uitæ. Quid iuuat ô misera mortalitas animam per tot annos, etiam, si natura patiatur, per infinita temporum spatia tristissimo corporis retinere complexu? Si cuncta gaudia nostra, si uoluptates, & quæcunque ex hac uniuersitate mundi uel solicitant aspectu, uel blandiuntur usu, diligenter excutias, tota uita hominis unus est dies. Humiles prorsus abiectæq; mentes, quas non implent hæc eadem semperque redeuntia, ut qui honestis operatus artibus sciat quis finis bonorum, quæ uera felicitas, nunquam sibi uidetur præmatura morte periturus, & lucis caussas ad animū mentemq; referentium neminem quotidie uita non satiat. Relaturū me nunc putatis, quanto plura sint in hac æui breuitate fugienda, cōparaturum gaudiis, prosperis, metus, calamitates? Illa illa æstimemus propter quæ fatigamus uotis deos, propter quæ breuem queritur ætatem. Nempe sunt uanitas, cupido, luxuria, libido. Non putet propter hæc ferre debilitates, luctus, spatia morborum? & cum liceat euadere, malle pati? Finge tibi uelut ipsam proclamare naturam, Receptus es in hoc pulcherrimum mundi rerumq; consortium, & per succedentium uices in ordinem mortalitatis natus, bona nostra uidisti, admitte posteros, cede uenientibus. Nescis te quanto diutius maneris, tanto magis impatientiā parere? Quantumlibet prorogentur tempora, iungātur ætates, quandoque tamen non potest non exitu perire miseri, qui moritur inuitus. Miraris quòd suprema mea ipse præcipitem? Nunquid enim non hoc agunt singuli dies? Omnis nos hora per tacitos fallentesque cursus applicat fato, & in hac turpissima perpetuitatis cogitatione districti, per exigua festinantis æui momenta præmorimur? Faciamus potius de fine remedium, de necessitate solatium: exeamus sponte, consilio, pleni securitatis, gratias agentes. Solus uixit quoad uoluit, qui mori mauult. Indulgete quæso sæuæ tristesque caussæ, indulgete uirtutis, ut mori tanquam magno animo uelim. Ita non sufficit ad maturandos exitus, quod fortiter feci? Infirmę prorsus terrenæque mentis est, ut numeretis annos: ego (quæ fœlicissima uel lassitudo uel satietas est) uirtute consenui. Quid adhuc inter accidentia fragilesque casus ago? Homo receptus in publicas gratulationes, præsentiæ humilitate decresco. Minores fiant necessitate est diuturnitate, quorum initia confirmauere successus, cum iam nec operibus, nec fœlicitati possit accedere. Cum fortuna ruere dementia est, & ætatem trahere pereuntem. Nullos ego senes degere turpius puto, quàm qui fortissimi fuerunt. Vultis expectem ut putres artus fœdet pudenda canities? ut sanguine membra uacuata uix nitantur gressus? ut hæ laudatæ manus, nec ad quotidianæ uitæ ministeria sufficiant? Quàm miserum, quàm deforme est meminisse quod fueris! referre cicatricum tuarum redundationes, & frigidam præteritorum memoriam! cum iam fidem membra non habeant, supra sua facta rideri? Festinato exire de seculo debeo, dum alacre corpus, dum spiritus uiget, dum teneor, dum desideror: & hoc uolo deberi manibus meis, animo meo. Fauete dij pariter atque homines: mortem uir fortis inueni. Est hæc communis mihi cum multis fortasse caussa, sed ueniamus ad meam. Si mihi Mathematicus denunciasset damna membrorum, grauem corporis perpetuumque languorem, ignosceres tanta mala uel incerta fugienti. Plus est quod expauesco, quod timeo. Minatus est mihi manus meas, meos animos, nullumq; uoluit esse momentum, quo securus intrepidusque requiescerem. Iussus sum uitam per aobelitus metusque consumere. Quis inter hæc spei, quis consolationis est locus? Mori debeo tanquam nocens, si Mathematicus uerum dixit, tanquam miser, si mentitus est. Quid, quòd me futurum dixit parricidam? Ecquem mittamus in experimentum, cui credamus? Placet post futurorum incertam tractare rationem quid ad diuersas suasiones, & ad loquacissima humanorum pectorum ingenia uariant? Parricidium dictus sum facturus, si possum posthac uiuere, non sum innocens, etiam si non fecero. Interrogare mehercle hic liber uos omnes liberi, omnes parentes, quem mihi post hanc denunciationem assigneris animum. Homo sum, cuius corpus iratum fortasse seculo numen, uelut aptissimam facinori uidetur elegisse materiam, cui in primis continuò natalibus assignata est uirtus pariter & facinus, omnium incredibilium diuersorumq; pariter capax, omnibus difficultatibus nouitatibusque sufficieos, sceleribus miser, & sine morte sua nocens, in quo debeatis ipsas quoque odisse uirtutes. Nescio quæ me prodigiosa feritas in patrem uelut telum aliquod casurumque pondus librat, impingit. Facinus me manet, quod contra fidem est, quod profuturum mihi negatur: & nolim. cuius non tempus, non locus, non caussa prædicitur. An mori debeam, uos æstimabitis, non debui nasci. Sentit pater quanta sit prædicti sceleris immanitas: & ideo tentat efficere, ut Mathematica artem non putetis: ac modò contendit non esse fatum, & cuncta casu fortuitoque decurrere: modò etiam ut prouidentia regantur, non posse tamen humana scientia deprehendi. Dum utrunque colligo, interim apud grauitatem uestram depono sensisse aliquid patrem etiam tum metuit. Ego Mathematicum probaui dixisse uerum: ille credit esse quod dixit uenturum. Casu ne tibi pater hæc diuersitas uidetur in corpus unum dissentientibus solidata primordiis, ut summo uertice locatus igneus uigor cuncta leuia calidi spiritus ardore suspenderet: profundus humor ad ima demersus, unde quotidie superpositi caloria alimenta traherentur, terrenum pondus in medio quanto superne spiritu, tanta penitus inanitate subnixum librata mole consideret, ut seculorum infinita series, per assiduas temporum uices sua lege festinet? Quid hæc fulgentium siderum ueneranda facies? quòd quædam uelut infixa ac cohærentia perpetua semelq; capta sede collucent, alia tam sparsa cœlo uagos cursus certis emetiuntur erroribus? Ista credis passim fortuitoque disposita? Rogo, quid melius ratio fecisset? Deus hæc deus fabricator operis uniuersi ex illa rudi primaque caligine protractum posuit in uultum, digessit in partes. Postquam dederat uniuersitati parem dignamque faciem, spiritum desuper quo pariter animarentur, immisit. Inde est quòd quicquid nascitur, consociata numini proprietate signatur, & in totam æui sui breuitatem compositum firmatumque sic accipit futura, quasi uitam. Hæc credo pater terrori primis fuisse mortalibus, mox

admirationem consumpta nouitate meruisse. Paulatim deinde hoc quod stupemus, animus ausus diligenter attendere, in arcana naturæ sacrum misit ingenium, & ex assiduis obseruationibus noctisq; redeuntibus latentium ratione collecta, peruenit ad caussas. Miraris fatum hominis posse prædici? Defectiones siderum laboresq; narrantur, nunciatur origo tempestatum, lassitudo uentorum, quod sidus immodicos solis ardores, quod seueras minetur hyemes, quid significent sparsi longius crines, quid ardẽtius solito iubar, quid excussa flamma sideribus. Non inuenio quid possit esse certius ueræ artis ingenio, quàm dicere quid futurũ sit, fieri deinde quod dixerit. Quòd si esse artem Mathematicã probant natura, ratio, experimenta, pater quoque, qui credidit consulendum, superest ut ostendamus uerum dixisse de futuris, quem de præteritis non possumus probare mentitum. Accipite primam certissimæ scientiæ probationem. Homo qui de partu consulebatur, non confudit turbauitq; responsum, nec per uarias ambages indeprehensibilem sparsit errorem, nihil ita locutus est, ut illud audientium interpretatio traheret dirigeretq; quo mallet. Atqui in eo tota ratio fallendi est, non dare consulentibus quod deposcant, sed caligine magnaq; promissorum uarietate suspensos sic dimittere, ut quicquid casus attulerit, putent esse prædictum. An scilicet hæc fuerit ratio fingendi, quòd dicebat usitata, communia, quæ futura pater facilè crederet, libenter audiret? Fortis erit, inquit, faciet filius tuus. Rogo, ubi magis desinit, qui mentitur? Sed quibus ille, dij deæq;, signis, quibus impletus est notis, qui de parricida dissimulare non potuit cum quæreret pater? Artem tantum mutari me pater putas? Ego miror animum, stupeo constantiã. Erit, inquit, uir fortis & parricida. Rogo, quæ ratio fallendi est, ea dicere propter quæ nec prioribus debeat credi? In parricidio, quod prospiciebat Mathematicus, hæc sola ratio fuit mendacii, ne prædiceretur. Fero tamen, ut quis in aliis consultationibus decipi possit aut errare, de futuro parricida nõ magis Mathematicus potest, quàm pater interrogare. Omnes, sicuti apud sacræ artis antistites satis constat, animæ proprietates, & futuras mentium corporumq; formas, ex illorum siderum qualitate, quibus in ortu suo cuncta gignuntur, accipiũt. Aliquis uagi numinis errore perstrictus est, uitam transiget ille discursibus. Placida conceptum stella signauit, erit modesta lenitate cõspicuus. Ardens nascentis horam sidus accendit, uiribus pariter moribusq; flagrabit. Languidi & iam uergentis in procliue mundi, hebescentibus tardior membris, similis senectæ iuuentus pigrescit. Iam sicut principalium deorum fulgor illuxerit, in populi consurget imperium. Credo mehercle in illum natalem meum monstri diem, iratorum numinum conspirasse uiolentiam, sedẽque prodigiosi spiritus collato pariter igne pressisse. Si uerũ est, post uetusta secula, & innumerabiles annos reddi rursus aliis corporibus animas, fortassis in me renatus sit aliquis ex illis, quorũ scelere uiolatus dies mundum subitò mutauit, quos per maria terrasq; fugientes, furiales faces, & ultricum dearum terror agitauit. Necesse est ut maiores notas omnia promittant, quæ nõ temere nascuntur. Sic futuras tempestates, pelagi fragor, & concitum nemorum murmur enunciat, sic periturorum fata populorum ardentes cęlo faces, & crinita siderum flamma præcurrit. Prædicebat bello, monstrabat armis, agebat ante se uentura ferias publicas calamitates, & omnium malorum consummatione parricida ponebat. At nunc ista putet aliquis fortuito nõ arte sentiri. possit fortasse casu euenire quod futurum sit, non potest casu fieri quod prædictum est. Et quando unquam pater explicuit manifestius ullius fati necessitate totus ordo responsi? Vir, inquit, nascetur, euenit. Educabitur, quamuis parricidiũ prædictũ sit, accidit. Perueniet ad iuuentæ robur, adoleui. Viribus erit cõspicuus, & nimia. Aderunt bella, uenerũt. Ibit in aciẽ te nolente, missusq; fortiter faciet, feci. Erit parricida, si uixero. Si pater tam secretæ profundæq; artis ratio reddẽda est, nonne habere tibi grande cõsortium prædicti uidetur ipsa diuersitas? Virũ fortem dixit, & parricidam. Vicina sunt hæc, et á ut dissimilia, paria uiribus, etiam ut mente dissentiant. Quid enim me aliud notabilẽ fecit in bello, quàm quòd nõ parcu cædibus, cruore non satior, exultans super straturum corporum strages, palpitantibus adhuc cadaueribus alacer insisto? Virtutis sunt ista cũ hostis contigit. Pax est quæ nos deprehendit, & cum iusta præstandi materia cõsumpta est, in facinus necesse est ociosus ardor erumpat. Ecce iam reipublicæ præbita est quies, mihi tamẽ plurimum est cum gladio meo. totis diebus tracto ferrũ, ad arma respicio, tela mea laudo, admiror, alloquor. Crede pater, & parricidium tam facile est, quàm fortiter facere, cum utrunq; de fato est. Sed quousq; ratione colligã, quod extra iam probatum est? quod nullis Mathematicus dixit ambagibus? nullis dissimulari artibus potest? Partẽ respõsi futurã in alio opere iam uidisti, &, quod præcipue torquetur animum, fides sceleris uirtus fuit. Explicata est authoritas responsi, cum de duobus prædictis unum factũ est. Nec possis de ueritate dubitare quoties cũ incertis experimenta consentiunt. In responso cui cuncta cesserunt, fieri non potest ut hoc solum falsum sit, quod nouissimum est. Non potest, inquit, fieri parricidium. Vis mirer pater si non creditur futurum, quod etiam cum factum est, uix creditur? Falleris si aduersus prædictas necessitates sufficere credis quòd ego bonus filius sum, quòd tu optimus pater. Tu non mereris scire, credo ego neq; nolle me scire. Quid est ergo fatum, nisi quod fit, & nõ habet caussas? Quẽadmodum ergo, inquit, illud uitari potest, si fieri necesse est? Scilicet hac sola ratione, ut mors inter facinus hominemq; ponatur. Vincitur pater fatum si resistas, nocet, si cõtempseris. Ago quinimmo gratias hoc solo nomine crudelissimis fatis, quòd maximũ facinus nõ in prima æui mei parte posuerunt, quòd præmissæ sunt antè uirtutes, magnorumq; operum prior ordo detinuit. Potest puto caueri parricidiũ, quod & prædicitur, & nouissimum est. Rogamus pater Mathematicum de hac sola uitæ meæ parte mentitum, quid tanti est ut credam ista & uiuam? Occidi pater nõ potest. Sed quid refert, si difficultas ista non est salua animo meo? Excedit oẽm calamitatẽ, innocentiæ suæ non credere, diebus ac noctibus timere, suspectũ habere animũ suum, calumniari manus, incusare uisus, & parricidalẽ agere cogitationem. Maior mihi ratio moriendi est, si parricidiũ fieri nõ potest, & ego me credo facturũ. Quem tu mihi pater imperas laborem? quàm asperam exigis patientiam? Horreo oscula tua, ne seniles artus nimiũ grauis amplexus elidat. Non sustineo eosdem expetere conuictus, ne quos porrexerim cibos, uenena fiant. Timeo eiusdem peregrinationis adire comitatum. Omne fugio secretũ, ne quid fortuna, ne quid afferat casus. Quousq; timebitur animus? Mors mihi præstare potest ne parricidiũ faciam, mors ut uidear nec fuisse facturus. Sed me infœlicẽ, quam multa sunt quæ timere debeam etiam contrã animũ meum? Vnde scio an expulsum me repente sensibus meis, aliqua magni discriminis imago raptura sit? Prosiliebo fortasse tanquam sequar classici uocantis instinctum, tanquam me ruentis patriæ fragor, & uociferatio captæ ciuitatis exciuerint. Me sane interdiu custodire possum, sed unde scio quid afferat nox, casus, error? Mathematicus hoc non futurum dixit ut uellem, sed ut occiderem. Tu quoq; pater quanto grauiores passurus es ex ipsa dissimulatione cruciatus? Felicius prorsus est, palàm occidisse quem timeas. Cũ bene in oculis meis amplexibusq; requiescas, subeat necesse est tacitas cogitationes prædicti periculi metus, & licet cõponatur ad fortem superbamq; constantiam, naturalis tamen hominis infirmitas potest tam percussorem timere, quàm mortem. Explica nos pater tam misero tristiq; complexu, & longissimas solicitudines breui recide patientia. Minus indignum est ut moriar si innocens futurus sum, quàm ut uiuam si parricida. Denuncio tibi pater, & de suprema necessitate confiteor. Iam non sunt meæ potestatis hæ manus: non regere dexterã, non retinere sufficio. Venit ille nescio quis ardor, non sentio, nõ intuentur oculi. Tunc omnia incipio scire, cum gesta sunt. Quid? tu me lacertorum uiriumq; beneficio strauisse nuper hostes putas? Quantum dicũtur narrasse captiui? nescio quem in me monstrosi uultus horruere conspectum. non tela iaciebam, non iaculabar ictus. furialibus miser facibus ardebam, & pectus istud non lorica, non ferrum, sed diri serpentum clauserant nexus. Nõ fuit illud pugna, non acies. in bello parricida uincebam, excesserunt opera mea humanarum uirium mediocritatem. quicquid factum est, rabies, insania fuit. Prędico, protestor, non ego parricidiũ faciam, non ego fortiter feci. Quòd si nulla ratione casũ ue effici potest ut prædicta non fiant, fidẽ nostram P.C ut mihi potius innocentia, quàm fato debeatur, ego dicat expugnasse constitutionem, fregisse uincula necessitatis, mea pietas, mea laudetur integritas. Dij non sinant, ut inter me responsumque decernat exitus. Mathematicum uincere malo, quàm reprehendere. Quid nunc agam P.C quemadmodum me uir fortis ad preces, quemadmodum parricida componam? Dicam, misereminí? dicam, succurrite? Sic rogari contra mortem solet. Nouo mihi inauditoq; opus est ambitu malorũ. Nisi morior, periclitor. Ideo uideor caussas reddidisse, ut cõtradiceret pater, & si bene noui malignas interpretationes, non exitum cœpisse dicar, sed excusationem. Explicate per fidem miseri pudoris æstum, nunquam uidebitur mori uoluisse parricida, si uixerit. Ad tua nunc genua porrigo optime pater has ad scelus tantum fortes manus. Per ego, si fas est, quicquid feci per hanc ipsam mei charitatem, qua me nondum timere cœpisti, miserere, filium pietate pereuntem ne uelis exitum facere parricidæ. Præsta mihi patientiam, qua me modò bello credidisti. Finge nos in ipso prosperi Martis cecidisse complexu, confectumque magnis uulneribus cadauer efferri. Relinquo tibi pro me omnes parentes, hunc

tes, hunc

tes, hunc quo nos retinere uoluisses, in suprema mea transfer affectum: tuis manibus compone corpus, extrue rogos, funeri iusta persolue. Deinde cum iam nouissimus osculis, supremoq; discedens satiatus fueris amplexu, tunc te fas est sublatis ad cœlũ manibus proclamare, Mathematice, mentitus es. Reddidimus caussas, peregimus preces. reliqua uos manus, uos adiuuate ciues, non ut liceat mihi mori licet istud etiam ut negetis. Vir fortis cõmendo uobis exitũ meum, si nõ continuo letale uulnus impressero, si non cum sanguine totã animam properãs ictus egesserit, adiuuate dexterã, deprimite telum, & ante omnia detinete patrem. Nescio quàm longe manũ sparsurus sit fugientis animę dolor, quò cadat extractus mucro uisceribus, in quem se collabentis corporis ruina præcipitet. Vultis scire quantum debeam timere uicturus? Metuo ne patrem, dum morior, occidam.

AEGER REDEMPTVS, DECLAMATIO V.

ARGVMENTVM.

Liberi parentes in egestate aut alant, aut uinciantur. Quidam duos filios habebat, frugi, & luxuriosum. Peregre profecti sunt capti à piratis. luxuriosus languere cœpit. Ambo de redemptione scripserunt. Pater uniuersis bonis in unum redactis profectus est. Dixerunt illi prædones, non attulisse illum nisi unius precium, & eligeret utrum uellet. Aegrum redemit. Qui dum reuertitur, mortuus est. Alter ruptis uinculis fugit. Alimenta poscit pater. contradicit filius.

Pro patre contra filium.

QVanuis Iudices in tanta malorum continuatione iam poteram nihil ex accidentiũ meorũ nouitate mirari, nullumq; mihi reliquerint impatientiæ genus aduersa, quæ desolatis remedijsq; creuerunt, confiteor tamen hoc solũ me prospicere nullo metu, nulla tristium recordatione potuisse, ut post piratas, orbitatem, famẽ, hunc quoq; calamitatibus nostris pondus accederet, q reuersus est filius meus. Viuebã miser, ut hunc uiderẽ, solaq; superstitis expectatione suspensus, auidissimã moriendi cupiditatẽ contentiosa mẽdicitate fallebam. Pudet persuasionis. redisse se iuuenis affirmat ut uindicaretur morte fratris, ut patris orbitate gauderet, nec intelligit maiorem se factis meis authoritatẽ hac indignatione conferre. Nunc magis sentio, quantũ facinus fuerit ægrum nõ redimere. Quæritur se relictũ, qui potuit euadere. Vtcunq; igitur Iudices poterã redemptionis illius reddere de præsenti iuuenis impietate rationẽ, & mihi crudelitas ista præstabat, ut filiũ uideret elegisse meliorẽ. Non utor tñ occasionis huius inuidia, nec quicqd miseriæ pietatis impatientia feci, querela malo defendere. Ego uerò tunc nõ mores liberorum, mentesq; tractaui, nec mihi in illa tristissima conditione succurrit de cõparatione consilium. Sola, quid facerem, necessitas, sola iuuenũ merorũ aduersa suaserunt. E a duobus liberis neutrum magis amat, qui redimit ægrũ. Illud plane Iudices ultra oẽm malorum meorum fateor esse tristitiam, q hac asperitate iuuenis, hoc inopiæ squallorisq; despectu famã optimi fratris incessit. Hominẽ qui piraticũ carcerem, qui prædonum uincula discusserat, decuerat ne uoluisset aliter ta uerti. Ex quo se nobis tanto uirtũ labore restituit, poterat aius quoq; admirationem mereri, qui pracio pauloante cessisset. Dij immortales, quam laudẽ, quem gloriæ fauorem impleuerat, si pascere patrem, redemerat fratrem. Relaturus uobis Iudices ordine malorũ meorum euentũ, quem nemo tam crudelis, nemo tã sæuus audiet, ut me nõ pascat, hunc ante omnia, qui se quæritur in fratris cõparatione dãnatũ, secreti doloris indignatione cõuenio: Quid agis impotens superbe? Tu nescis utrũ fuerim redempturus ex duobus sanis, ex duobus ægris. Habui.n. Iudices, filios diuersissima mentiũ corporumq; qualitate compositos, & sicut mox probauit sæua captiuitas, in totã dissimilitudinẽ, uitæ quoque genere diductos. Hic nãq; robustus ac patiẽs, nõ molliri prosperis facilè, nõ accidẽtibus frangi, & quẽ de uoluptatũ gaudiorumq; contẽptu scires parẽ q̃q; fortunis, traxerat ex firmitate mentis magnã procinus & in mẽbra cõstantiam. Ille uerò pariter in lætitiam metusq; resolutus, alienus à curis, solicitudinibus impar, delicatus, impatiens, & iam similis ægro. Sed apud patris affectus hæc ipsa liberos dissimilitudo iungebat, & erat quædam in inæqualitate charitatis ęqualitas, q hũc seriò, laudatũq; semper, illũ iam quadã miseratione diligerẽ. Quid profuit indiuidua pietas? Erat ẽt me nolẽte manifestũ utrius magis colloquiis, magis lætarer aspectu. Velit nolit iudices ipsa quoq; querela inuanis, quid de patris fateatur aio, probat. Irasci q nõ sit fratri prælatus ægro, impatiẽtis est hominis qui magis amietur. Accipite Iudices maiorẽ pietatis æquæ probationẽ. filiũ nec peregre dimissurus elegi, iunxi fratrẽ aptaui comitẽ, & utroq; patris latere nudato, uisus sum mihi magis habiturus utrunq; mecum, si pariter essent. Hanc apud me iuuenũ æqualitatẽ, etiã in calamitatibus fortuna seruauit. Vterq; captus est, ambo de redẽptione scripserunt. Dissimules licet, iterũ tñ & inter aduersa persuasionẽ charioris inuenio. In captiuitate cõi puto minus sperauit ille de patre, qui languere cœpit. Tu mihi nũc impotẽtissime iuuenis, tu quæso respõda. Quid aliud facere debuerit pater duos redẽpturus? Cũctas facultates in precia collegi: rus, seruulos, penates, & oia utiliora properãti festinatione perdẽtis addixi, & ultra quã non põt excogitare summus affectus, nihil senectuti meæ, nihil dubiis casibus (pro incõsulta pietas) nihil neq; illi reseruaui, quẽ redemissem. Quantũ Iudices ad piratas tulerim, scire potestis ex hac fame. Fuerit preciũ licet angustũ, paruumq;, dũ totum, fingite quamlibet diuitẽ, quamlibet pauperẽ patrem. nemo unquã plus pro liberis dedit, quã qui sibi nihil reliquit. Verum ne igitur Iudices nemo mortaliũ habet preciũ pluriũ liberorum? An piraticæ feritatis ingeniũ est, in captiuorũ taxatione solos æstimare redimentes? Dij immortales, quàm arrogãs me pirata, quàm superbus excepit? Parum, inquit, attulisti senex, languet alter. Quid ego à dijs hominibusq; merui, q mihi nõ redditurus utrunq;, nõ ipse potius elegit? Sæuus, & humani doloris artifex, negauit à me duos posse redimi. Deinde ut hoc tristius, ut difficilius esset, redditurũ se dixit uerũ maluissem. Vides iuuenis quãtum pietati meæ testimonium reddiderit ipsa crudelitas. Conditio non poterat nisi duos redempturo. Expectatis, certum habeo Iudices, ut in tristicissimæ necessitatis positus abrupto, ad ægrum continuò properauerim. Quis non putet audita conditione uincula me statim detraxisse languenti? Oderitis licet confessionem meam, deliberaui. Tenuit inter illos inexplicabiles doloris æstus, perquàm longum pietas misera consilium, & quod nunquam satis manibus filii, nunquam satis excusabo conscięntię meæ, nõ statim mihi ille deficiens unicus fuit. Dissimules licet orbitas, ego mihi plurimũ uideor adiecisse lãguori cunctationis mora, & sensit infęlix quid in electionis huius necessitate fuerim neutro languente facturus. Tandẽ, quod solũ habebat ambitus genus, desperatione præualuit. Accepi fateor illũ qui solutus quoq; non sequebatur, quẽ nõ gaudium redẽptionis, nõ lætitia prælati, nõ hortãtis erexit patris amplexus. Si esset in rebus humanis ulla clemẽtia, meruerã ẽt de piratis ut mihi duo redderẽtur. Vtinã Iudices iuuenis illius uita præstaret, ut uideretur nõ periculi miseratione, sed charitate prælatus. Me infelicem, q bonã habeo caussam. Explicuit iustitiã cõparationis, qui decessit ẽt redemptus, & in perituro filio nihil aliud electũ est. In quo fui miser famæ periculo? Filius meus lãguore defunctus est. Tñ pater occiderat ægrũ si reliquisset. Viderã cõtinuo Iudices in carcere illo quantũ promitteret cõstantia hominis, quẽ nõ captiuitas, nõ expectatio patris, nõ fratris fregisset infirmitas. Nec immerito de fortissimo iuuene cuncta speraui, si fuisset ad oẽs conatus explicato lãguente liberior. Tandẽ miseros fortuna respexit, & puto contra prædonum cõmenta feritatẽ, ipsa cõsensit, ut nobis quẽ negauerãt, nõ abstulissent. Nõ quidẽ mihi Iudices arrogo r pis illius prouidentiã, nihil me fateor fecisse cõsilio, põi tñ utriusq; iuuenis exitus necessitatibus meis assignare rationẽ. Periit quẽ redemi, reuersus est quẽ reliqui. Inuenisse te putas iuuenis patrẽ cibos & alimẽta poscentem? Quærebã precium tuũ, testor clementiã mitissimæ ciuitatis, hæ præces, hic togãtis ambitus fuit. Miseremini, date stipes, indulgete, conferte, repetendus est ille qui redimi maluit fratrem. Sed & hac re decebat reuersum proclamare uoce, Erige uultus pater, attolle tristissimam faciem, uindicati de sæuissimis prædonibus sumus, duos redemisti. Alimenta posco, poterã non adijcere, filium pater, sed mendicus hominem, sed iuuenẽ senex. Quis enim magis ex ipsis rerum naturæ sacris uenerandisq; primordijs descendit affectus? Quid etiam inter liberos ac parentes tam commune, tam publicum, quàm ut alicuius famem proximus quisq; depellat? Voluit nos ille mortalitatis artifex deus in cõa succurrere, & per mutuas auxiliorum uices in altero quenq; quod pro se timeret asserere. Nondũ hæc charitas est, nec perso-

nis impēsa reuerētia, sed similiū accidentiū prouidi metus, & cōmunium fortuitorū religiosus horror. In aliena fame sui quisq; miseretur. Sic cibos obsidio partitur, sic inopiā pariter nauigantium frequenter unius alimēta pauerunt. Hinc & ille uenit affectus, q ignotis cadaueribus humū congerimus, & insepultū quodlibet corpus nulla festinatio tā rapida transcurrit, ut non quantulocunq; ueneretur aggestu. Parentibus uerò liberi non præstant alimenta, sed reddunt: quāto dij deæq; breuiora, quanto minora pro tot infantiæ, tot pueritiæ sumptibus, tā uarijs uel abstinētijs tuæ iuuentutis impendijs? Si mehercule hoc quoq; officij genus natura permitteret, bene pro deficiētibus aliquid & uita uestra deperderet, iterumq; ex illa quā traxistis anima portio breuis in suū rediret authorem. Vultis scire quantus nomini nostro debeatur affectus? quanta ueneratio? Non est beneficiū q pascitis, sed est facinus q negatis. Liberi parentes alant. Pudet sacrorū nominum, pudet religionis humanæ: Hæc ergo lex erit? Quid imperet hominis, qui primus fecit ut pietate iuuaremur? Liberi parentes alant. O crudele factū. O nunquā tristior fames. ita pascit ille qui cogitur? Non meruisti, inquit, accipere. Discede pietas, quiesce paulisper, infirmitas remuneranda sit. Primùm lex seuerissima est, ut fortius alimēta poscantur. Perdiderūt pulchritudinem sanctitatemq; naturæ, qui putant illis parentibus iura succurrere, quibus apud liberos salua est de mutua charitate reuerētia, collatis prospexere pignoribus, & inter tam uenerabiles affectus hoc quoq; dignū prouidentia fuit, ut aliquid & odia præstarent. Quæreris, irasceris, & ideo iuberis. Expectandū est uidelicet ut liberorū parentumq; cōcordiā præferant totius merita uitæ; & ut pietas, natura, sanguis accipiant quotidie tanquā amicitiæ nexum, & nisi nos promeruerimus obsequijs, adulatione, patientia, natales ortus & pignora prima perierunt? Si uultis Iudices ut huic nomini salua sit in omni personarum diuersitate ueneratio: bonū patrē filius alat, lex malum. Nō faciā hanc contumeliam rerum naturæ, nō faciam legi, ut excusem uel pessimū patrem, ut sacro nomini tentem gratiā petere de uenia. Sim licet crudelis ac sæuus, filium tñ diutius amaui. Clauserim paternos penates, de testamento, de spe successionis expulerim, onerauerim uinculis manus, fœdauerim mēbra uerberibus, persolui gratia nō potest nec malo patri. Arrogans, impotēs sum, nolo quotidie mereri quicquid mihi deberi cœpit primo die. Facilis, mitis, indulgens, uocabula sunt ista minoris affectus, propter hæc aleretur amicus, pasceretur extraneus. Vestrum quinimmo crimen est, quod interdum aliud sumus, & (unde manifestū est diuersitatē nostrā uenire de moribus liberorum) nō inuenias asperum patrē, nisi iam peccantis ætatis. Quid ais? rigidus, immitis sum, ideo pasce, tñ pasce, nō ultra malo p reuerētia nominis nostri. Quicquid præstatis inuiti, & cū alitur pater quē quæreris indignū, accipere mihi uidentur oēs parentes. Si uis, affectū debes, sin minus, necessitate seruitutē, patientiā. Nō tanq pater alitur, qui tanquam bonus amatur. Sepone iuuenis, differ querelas, tūc irasceris, tunc obijcies mihi, cum prosperitatum, cum secundorum officia deposcam. Nō talis ad tua genua prouoluor, ut exti mendus sim. Nulli malus est pater, cum esse cœpit infelix. Aspicis collapsum, & ex omni calamitatum genere miserum, & ultra quod accidentium mensura nō exit, in orbitate mendicum. Riget squallidi capitis concreta canities, uigor pristini uultus uacuis luminibus intabuit, & per obstantiū crinium illuuiē tenuis areorum tactus oculorū. Hæret astricta nudatis ossibus cutis, & in fame sua homine cōsumpto, iam mēbra sine corpore. Iterum bonus sum, in pristinā religionem de calamitatum horrore restituor. Adeone non habent hæc ipsa supplicia pœnas, q posco, q rogo, q mendicus sum filij mei? Et quàm multa dij deæq; una possunt pro nobis impetrare leges? Quanto plura sunt quæ negantur cum præstāt inuiti? Non exigo ut tuis manibus porrigas cibos, ut consoleris, ut foueas, proijce quod rapiam, abijce quod colligam. Genus ultionis est pascere, nec misereri. Si tñ Iudices fas est impietatis huius ullas accipere caussas, & filium qui non alit, putatis reddere posse rationē, æstimate per fidē quod sit facinus illud, cuius ultionem debeat exigere aliquis de fame patris. Captū me, inquit, nō redemisti. Quis non putet quæri de filio patrem? Quenquam ne dicentē feras, nihil tibi debeo quia mihi uitæ lucisq; beneficium semel præstitisti, quia hunc spiritū, hoc corpus non ex indulgentia tua rursus accepi? Iniquissima magnorum conditio meritorum est, si quicquid nō fuerit adiectum, de prioribus perit, & pessimo exemplo gratiam præteritia auferunt reliqua cessantia. Non redemi, non tamen ideo minus est quòd in hunc te diuinorum humanorumq; cōspectum de nostra protulimus anima. Maria terrasq;, & infatigabiles siderum cursus, & cuncta sacro fulgore lucentia nos ut frueretis ostendimus. Has quas subtrahis manus, hæc uerba quæ negant, de meo spiritu, de meis uisceribus hausisti. Gaude potius, exulta quòd tibi patris asperitas præstat boni filij iactationē. Solus habet quod imputet patri, qui quæritur, & pascit. Quā multa Iudices huic querelæ respōdere poteram, pp quæ filium salua pietate nō redemissem? Quis nō acciperet excusationē, si dicerem, Impedijt quāuis properātem senectus, inopia, languor. Precium nō tam festinānter inueni: Explicare nō potui nauigationem iuuenibus quoq; fortibusq; difficilē: Solus ac senex nō illa qua sperauerā prosperitate direxi? Per quos metus, per quæ peregrinationis incerta properaui? Remoue iuuenis indignationem, nihil plus pro filio factū est quē recepi. Nō fortunā tibi debeo, sed affectū: nō casum, sed uoluntatem. Pro duobus precia cōtraxi, pro duobus maria cōscendi, pro duobus genua reuolui. Rogo uter magis amaretur, si mihi piratæ duos reddidissent? Age tu nunc iuuenis ad faciendā inopiæ patris inuidiā (si uidetur) exclama. Famem ostendis, ad quā luxuria, prodigarumq; uoluptatum cōtinuatione uenisti, exhausisti senex census in precia meretricum, quāquā & huic iubetur necessitati pietas uestra succurrere, & lex quæ inopē, quæ patrē noīare cōtenta est, filiū non remisit ad caussas. Quid uerò si in educationē, in discursus, in precia uacuatus sum? Excedit oēm scelerum cōparationem, patrem mēdicum facere, nec pascere. Tentat Iudices hoc, quòd nō est redēptus, ampliare alia iuuenis inuidia. Fratrē, inquit, mihi prætulisti. Fateamur paulisper hoc crimē, agnoscamus hoc nefas. Impudētissime generis humani, tu nō feres ut frater tuus uel magis ametur? Vides enim, prælatus est tibi nescio quis affectus, possident charitatis tuæ loca, cum pignora de minoribus sumpta nominibus. Illū nēpe, cuius æque spiritus de uisceribus his trahebat ortum, qui patrē uel solus impleret. Pessimus est mortaliū, qui amari fratrē suum sine sui charitate putat. Tu custodies utrū frequētius osculer, utrum stringā magis arctiore cōplexu? Non est hoc impatiētia, nec circa patris affectus sacra de pietatis cōtentione rixa. Eum tñ fratrem putas amari magis, quē nō ames? Falleris iuuenis, longeq; te ab intellectu rerū naturæ seposuit praua persuasio, qui putas ex paternis affectibus filiū perire, quicquid in altero de necessitate præpōderat. Par est in oēs liberos, eademq; pietas, sed habet in aliquo plerunq; proprias indulgentiæ caussas, & salua charitatis æqualitate est quiddā per quod tacito mentis instinctu singulos rursus tanquā unicos amemus. Hūc primus nascendi locus, illū gratiorē præfecit infantia, aliū lætior uultus, & blandior osculis amplexibusq; facies, quosdā magis seueritas probitasq; cōmendat, in quibusdā diliguntur impatientius calamitates. Et damna corporū, debilitatesq; mēbrorū notabilius miseratione cōplectimur. Salua est tñ uniuersitas, cum quicquid in alio cessare creditur, in altero restituit alter affectus. Securus sis, non intercidunt ista, nō pereunt, sed inuicē uincunt, præualent, cedunt. Filio non pōt præferri nisi filius. Blandiar Iudices paulisper calamitatibus meis, & sic agā tanquā apud piratas inuenerim utrunq; saluum. Attuli sine dubio preciū duorū, sed utrūq; prædo nō reddit. offere electionē, suadete quid faciā. Quid dicitis? Ista pietas est, abire, discedere, irasci si quæri, & inuidiā facere piratis? Vos interrogo liberi, uos parētes. Nō ergo facinus est, ideo neutrum redimere, quia utrūq; nō possis? Egregia pietas, æquare liberos iustitia desperationis, & ex hoc q succurrere nō cōtingit duobus, orbitatē facere totā. Tu uerò senectus accipe quicquid datur, accipe quicquid offertur, dū hoc saltē seruatur liber, antequā in patientia tā sæua decrescat immanitas. Interim multa possunt afferre casus, sperare licet, repetere, sperare pater, fortassis euadat. Quæcunq; explicari coaceruatione nō possunt, p partes uicesq; seruātur, & facilius est diuisa subtrahere, quorū magnitudo laborat. Holido. Quantū intelligo Iudices, filius cui profuturū nō erat ut eligerē, hoc solum ferre nō pōt, q redēptus est frater. Quis hàc Iudices impudentiā ferat? Obijcit mihi q ullū de liberis meis potuerim facere discrimē. Deinde quæritur, nō se potius electū, & cū fratri præter eiusdē nominis par ac simile cōsortiū reuerētia quoq; languoris accessent, indignatur apud affectus patris nō eam præualuisse parē, in qua tñ filius erat. Nō inuenio Iudices quēadmodum effugere potuerim criminis huius inuidiam, si hunc potius recepissem. Patri, cui utrunq; pirata reddere nolebat, redimēdus fuit aut æger, aut neuter. Quid q, inquit, etiam luxuriosum prætulisti? Parce iuuenis maledictis, parce conuitiis. Reliquisti hæc noīa, domi erunt ista uitia, domi erūt istæ uirtutes, sed cū fueritis reuersi. Interim nihil aliud estis q fratres, q liberi mei, duo captiui, ambo miseri, & diuersitas uestra de calamitatum societate cōsumpta est. Vides quàm nefas sit alterum ex uobis mihi esse uiliorē? Piratarū nō interest uter eligatur. Dignū hūc de reliquisti, luxuriosum redemisti. Comparatione uestra iuuenis circa patrimonium honoresue cōcēderes, & ego proclamabo, uicisses. Sed uentum est illuc, ubi non probitas, non mores æstimantur, & de

corporibus

corporibus sola taxatio est. Vnde tristes tolerarer casus, ferret sordes uinculorum, piraticam famẽ iuuenis quem torquere solebat nostra frugalitas? Vnde in illa solitudine carceris duret animus cõuictibus semper cõuiuatibusq; lætatus? Expecta tu, quem decet honesta patientia, laudabilis labor, qui tibi difficultatum reddis ipse rationẽ. Tu differris, luxoriosus redimitur. Quid uis? Prætuli illũ de quo soli tibi quærebar: quem cum uellẽ castigare, reprehendere, te solebã laudare, mirari. Exaggera quantũ uoles uitia fratris: luxoriosum, perditũ uoca, dum scias te sic magis probare nõ animũ fuisse patris, sed de calamitate rationem. Ille eligit, qui recipit antè meliorẽ. Sed parce quæso iuuenis aduersorum interpretationi. Nõ est electio, alterũ recipere, cũ preciũ attuleris duorum. discrimen illud non ego, sed pirata commentus est. Quicquid inter uos in alterutro fecero, affectus est quo duos amo. Et homo apud quem filius sola prænaluit gratia calamitatis, non fratrem tibi prætuli, sed quod in te fratri prætulissem. Consilium hoc putas fuisse patris? Fortunæ est, qua capti pariter estis, qua decubuit alter, qua non conualuit redemptus. Cum propter duos uenerim, quod in altero mihi pirata cõcessit, idem est ac si mihi neutrum reddidisset. Sed quousque facti mei dissimulabo rationem? Aeger electus est, respondete nunc, si uidetur. Luxuriosus, perditus fuit. Parcamus quæso memoriæ, reuereamur suprema cineris, pœniteret me fortasse si uiueret. Iterum ac sæpius (quod necesse est) ipsa criminis mei uoce defendar, Aegrum redemi. Non habent profectò, non habent discrimen liberi, nisi de calamitate: & inter homines quos natura pietatis æquauit, differentiam nisi de dolore non capies. Nõ cum usu nunc uestro, non cũ moribus loquor. Ille anhelat, illius sunt lassa suspiria, ad illũ serius ueni. Excogitasti rursus fortuna quod supercresceret charitati, quod posset sacris nominibus accedere. Hic solus maior affectus est quam filios amare, filii misereri. Me quidem Iudices si quis interroget, conditio illa non fuit uera, nõ simplex, habuitq; piraticæ, tentatis ingenium. Aegrum mihi nõ licuit relinquere, licuit eligere. An fas fuisse credis, ut iuxta moriturum tu redderetis? & homines eius immanitatis, ut possent liberos cum patre partiri, paterentur eum sibi relinqui, quẽ periturum ex hoc probabant, quòd illum pater non eligebat? Tẽtata est misera pietas, & placuit hoc quoq; addi calamitatibus nostris, ut onerarer pudore conditionis partes non habentis. Cum in cõparatione sani æger offertur, ideo ponitur, ut eligatur. Superast, nisi fallor Iudices, ut cum sibi prælatũ fratrem quæratur, æstimetis utri tunc magis debuerit pietas nostra succurrere. Est quidem Iudices humanæ infirmitatis ista natura, ut ex omnibus accidentibus grauissimũ putet quisq; quod patitur, & cũ aliena cogitationibus, nostra dolore tractentur, necesse est apud impatientiam suã uel minora præualeant. Languor est tamen, languor, cui meritò cesserint cunctæ calamitates, in cuius comparatione consolari se potest genus omne miserorum. Stringat licet manus sæua captiuitas, profunda carceris nocte mẽbra claudantur, datur tamẽ colludere catenis, artus extrahere nexibus, & habet aliquid æquanimitatis, cum pœna sua posse mutari. Sæuiũt regna tormentis, bella uulneribus, sed leuius afficit quicquid uiribus feras, & cum in plenum adhuc sanguinẽ aduersa ceciderunt, repugnantis roboris colluctatione uincuntur. Quos cruciatus compares, quẽ dolorẽ, cum penitus uisceribus immissa tabes cotidie aliquid ea homine præmient in mortem? cũ cibos, haustus, & omnia blandimẽta uitæ fames fastidit, & poscit desiderare assidentiũ officia, dehinc ferre nõ potest? grauant quos appeteris attactus? per totũ cubile corpus uelut super ardẽtes ea agitare flammas? Lux fatigatis luminibus grauis, uox sola de gemitu. Cum ea duobus captiuis languet alter, una est inæqualitas patris eligere sanũ. Retuli Iudices usq; adhuc in penatibus suis iuxta parentes propinquosq; languentẽ. O carcer, o morbi, quẽ uos non facitis ægrũ? Et nõ ille carcer, quẽ seueritas legũ, quẽ potestatum iustitia cõmenta est. Nõ possunt humani metus, humanarũ cogitationũ ingenia satis abundeq; cõcipere quæ uidi. Iacet sub immensæ rupis abrupto tristis, & ultra naturalẽ profundæ caliginis noctẽ mersus piraticis artibus specus, quẽ tota circũfusi uastitas maris, & undiq; minãtibus scopulis illisa tẽpestas terrore ruituræ molis euerberat. Horrẽt cuncta crucibus, squallẽt circũiecta naufragiis, nullus nisi in supplicia mortesq; prospectus, & ad infelicẽ captiuorũ metũ præmissus de simili exitu dolor. Spiritus solus intus uiuit, quẽ uinctorũ trahũt redduntq; gemitus, quem tot cõtulere languẽtes. Hoc erat ubi iacebat æger, illud tot annorũ ex quo cœpit pirata grassari, idẽ cubile. Corpus quod grauaretur assidentiũ sedulas manus, iacet inter uincula, quibus instringat adhuc recentẽ pirata captiuũ, & quãuis tenuata de nexibus mẽbra labãtur, rursus in modũ stringentiũ tenẽt, quæ nullo suspẽsa nixu uelut uicto homine sederũt. Qualis erat ille sub ferro, cuius exangues manus uix leuia uelamẽta trãsferrent? Quis inter cõplorationes gemitusq; somnus, quẽ uia silentia solicita præstarent? Ad quæ colloquia tristitia respiraret? Vndiq; pares similesq; miseri, & uateribus captiuis adiectus cotidie nouus aliquis impatiẽs. Cõpara, si uidetur, huic ægro captiuitatẽ tñ tuã. Tu quæreris quòd cibos pirata nõ præstet, ille remittit oblatos. Te nuda humus, nudũ cubile frangit, ille ad singulos ardẽtis corporis motus in sua uincula uersatur, & quocũq; mẽbra lassata dolore trãstulerit, in suppliciũ redit renouata patiẽtia. Breuiter sæuissimi languoris dehiscẽda mensura est. Non potest ex illo sanari, nec quẽ redemerit pater. Insta nunc, si uidetur, ac subinde iuuenis interroga, cur ægrũ potius elegerim. Reddi à me posse rationem cur hoc fecerim, putas? Ego uerò nõ possem nec si te redemissem. Quid.n. si respondere iubeas orbitatẽ, cur in eaequias totos egerat census? Quid sibi uelit ille funebriũ longus ordo põparum? Cur super flagrãtes iaceant rogos? Cur ardenti nõ diuellantur amplexu? Et ego dico, proclamo, fateor, erroris aut demẽtiæ furor est cũ feceris. Hoc est ergo, inquit, quod de te præcipuè queror, moriturũ mihi prætulisti. Quæso iuuenis, ne nobis putes tantũ inesse feritatis, ut illũ potuerimus æstimare moriturum. Vis nõ sperem uicturũ filium, quem tunc primùm aspicio, cõplector ægrũ, quem pirata nõ recusat sibi relinqui? Si persuasionem patris interroges, quicquid est quod miser torquetur, afficitur: non languorẽ credo, sed impatientiã, desideriũ, dolorẽ. Hominis qui apud piratas languet, unũ remediũ putes, ut redimatur. Sed non est, quæso iuuenis, quòd hoc patrociniũ de tam calamitosa pietate concipiã, ut dicã, uicturũ putaui. Exaggero quinimmo inuidiam criminis mei. Redeo, fateor illũ, qui dilationes, qui moras ferre nõ poterat, in quo mihi pirata uẽdebat breuia oscula, paucos dies. Si me herele uterq; fuisset æger, illum redemissem, qui prior lãguere cœpisset. Si duos pariter naufragia raperẽt, illi porrigerem manũ, quẽ iam mẽbrorũ cõtentione lassatũ fluctus hauriret. Si uulneribus cõfectos remisisset acies, properãtius ei clauderem plagas, per quẽ animã largior sanguis egereret. Ignoscite dij pariter atq; homines, nõ possum de liberis, possum eligere de miseris. Gratias quinimmo fortunæ, gratias ago, quòd adhuc æger sentit, intelligit. Alioqui cadauer acceperam, & precia duorũ pro funere tñ supremisq; persolueram. Nescis quantũ pudori, quantum adijciat affectibus meis inter tam impares æquata conditio. Aeger qui tantundem est piratis, plus est patri. Velis tamen nolis infelix senectus, fatendum est quod merito, quod summa pietate factum est, quàm difficilè fecerimus. Quæ tunc mihi cogitationes, quis temporis illius animus fuit, cũ inter duos liberos incerta miser electione discurrerem? Hunc diutius osculabar, illum putabã desperatione moriturũ. Lachrymas ad languentem gemitusq; trãstuleram, & tu mihi uidebaris futurus æger. Quotiẽs catenas tuas soluturus inuasi? sed mihi commendabat relictum, quòd te prætulissem. Quam frequenter iam laxata misero uincula rursus imposui, dum mihi tua potius sanitas placet? Dissimulare nõ possum cõditionis illius secretas difficultates. Redimi debebat æger, ego te uolebam. Ponere uos Iudices uelut in illa necessitatis meæ præsentia uolo. Ecce infelix ad primũ aspectum patris conatus assurgere, illas pallentes sordibus manus paululũ tanquã amplexus daturus erexit, nec usq; in ceruices meas spiritu tam deficiente perlatas, in suum miser iterũ cubile deiecit. Totus ille circa nos carceris populus obticuit, & ne colloquiis nostris terribilis catenarũ stridor obstreperet, lassatos artus in sua tenuere patiẽtia. Ego serius grauis, hinc, si uidetur, incipiã. Luxuriose, meruisti. Ignorat profectò paterni doloris æstus, quisquis solatium putat ut de languente filio quæratur, ut moribus mentisq; maledicat. Abite uirtutes, ignosces probitas, charior est ex liberis ille qui moritur. Mihi uerò fateor hinc aliqua languẽte filio uenisse solatia, quòd uixit infelix quemadmodũ uoluit, quòd fuit hilaris ac læta breuis ætas. Crede iuuenis, & pro te tam maluissem ut luxuriosus esses. Cui tu tẽpori, cui dolori rigorẽ ultionis, frontem castigãtis iniungis? Impatientissima res est perdere filiũ cui uidearis irasci. Corruptũ me precibus putaris, ambituq; lachrymarũ? Hoc uicit æger, quòd nõ rogabat. Assidebã misero, demittebat oculos. Interroganti respõsum de lachrymis tñ gemituq; reddebat. agebat me deliberãte iam uictũ, cum repente miseras manus uelut recidẽtis amplexus posuit in sinu meo. Et cũ lassa suspiria per ardẽtes anhelitus egestis sæpe uisceribus, cũ dio collatis uterq; singultibus miscuissemus lassas sine uoce lachrymas, tãdẽ spiritu uia in paucissima uerba collecto, Tibi quidẽ, inquit, gratias ago pater, quòd redẽpturus utrunq; uenisti, nõ adeo tñ sensus meos lãguor hebetauit, ut exitũ cõditionis huius ignorẽ ego luxuriosus, ego perditus, nũc uerò super infamiã nominis huius immorior. Vtinã hoc saltẽ mihi serò fata præstarent, ut residuũ laborãtis animæ in tuo poneremus amplexu. Sed si mora est lõ-

gior properantibus ea pectare pereuntem, ite superstites, ite felices: has tantum reliquias commẽdate piratis, ne mersus profundo, & proiectus in fluctus, eadem faciam hominis ad quẽ non uenerit pater. Vnde enim sperare possum, ut reuertaris, ut facias? Tunc super abrupta uerba tota defectione conticuit, strictisque uitalibus circa dolorem suum membra riguerunt. Exclamaui fateor, quid agis infelix? cur desperatione collaberis? Attolle paulisper oculos, confirma, dura, te frater elegit. Visa est post hanc uocem meam peracta conditio, continuò pirata detraxit catenas, uincula laxauit. Vultis elegisse me negem? Vultis in lucem diemq; productus, carceri suo reddatur æger? Ego uerò non habui uerba, quibus me deliberare, quibus nolle contenderem. Vultis scire quid pater, quid pirata præstiterit? Ego duos redemi, sed alterum accepi. Vt scias, inquit, ægrũ redimi nõ debuisse, defunctus est. Crudelissime generis humani, qui nos putas precium tuum perdidisse, audi quàm multa nobis iu morituro filio pirata reddiderit. Frater ille tuus inter uincula catenasq; deficiens, respirauit aliquid in toto, tandemq; liberas uinculis manus per totius lectuli spatia iactauit, post impias carceris sordes illum cum ferali ueste squallorẽ exuit, paulisper æger uidit propinquos, allocutus est amicos, mandauit, exegit: & quantis suprema forte collabens, prius tamen luce cœli libera satiatus est. Contulit mihi grande uelit nolit fortuna in orbitate solatium. filium qui celictus mea fuit moriturus inuidia, non occidi, sed perdidi. Quid ais iuuenis? Ita si moriturum filium redimere nõ debui, non sufficit hæc tibi de me pęna, quòd ille decessit? Irasci patri tantum fortasse fas esset, si uiueret frater: tunc alimenta quærenti respondere posses, Posce prælatum. Quantum intelligo, qui de mendicitate patris uindicaris, ægri es redempti iuuenis inimicus. Nescis quid sit inuidiam facere patri. Melior erat tua caussa, si mei misereris. At quanto, dij deęq;, alius fuit ille infelicissimi iuuenis affectus? Nuncio enim, & audiente & tota ciuitate teste proclamo. Tibi gratias agebat ille dum moreretur. Credo me hercle hoc miserum: dolore consumptum quòd sibi uidebatur precium suum mihi perdidisse. Non aliter igitur quàm si te præsente deficeret, Per illud, inquit, frater optimè natalium nostrorum sacrum uenerandumq; consortiũ, per socias peregrinationes, per aduersa cõmunia, per hoc quòd & tu languere potuisti, si te uel tua quandoq; uirtus, uel satietas secura prædonum piratico carcere couserit, commendo tibi senem quem facimus uterq; mendicum. Testor immortalia numina, & infernarum sedium deos, pascerem patrem si te redemisset. Ego tamen, inquit, mihi debeo quòd reuersus sum, Non quidem quicquam uelim iuuenis de uirtutum tuarum admiratione detractum, audias tamen necesse est in hac pietate uerum. Euasisse te putas ingrate? Dimissus es. Mea pietas istud, mea fecit electio. Vnde enim euenit quicquid antè captiuitas tua præstare nõ potuit? Iacta quantum uoles effractum carcerem, ruptas catenas, uis scire quid negligentes fecerit securosq; piratas? Acceperant precium duorum. Intelligit Iudices & ipse iuuenis, non esse se calamitatum nostrarum iustitiæ parem, & sic agit, tanquam alere nõ debeat. Itaq; transfert in hoc defensionem, ut posse se neget. Quid dicitis Iudices? Feretis hoc dicentem iuuenem corpore atq; ætate robustum, Non habes opes, sed membra, sed uires? Nam neq; ego laborem, nec difficiles posco conatus, contentus sum iuuenis ut uelis. Cibos me poscere putas? Humeros posco quibus incumbam, manus quas eliso pectori apponam, sinus in quos egeram exhaustarum reliquias lachrymarum; ut sepelias, ut hæc cum miseri illius membris ossa componas. Non alimenta quæro, sed filium. Quid quòd nec graue lõgiumq; supremæ pietatis exigimus officium? Non diu uiuerem etiam si me duo pasceretis. Securus sis, breui te gemitus mei liberabũt, assiduis planctibus euerberata uitalia. Quid me remittis ad turbam? Quid facis rursus omnibus grauem? Cõsumpsi fletus, clementiã ciuitatis exhausi. Non alit populus hominẽ quẽ pascere filius debet. Quid sibi uult hæc aliena calamitatibus nostris, alienã uirtutibus tuis, iuuenis, asperitas? Abstulisti mihi malorũ quoq; meorũ uerecundiã. Quicquid faciebam, mendicitas est ex quo reuersus es. Durat in suscepto rigore iuuenis, & ad misericordiã non memoria fratris, non patris cõtẽplatione deflectitur. Exclamaret alius hoc loco, Et a tua fide dignus quidẽ eras impotẽtissime generis humani, quẽ in tormẽta mea doloremq; redeuntẽ, uincula rursus ac pœna carceris exciperet. Et insultes huic cõfessioni licet, allegare nõ possum. Quid mihi miseras ultiones, quid tristes monstratis auxilium? Faceret hoc pater qui redimere noluisset. Age nũc uiuacissima senectus, redeamus ad preces, quod solum uis paternæ pietatis agnoscit hic quoq; rogemus. Per ego te iuuenis illos meos de quibus nunc quæreris, annos, per expertos tibi notosq; humanorũ accidentiũ casus, per infelicis illius manes, cui nec hoc saltẽ cõtigit, ut te reuerso, te præsente moreretur: pasce nũc quòd te redimere nolui, pasce quòd fratrem tuũ redemi. Nũ ego lassitudinẽ tuam posco, nunquã ocium meũ, nec ut ipse securus quietusq; transigã diem, tuas operibus manus, tuũ laboribus assigno sudorẽ. Iungamus mutuæ pietatis officia, par flebile, par omnibus ætatibus nominibusq; reuerendũ est nobis negocium cum ciuitate tutissima. Quanto libentius dabunt, cum uiderint pariter unaq; miseros mutua sustentatione connexos? Et ego quidem rogabo, qui soleo, sed in tuos sinus populus congerat stipes. Quicquid preces, quicquid impetrauerint lachrymę meæ, accipe, tuere, dispensa, pro tua fama, pro tua sum pietate sollicitus. Ego mendicabo, tu pasces.

CORPORIS PROIECTI, IPSA EST ANVS CAECAE, DECLAMATIO VI.

ARGVMENTVM.

Qui in calamitate parentes deseruerit, insepultus abijciatur. Qui habebat uxorem & filium, captus à Piratis scripsit domum de redemptione. Vxor flendo oculos amisit, filius retinente matre profectus uicarijs manibus redemit patrem. Idem in uinculis decessit. Abiectus in mare, & appulsus ad littus patrium, est eiectus. uult illum sepelire pater, mater prohibet.

Pro patre contra matrem.

ETiamsi Iudices in hac asperrima cõditione fragilitatis humanæ, in qua nemo prope mortalium impune uiuit, hęc omnibus natura est, ut sua cuiq; calamitas præcipue misera atq; intolerãda uideatur, inter oẽs tamen hoc cõstet necesse est, infœlicitatẽ meam tñ cæteras supergressam, ut protinus hæc sit quæ fieri debeat usque ad cæcitatem. Quid.n. passus sum iam leue, ut nõ cõparatio mei felices aliorũ etiã miserias faciat? Graue est à piratis alligari, magis dicat hoc qui sciat quam cito capti moriantur. Alligatus sum, sed tñ miser magis quæror quòd solutus sum. Indigna est impietas in suos, quæ quãta uersetur in hoc iudicio, uidetis. Sed mihi hoc quoq; quærendũ est, quòd me & uxor nimiũ dilexit, & filius. Quid ego putarẽ in rerũ natura posse reperiri quod orbitate acerbius uideretur? Non cõtingit mihi, quod cæteris miserrimũ est, filiũ efferre. Parũ est quòd iuuenis singularis exẽpli caussa mortis fui, & tã preciosa redemptus anima, senex odiosius morte filii mei uiuo. Parũ est quòd mihi luctũ meũ fluctus nunciarũt, & aliud agẽti patri subitò ad littus orbitas appulsa est, quòd miserrimũ iuuenẽ toto iactatũ mari, etiã, si nemo interpellasset, serò sepelirẽ, adhuc supremo prohibeor officio, & ne quid solatii cõtingat, perdo ẽt matris misericordiã. Iniicit errãti corpori manu mulier, & piratis tempestate crudelior, atq; ut accedat dolori meo cumulus, quæ hoc facit, uxor mea est. Ne quis tñ erret ignotus, nõ est filii mei nouerca, sed mater. O facinus, o cladibus nostris mutata natura. Mater ignẽ ultimũ filio negat, & mulier quæ maritũ quoq; suũ debilitata desiderat. Quis hoc de ista credat? Filiũ nõ flet funditus euersa fulmẽ hoc gladiumq; nõ sentit. Cõparet dolorẽ, quãto minore caussa excæcata est? Huius iudices pœnæ ab ipsa morte repetite crimẽ. Ego sum, ego & alligaui filiũ meum, & infamaui, & ne nõ accedat grauissimi doloris comes pœnitẽtia, in illũ mortiferũ carcerẽ mersi. Quo fato parẽtes miser sortitus est, ut illi uitam pater, sepulturã mater auferret? Nam ut pietatem filii mei semel iudicẽ, patrẽ redemit. Si quòd ego redierim, uxor irascitur, reddat rationẽ cur acceptis literis meis fleuerit. Atqui miserrimus iuuenis quò magis tẽperare potuit officia? Lex parẽtibus in calamitate ferre opẽ iubebat, uterq; parens erat calamitate deuinctus, unus aũt succurrere utriq; nũ poterat, inuenit tñ ingeniosa pietas, & utriq; subuenit dispẽdio sui. Ipse uenit ad patrẽ, me remisit ad matrẽ. Hoc si defendẽdũ est, agnosco partes meas, caussam planctibus agã flere.n. certe per legem licet. Alioqui diu laudare nõ expedit. Diligẽter defendere cõtrariũ est actioni nostrę, ut impetremus, funus moramur dum nos litigamus, dũ circa cadauer nostrũ orbi rixamur, dũ agitur caussa defuncti, dum sepulcro lege præscribitur, dũ dantur legitima dicentibus tẽpora, putrescit interim corpus, nec totũ in sicco tacet. Cadauer ab incursu auium ferarumq; tãtum misecautiũ corona custodit. Cõuenerũt etiam

alieni

alieni parentes, totus in spectaculum populus effusus est, & ignoto quoque corpori publica humanitas quasi quasdam fecit exequias. Deflent omnes homines, dolent, plurimorum tamen illa una est. Iuuenis insepultus iacet. Miser, nec patrem habet fortasse, nec matrem. Iam hominis figuram uetustas pene consumsit. Iam lenta tabes in terram defluxit. Iam soluta cute ossa nudantur. Qualibet duraueris animo, non ferres tamen illa si uideres. Sed audire certè potes. Ille est filius noster, cuius spes ipsas amauimus, quem apud omnia templa & surdos uotis deos superstitem precati sumus, à quo sepeliri optauimus. Ille amabilis infans, ille blandus puer, ille iuuenis etiam ante hoc crimen pissimus. Ille dum par fortuna parentum fuit, propensus in amorem tui. Mentior, nisi cum peregrinatio mea nos diduceret, maluit esse cum matre. Me per omnia maria uolitantem, ut plus filio relinquerem, circumuenit saeuius ipso mari latrocinium. Debam nunc ego pendentem fluctibus carcerem, & catenas macie mea laxatas, & detritam lateribus meis conciam malorum carinam, & obratam perennibus tenebris feralis loci cruentam caecitatem? Istam uero, siquid pudoris habeo, tacenda sunt. Alioqui quis mihi ignoscet quod uicarium accepi? Etiam scripsisse poenitet. O literae fletibus tremulae. O parum alligatae manus. O delenda uxoris oculis epistola. cur indicaui, cur scripsi quod uxor ac filius ultimum legerent? Vt incertum sit utrum me carius redimant, an lugeant. Cognita clade, rarissimi uxor exempli, & prorsus talis filij mater totos effluent oculos, fontemque illum perennium lachrymarum tantum caecitas clusit. Si non te nouisset, filium uicerat. Continuus inde planctus, incredibilis moestitia, assidua lamentatio fuit. Iuuenem nescio tu me magis an in te futurum impium, si non redemisset, quem tu sic desiderabas. Ergo profectionem apparat, ut quoniam reddere matri nõ poterat oculos, redderet uirum oculis chariorem. Sed uidelicet est quaedam ultima calamitatum rabies, & nouissime in furorem uota ipsa uertuntur. Retinuit iuuenem, & epistulis meis legem opposuit. O uanae figurationes, & pectora hominum alto errore confusa. Nemo illam non putabat timere de filio. Itaque iuuenis quod ad solatium pertinere credidit, commendauit amicis custodiam matris, substituit uici curae suae propinquos. Neque enim aliter usque ad tedium meum caeca uixisset. Quicquid humana ratio ualet, contulit. Si potuisset redimere oculos matris, qua pietate fuit, uicarios suos dedisset. Ipse profectus est sulo comitatus animo, nec se putauit ire sine precio, quamuis ad piratas ferret inanes manus. Dicat aliquis, adeò domi nihil reliqueras? adeò longa aetate sic uixeras, ut ne precium quidem tui parauerts? Si hoc ita esset, testor deos, de redemptione literas non misissem. Fuit unde redimi possem, Iudices, fuit, sed illud totum filius matri reliquit. Nauigat ergo per horridos fluctus, & gementia littora, & spumantes scopulos, & quacunque miser relatus est inauspicatum metiens iter, prorsus ominose retentus, peruersis etiam uotis, qui optaret alligari à piratis, quos uitare quoque miserum est. Quaerit haec omnia impius ille filius propter parentes, quod non praestitisset frater fratri, non uxor uiro. Quid differimus ultra? Non pater filio. Dij immortales, caeli, maris, inferorum praesides, uos mihi adhuc omnes male experti, uos tamen solos habeo testes, quàm inuitus redemptus sim. Miserum me, periit qui sciebat. Nam ut primùm peruenit iuuenis ad piratas afferens redemptionis meae se precium, è ferali nauicula auidus exilijt, uicarias oblaturus manus. strauit se ad genua singulorum & ut cupiditas fecerat blandum, obsecrauit omnibus precibus, miserabili planctu, & lachrymis pene maternis, nemo unquam sic ut solueretur rogauit. Nec sane difficile fuit impetrare à piratis captiuitatem, maior illi pugna mecum fuit. Non dignum illud spectaculum latronibus erat, cum pater filiusque de uinculis contenderent, & sibi quisque carcerem uindicaret. Ego iam usu defendebam meum, & in his annis iam maturam mortem asserebam. At ille contrà, Ego te in calamitate deseram? ego alligatum relinquam? Et quomodo ad matrem redibo, quae misera desiderio tui dies noctesque fletibus iungit? quae uiuere sine te non potest? Non dicebat tamen omnia, & cum assiduos planctus & & irrequietas diceret lachrymas, adiiciebat, Iam pene caeca est. fortasse si redieris, uidebit. In summa non recedo. Fas est mihi etiam inuitis parentibus pie facere. Non recedo si perseueras, demum piratis lucrum. Aut uicarius ero, aut comes. Quantum inter haec fleuit? quandiu cecidit oculos suos? Si perseuerassem, duos excaecaueram. Obstupuerunt pietate tanta etiam latrones, & per immobiles antè uultus fletus cucurrit. Non tenuissent fortasse iuuenem, nisi redempturos parentes talem filium credidissent. Ipse in se transtulit ferreos nexus, & hilarior alligatus est filius, quàm solutus est pater. Supremum tamen, & nefas in aeternum, me iam catenatis manibus amplexus, postquam mei cura discesserat, Matrem, inquit, tibi per haec merita commendo. Tu illam tuere, defende, ama, ne relinque, sic paria faciemus. Illic tu eris uicarius meus, si haec feceris, non irascitur mihi fortasse mater quòd ab illa recessi. Sic in nauẽ filij mei male permutatus uector imponor, & qua uisum oculi dederunt, ad piratas è puppe prospecto, curua littora, & immensum sideribus fretum, & turritos urbium scopulos retrolego. Miserum me, quandiu à piratis etiam nauigatur? Mandata tamen tua fili perago. assideo, sustento. Immo me hercle tu assides fili, tu sustines propter quem mihi etiam huius propensior cura est. Dum recedere ab uxore nolo, filium non redemi. At illum interim cotidie situs carceris strangulat, insidunt ossibus catenae, exemplum seculi in myoparone moritur. Mater, iam satis est, habes poenas super legem. sepelissent talem uirum etiam ipsi piratae, nisi eos conscientia scelerum, metusque poenarum ab omni littore arceret. Quod unum poterant, secundis proiecere uentis. Excepit mitior matre tempestas, & (siqua dici potest calamitatũ felicitas) prospero cursu cadauer tantum non ad ipsa maiorum sepulchra depositum est. Narretur res seculo nostro diuersa, & nescio utra parte mirabilior. Filij corpus matri maria retulerunt, mater mari. Magnam quidem partem agnosco culpae meae. Ego uxorem adduxi, & ne miseram dolore fraudarẽ, ipse meis humeris aduersariam meam usque ad littora tuli. Et sanè aduersus eum primà uerba, orbitatis animo aestimantem fefellerunt. Quis autem non dolentis affectum putasset, cum diceret defuncto filio mater, Quid enim nauigasti? Quid maria ingressus es? Quid piratas petisti? Nam illa quidem uulgatissima orbitatis uox est, Fili, cui me reliquisti? Etiam cum tota super corpus incubuit, amplexam putaui. Etiam cum iniecit tollentibus manum. Et hoc in quam solent facere matres, ut funus morentur. At ista legem recitat, & in cadauer filij perorat. Tace, tace misera, ita tu istud optasti? Sola scilicet calamitatibus nostris adhuc deerat culpa, ut cũ saeuitia nimiae quoque felicitatis turpis sit, procedat inauditũ antea monstrũ. misera, crudelis, siquid irati dij reliquerunt si quid infelicitas oblita est, suis manibus perdere cupiat. Detracta est fortunae inuidia, quando suo quoque iudicio mater post amissum filium parum misera est. Lachrymas ipsas nouissime perdo, inanis domi libitina plangitur, derisus designator redit, refertur rogus. Inter haec omnia non gemitus ullus matris, non lachrymae, non questus. Putes appulsum ad littus aliquem esse piratam. Vnde hunc illi animum? Si mala sua ideo non sentit quia nõ uidet, & hoc boni caecitas habet, eruat aliquis oculos meos. Sed tenebrae corporis affectibus nõ obstant. Est ne haec uxor mea? est ne ille filius noster? Liceat dubitare, si fieri potest. & sane uix iam dignoscendam speciẽ uetustas reliquit, sed attritae manus, & tumida uestigia uinculorum, & testis longae captiuitatis macies, infelicia argumenta, consentiunt. Miserum me, certus luctus est. Filium agnosco, uxorem non agnosco. Ergo quoniã de iure longior pugna est, & nobis festinandum, sint primae precium partes. Adeste uniuersi utriusque sexus parentes, dum matrem in exequias filij rogo. Per matrimonium uetus, & per mutuam charitatem quae utrique nostrum magno constat, adiicio, per commune pignus, per annos pariter actos, & beneficio filij plures, per meũ in te obsequium, iam mei miserere, cuius soles. Crede mihi, hoc quod patior, carcere peius est, captiuitate crudelius. Mea ista poena est. Quid tibi tantum malifeci? Quid offendi? Certe ego te non reliqui. Iam si totum affectum in hunc consumpsisti uirum & omnis per oculos misericordia effluxit, tulerit sane filius noster merito poenas, dederit spiritum supplicio, nihil de praeteritis loquamur, quod postulauit Cicero etiam ab illo crudelissimo Siciliae tyranno, mors sit extrema malorum. Quod quidem cum permissum non esset, pernoctabant ante ostiũ carceris precio redimentes sepeliendi potestatem. Quid? tandem hoc M. Tullius patres matresque promeruit, tu unde saltem, quod sub Verre crudelissimum fuit. Certe ego filium redimam, nec mihi preciũ diu quaerendum est, habeo manus. Nihil mouetis nunc, & debilitatem tuam iactas. Singulare foeminis exemplum ostendi narrarique desideras, sepulturam filij maritus à te impetrare nõ potuit. Vade hercule si libet, & corpus in fluctus repelle. Aut si parũ celebri loco uidetur abiectum, inijce manum & ne minus te satiet alienum ministerium. ipsa potissimum trahe. alteram manum cadaueri impone, altera duc quà frequentissimum rotis iter est, & nigra limo uia. Proterat miserum onustum uehiculum, & sanctissimum pectus ungulae tumpant. Ipsa quoniam deficeris oculis, elisum caput, & oppressa ponderibus praecordia manibus tuis pertracta, si quidem audeas, istis etiam lacera dentibus. Litigamus, consistimus, in diuersum abimus. Nempe cum uiceris, omnia paria habebimus praeter animum. Non sepelies? uide quaeso uide ne dum litigas, arenam fluctus aggeret, iniiciat humum mi

sericors

sericus populus. Obstas? si cuius clementia tumulū fecerit, effode, & cum talis sis mater, aude indignari, & exclama, Magis amauit patrem. Cruces succiduntur, percussos sepeliri carnifex non uetat. Ipsi piratæ nihil amplius quam proiiciunt. Mater (quanquam hoc nomen profanari nefas est) si perseuerauerat esse filii sui nouerca, ut hæc crudelitate uideatur digna, quæ orbitatem suam non intelligit, si ultra hostium affectum, qui cæsos acie sæpe tumulauerunt, ultra tyrannos, ultra latrones, parum habet non sepelire, nisi aliorum quoque officia præciderit, & tantum non petita ex fluctibus aqua restinguit ignem, si adeo non genuit filium, sed effudit, & illo infelici partu ingratum uteri pondus exposuit, licet imputet nobis ut uolet, quod tueri non potest, singulare mariti desideriū, dicam tamen quod sentio, excusatius odisset uirum quàm filium. Quanquam in hoc mutuæ charitatis affectu paria fecimus, illa oculos propter matrimonium neglexit, ego filium, uicem cæcitatis orbitate persolui, tamen, quod inter hæc quoque mala priuatim doleam necesse est, omnem illam quam contraxerat, perdit opinionem. Iam inimici mei triumphant, iam passim loquuntur, Illa exempli mulier, illa seculi decus, uirum redimi noluit, nec filium sepeliri. Equidem iudices ut sentio, neminem non mortalium fauere hominis sepulturæ conuenit, quia hæc una res est cuius exēplum ad omnes pertinet. Ideoque non nisi ab ultimo parricidio exigitur pœna trans hominem. Etiam siqua sunt iura quæ obstent, si tamen angustus saltem detur accessus, per quem intrare humanitas possit, uera clementia occasione contenta est. Siue omnis in defunctis sensus perit, & ad operiendam fœditatem, subtrahendamq; dolori materiam, mortui uiuentium caussa sepeliuntur, seu cum ad infernas sedes anima migrauit, unus hic luce uiduis honos, & à suprema face (ut uates ferunt) petitam ulterioris ripæ stationem contingunt quæ uera esse & credo miser, & opto, cito iturus ad filiū; certe rerum natura ut in generandis alendisque hominibus quæ necessaria erant, ex se ipsa prospexit, ita cum rursus opus suum resoluit, corpora nostra quamprimum reducere ad principia festinat, ut desertis etiā locis circa cadauer tracta imbribus terra concrescit, aggerant puluerem uenti, & liquefacta multa die membra paulatim humus bibit, etiam si nullus operit. At ipsa longo tempore in terram ossa desidunt. Nobis uero aduersus exanimes genuit non solum miserationem, quæ cogitationi nostræ subit, sed etiam religionem. Inde ignotis quoq; corporibus transeuntium uiatorū collaticia sepultura, inde iniecta ab alienis humus. Facinus indignum, cum hæc ita sint, sepultus esset filius meus, ni si incidisset in matrem. Et hæc iudices, non ideo ego dico, ut affectu tuta corrumpam, neque uobis præcipio, sed aduersariæ exprobro. Legem quidem istam quid ni horream, cum id unum miserrimo iuueni sit obiectum, quòd in calamitate non deseruerit patrem? Sed quatenus luctus nostri in ius uocantur, & flenti disputandum est, & orbitati suæ mater irascitur, superemus quā exorare non possumus. Ecquando duorum hominum miseriora uota uidistis, ut de his pater si uicerit, filium suum efferat, mater si uicerit, abiiciat? Quæ tamen lex est? Qui parentes in calamitate deseruerit, insepultus abiiciatur. Omnis nobis in hac parte caussa iudices de scripto & intellectu legis cōtētio est, utrū uerborum ambiguitate, an uolūtatis fide standum sit. Pars enim aduersa id nititur, parentem fuisse in calamitate, eam quæ deserta sit, cuius rei pœna est, abiici insepultum. Quid tum fuerit in caussa, quid sit postea consecutum, quomodo legem intelligere conueniat, subterfugit dicere, neq; à uestigio scripti recedit, sed nuda recitatione contenta est. Nos neq; omnibus personis, neque omnibus casis scriptam esse legem, & inuenti iustas ac necessarias recedendi caussas, & cui rei semper ius satis plenum est, bonum animū fuisse, postremò non hoc esse deserere contendimus atque eò caussam demittimus, ut non sit absoluendus adolescens nisi etiam laudandus. Qui autem dubitat an scripti uoluntatem sequi conueniat, is mihi uidetur quæstionē tentare incertus qua de re. Ideo pauciora adiiciam, quòd nobis quoq; (si ita pergitis) afferet quandam cauillationem ista sermonis ambiguitas, ac uideri poterit omnem actionem partis aduersæ prima statim recitatione subuertere. Nam lex cum dicit, qui parentes in calamitate deseruerit, rursusq; cum dicit, insepultus abiiciatur, non utique id significat, ut nō liceat eum sepeliri postquā proiectus est. Quare aut mihi quoq; permittite sic agere quomodo uolo, aut (quod magis uestram religionem decet) indignam sanctissimis auribus uerborum captionem ex utraq; parte præcidite, & cum filium singularis exempli probauero, fortiter sentire nullam unquam à maioribus nostris pœnam scriptam esse pietati. Atq; in eo quod primum posueram, non ad hanc rem pertinere legē, nō diu uersabor, neque dubitatione, quam non habet, afferam moram. Neq; enim puto si ætas impediet infantem, ualetudo ægrū, Respubl. legatum dux militem, nihilominus obstricta crudelitas non accipiet rationem necessitatis, & cum semel apparuerit patere in eiusmodi caussis defensionem, potero plane esse securus, nec timebo ne teneri uideatur filius meus, si nō potuit omnibus succurrere, dum in ipsa lege occupatus est. Pater alligatus est, mater cæca est, unus utrique filius magna locorum distantia, habet lex in medio debitorem. Duc ad utrum mauis, ad utrunque non potes, nisi hanc conditionem misero imponimus, ut quicquid fecerit, proiiciendus sit. Si exierit, mater sepeliri uetabit, si remanserit, pater. Non dubito fore dubium, quin ius in hac lege fuerit & mihi nisi forte (ut omnia inique iniusteque conquiritis) hic quoq; unius occasione uerbi aliud putatis iuuare parentes, aliud non deserere. Id est, de hoc dubitare uultis, utrū parentibus ubique ferri oporteat auxilia, ut ego existimo, an uero non mereatur adiutorium, nisi qui præsente filio miser est. Nam si deserere in calamitate, nihil aliud putamus esse, quàm à misero discedere, duo simul scelera permittimus. Primum illud, ut etiam qui aderit, possit impune nihil præstare, si quidem absolutus est hac lege qui secundum miserum stetit. Quo quidem modo non adiutores calamitosis parentibus filios damus, sed spectatores. Dehinc accidit illud uel grauius, quòd cum rerum necessitas quotidie nos diuidat, si quædam fortuna parentes nos deprehenderit, quantuis exiguo diuisus spatio impune opem non feret, non succurret, ut hac saltem se calumnia defendat, Non reliqui, non abscessi, neque pede, quod aiunt, uno à parente discessi. Solutus erit omni auxiliandi necessitate, quandò uestra interpretatione, absentia, impietatis occasio est. Hoc uoluisse legumlatorem putamus, ut natus est nobismetipsis in rebus aduersis præsidium parenti labore atque præstantia solueret, lucis usuram ubicunque: nisi forte non sumus parentes nisi palam. Quid est ergo non deserere? Opem ferre, non deesse. Omnia hæc enim eò spectant, ut auxilio liberorum tuti sint parentes. Quod cum ita sit, tam ad me lex ista pertinuit quàm ad matrem. Duo unum uocabamus, uideamus quò ire debuerit. Poteram quidem fortiter dicere, Pater iussi. Hoc nomē omni lege maius est. Tribunus deducimus, candidatos ferimus. Ius nobis uitæ necisque concessum est. Si non fecerit quod iubeo, non deferam illū ad sepulturam. Necesse habuit parere. Nō deseruit, sed abductus est. Crede, non contemptu tui uenit in carcerem. Sint sane iura paria, sedeatq; medius inter duos iudex, non comparabo personas, quanuis apud omnes gentes plus iuris habeat pater. Sit sane natura communis, non imputabo quòd nomen dedi, quòd familiam, quòd impensas, quòd dum illi acquiro, captus sum. Non indulgentiæ discrimen excutiam, de qua iam lite concessum est. Fuerint quidem ista facienda, sed ego ius meum reprimo: inter duos parentes cæcus affectus est. Exorabit qui prior rogauerit. Tempore certe uinco, ante miser esse cœpi. Tu adhuc integra es, ego iam alligatus sum. Tu sana in domo, ego iā pene defunctus in carcere. Tibi adhuc non opus est filio, ego iam rogo. Nempe calamitas tua nata est post epistulam meam. nisi te flentem consolari filius uoluisset, ante cæcitatem tuam exisset. Noli mirari si te gratia uinco, antè exoraui filium, quàm tu rogares. Si quisquam figuratione quadam in hac malorum conditione iudicem ponat, fortuna quæso absit, cuius tanta calamitas fuit. Abstulerat quidem tibi oculos nimius affectus, & de quinque rerum sensibus pars una cessabat, & tenebras etiam saluis luminibus alternans continua nox duxerat. Maius est tamen malum quod sic fletur. Nam ut merito queri possis ablatas uidendi uoluptates, impeditos rerum actus, tamen si nō iniqui iudices sumus, nec ambitione miseri sunt qui mederi possint, referam, non solum quā uincendā mihi, sed magis etiam quā consolanda est. Nam quando omne tormentum corporis abest, dolorque membrorum, qui totam cogitationem in se rapit, feliciter cessat, superest ut, cruciet nimium ocium, & assidua quies. res si nō sint, necessitate iucundæ. Nam uisus damnum sarciunt reliquæ uoluptates, odor, gustus, tactus, auditus, quibus tametsi deesse summam fatendum est, non est tamen maximæ calamitatis loco numeranda parum plena felicitas. Domus certe propria, lectusq; genialis, conuentus propinquorum, sermo amicorum, ipsa (quod rarò cōtingit) honesta calamitas, & in quacunque fortuna beata libertas, tot uoluptates obruere possunt unum dolorem. Nam lucis desideriū si malis meis compares, etiam delicatum est. Non enim aliquid rerum natura genitura est spectaculo nostro nouum, ac non quicquid speciosissimum pulcherrimumque uisuri sumus, uidimus. Nempe cotidie nox oritur, & æquam temporum portionem inuoluit obscuritas, & ex parte sui ipsa quodammodo cæca natura est. Cui alienis oculis uti licet, audire, imperare, cuius ministeriis officia non desunt (non ei defuerunt, nisi se eripit, & fortunæ rogationem reddit) miser nō est, præsertim in tam bona cæcitatis conscientia,

conscientia, animi uitio miser est. Nó debet dolere quippiã qui potest gloriari, quanquã cuiuslibet & quacunque caussa hunc in cursum passæ leuius est tamen malum fœminæ. Non uos nauigatis, non legationẽ obitis, non frequenti peregrinatione uariatis aspectus, non militaris uos, non forensis ratio deducit. Alioqui semper estis intra domum, uno plurimũ in loco, leuibus officijs affixæ. Tuum quidẽ affectum si bene noui, nulla magis caussa cæcitatem, doluisti, quàm quod ad redimendũ maritũ ire non posses. Hæc tua calamitas erat, æstimemus meã. Nulli quidem grauior uisa est quàm tibi. audi tamen quàm multa in illis epistolis non scripserim. O fili, in quibus te malis reliqui? Iam illa principalis ac maxima dono deum concessa libertas, nec hominum solum, sed ferarum uolucrumq; sensibus fixa & ingenita, primum spolium fuit. Me ipse perdidi, teneor uenale mãcipium, & ciuis Romanus merces fio, & libertatem senex disdisco, & natus ingenuus uænire opto. minimũ est, habitamus in fluctibus hyberni nos fernnot uenti non statio, non sedes, nó quies, sed quod malorum meorum maxima portio est, tam miseri sunt etiam domini mei. Sed cito prætereũda est memoria propter me uxori grauis mihi propter filium. Transeo hirsutos hostium uultus, & immanium barbarorum feros fremitus, tantumq; mihi cotidie esse metuendum, quantũ pati captus, audere pirata potuisset. Nihil est desiderio suorum grauius, timui ne quem ex meis uiderem. Nihil tempestate minacius, cotidie naufragium optaui. nam mortẽ confitebor, senili inertia una caussa minus cupiebam, ne defunctum nemo sepeliret. Quam uestem relictam captiuo putas, nisi quæ præda non erat? quales epulas ciboŝq; præbent, qui ipsi rapto uiuunt? Nam illa quidem satis digna quis dixerit, udum carcerem, & inundatam sentina naniculã, & impositum nuda trabe irrequietum latus, reuinctas post tergum manus, alligatos tanquam esset quà fugeremus, pedes? Solæ in carcere tenebræ iuuabant. Sæpe de auribus questus sum, quæ sonũ flagellorum, gemitumq; cæsorum, quantum impexis obrutæ comis acciperent, dura metus sui exempla. Miserũ me fili, nempe morbo peristi. Cõpara terrã mari, domum naui, lectulum carceri, libertatẽ seruituti, desiderium oculorũ totius corporis damno. Quò nos longius ducit calamitatum nostrarũ misera contentio? Cæci etiam litigare possunt, captiui nec uiuere. Verum hæc etiã si in æquo ponerentur, multũ tamen in alteram partẽ debuissent habere momenti, quòd plus mihi poterant procesfe quàm tibi. Ei labori incumbere oportet, ubi effectus promittitur. Stulta cura est, quæ spem non habet. Ego redimi poterã, tu sanari nó poteras. Qualiscunque ista calamitas, inemendabilis cecidit, non remedium accipere, non uicariũ potest. Assedisset lectulo inefficax sedulitas, & acceptis epistolis meis iuuenis filius nihil aliud quàm cum matre fleuisset. Quia profectus est, alterius tantũ parentis calamitas emendata est. Si remansisset, & matrem cæcam haberet, & patrẽ captiuũ. Adiicio quòd tibi nõ necessaria filii præsentia fuit. Allidere enim, cibos ministrare, manum porrigere quilibet poterat. Mentior nisi factum est, me ab illis captum, tam dura conditione uenalẽ, quod utiq; in confesso est, nemo alius redemisset, quàm filius meus. Et ego sic ago tanquã hæc tantum filius propter me fecerit, quanquam in hoc litigatu quodãmodo tibi ipsa excidisti: & quanquam id agas, ut merita tua iniuria uincas, & nouũ induisti rigorem, non prohibebo tamen testimonium. ad redemptionem meam filiũ ipsa misisti cum sic plangeres, cum mortẽ precareris, cum te omni uiduatam uoluptate clamares, cum sæpius gemeres captiuitatem meã, quàm cæcitatem tuam. Non erat illi ferreum pectus, nec cor silice concretũ, ut hæc pati posset æquo animo. Tu filium prima docuisti sibi non parcere potius quàm plus flere, potius quàm ipsam rescindere cæcitate. Profectus est, maritum tibi reddidit. O crimen graue Si hoc ante fecisset, uideres. At retinere non potuisti. Non dicam tibi, habet pietas impetum suum, nec ullum dominum nouit affectus, nec ille te potuit retinere ne fleres. Audi quod est uerius, aliud putauit. Non erat credibile obstare te redemptioni meæ, interpretatus est maternum metum, & maris domui nostræ male experti periculum credidit, timens ne si tibi non paruisset, nemo non uos putasset colludere. Cæterum me poterat non redimere, cũ tu clamares, Cæca sum, oculos desiderio uiri perdidi, solitudinem ferre non possum. Ita ille ad redemptionem meam excusatus profectus esset, si me minus desiderasses? Dubitatur an tua caussa fecerit? & filium & uirum habere non poteras, reddidit tibi quẽ magis amabas. Siste iam lachrymas, maritum reducem & incolumen accipe. Quid irasceris? Quæ tanta mutatio est? quis hoc crederet? Quæreris discessisse quem odisti, cum eum redisse nolis quem diligis. Atqui si (ut supra probauimus) is parentes in calamitate deserit, qui opem non fert, & (ut nunc ostendemus) optimus filius corpore suo adiutoria matri redemit, profecto opem tulit, id est non deseruit. Nam si, ut ante dixi, ne uestigio quidem abijsse à miseris licet, ne ipsorum quidem caussa qui adiuuantur, discedere fas erit, nec cibos saltem petere, aut alia usibus necessaria parare continget. Si uero dum adiuuatur parens, nihil refert ubi sit ille qui adiuuat, quia præsens cura exhibetur, quicquid tibi ego præstiti, ad authorẽ muneris, id est ad redemptorem meum transferendum est. Non assedi, non consolatus sum, non ministraui, non tuli, non denique totus tibi rediui. Verum fatendum est, si desertam te putas, mea culpa est. Sed iam tempus est ista quæ nõ excusata debeor uideri, uerum pulchra atque magnifica, animo maiore defendere, & cum iudicium agatur exempli, tãdem caussam suam intelligere. Hoc saltem habebis miserrime fili, quòd honoratis contingere funeribus solet, defunctus laudaberis. Omnia licet huc reuocemus præterita, & ad canendas unius laudes uniuersorum uatum scriptorumque ora consentiant, uincet tamen res ista mille linguas, ipsamque, si sit aliqua corpore uno, facundiam materia superabit, etiam si nihil dixero nisi quod obiectum est. Lucem libertatemque patri filius reddidit, & (quod ante inauditum est) magis me amauit quàm uellem. Ingressus est maria, in quibus iam minimũ periculi tempestas habet, & quod inter ista difficillimum est, amore mei uicit etiam matrem suã. Tace nefaria lingua, ergo tu ista laudas? Obtulit se captiuitati. quia sciebat graue esse alligari, malis patris successit. Subit libens pœnam pietas etiam sceleribus grauem. Tu melius uxor, quæ facturum retinebas. Comparate nunc, siquis patrem per hostes solus tulit, qui cum uenientia in patrem tela excepisset, simplici tamen morte defunctus est. Vnum legimus, qui uicarias pro patre non quidem piratis aut mari manus obtulerit, sed ubi redimi posset. Me miserum, dicendum est quod hoc ipso admoneor exemplo, in honorem pietatis etiam damnati sepeliuntur. Hæc alij laudant, ego queror. Te quidem iuuenis omnia secula loquentur, & admirabile exemplum teo aci memoriæ traditum, in ipsa astra sublimem pennata uirtus feret. Sed mihi ista laus tua caro constat. Non erat satius lectulo matris incumbere, & in huius ministerijs deditum secura ocia impendere? Soli tibi contingerat ut posses patrem excusare, non redimere. Me interim, ut cœperat, tabes lenta consumeret. Me, quæ debebat sola, senem mors redemisset, & cum exanime corpus in fluctus esset abiectum, si cõtigisset similis tempestas, quod æquius erat, tu me fili sepelisses. Fefellit te ingenitus honestis animis gloriæ amor, spes tibi perpetuæ laudis imposuit. Vbi uirtus? ubi pietas? Peristi miser, & male audis. Non morienti pater assedi, non ægri caput molliori sede composui, non fatigatum latus mutaui, non spiritum excepi. Absens, extinctus, euersus, mortem tuam inueni. Nemo ægro uincula laxauit, nemo manus ferro sordidas ad accipiendos remisit cibos. Tantum catenarum caussa solutus es, neglectus, despectus. Quidni uilis senis uicarius? Inter tot ardentissima febrium desideria, non habuisti quẽ posceres. quo modo te uincula composuerant, iacuisti, matrem, patrem, propinquos tantum cogitasti. Nunquid indulgeo mihi, quòd te puto expirasse in carcere meo? Nondum matri satisfactum est. Quoniam pœnas à cadaueribus exigis, audi sequentia tempora. Mors ipsa filii tui naufragium fecit, per tot fluctus uolutatum corpus intumuit, tot illisum scopulis, tam spaciosis tractum arenis, nunquã tamen infelicius, quàm cum uenit in terram. O quàm graue est mori? quanto grauius, quòd ego uiuo superstes filii mei? Viuo omnibus diis hominibusq;, sed ante omnes mihi, & inuisus, & infestus, & uxoris quoque pietatem perdo. In funere filii diuortiũ fecit. Video hæc rerum naturæ bona, quæ filio abstuli. Omnis me ætas mei admonet luctus, senectus, ad quam nõ peruenit, misera pueritia, quàm nunc transiuit, adolescentia, in qua periit. Superfuit, ut, si felicissime cesserit, rogum meum uideam, & edaces circa corpus filii mei flamma. Si hoc non contigerit, nigrum cadauer, & deforme etiam ignotis spectaculum. Inter hæc mala credetis parũ si dixero, Vellem oculos non habere. Quid nunc amplius? Ad te uxor preces conuertam irritas, male tentatas? Tu uero perge, & bono tuo utere, felicẽ te, quòd in hac fortuna irasceris. Ad uos confugiendum est. Per communes casus, per calamitatem meam, humanæ calamitatis exemplar, ita uos cõiuges uestræ ament, non sic desiderent, ita hoc orbitatis meæ ultimum exemplum sit, ita uobis habere tam pios filios non necesse sit. miseremini. Si uicarium accipitis, me proijcite. Non inuidiosæ preces sunt nihilominus impero. Non læta sententiam uestram sequetur gratulatio, non ad templa deducat, sed ad sepulchra. Etiã cum uicero, flendũ est. Si uero uincimur, ibo in littus miser, planctibus aues abigam, aut me corpori filii mei uelut tumulum imponam. Iacebimus duo insepulta cadauera. me feris obijciã, aut circa singulorum domus ad genua prætereuntium ibo, & receptro iam miseriis more supplex, nõ cibos petam, non stipem: mendicabo

dicabo terram,& collatas miserantium manu glebas: aut (quod certe licet) filium in mare proiiciam. Iam crudeles aquæ,& uenti male secundi, reddo uobis uestrum beneficium. Ferre quò libet, licet ad barbaros, licet ad hostes, licet ad piratas. Fortasse aliquis iubebit sepeliri, certe (quod sciam) nemo prohibebit.

TORMENTA PAVPERIS, DECLAMATIO. VII.

ARGVMENTVM.

Liberum hominem torqueri ne liceat. Pauper & diues inimici. Pauperi erat filius. Nocte quadam pauper cum filio reuertebatur. Interfectus est adolescens. Offert se pauper in tormenta, dicens à diuite eum interemptum. Diues contradicit ex lege.

Pro paupere contra diuitem.

SEntio Iudices plurimū detrahi calamitatibus meis miserationis, quòd ad uos detulisse uideor nimium fortem dolorē, & tristissimæ orbitatis inde quoq; accessisse nouitatem, quòd cum aduersus me iam grauia & crudelia deposcā, patior inuidiam hominis exigentis aliena tormenta. Non possum tamē uel in nobis approbare quid patiar, quod mihi non est relicta miseri patris infirmitas. Percussorem filij mei uidi,& miserior sum quàm si nescirem quis occidisset. Fateor igitur iudices, ipse miror unde ad hoc probationis genus repente confugerim. Veneram tanquam nunciaturus indubia, manifesta, nec aliū expectaueram publicatum suspicionum de filii mei morte consensum, quàm si percussorem uideretis omnes. Hic ut torquerer inueni. Postquam satis non uidebantur explicare uerba quod uideram, confugi ad fidem doloris. Quid faciā, si temeritates quoq; nostras conscientia reorum nō potest pati? Intellexi miseratione factum, qui ut torquerer exegeram, ex quo me diues non putat aliud in quæstione dicturum. Neq; ego iudices quenquā uestrum dubitare crediderim, ex qua conscientia, qua trepidatione descendat, ut quis torqueri nolit inimicum. Quos nunc putatis cruciatus diuitem pati, quem dolorem, quòd hoc mihi negat? quàm uellet ideo tantū filium meum non occidisse, ut mihi posset indulgere tormenta? An hoc creditis iudices diuitem facere legum libertatisq; respectu,& reū pro exemplo esse solicitum? Ille uero nunc laceratur,& sic magis nostro dolore fruitur. Operæprecium est inimico negare tormenta, cum feceris ut uelit ipse torqueri. Illud igitur à uobis iudices infelicissimus omnium mortaliū peto, ne cum inaudita incredibilia passus sim, misereri uelitis corporis mei, crudelius & indignius est quàm torqueri, non impetrare tormenta. Est aduersorum meorum & ista nouitas, quòd necesse habetis ex mihi ratione succurrere, qua odissetis aliū, nec quicquam est homine infelicius, pro quo tormenta sunt. Percussorem à me filij mei uisum esse contendo. Facinus est hoc nos non deprehendere, si mendacium est. Facinus hoc me non probare, si uerū est. Quod ad me quidem iudices pertinet, orbitatis meę repeto præsentiam,& noctem illam rursus ante oculos meos cogitationes reponūt. Iam mihi uideor & in tormentis esse confessus. Filium Iudices habui sicut erecti ac sublimis animi, ita qui nondum suos haberet inimicos, & quem nemo adhuc nisi caussa tantum mei doloris occideret. O parentium misera conditio, quàm nouis inusitatisq; patemus insidiis! Nos ex asperamus, nos offendimus, inimici tamē liberos nostros oderunt. Quis hoc unquā iudices simultatum rimuisset ingenium, ut eodem aliquis excogitaret animo & quòd parcit,& quòd occidit? Reliqua iudices nō debeo nisi in quæstione narrare. Felices illos in mei comparatione patres, qui perisse liberos suos nunciis credunt. Ego sum inaudita malorū nouitate percussus, cuius unicus ideò tantum occisus est, ut uiderē. Reuertebamur nocte pariter, sicut omnia nos uitæ ministeria iungebāt & homines quibus non seruos præstabat fortuna custodes, tuebamur pauperem mutua pietate comitatum, inuicem sustinentes, inuicem innixi, nec nisi magna percussoris diligentia separandi, cum diues medio noctis horrore stricto mucrone prosilijt,& stupentibus attonitisq; miseris confodit illum fortiorem, illum, qui fortassis aliquid in mea morte fecisset. Confiteor iudices, nihil tunc oculorum meorum diligentia, nihil egit cura miseri patris. Percussor uoluit agnosci. Vos nunc ciues, uos omnes humani generis affectu, miseremini interrogo pater. Suadete quid faciā.

Hunc quem uidetis circa me sanguinem, de filii mei uulneribus accepi. His manibus labētis unici mēbra sustinui. In oculis meis adhuc uultus illius morientis hærent, auribus uerba super cadauer habita inimici exultantis. Fidem tormētorum, quousq; percussoris filii mei conscius ero? Aperite pectus istud,& totū de uisceribus meis latronis egerite secretum. Vidi,& mihi non creditur. Vidi, ita possim & in tormentis idem dicere. Aut si compono, si fingo, urar, lacerer, & non probem. Si uidetur, torquendus sum iudices ut hoc desinam dicere. Nec me iudices fallit quantam molē accusationis etiā in manifesta ueritate susceperim. Diuitem detuli reum pauper inimicus, occisi pater,& postulo ut mihi credatur testimonium in mea orbitate dicenti. Itaq; non deprecor quò minus mihi uelitis irasci donec probē. torquete tanquam mentientē. Lex, inquit, liberū hominē torqueri uetat. Per fidem Iudices, quis non hoc eū respondere credat, cuius tormenta poscantur? Nemini Iudices credo dubium, legē quæ torqueri liberum hominē uetat, hoc prospexisse tanti, ne quis torqueretur inuitus,& iura quæ nos à seruilium corporū conditione secernunt, impatientiæ tantum succurrisse nolentium. Omnium beneficiorum ista natura est, ut non sit necessitas, sed potestas. Quicquid in honorem alicuius inuentum est, desinet priuilegiū uocari posse, si cogas. Cuncta, si uidetur, iura percurrite, nusquā adeo pro nobis solicita lex est, ut quod præstat, extorqueat. Dedit cæco talionis actionem, nō manus recusantis impellit. Iniuriarum cædis agere permisit, sed non cogit inuitos. Adeo pene leuius est ultionem perire, quàm potestatem. Genus seruitutis est, coacta libertas, & eadem iniquitas, quicquid de inuito homine facias. Vis scire quid lex ista prospexerit? Non exigo ut torquearis. Quàm multa dii deæque non minus sunt iusta quàm lex exigit, quarundam inuidia rerum, ut uinci se magnitudo patiatur? & quicquid accidisse miseris, tantundem poscit in ultione nouitatis. Filius in conspectu patris occisus est, torquete securi nihil iniquius fieri potest. Ignoscant persuasiones, si facinus istud omnium illicitarum rerum consumpsit inuidiam. In inde tormentis salua iustitia est, plus est de quo quæritur, quàm quo modo quærendum est. Nullum debet inimicum uideri genus probationis esse quod solum est. Et quicquid potuit prodesse seueritati, nunquā nocuit exemplo. Sufficit libertatis reuerentiæ, quòd torquetis inuiti, quòd contra me non alius inuenit. Liberum torqueri non licet. Hoc est iudices propter quod filium meū diues coram me non timuit occidere. Filium igitur meum in conspectu meo occisum esse contendo. Quid dicitis? Ita non erat contra proclamationis huius fidem si nunc agere possem quietū modestumq; miserum? Vultis, cum hoc uiderim, tantum testimoniū dicam? Mirum hercle, si scindo uestes, nudo corpus, ignes, flagella deposco? Insaniat necesse est pater, cum solus hoc sciat. Falluntur iudices quisquis hoc quod postulo, contemptū, quisquis audaciam uocat. Filius urit, exagitat,& inter tormenta fugio dolorē. Si mentientis est uelle torqueri, inuenite quid facere debeat quì uerum dicit,& non probat. Mentiris, inquit. Bene quòd & tu fateris non esse mihi sine quæstione credendum. Et quas per fidem mēdatio meo caussas diues assignas? Ignoto percussorem. Deinde te potissimum de quo quererer elegi. An scio, & simultatibus nostris occasionem orbitatis indulgeo? Decipi me non potuisse manifestum est. Filius meus, cum pariter rediremus, occisus est. An dignoscere percussorem nocte non potui, cum percussor potuerit eligere, fugere? Quid ais? Iuuenē meum alius occidit, tu mihi solatium ultionis imples? Te accuso .s. ut interim nescio quis ille effugiat, euadat. Quod tu mihi genus furoris assignas, ut maximi sceleris ultio pereat falsæ accusationis incerto? Homo qui me uidisse contendo cum occideres filium meum, nisi de te uindicor, non reliqui mihi ut hoc de aliis probarem. O te extra omnes humanorum pectorum affectus inimice sepositum, nunc qui me putas posse mentiri? Perdidi infelix illum chariorē pauperibus affectū. Succurrere mihi putas quòd aliquando dissedimus? Falleris, deciperis. Hominis cuius occisus est filius, unus inimicus est. Sane possit aliquis hanc doloris dissimulationem mendacio perferre uerborum, torqueri nolo. Nihil est tanti nisi uerū. Videlicet inter ignes ac flagella sufficit mihi si dixero, hic est inimicus animæ, qui nobis subinde maledixit, hic ille contumeliosus, ille impotens. Ego nescio an mihi possit in quæstione sufficere quòd uidi,& quòd inimicus me contendit ideo uelle torqueri. Tormenta postulo. En ad quod cōfugit homo qui se sciat posse mentiri. Nulla est ratio quæstionum relictis mortalibus, si adiuuant contra ueritatē,& sublata est de rebus humanis necessitatis huius utilitas, si iā tuetur ultro, explicatq; fingentibus. Huc usq; durant artis ingenia mortalium, & licet sit aliquis secreti firmitate compositus, hominem tamen ultrà non sequitur animus. Non uacat asserere quæ finxeris, tunc cum uix prodest & uerum

uerum fateri Et nemo non contra id torquetur, quod dixit ante tormenta. Non refert, unus ad equuleum nominis persuasionē quas silētiū afferas caussas In quæstionibus tantū corpora sumus, & nemo non contra aliquem torquetur affectum Exigam quæstionem, an recusem? Quid interest tormētis breuis futurus simillis homini qui fateatur inuitus? Nouum iudices inauditumq; rebus humanis aperitur exemplum. Nemo unquam ideo torqueri non debuit, quia mentiretur Sed si fas est iudices dubitare de fide quæstionum, alius debet esse suspectus, ille. i. in quo seruilium pectorum recessus, in quo uerniles exercuntur artus. Quoties tortori est rixa cum membris, cū cruciatus agnoscit assiduus supplicijs durata patientia, & homini non est noua res dolor corporis applicitus, quod scissa lacerataq; ueste primum ferre nō potest pudorem, quod nescit ad flagellorum uices membra cōponere, nec ullo uerbera frangit occursu. Non inquam sumus quos leges superuacuum putauere torquere. Vnde nobis inter ista secretum? In tormentis libero homini opus est patientia, ut uerum dicat. Sed, inquit, ideo torqueri non debes, quia exigis ut torquearis. Aliud sunt inimici tormenta, aliud uelle torqueri. Felices illos qui recusare uoluerunt Meretur clementiam & fauorem quisquis ad illa tramēs exanimisq; perducitur, quē uta à genibus tortor abducit, cui iā scissas quoq; difficile possis eripere uestes Ego quemadmodum uultus deprecer, qui uideor prouocasse tortorē? Ille, ille sine ulla miseratione laceratus, cui ad singulos ictus dicitur, ipse uoluisti quem nō decet rogare, qui creditur fingere proclamationes, simulare gemitus, de quo primùm uidentur uindicanda tormēta. Non inuenio Iudices quid sperare possit qui mētitur, & exigit quæstionē. Homini qui uult torqueri, diu non creditur nec uerum dicenti. Nec est iudices quòd putetis adeò mihi tristissimam orbitatē omnes humanorum pectorum rapuisse sensus, ut nō intelligam petere me, quod diues poscit euadere, & penè magis pro percussore torqueri. Sed quid me facere uultis? Non debeo uideri posse mentiri, homo, qui cum filius meus occideretur, interfui. Veritati tantum praesto patientiā, exigo quæstionem, in qua quid dicturus sim nescio, quid debeam dicere, uidi, scio. Vultis post hoc argumentis, suspicionibus agam? Breuiora tormenta sunt. Non inuenio Iudices cur renuat tantopere diues quæstionem, post quā supersint adhuc incerta ac dubia. Facinus est tamen me non torqueri, si mihi tortis utique credēdum est. Quousq; me crudelissima mortalium metus simulatione deludis? Ego magis qui postulo tormenta, timeo, ego qui nihil facere potui cum uiderem. Suspecta tibi est nostra patientia. Vides enim, hortatur nos contra dolorem primæ robur ætatis, solidū plenumq; corpus Quàm facilis, quàm expedita res est torqueri miserum? Affero quæstionem iam planctibus membra liuentia. Quantum animæ, quantum sanguinis orbitas traxit? Quanto imbecilliora sunt hæc cotidianis lamentationibus euerberata uitalia? Quicquam ergo fingere potest hic pallor, hæc maties, & iā aorto similis infirmitas? Adijce quod nihil minus in quæstione diu possis dicere si mentiaris, quam quod oculis scias. & breuissimū cōfessionis est genus dixisse quod uideris Felices, diues, quos tortor interrogat, qui non habent in sua potestate credentes. Impatientissima res est, posse cum uelis desinere torqueri. Quia potius inquit, probas? Fiduciam hominis, qui scias hoc me uidisse solum. Sine dubio diues multa te poterant argumenta conuincere, si deferret alius & eras manifestissimus reus, si mihi percussor quærendus esset. Quis n credibilior in cæde pauperis, quàm diues inimicus? Aut de quo facilius constare posset scelere, quod caussam non habet nisi de sola ultione? Non inuenit multa uerba uidisse. Nec mihi debet petere probatio ista, quia poteras & accusari. Exigis probationes, cum facinus sic disposueris, ne possit probari. Quem mihi non testē, quos præstare potuit oculos nuda semper & incomitata paupertas? Tibi seruus à conscientia sceleris summouendus fuit, & ista ratione quis interesset, quē putares posse torqueri? Et totum facinus in has angustias redegisti, ut illud soli sciremus, qui faciebam, & cui non crederetur Nunquid dubitaretis quærere si alius sciret hoc scelus? Facinus est iden filij mei petere uindictā, quia pater uidi Ego uerò Iudices & ex hoc quod recusat diues quæstionē, partem probationis impleui. Accusatoris tormenta nunquā timebit reus, nisi de quo credi potest & ante tormenta Cur, inquit, si mihi caussæ sceleris simultates nostræ erāt, nō te potius occidissem? Vere crudelis, ego te hoc maximè argumēto percussorē probo, quod mihi pepercisti. Tuum fuit hoc inimice cōmentum, occiso filio seruare patrē. Parcendi tamē mihi uel hæc fuit ratio, quod defendi nō poteras, si duo perissemus Audire mehercle mihi uideor illas cogitationes, illa scelerū secreta consilia Quid mihi cum uulneribus, quid cū cruore consumptæ & iā pene abeuntis animæ? Occidatur potius ille iam iuuenis, iam inimicus, de sene uindicabitis me patris oculi. Vis inter quòd me nolueris occidere? Queri mehercule te puto, quod in senectute magni doloris uita breuis est. Pepercisti mihi quo modo excogitant artes detinere supplicia, & de pereuntibus magis sæuitia eruitur dolore suspenso. Agnosco noctis illius clementiam Inimice. quòd me torqueri nō uis, ex hoc euenit, quòd neq; occidisti. Tentat Iudices efficere diues, ut ne credibile uideatur quod occisum ab eo cōtendo filiū. Dicturum nunc putatis magis inter esse securitatis, ut quis facinus sibi tantūmodo credat, & id tutius esse inimico patre quàm conscio Plus est quod affirmo. Filium in cōspectu patris occidere sic operæpretiū est, si illud ipse facias. Perdit plurimam de sceleribus uoluptatē, qui mandat, & minus gratiæ rebus ex nuncio uenit. Occidit alius te iubente, sed uulneribus illis non fruitur oculus, sed plus est ut singulis abeuntis animæ, ut cruore satieris, ut collapsum palpitantemq; uideas, ut me uidente. Conuenit Iudices quòd ipse diues hoc fecit, & quod ego uidi, ratio sæuitiæ est, ut aliquis coram me occidatur, propter quem occiditur Fidem uestram Iudices, ne me ideo non putetis uidisse, quia nihil feci. Seruulorum iste libertorumq; dolor est, occiso homine statim scire quid facias, exclamare, procurrere, fidē deorum hominumq; testari, postea cum lachrymis uenire. Vultis percussorem inuadam? Vultis fugientem sequar? Interim desertum quis excipiet? cui se morientis imponet infirmitas? Scis profectò percussor facinus ordinare, disponere. filium occidere corā patre, secretum est Miseremini iudices igitur, ut hinc quoque uelitis æstimare diuitis conscientiam, quòd contentus est ne de scelere quæratur, non habet fiduciam hominis qui me sciat mentiri, &, quod non minus debetis attendere quàm si fateretur, non putat sibi saluum ut uerum neget. Dissimules licet, nō est innocentiæ metus, cum timentur aliena tormenta. Quid ait diues? Orbitatem meam in tale genus usumque conuertet, si paterni doloris authoritas facinus impingit alienum? Deinde non ipse affers equuleos, non ipse disponis ignes. Diceres mehercle te uelle torqueri, ego scindo uestes, tu intremiscis ego ad flagella nudo corpus, te facit pallor exanimem. ego equuleos, ego posco flammas, tu non habes in meo dolore patientiam. Rogo quid aliud faceret qui occidisset? Quid nunc agam miser? Gratiā confessionis ante tormenta consumpsi. Scio quanto credibilius fuisset, si hoc statim inter ignes, inter flagella dixissem, & multū de authoritate primæ proclamationis amisi. Non est tamen quòd superuacua putetis esse tormenta, quanquam dixerim quicquid sciebam Habeo adhuc ex illo multa referre secreto, quæ argumenta faciet dolor. Non refert an me uidisse dixerim, tormentis hoc probaturus sum, debuisse mihi credi ante tormenta. O quantopere nunc inimice torqueris, quòd te coram iudicibus interrogo, quòd hoc non potes mihi facere. Sed si bene gaudij tui perspicio secretum, non putas te negare, quia uidi. Arrogantissime percussorū euasisse te putabas, quòd illud duo tātum sciebamus? Meis, meis hoc ignibus nega, & dum me per singulos artus tortor interrogat, perfer saltem non credendi patientiam, cum ego me uidisse proclamem, tu nullam afferas innocentiæ probationem. Non potes aliter absolui, quàm ne illud ego negem. Nec tamen Iudices putetis solo me calamitatum ambitu petere quæstionem, dabo propter quod torquearis irati. Filium meum illum singulis nobis uniuersisq; laudandum, iuuta quem felix, iuxta quem arrogans eram, occidit. Mea nimia libertas, ita ego te non equuleo efferam, non super ardentes eximā flammas? Nunc me uindicas, nunc tueris Modò modò coram me filium meum diues occidit fiducia tui. concurrite omnes liberi, omnes parentes, urite, lacerate hos primum patris oculos, distrahite has manus, quæ nihil pro pereunte fecerunt, hoc corpus, hæc membra, quæ de complexu latronis uulnera nulla retulerunt. Sine hoc pœnam, siue uultis esse clementiam, debeo, tam miser esse dum probo, quàm cum uiderem. Miserum me, si fas est in quæstione mentiri. Sine dubio diues hoc captauit recusando quæstionem, ne crederetur. Sed dura parumper anime, uidisti. Nunc infelix ad nos miseros pietas redit, quod fieri in ipsa orbitate non potuit & uires quas improuisus abstulit dolor, probatio restituet Cum flammis urentur nuda uitalia, non illa occurrat, cum membra fidiculæ flagella lassauerint, rursus ante oculos sit morientis unici uultus, hæ erant uerba percussoris, mandata pereuntis. Filium spectasse morientem, longa præsentia est. Nescis infelix senectus quanta tibi opus sit ueritatis contentione, ut pœniteat diuitem quòd non duos occidit. Iam nunc tamen uobis Iudices infirmitatem meam allego, commendo. Si me forte fidiculæ flagella mutauerint, ego tamen uidi. Si uocem in equuleis ignibusque perdidero, ego tamen uidi. Si totus undiq; dolor pariter admotus occiderit, ego tamen uidi. Alioqui nisi hoc animo meo, nisi licuerit oculis, moriar hoc dolore, quo puto me posse torqueri.

GEMINI LANGVENTES, DECLAMATIO. VIII.

ARGVMENTVM.

Gemini quibus erant pater & mater, ægrotare cœperunt. Consulti medici dixerunt eundem esse languorem. Desperantibus reliquis promisit unus se alterum sanaturum, si alterius uitalia inspexisset. Permittente patre execuit infantem, & uitalia inspexit. Sanato uno, accusatur pater ab uxore malæ tractationis.

Pro matre contra patrem.



Vamuis Iudices plurimū infelicissimæ, matris aduersis miserationis abstulerit, quòd ex duobus liberis pari desperatione languentibus alter enasit, & plerisq; maximum dolorem prima fronte tractantibus uideatur auiditas gaudiorū, ut modò ad totius orbitatis redacta patientiam, iam non sit unius salute contenta, non possumus tamē affectibus uestris non hanc primam tristissimæ calamitatis allegare mensuram, quæ ex ipsa quoq; solatij sui conditione descendit. Minus misera quæreretur de marito, si sanari nec ille potuisset, pro quo est frater occisus. Nūc infelix par non est dolori, nunc nō inuenit ulla solatia, ex quo sibi uidetur filium perdidisse uictum. Super impatientiam tristissimæ orbitatis increscit, quod intelligit illum non sine sanitate fuisse languorem, nec persuaderi miseræ potest perituro laborasse fato, in quo inuentum est quod sanaret alium. Captet licet crudelissimus senex parricidij immanitatem metu maiore protegere, non inuenrio unde colligi possit utrunq; fuisse moriturū. Ex duobus ægris non perijt, nisi qui occisus est. Ante omnia igitur illud à uobis infelicissima mater petit, ne maximi sceleris ideo decrescat inuidia, quia pati uidetur & reus exorbitate tantundem. Non perdidit filium, quisquis occidit. Explicat à dolore patrem, quòd sibi uidetur fecisse rem maximam, & in locum iuuenis amissi substituit de sanitate solatium. Alia est, alia conditio matris, quæ me dico non credidit, apud quam sæuissimæ conditionis immanitas fidem non potuit impetrare tentandi. Pro utroque timuit, pro utroq; sperauit. Facinus est eum maioris pietatis uideri, qui de morte filij putauit alterius uel certa salute transigere. Sic debetis odisse patrem, tanquā duos occiderit, cuius non interfuit uter occideretur. Est tamen sanctissimi Iudices quod de crudelissimo parricida queri possit non sola mater. Adiecit humanis calamitatibus ipsam sanitatem, & morborum languorisq; uiolentiam medicinæ concessit. Filium occidit (si ipsi creditis) fortasse moriturum, & hominem cuius charitas debuerat ipsa desperatione creuisse, in hoc solum impendit, ut tantundem superesset in certi. Non exonerat Iudices immanitatem sæuissimi patris, quòd hac ratione credidit de languente filio rem inauditam, rē facere crudelem. Vnam rationē habet, si ipse sanetur. O tristior indignior que semper mensura calamitatū magna felicitas. Huncccine fecit exitum illa modò ciuitate tota conspicua mater? ille indiscretus ab utroq; latere comitatus? ille gaudentium dulcis error oculorum? Quid mihi mortem nunciatis unius? Perdidit misera geminos. Passi sunt enim languorem miserrimi iuuenes, sine dubio pariter unaq;, non fraternitate, non animæ corporumq; consortio, sed conditione fragilitatis humanæ, qua sic extranei quoq; duo languere potuissent. Non negauerim morbum terribilem, grauem, & parentibus utiq; metuendum, de cuius tamen adhuc, ut parcissime dixerim, remedio quæreretur. Quid refert an medici consenserint utrunq; periturum, cum eundem dixerint esse languorem? Manifestum est de duobus non dixisse uerum, quos de altero constat esse mentitos. Iam tamen Iudices de tam perdita pronunciatione non querimur, quòd ægros quos sibi uidebantur explicare nō posse, parentibus crediderunt. Innocentior est simplicitas, desperare, si remedia non noueris, & hanc ignorātiæ malo probitatem, ut languorem quem nescias, tantum neges posse sanari. Maximi tamen uirorum, & quibus artis suæ soluendo non sit humanitas, si sciebant hoc genus curationis, & illud non indicare uoluerunt. Vultis & illos mentitos breuiter probem? Desperauerunt de languore, cuius remedium (si patri creditis) alius inuenit. Siue enim Iudices uanissimus nescientium uidit hanc partis in periculo liberorum rigidam nimiamque patientiam, & hominem in filiorum languore solicitum de remedio generis humani: siue captauit ex hoc uultu quādam artis imitationem imitari, quandò sanare non poterat, & ignorantiæ pudorem tegere magno tentauit incerto, siue ut aliud uideretur dixisse quàm reliqui, uerba desperationis incredibili uanitate uariauit, magnaq; miseros parentes ambage suspendens, tutissimū putauit promittere, quod deberet nemo experiri. Caussas quidē se dixit ignorare morborum, sed salutem spopōdit unius, si licuisset alterum occidere, lacerare, perspicere. En cui pietas patris, cui credere solicitudo debuerit, dixit se scire remedium, quod nesciebat. Vultis intelligere Iudices nihil impatiētia charitatis fecisse patrem? Non retulit ad matrem, abacta est à morte filij uel sanitate discedere. Non propinquos consuluit, non amicos, sed sua tantum persuasione mediciq; contentus, quod nocentius est quàm si ipse occidisset, alterutrum potuit eligere. Dicat nunc parricida, quid fecerit illud quòd etiam de similibus tam paribus ægris in alterum desperatio illa præualuit? Si medici non interfuit utrum occideret, constabit uiuere utrunq; potuisse, si interfuit, constabit non eundē fuisse languorem. Qualis fuerit illa curatio, quid passus sit iuuenis in morte qua medicus parabatur, omnium cogitationibus liquere crediderim. Ideoque parcimus auribus uestris. Breuiter tamē longæ crudelitatis explicanda sæuitia est. Ex omnibus quæ pertulit, leuissimum fuit quòd occisus est. Non est quòd ueniam tristissimæ curationis paret, quòd uidetur in alio fratre explicata promissio. An alterum medicus sanauerit, fortuna uiderit, quod negari non potest, alterum medicus occidit. Erumpit hoc loco mulier infelix, & tota libertate proclamat. Redde mihi, inquit, marite filium, quem tibi pariter medicoq; commisi. Hic est ille uester insanabilis, recipe quem mihi credidisti, hic ille moriturus, hic quem permiseras medico, si maluisset occidere. Videa quid profecerint anxia uota pietatis, solicitæ preces. Dum iam frigidi pectoris calorem superpositis reuocamus uberibus, dum frigentia membra continuis osculis, & spiritu trepidæ matris animamus, dum labentes oculi ad nostras exclamationes nostrosq; planctus admissa paulatim luce laxantur, dum multa mentior, multa promitto, & fratrem dico sanatum, respexit ad uitam, conualuit, euasit. Non tamen iacto pietatem, non arrogo mihi prosperæ curationis euentū. Quid hunc sanauerit, uis scire breuiter? quod potuit utrunque sanare. Pudeat uos ò iura legesq;, quòd miserrimi sexus dolorem his clusistis angustiis. Ita maritum, quòd occisus est filius, malæ tractationis uxor accusat? Perdiderunt legis huius authoritatem, quæ ad illas uxorias querelas matrimoniorum solent deferre delicias. Ego illam datam miseris tantum matribus puto potestatem, ab iniquo coniuge explicare diuortium, & contra maritales tueri iniurias, ubi nolis præstare patientiam. Illis succurrit quas nefas est ab uiro discedere, quas in pessimi coniugij durū perpetuumque complexum, communium pignorū nexus arctauit. quæ malos maritos pariter & patres nec relinquere nec ferre sufficiunt. Facinus est ideo euadere maritum, quia damnaretur si de illo minore dolore quereretur. Itaq; impudenter facit, quòd pro detracto matronis cultu, negatoq; comitatu, fastiditis noctibus, pulsataque facie, filium complorat occisum. Sileo adhuc illa per quæ parricidij creuit immanitas. Occisum filium obiicio, putate luxuriosum, perditum, nocentem: fingite hoc patrem ira, indignatione fecisse, quantum facinus sit filium occidere, nemo magis fatetur, quàm qui uult uideri se illud fecisse pro filio. Ecquid Iudices? uel ex hoc totus animus mariti, tota tristissimæ coniugis calamitas perspici potest, quòd se negat matri communium liberorum debere rationem? Placet ergo mortales, ut de hominibus in quos plus ex harum sanguine, ex harum transit anima, nō habeant partem nisi tantum doloris? Solos ergo cōmunicabit mæsers planctus, & ab omnibus consiliis quibus ordinatur iuuenta, uita disponitur, extranea, utilitate seposita, circa mœrores tantū lachrymarumq; consortium orbitate iungetur? Si mehercle fas est æstimare utri plus parenti debeatur a liberis, non improbe totam potestatem sibi uindicabit affectus, quæ decem mensibus ante uestram incipit diligere notitiam, & cum uos patres gaudiū primum faciat oculorum, antè sunt conscientia matres. Facinus est ideo tantum illis minus licere, quia minus facere sufficiunt. Vos estis qui crescentes adhuc in peregrinationes, qui iam adultos in castra magnorum parentum uanitate dimittitis. Erubescitis desiderijs tanquam infirmitate, & unde uelocissimus transitus est in rigorem, liberos uultis amare patientia. Quàm multa ideo tantum de filiis facitis, quia licet? & frequentius potestatis uestræ iactatione tanquam aliquo grauitatis genere delinquitis. Non habet orbitas uestra lachrymas, super ardentes rogos teneris inconcussam rigidamq; faciem, iis obuiam consolationibus, & quod omnem modum seueritatis excedit, captatis in magna calamitate laudari. Quicquam ergo erit quod de communibus pignoribus, nō pari mente, pari impatientia, uel, si ne-

cessitas

cessitas postulet, pari rigore faciaris? Mali tantum patris interest ut matri minus liceat. Sane cedat nobis circa regendas communium pignorum mentes sexus infirmior, uos mores, uos uitæ genus, uos matrimonia, cæterosq; actus uestra persuasione firmetis, nunquid arrogans consortiũ, nunquid impotens societas est, liberos commones esse languentes? Si quis immo pudor est, cede nunc tota potestate matri, illius sit in ægri toto proximus locus hæc adhibeat fomenta, porrigat cibos, si quid impatientia, si qui flagrantium uiscerum poscit infirmitas, mater neget, mater indulgeat. Illas quas immodicus ardor discussit uestes, hæc discussis uestes, hæc super fatigatos reponat artus, illa iactatas toto lecto manus sedulo contineat affectu. Frustra captas uideri ultionẽ magnæ charitatis, ab omni curæ ratione sepositus. Cum circa curationes liberorum nõ cõsentiunt parentes, curationis est culpa nõ matris. Quid q̃ filiũ occidit innocentẽ, cui nihil obijcere, nihil poterat irasci? Filiũ (si ipsi creditis) pro fratre mori paratũ, cuius suprema ferre non poterat. Nouum Iudices & incognitũ rebus humanis audite facinus. Iã parricidiũ pietas, charitas, & impatientia orbitatis admittit. Malo odiũ, querelas, execrationes, quàm ut quis liberos affectu quo seruantur occidat. Quid refert an per hoc alterius filij anima redimatur? Si parricidiũ fas est ullas accipere caussas, filius propter se tantum debet occidi. Adijcite Iudices immanitati, q̃ occidit ægrum. Omnibus equidẽ mortalibus maiorem crediderim de languore deberi reuerentiã, & illorum quoq; quos inter suplicia percuntes auido spectamus adsessu, mala ualetudines tamen morborumq; uiolentiã quodam innocentiæ fauore miseremur. In carceribus, & in illa profunda nocte pœnarum, irreligiosius ille anheli pectoris pallor inspicitur, non sic cõfundunt obuios grauibus catenis colla sordescentia, & diutino squallore concreta facies, ut ille quem ad singulos conatus gressusq; labentẽ uia trahit impellitq; longus ordo uinctorum, & inter tot destinatos, totq; perituros, omniũ tamẽ in se retorquet oculos unus æger. Quid ais? tu illũ quem nunc nefas est castigare, reprehendere, cuius auribus parcere debuerunt sæuiora uerba, si quid negares, uideretis occidere, ferro, uulneribus aggredieris? Non potest hinc tibi uenire defensio, ut hoc sis pro alterius salute cõmentus. Inter duos liberos pari desperatione languentes, da bonum patrẽ, nõ præponderabit alterutrum, non eliget, sed ut incertũ orbitatis euadat, ipse morietur. Tentat hoc loco Iudices crudelissimus senex excusationem temeritatis suæ de medicorum trahere consensu. Desperauerant, inquit, de duobus. Sed ut incertum orbitatis euadat, sepono paulisper immanitatẽ patris, qui credidit, & de arrogantissimæ persuasionis hominibus queri, de totius generis humani nomine uolo. Quàm multas artes misera mortaliũ solicitudo fecisti? Fato uiuimus, languemus, conualescimus, morimur, medicina quid præstas, nisi ne iuxta te nemo desperet? Dicturum me putas, non credo renunciantibus non accedo cũ deserunt relinquuntq; languentes. Ego uerò me dicis non credo sperantibus. Aspicite maiorem partẽ generis humani, & si me interroges, illã robustiorem, illam adhuc in prima rerũ naturæ ueritate uiuentẽ, nullos artis huius nouit antistites, nec minus tamen bellorum uulneribus, morborumq; medetur incursibus, non disputationũ uanitate solerti, sed experimentia, & inuicem per similes dissimilesq; casus obseruatione ducente, tradita ratione succurrit. Non medicina sanat, sed quicquid uidetur sanasse, medicina est. Quo ultis animo feram, quòd ars (quã rum dicitis) inuenta pro uita, si diis places, authoritatẽ formamque captat, ut longè uentura suprema prospiciat? ut adesse fata denunciet, quæ nec timentur? & maxima scientiæ pars esse cœpit, sanare non posse. Quisquamne ab homine qui adhuc loquitur, spirat, intelligit, sic recedet, quemadmodũ relinquitur exanime corpus? & ibi finẽ uitæ putabit, ubicunque scientiæ substiterit infirmitas? Si fragilitatẽ mortalitatis, incertosque uelimus æstimare casus, tantundem periculi habet omnis æger. Iniquissimũ est desperationes uocari, quoties remedium medicina non inuenit, & angustias siue artis, siue mentis humanæ, ad inuidiam referre fatorum. Nihil magis interesse omniũ puto, quàm ut spes pro homine tam longa quàm uita sit. Unde putatis inuentos tardos funerũ apparatus? Unde q̃ exequias planctibus, ploratu, magnoque semper inquietamus ululatu, quàm q̃ facinus uidetur credere tam facile uel morti? Vidimus igitur frequẽter ad uitam post conclamata suprema redeuntes. Plerisq; conualuerunt negligentiæ bono, quosdam explicuit quicquid alios fortassis occideret. Hos indulgentiæ temeritas, illos adiuuit desperationis audacia. Datur fortassis huic arti perspicere morbos, profutura meditari, sed unde sciet quantum inter uiscera, latentesq; pectoris sinus, unicuiq; animæ natura concesserit? quàm proprietatẽ spiritus, quam corpus acceperit? Non tam uariæ mortalibus formæ, nec in uultibus nostris sedet tanta diuersitas, quanta latet in ipsis dissimilitudo uitalibus. Inenarrabile, indeprehensibile est, quicquid nos elementorum uaria compago formauit. Et prout in nos plura seu rariora de terrenis seminibus cælestibusq; coierunt, ita uel duramur tacita ratione, uel soluimur. An desperantibus credi debuerit, uos æstimabitis qui negarunt ægros posse sanari, nec in hoc probauerunt qui euasit, nec in illo quem non languor occidit. Iustas mehercle haberet mulier caussas querelarũ, si noua incognitaq; ratione uel utrunq; seruasses. Nunquã ea magno uenit affectu incredibilia uel profutura tẽtasse, & in re quæ plus de incerto habet, temeritas experimenti solã probat desperationis audaciã. Quid refert cuius conditionis æger quantũ adhuc spei, quantũ uidetur habere de uita? Sacrosancti sint parẽtiũ metus. Dij nõ sinẽt ut ex liberis ultor incipiat esse petiturus. Medici desperauerũt. Quid istud ad patrẽ? Spera tu, iube sperare matrem, tuis potius affectib. tui crede uotis. Et hoc de parricidij facilitate est, circa filiorũ lãguorẽ ad desperãtes potius accedere. Fidem habet hominibus, quot mẽtiri alius affirmat, contra quos iterũ credis uni præsertim? Pessime hercle de tua felicitate sentirem, si in quacunq; filij curatione nõ adhiberes propinquos, nõ interrogares amicos, nõ respiceres ad matris animum. nõ hanc primam impatientiam, nõ hunc consulis timorẽ. De nullo filio minus debet soli sibi permittere pater, quàm qui uidetur utiq; moriturus. Fratres, inquit, & gemini erant, ideoq; credibile est illis eundem fuisse languorẽ. Rogo, quis in ullo mortalium ferat ignorantiam pariter & affirmationem? quisquis nescit q̃d genus languoris sit, non potest scire an idem sit. Nihil Iudices in rebus humanis uoluit esse rerũ natura tam simile, quod non aliqua proprietate secerneret. Quid refert an ex iisdem prima illa duorum corporũ animorumq; compago seminibus oriatur? Sibi quisq; firmatur, sibi quisque componitur, & duo pluresue fratres nascuntur fato singulorum. Hanc ipsam indifferentiam quã mirantur occursus, stupent ciuitatis oculi, parentũ tamen agnitio dignoscit, separat notitia nutricum, & fallentibus notis, est rursus quod faciat ipsa similitudo dissimile. In plerisq; quamuis sit indiscreta facies, inuenitur tamen alius oris sonus, habitus, incessus, & ut ipsa cõsentiant, diuersa mẽs, contrarii mores, & uitæ genera rixãtia. Quid quòd non eandem esse naturã geminorum probat etiã fortuna dissimilis? Hunc pressit paupertate perpetua, illũ insperatis opibus excoluit. Illius per titulos & honores, huius per ignobiles obscurasq; sordes totam duxit ætatem. Simile est quicquid accipiunt ex homine gemini, dissimile quicquid ex fato. Nec.n.tam pariter in lucem de maternis exiluere uisceribus, ut illos eadem origo signauerit. Quantum putas interfuisse temporis, dum primum uteri dum pondus egeritur? dum parumper exonerata uitalia, altero rursus hominе laxantur? Breue fortassis exiguumq; uideatur mortalibus oculis, sed si terrena mente perspicere uelis orbis huius uastitatem, scies multum esse quod inter duas transcurrat animas. Voluitur super nos hæc cæli siderumq; compago, & præcipiti per procliue decursu, totius diei noctisque breuitate enẽsus orientis occidentisq; cursus, diuersorum siderũ in primo statim ortu, rotato se rursus axe consequitur. Hoc tu paruũ credis esse spatiũ, quod diuersis pariter rebus impletur? Quantũ inter illa transcurrentis horæ momenta nascitur, perit? Igitur quãdo unquam peregrinati sunt unà, militauere pariter? quid nõ diducti separatiq; fecerunt? quando illos languor, quando suprema iunxerunt? Eis quandoque sic necesse est aliter, ex geminis quòd pariter languerunt, non sic accidit quomodo fratribus, sed quomodo duobus. Non eodem fato languere geminos, quemadmodum uultis breuius probem, quàm quòd nec uterq; occisus est, nec uterq; sanatus? Sed fingamus hoc esse uerum, quod desperauerunt medici, relinq; nobis patet innocentiæ calamitatis, salua solatia sint de liberis, quos tibi uideris non perdidisse nisi fato. Quis ex parentibus nescit hac se mortalitatis procreare lege? Sed indigni exitus supra orbitatem sunt. Ideo magis flemus illos quos bella rapuerunt, hausit incẽdium, naufragia merserunt. Fortius feras inter assidentium manus inter suorũ officia labentes, cum se inuicem osculx, cum se satiauere sermones, cũ data suprema mandata sunt, & se scit pietas omnia fecisse pro uita. Igitur uerum dixerim, illos mori credimus, hos perire. Non inuenio quemadmodũ excusationem pater de consensu possit accipere medicorum. Hoc est quod omnẽ comparationem feritatis excedit. Filium pater propter hominem quem non putauit posse sanari, occidit. Quod tu monstri portentiq; genus es? Habes parricidij patientiam, non habes orbitatis. Ita demum potes ferre filii mortem, si facinus adieceris? Tu occidis, quia desperauere medici? Quereret mehercle si reliquisses, si quid de continuatione curæ solicitudo laxasset. Nihil ergo plus facies, quàm illi qui nunc plures fortassis circumeunt ægros, quos detrahit, quos auocat alia curatio. Filios saltem committe uel matri, de fortuna questus,

tatur, dira faciat inuidiã. Mulieri quæ ferre non potest quod uideris desperasse, nunquã ex hoc rationẽ reddas, quòd occideris. Quis hanc Iudices impudentiã ferat? tentat pater ut & huic rei credatis, quod desperauerunt omnes, & quòd sperauit unus. Nostræ quidem querelæ sufficit nõ conuenisse medicis, & cum inuentus sit qui contra sensum desperantium, genus aliquod sanitatis afferret, fas erat Iudices ut adhuc inueniretur alius qui lætiora & uitalia promitteret. Hoc nunc me quæri putatis, quod in re de qua credere nec omnibus debuisset, accessit uni. Non interest an superesse remedium quod tentare non debeas, & ubi tantundem periculi speres quantum desperatio habet, melior exitus est qui facit miseros innocentes. Quid inuidiam prioribus medicis paramus? Nemo magis desperat, quàm qui se negat nosse languorẽ. Quid ais pater? Ita tecum quisquam sic audet agere de duobus filiis, tanquam de duobus ægris? tu ex geminis alterum occidendũ dabis? Non ferrem si separare eapositurus auderes, si contentus esses educaturus alterutrum, non ferrem à piratis captum filium ulterius uicaria seruitute redimentem. Tu de orbitate facies uices? & casum singulorum per utrunq; diffundes? Parricidiũ uocarem, si promittente medico quòd sanaret unum, posses eligere periturum. Penè crudelius est geminos diuidere quàm perdere. Eu scientia cui debeat credi, negat se scire caussas languoris, deinde promittit quicquid licere non deberet nec intelligentibus. Occidam, inquit, deinde sanabo. Memineris pater in hac conditione prius esse ut occidas. Non est tanta pietas seruare Filium, quantũ facinus occidere. Tu nunc hoc putas profundæ artis esse secretum? Verba tantum desperationis inuoluit, & homo cautissimæ uanitatis captat illam nouissimam circumire breuitatem. Vides quanta promissum suũ experimentumq; caligine medicus inuoluerit? nunquã cõstabit an fuerit languore moriturus æger, qui aliter occiditur. Non noui, inquit, languoris genus. Post hãc uocem mehercle non deberes committere ægros, etiam si uellet experiri potionis haustus, ciborum fomentorumq; nouitates. Nescio, inquit, sed si per miseris alterius aperire uitalia, pectus effringere, remedium fortassis inueniã. Iam excusatus es medice matri, sperasti ne tibi crederetur. Differo paulisper quod de fratribus, quòd de geminis, quòd pater hoc facit non consentiẽte matre, publico potius mortalitatis contendo nomine, nõ debere genus istud curationis admitti. Actum est uelut de genere humano si nobis pro salute ęgri opus est morte hominis alterius, & penè ratio sanitatis intercidit, si consumit medicina tantundem. Ego quenquã dicentem feram, Vt inueniam ualetudinis caussas, date mihi aliud corpus, alia uitalia, occidam, deinde salutaria quæram profutura meditabor? Ita non facilius est nosse languorẽ? Quæ hæc est impudentia crudelissimæ uilitatis? Aegrum placuit occidere, ut inueniretur cur non debuisset occidi. Nullum sanctissimi Iudices natura morborum genus solis uisceribus abscondit, & quicquid caussas ualetudinis de uitalibus trahit, in corpus emanat. Inde pallor, inde macies, quòd ad interiorẽ dolorem superposita consentiunt. Non inuenio cur hominem uulneribus exquiras, cur remedia quoq; uitalibus per corpus immittas, & in latentes meatus per hæc quibus regimur, medicina descẽdat. Cur ergo nõ eadem ratione languor admittit intellectum sui, qua sanitatem prodit? Abditos profundosq; morbos, aut citatior clausi sanguinis cursus, aut crebrior anhelitus laborantis animæ indicat. Crede de his ante omnia leuibus, oculis, & ipsos de quibus urgetur, modò singulos, modò pariter interroga, cui potissimum parti graue tacitæ pestis pondus insederit, unde prorumpat in gemitus cõscius dolor. Medicus qui per hæc nõ potest inuenire languorẽ, non inueniet nec remediũ. Quid si aliquid sanato medicina potest præstare rationis? sufficit quod aliquãdo iãfacta ex unius hominis inspectione, ad totius intellectũ naturæ medicina profecit. Quid allaturus huic ægroto es, quod nõ tot seculorum tot languentium experimenta deprehẽderint? Vis tu potius hac audacia, qua secretu languoris exquiris, remedia tentare? Breuior uia sanitatis humanæ, propior nostræ salutis uilu as est. Si uiscerum nimius ardor stricta circa se membra durauit, adhibe remedia laxãtia. Si fluitat nimiis æger humoribus, præstin sint per quæ pressis elisisq; uenis in nouas uires corpus arescat. Si parum prodest abstinentia, rursus ciborum qualitate fodeatur. Si spiritus receptis premitur alimentis, ad purinrea meatus ieiunio famesque teneatur. Contigit tibi magna experimentorum materia medice, ægri duo, & languor idem. Non est opus ut expectes quando se per unius hominis patientiam explicet profuturorum magna diuersitas. potes experiri pariter eadem, cõsentanea, diuersa, pugnantia. Nulla ratio est uulnerũ, sanguinis, supremorum. Quemadmodum sanari debeat alius æger, scire nõ possis nisi ex altero sanato. Quid quòd etiam ut idem sit ualetudinis genus, necesse est tamen duorum corporum diuersitate uarietur? Nunquam in alienis uisceribus inuenias totũ quod de altero quæras, & alius languor est, alius æger. Cur maximum nefas alterius ulli salutu defendis? Homo in quo sola quæritur caussa languoris, propter medicum occiditur. Adice quòd nec deprehendi ex non sanato potest ullius caussa languoris. Quicquid nos in uitia morborum à naturali sanitate commutat, facit aut nimiũ sanguinis pondus exæstuans, aut superfluus calor, aut ultra naturalem modum humor exundans, aut spiritus per tacitos meatus non solita laxitate discurrens. Quid horum, si uitalia ferro uulneribusq; reserentur, saluum potest esse languentibus, cum compressi spiritus labore protinus ille reserati pectoris meatus emittat, sanguis tidẽ pariter deprehendatur egrediaturq; uulneribus? An fas putatis ut suam seruent uiscera nudata faciem, ut nihil perdat ea priore natura illud pectoris uitæq; secretum, cum admisit oculos? Plurimum in nobis etiam timore mutatur. Quantum affert solicitudo, gaudium, dolor, & aliquis subitus affectus? Quotiens dum ad curationem præparatur æger, dum componitur ad sua remedia corpus, medentium manus anima destituit? Iam uerò ad singulos ictus, & longissimas uulnerum moras, quantũ ex toto homine conuertitur clamore, gemitu? Necesse est omneis perire quibus continetur uita, caussas, quoties uita ipsa consumitur, & cum homine qui propter intellectum languoris occiditur, ipse quoq; paulatim languor emoritur. Differ saltem pater hanc crudelitatem, quicquid ex filio facis, facies ex cadauere. Si potest deprehendi languor dum occidit, facilius cum occiderit. Interrogare mehercle hoc loco liber, utrum ne periturum pater, an medicus elegerit? Negauit sua interesse quem occideret. hoc si & alter perisset, probauerat utrunq; fuisse periturum, cum conualuit probat utrunq; uicturum. Ad sæuissimam curationẽ potuit ægrũ facilius mehercle explicare, si esset uterq; pater. Sufficit ergo comparare, decernere, num iterum ille tibi precisior, ille melior incipiet esse uicturo. Vbi est impatientia patris, qua uia diripitur cadauer in rogos? qua corpus exanime detinetur amplexu? Dij immortales, quàm sæua, quàm crudelis est ista cunctatio? dũ deliberas, dum unumquenq; detrectas, parricidium in utroq; consumis. Duorũ uilitate fit, ut ex fratribus possit alteruter occidi. Nunquam Iudices res tam horribilis inauditæq; feritatis admissa est. Filium pater propter eum occidit, quem etiam ipsum poterat occidere. Transfert Iudices seua in medicum electionis inuidiam. Ille, inquit, æstimauit, ille decreuit. Ergo manifestum est non parem fuisse languorem. Ex duobus ægris plus habuit spei, propter quem debuit alter occidi. Recede paulisper mulier infelix, filii tui nobis referenda curatio est. Fœlices ægri, qui languore moriuntur, qui supremus anhelitus inter suorum amplexus, inter suorum alloquia posuerunt. Vt erat iuuenis primò ipso cõparationis incerto, mox electione cruciatus, abacta est à perituro prima mater, & modò sedula ministeria seruorũ repente mutata sunt in mortis officia. Detrahuntur trementibus uelamenta membris, & ut grassaturas manus totum corpus admitteret, nudatur miserabilis ac deflenda macies. Toto deinde tenditur toro, & ad immobilem rigidamq; patientiam per omnia lectuli spacia duraturus exponitur. Accipit carnifex ille telum, nõ quo dextra statim totum uulnus imprimeret, sed quod leuiter paulatimq; descendens, animam in confinio mortis ac uitæ librato dolore suspenderet. Hæc exhortatio, hoc fuit perituri iuuenis alloquiũ. Fortiter dura, patienter admitte, sanabitur frater. Non est quòd exanimeris metu, dolore deficias. Caue uiscera exclamatione ne lædes, anhelitu gemituq; concutias, ne remedium pereat alienum. Passus est miser discurrentẽ per omnia reserati pectoris improbum uagæ artis errorem. Contentũ fuisse medicum toto homine discentem primo putatis aspectu? Egesta sæpe uitalia, pertractata, diducta sunt, fecerunt uiana plura quàm ferrum. Stat iuxta medicum pater apertis uisceribus inhians, stillantem animæ sedem cruentis manibus agitantem ut festinet hortatur, iubet alsius diligentiusq; scrutari, interrogat, dubitat, contẽdit, affirmat, & accipit de filij morte rationem. At mulier infelix clusis aduoluta foribus, cruentumq; secretum toto corpore effringens, uelut super busta tumultesq; clamabat. Audi miserrime iuuenis, siquis adhuc tibi superest sensus, exaudi. non permisit hoc mater, crede orbitati meæ, crede lachrymis, nec frater hac uellet ratione sanari. Inter hæc reficiebatur miser haustibus, detinebatur alloquijs, comprimebatur residuus cruor, cludebantur aperta uitalia. Nemo unquam tam noua pertulit cõmenta sæuitiæ, tam quam sanaretur, occisus est. Ite nunc & quærite an potuerit medico sanante uiuere, qui tandiu uixit dum occiditur. Vos tunc putatis illius tantum languoris medicum quæsisse caussas? quæsiuit quicquid nesciebat, & usus occasione rarissima, in omnẽ uoluit proficere nouitatem. Dii immortales, quantũ infelix iuuenis animæ, quantum sanguinis, quantũ habuit ex uita, qui pertulit ordinem

nẽ longissimæ curationis? Vix ægre misero licuit mori, uix à cruciatibus suis anima dimissa est. Inuẽtum putatis esse liquorem? Inuentum est illum potuisse sanari. Agedum commento tuo senex superbus exulta, habes quod liberis, quod parentibus, quod imputare seculo possis, fecisti medicũ parricida meliorem. Libet mehercle intueri par illud. Aegrum uidisses hominem, qualẽ nõ salutares medentium manus, nõ ars inuẽta pro uita, sed diri ferarum rabidiq; morsus, & auium fames satiata destituit, hunc alium in nouas uires recensq; robur reddito uigore surgentem. Vultis scire Iudices unde uenerit tanta diuersitas? Illum pater curauit, hunc mater. Quantũ, inquit, misera pertuli laborẽ, dum tam magnam foueo tristitiam? Non fuit mihi rixa cum morbis, nec cũ repugnãtis ualetudinis rigore cõtentio. Totus in lachrymas mœrorem resolutus oderat lucẽ, respuebat cibos, fastidiebat haustus, & uitam parricidii pudore fugiebat. In omni proclamatione gemituq; frater ille diebus ac noctibus cogitationes, ille torquebat oculos. De quibus tu ægris impotẽtissima medicina meditata es? Non fuit, non fuit solo languore periturus, quem nõ potuit nec mors fratris occidere. Quid igitur, inquit, miserrima fœminarũ, sæuissimæ senex ex hac recordatione tristissimæ orbitatis ad hos uultus, faciemq; conuerteris? Sine dubio filius est, & post grauissimas denunciationes redditus uitæ. Sed ignoscat natura, pietas, non est solatium matri unus ex geminis. Felicior ille dolor est, qui transigi saltem cũ oculis potest. renouatur, accenditur, & in his uultibus illum quotidie putat uidere pereuntem. Sed & ipse gaudio redditæ uitæ lætitiaque non fruitur, nec se credere potest charitate prælatum, quem medicus elegit. Sentit infelix cuius orbitatis unicus sit, quibus lachrymis perfundãtur oscula, q̃ magnis profundisq; suspiriis concutiantur amplexus. Misera uerecundia sanitatis ingratæ, precium sibi uidetur fratris occisi. Conuertitur hoc loco Iudices mulier infelix, & uelut ad quandam præsentiã amissi iuuenis, Siue, inquit, tandẽ securitate mortis explicitus in aliquo sedis æternæ pudore requiescis, siue exclusus ac uagus, & inter fabulosa supplicia metuẽdus adhuc laceratione, per stupentes horrentesque manes umbra discurris, audi miserrimæ matris iniquissimam complorationem. Nõ quidem licuit mihi in illud cubiculum conditorium tuæ mortis irrumpere, nec super charissima membra prostratæ meis uulnera tua tegere uisceribus, quod solum tamẽ potui, corpus quod medicus, quod reliquerat pater, hoc sinu misera collegi, ac uacuum pectus frigidis abiectisque uisceribus rursus impleui, sparsos artus amplexibus iunxi, membra diducta composui, & de tristi terribiliq; facie tandem ægri cadauer imitata sum. Hoc est tamen quod de tristissima orbitate præcipue ferre non possum, propter fratrem uideris occisus, nec tamen unquam constare poterit an tu sanaueris fratrem.

GLADIATOR.
DECLAMATIO. IX.

ARGVMENTVM.

Abdicare & recusare liceat. Pauperis & diuitis inimicorum filij iuuenes amici erant. Filius diuitis cum in piratas incidisset, scripsit patri de redemptione. Illo morante profectus pauperis filius cum amicum apud piratas non inuenisset, quia lanistæ uenierat, peruenit in ciuitatem in qua munus parabatur sub tempus ipsum quo pugnaturus erat diuitis filius. Pactus est cum munerario pauper adolescens, ut uicarijs operis redimeret amicum, petijtque ut si egeret pauper pater, alimenta ei præstaret. Ipse in pugna occisus est. Diuitis filius reuersus egentem inuenit pauperem, palàm cœpit alere. abdicatur.

Pro filio contra patrem.

Neminem unquã Iudices intra tam breue ætatis suæ spatiũ plura terra mariq; perpessum, quàm q̃ proxima peregrinatione uel tuli, uel timui, uel uidi, facilis, ut opinor, fides est, cum ex omnibus quos nouimus mortalibus unus nominari me miserior possit, quem infelicem ego feci. Tamen in hac quoq; omnia excogitantis in me fortunæ uiolentia, confiteor nunquam hunc me concepisse animo metũ, ne post redemptum per alienas manus filium, displiceret patri meo misericordia. Illas uerebar magis iã non tacitas uolgi opiniones quibus crudelitatis atq; sæuitiæ reus peragor apud plerosq; sanctos & graues homines. Nondũ excusare potui q̃ redẽptus sum. Obiicitur mihi orbatus senex, & ille qui modo saluo filio etiam cõtra diuitẽ steterat, amissis in uno iuuene omnibus bonis inimicæ domus, supplex. Licet. n. totas aduocemus in odia fortunæ uires, & egentem unũ senem uniuersa gratiæ mole calcemus, cõfitendũ est tamen, plus amici nocuimus, quàm inimici. Quin ipsa prorogatæ quotidiana stipe infelicis animæ uidetur quodãmodo maligna clementia. Quod. n. beneficiũ est efficere ut uiuat oẽbus? Vnũ tamẽ uel grauius crimen infelix hæc abdicationis meæ fortuna defendit, q̃ uix ad sustinendum spiritũ sufficiẽtes cibos, prorsus tñ mortis impedimẽta, auara manu dederim. Puto iam ignoscetis omnes, si plus præstare nõ potui multo patre. Quanquam Iudices oboritur animo meo nonnunquã & illa suspicio, q̃ patrẽ non alimenta uni seni parce uiuere assueto, nec liberaliter data, nec diu danda, in offensam meã compulerint. Quantulũ est enim facultatibus diuitis, quod sub patre sane tenaci filiofamiliæ superest? Ac si foret maius forte momentũ, quis tamẽ parens tã durus est, ut propter aliquã impẽsam carere filio uelit, q̃ ipse celatus sit, q̃ non suæ misericordiæ pauperẽ commiserim, non rogauerim, præsertim qui quicquid unquã petij à patre, exoraui? Sed neq; hæc ultimo fulmine castigari meruit in differendis precibus uerecunda cunctatio. Qui dum tempus opportunum, faciles aditus, hilariorẽ animum capto, interim uolui superesse cui ignosceret. Neq; inficior tamen fuisse me lentiorem quàm oportuit, tametsi hoc præcipue habere uideor patris simile. Sed si ulla emendatio pœnitẽtia est, hic in publico uobis adhibitis rogabo. Non ego æs alienũ luxuria contraxi, nec profusus in uitia fortuna nostra male usus sum. Redemptionis meæ precium debeo. Si impetro, intelligam uerum esse quod quidã opinantur, ambitiosum patrem publicare uoluisse domus suæ misericordiã, ne uiderentur pauperes tantũ uita n inimicis suis dedisse. Si perseuerat ut porrectos egenti cibos mea fame rependas, & expulsum omnibus bonis filium similẽ facias inimico, uereor ne iniquis æstimatoribus inexpiabilis illius & sæpe reprehensi odii culpa uideatur penes patrẽ, qui tam facile irascitur. Verum. n. sic placet, fortunæ magis moribus dissidere, q̃ suis. nam & paupertatis est proprium, quãdo alia deficiunt, exercere libertatẽ, & dum contemptus fama uitatur, potẽtiores uel ambitiose offendere, & nacta bonã cõscientiã magna fortuna, indignius imparẽ aduersariũ patitur. Ergo conseruit, ut solet, casus duratura longius à paruis initiis odia, dum contumeliã humilitas facilius intelligit, dignitas grauius. Neque ulla fuit æmulatio (quæ. n. esse inter impares potest?) sed fato quodã similis e a diuersis caussis cõtentio. Hic irascendo pertinax erat, ille incendendo contumax. Quanquã nisi ultimã exprimere confessionẽ uicti utriq; placuisset, multa iam pridem signa dederant uenæ, finemq; pugnæ potentis. Nã quò pertinuisse credimus, q̃ pauper adolescens relictis omnibus solum me quem coleret, quem amaret, elegerat? Sine dubio à primis ætatis annis iunxerat nos potentissimus amor ille puerilis, dum aut nulla erant inter parentes odia, aut à nobis non intelligebantur. Post diductas tamen domos perseuerauit, immo impensius laborauit. Et si quid mihi in eo satis perspectum est, nihil horum fecit inuito patre. Quantum intelligere potui, pauper sine dubio pudore cedendi, ne damnasse caussam suam uideretur, simul quòd nulla ipsi dabatur gratiæ uia, stare uisus in suscepto circuitu, tamen quosdam molliores tentauit aditus, & dum firma tandẽ pax impetraretur, filium nobis obsidem dedit. Ac ne meus quidem offendi usus est pater, certe nunquam reprehendit, nunquam prohibuit. nec clàm feci, nec contumacem aduersus patris imperia unquam fuisse me uel ipse rerum declarat ordo. Nam quamuis infestum latronibus mare iussus intraui. Neque dissimulauerim magnas fuisse caussas patri cur hoc mihi imperaret, quod ipse facere non potuerat, ego etsi nesciebam, non interrogaui, satis plena ratio fuit patrem uelle. Felix nauigantium conditio, qui procellas modò, & sæuos tempestatis incursus, & albentes fluctibus scopulos, aliaque pericula tantum maris pertulerunt, ego miser naufragus inuideo, captus barbaris manibus, nec tam neau catenarum uinctus, quàm pondere, inundatum carcerem tuli, & uincula macie laxaui. Quis nõ ignosceret omnibus qui post hoc exemplum nauigare timuissent? Ergo qua una spe misera trahebatur anima, literas de redemptione scripsi patri (testor deos) soli. Quid enim sentire uiderer de parentis affectu, si hoc incolumi redemptionẽ ab alio petiuissem? Nam quod unum mihi secundum patrem fortuna uidebatur parasse præsidium, hoc sperare in illa sorte non poteram. Quid attinebat amico scribere, quẽ sciebam nõ habere unde redimeret? Nunquam ne mihi dabitur liberum tempus conquerẽdi apud patrem de amicis suis, qui proficisci uolentem retinere tentarunt? qui præ festinatione attulerunt moram? Profectus esset tamẽ uel inuitis omnibus (quis. n. nõ hoc

præstaret filio pater?) nisi q interim amicus antecessit. Illũ non pericula maris, non infesti latronibus sinus, nõ uicinũ meæ fortunæ documentum prohibuit. Minus hæc miror de amico, illud est quod pensari nullis beneficijs possit, proficiscentem non retinuit pater, immo si quid in subsidia uitæ seposuerat parca frugalitas, id omne in impensas itineris contraxit, & contulit, infelicissime senex, sic egere cœpisti. Dicã nunc ego per quos iuuenis præstantissimus nauigauerit fluctus, quos accesserit scopulos, quantos lustrauerit sinus? Faciliora ista putant qui nunquam nauigauerunt. In omnia preceps, sine respectu sui, quẽ iam tum apparebat uitæ nõ parcere, adijt, explorauit, & tamẽ ille quoq; qui tantopere festinabat, serò peruenit. Audite audite Iudices nouã captiui querelã. iam miser apud piratas non erã. Alebat deuotum corpus grauior omni fame sagina, & inter debita noxiæ mancipia contemptissimus tyro gladiator, ut nouissime perderẽ calamitatis meæ innocentiã, discebã quotidie scelus. Hæc tamẽ omnia sustinui, tuli, adeò difficile est etiã sua caussa mori. Et iã dies aderat, iamq; ad spectaculum supplicij nostri populus conuenerat, iam ostentata per arenam periturorum corpora mortis suę põpam duxerant. sedebat sanguine nostro fauorabilis dominus. cum me, cuius, ut interiecto mari, non fortunam quisquã nosse, natales, non patrẽ poterat, una tamen res faceret apud quosdã miserabilem, q uidebat inique comparatus. Certa.n. arenæ destinabat uictima, nemo munerario uilius steterat. Fremebant ubique omnia apparatu mortis. hic ferrum acuebat, ille accendebat ignibus laminas, hinc uirgæ, inde flagella afferebãtur omnes piratas putares. Sonabant clangore ferali tubæ, illatisq; libitinæ rotis ducebatur funus ante mortẽ. Vbiq; uulnera, gemitus, cruor, totum in oculis periculũ. Si quid est in me abdicatione dignum Iudices, unum crimen agnosco, q in hæc amicum meũ misi. Est quidem felicibus difficilis miseriarum uera æstimatio, si iurare tamen potestis qui tunc animus mihi, quæ cogitatio fuerit. Nanque & natura redit in extremis tristis præteritæ uoluptatis recordatio, & mihi cum generis conscientia, cum fortunæ conscius aliquando fulgor, cum liberales artes, cum omnia quondã honestiora muneratio meo, domus, familia, amici, cæteraq; nunquã uidẽda in ultima mortis expectatione succurrerẽt tenenti seruilia arma, & ignominiosa morte perituro, cum (si ulla miseris est fides) quid horum omnium ignari agerẽt propinqui, nihil peius de fortuna mea suspicantes, quam quod scripseram, illud tamẽ grauissimum, q patrem qui tandiu nõ ueniret, captũ putabam. Ergo tota cogitatione intentus in mortẽ, expectabam cruentum illum confectorem. Quis enim dubitet quid futurum fuerit si ego pugnassem? Ille quoq; occisus est, qui inter nos, ut apparet, fortior fuit. His cogitationibus attonito, & in mortẽ iam penè demerso, inopinata subitò amici mei species effulsit. Obstupui, totumque corpus percutrit frigidus pauor, neq; aliter quàm si uana obijceretur oculis imago, mente captus steti. Vbi primum lux rediit, laxatumq; est iter uoci, Quid tu, inquam, quo casu peruenisti huc miser? Nunquid & te uendidere piratæ? At ille compleuus ceruices meas, effusis in pectus meum lachrymis, solutus, intercepto prope iam spiritu, serò, iam trepidante me, primã uocẽ & diu solam edidit, Satis uixi. Vt uerò caussas itineris reddidit, & uenisse se ad redimendum indicauit, & unde inquã tibi pecunia? nisi redistis in gratiam, & te pater meus misit? Audite gentes, audite populi, non sola iudicium nostrũ corona circumstet, sed si patitur natura rerum, totus ad cognitionem talis exempli orbis circumfluat. Tacete priora secula, in quibus tamen à primordio generis humani paucissima amicitiæ paria admirabiliora fecerat longa tẽporibus nostris fides intercepta, quicquid historiæ tradiderunt carmina finxerunt, fabulæ adiecerunt, sub hac comparatione taceant. Quis crederet (si dubitari posset) inter duos amicos, quorum alterum immunem malorum omnium fortuna fecerat, alterum piratis ac lanistæ tradiderat, meliorem cõditionem fuisse captiui? Si diues essem, inquit, pecuniam pro te attulissem. quod unum pauperibus præsidium est, manus habeo, has piratis daturus fui, has pro te in pugnam uicarias dabo. Ignosce pater, q nimia cõtentione affectus, penè tibi orbitatis uulnus impressetim. Testor deos non per me stetisse quod uiuo. Neq; enim ita me efferarat ludus, aut in tantum durauerat animum cædis longa meditatio, ut eum amicum uellem occidi, qui pro me mori poterat. Vindicabam mihi fortunã meam, & adhuc necessitatis gladiator depugnare etiam uolebã, neq; ullis precibus poterã euinci, quanquam se non superfuturum alioqui minabatur, idq; unum affirmabat interesse, utrũ uicarium mallem habere mortis, an comitem. Nõ uici. Quid igitur actũ sit quæritis? Duxit me ad munerarium Iudices. Quas ego illius preces, quàm pertinaces lachrymas, quàm miserabilẽ obtestationem uidi? Nemo unquam sic rogauit missionem. Transferuntur in illum detracta corpori meo arma, & malè aptatis insignibus festinatũ par producitur. Quid me admonetis supremarum amici mei precũ, quibus hæc alimenta caro empta, inopi patris senectuti petita, adiutoriũ hoc ad caussam putatis? Me pudet q rogatus sum. Per hanc, inquit, mihi lucem ultimã, per notissimam amoris nostri fidẽ, non sinas mẽdicare parentem meũ. Sustineas, adiuues, præstes affectum, si moreor, tu sis illi uicarius meus. Nec plura dicẽdi tempus, iamq; suprema per galeam dederã oscula, digressisq; in diuersum ministris permissus Mars erat. O quàm solicitus spectaui? quàm attonita mente? quàm simili corporis motu? Quoties ad infestum mucronẽ, quasi ipse peteret, me summisi? Quoties ad conatus erectus sũ? O misera cogitatio, ò crudelis natura metus, merito tu amice pugnare maluisti. Facinus indignũ, illum animũ, illum ardorẽ non contigisse castris, non bellicis certaminibus, ubi uera uirtus, nulla pugnandi lege præmium scribitur. Qua ui prælium inuaserat, icatus etiamnum tanquã aduersario meo ad omnes impetus excipiebant callide ueterani gladiatoris astu, omnes conatus contra se erant. Nec difficilẽ tamen sub illo præsertim auctoramento habuisset missionẽ, sed noluit gladiator uiuere. Igitur iam nudum corpus uulneribus offerens, ut totã propè mercedem semel solueret, stans periit. Cui licuit in patria, in domo, inter propinquos, securo consenescere æuo, tranquillam sine reprehensione agere uitam, & iacet confectus uulneribus, & primo iuuentæ flore fraudatus, perijt miser fato meo. At ego qui debebar ille fortunæ, quẽ mors sibi destinauerat, emissus ludo nocentior, quàm uẽditus etiã uiatico illius infelicis reuertor. Placeamus licet nobis fortuna nostra pater, pauperi soluẽdo non sumus. Si qua est fides Iudices, pudet me contrà indicare mea beneficia, nec uideor uobis rationẽ posse reddere, q mihi tam parũ obijciatur. Redemptoris mei patri in preciũ meũ orbo, egenti, quid præstiti? Quod pirata capio, qđ lanista gladiatori, exiguam stipem, & cibos semper petendus. Quantulum.n. dari poterat, quod nõ sentiret dominus tã curiosus? De hac re consedistis, hoc concitauit istã iudicii scenã, panis datus mẽdico, & dilatata hac impotentiæ nostræ opinione, uidebamur amicos ferro occidere, inimicos fame. Cõputemus totam istã meæ luxuriæ impẽsam, audite summã, & miramini si hos sumptus ne diuitiæ quidẽ sustinent. Tanti cõstat patri captiuitas mea, cũ tam care redemptus sim. Quo tandẽ pater eris animo, si delicatus adolescens, præsertim splendidis opibus, uel ex ætate mores, uel ex fortuna traxissem, & tẽpestiua conuiuia & peruigiles ludos aduocata sodalium turba, solutus atq; affluẽs urgerẽ, tantumq; impenderẽ quantũ non posset te ignorante cõsumi, quæ tamẽ ipsa boni patres libenter annis remiserũt, cũ abdicatione dignũ putes, & ultimo patriæ potestatis fulmine coercendum, q mendico seni porrexerim, ut parcissime dicã, quod illi filius misit? Non redempta meretrix, nõ egestũ cõuiuiis fœnus non lenonũ parasitorumq; cara adulatio in crimen uenit, cibaria senis nẽpe unius ætate ac malis cõfecti. Hoc diuitias tuas concussit? hoc fundatã paternis auitisq; opibus domũ exhausit? Si tam auarus es, computa, adhuc de alieno uixi. At hæc fortasse quæ circunstat iudiciũ corona, & omnis ignara caussæ turba, magnũ nescio quod & portento simile crimen expectat. Abdicas me pater tam citò? Modò tibi ea illa funesta peregrinatione insperatus reuertor, unde ut uenirem, uix optare potuisti. Nulla adhuc pro reditu meo soluta sunt uota, non percussæ dijs immortalibus hostiæ, redẽptori certe gratiã non retulimus. At ego expectabã ut desiderio incensus affectus uix posset expleri, ut post infaustã profectionem uelut obiurgatus tanto periculo, nunquã me posthac salrẽ peregre dimitteres. Vix salutatis laribus expellor, & apud plerosq; dubitari potest an admissus sim. An hoc agis, ne quid tibi præstitisse uideatur qui me redemit? Sæuus.n. credo & impius, & (quod maximum omnium uitiorum signum est) ingratus beneficia patris non æstimo. Fortasse cui uitam debeam nescio, nulla est apud animũ meum memoria meritorũ. Miserum me, q nõ possum tantum soluere, quantũ accepi. Quanquã caussas abdicationis pater altius repetit, & ultra peregrinationem meam inquirit, idq; ratione duplici. Primum, ut reũ quem premere atrocitas criminũ nõ potest, turba confundat, deinde ut grauius uideatur iudicium patris, cũ is dãnet qui soleat ignoscere. Cur, inquit, cũ ego inimicum haberem pauperem, tu amicum filium eius habuisti? Volo Iudices omissa omni contentione sic agere. Peccaui, ueniam peto, & errare hominis est, & ignoscere patris. Duxit me similis ætas, euicerunt officia, cepit fides, amare q̃ odisse non potui. Nihilominus satis abundeq; pœnarum est, & si pretarẽ tuam bene noui, plusquã uelles, datum est. Quantũlibet peccauerim, quid amplius iratissimus dominus exigeret? Ludo tibi satisfeci. Nullum ne cladibus meis finẽ dari placet? Parũ est q infanos pertuli fluctus, & sæuis tẽpestatibus cõmissus, arbitrio uentorũ pepẽdi? Parũ est q in nefarias latronũ manus prædã perueni, & (quæ

ultima

ultima malorum etiam seruorum conditio est) sine exceptione uenalis? Inde me si uoluisset, emere potuit inimicus. Parũ est q me diu piratæ in carcere tenentũ, quia redemptorẽ illis diuitem promiserã patrem, in ludum uendiderunt tanquã deceptiQuòd quotidianæ pugnæ meditatione tandiu mori didici? Quòd compositus, armatus inductus perieram, si melior amicus fuissem, nisi me noua uelut in portu adoptata tempestas, paternis laribus extorrem, & necessarii quoq; uictus inopem, circum ad alienas mitteret domos? Pudet enumerare calamitatũ mearum gradus, piratam, lanistam, patrem. Atqui pars ista criminis Iudices mei nõ defendi meruit, sed laudari. Neq; enim reperio quid in rebus humanis excogitarit natura præstantius amicitia, quid concordia contra fortunã maius auxiliũ. Nam primum præter cętera animalia indidit nostris pectoribus quandã societatem, quæ mutuo gaudere congressu, contrahere populos, condere urbes edocuit, & cum mentibus nostris uarios imposuerit motus, nullum profectò meliorẽ beneuolentia tribuit affectum. Quid n. foret humano genere felicius, si omnes esse possent amici? Nõ bella, seditiones, latrocinia, lites, cæteraq; mala quæ hominibus ex seipsis nata sunt, fortunæ accessissent. Id quia nimiũ deo uisum est, at certe honestis cõuenire mentibus, fidẽ colere, amoris gratiam referre omnibus temporibus, omnibus gentibus præcipuũ & quodãmodo sacrũ fuit (neq; enim nisi optimis mentibus contingit ut aut sic amare sciant, aut sic amari mereantur) hoc ego crimen expauescam? Scires quantopere gloriaret pater, si cũ amico ego meo redissem. Nisi forte similitudine flagitiorũ ductus, turpi me coniunxeram iuueni, quæ uita sine dubio nomen amicitiæ non accipit, tametsi ad paria ducente natura, uitia amborũ conuenerunt. Obijce mihi amicũ, & habes maledicẽdi materiã. Gladiator fuit, quare amicus illius fuisti? Ita, opinor pœnitet. Efferte longius dolor, & nimia concitatus ira, quò progrediare non respicis. Non sentis pater hoc te mihi obijcere, q uiuam? Quisquã de illa amicitia queri potest præter pauperem? At ego inimicum habebam illius patrẽ. Decuerat quidẽ, simultates, quas maximè omnium mortales esse uoluere sapiẽtes, in his desinere, in quibus nascerẽtur. Nam sic quoq; immodicas serit discordiarũ fortuna caussas, etiamsi non hæreditaria subeamus odia, ac diutius inimicitiè maneant, q inimici. Tamẽ siquid aduersus te ipse cõmisit adolescẽs, sit hostis & meus. Si innoxius, & omni uacãs culpa, charitatẽ mereri cupit, si nullius me amici filius ualdius amat, qui tandem uis pater respuã, & iratas obijciã manus? Tu quoq; non odisses pauperẽ si te amaret. Inserit se, & beneficijs certat. Noras adolescentem omnia ultro præstantẽ, & sic me amabat, quãuis tu esses inimicus patri. Adijce, si tanta in adolescẽte indoles fuit, quantam nulla unquã cognouere secula, si fides antiquissima, & cũ deorũ certe permixtis inaudita temporibus, si me semper habuit chariorem spiritu suo, etiamne despicienda mihi rarissimi boni occasio fuit? At ego perpetuã quandã mihi gloriã reor, q ille cælestis animus me potissimũ quẽ amaret elegerit, quodq; ego sim probatus tãto iudice. Me quoq; igitur feret fama per gentes, & amici laudibus illustrior uiuam. Credet aliquis idẽ me pro illo fuisse facturũ. Cur cũ inimici nos essemus, uos amici fuistis? Aliud hoc loco crimen agnosco. Peccauimus. n. fateor peccauimus, q cum amici essemus, uos inimici fuistis. Hæc Iudices diutius exequerer, nisi absoluta essent ipso iudice patre. Longũ iam istius criminis tempus est, nunquã obiecit, nunquã excãduit. Et quid hoc inter nos pater conuenit, nisi lõgiores repetis offensas? Apud malignos uidearis me iratus nõ redemisse. Sed siquid ante cõmisissem odio tuo dignũ, potuisti me redemptũ non recipere. Manifestum est ergo te patiente, id est te uolente amicum mihi fuisse iuuenẽ. Et sane non solum in hac fuisti sententia, idẽ filio permisit & pauper. Atqui si pars hæc caussæ, quæ cõfessione longi silentii absoluta, hodie in accessionẽ criminis alterius deducitur, potest apud uos impetrare ueniã, facilior certe sequentiũ ratio est. Ille enim sane fuerit inimici filius, hic iam est amici pater. Nec ignoro Iudices q male ista defensio de humano genere mereatur, si adeò nihil est per se misericordia, ut nisi ulterior aliqua necessitas pudorem iam fecerit, pro summo crimine damnanda sit minus necessaria humanitas. Ergo si alienum & ignotum, tamẽ (quæ publica omniũ mortalium, quippe sub uno parente naturæ, cognatio est) hominẽ cibo forte iuuissem, pœna dignũ uideretur seruasse pereuntẽ animam, & ignouisse rebus humanis, & respectu cõmunis omniũ sortis, uelut adorato numini stipẽ posuisse Fortunæ? Si hoc crimen est, laudetur ergo crudelitas, nihil habeatur piratis lanistisq; prudentius. Ferãtur sane profutura humano generi duo exempla, intra tã breue tempus propter misericordiã alter abdicatus, alter occisus. Quod crimen si fatendũ sit, nõ animum mihi ipse finxi, aut mea potestate regitur affectus, in arbitrio formantis mores omnium naturæ cõpositus, cum crimine meo natus sum. Nam siue cælestis prouidentia, siue irrationabilis casus siue assignata siderum cursu nascentibus nobis necessitas, multa uarietate pectora nostra distinxit, nec minus numerosas animorum quàm corporũ dedit formas. Sunt quorũ mentes etiam nocentium supplicia confundant, qui ad omniũ sanguinem pallescant, ignotorum quoq; miserijs illachryment. Sunt contra qui ne suorũ quidem misereãtur. Mihi mite pectus, & mollis affectus ad omnem calamitatum conspectum tremit. Noli me æstimare mea fortuna pater, non habeo gladiatoris animũ. Vtinam quidẽ mihi caussa permitteret sic gloriari. Iuuenis cõceptus splendidis parentibus, cum solum tam speciosæ fortunæ crederem fructum posse prodesse, & contra uarios mortalium casus quasi portũ benignitatis aperire, concupiui quandam humanitatis ciuicam gloriam, periturum hominem, siue ille naufragio eiectus, siue spoliatus incendio, siue exutus latrocinio erat, naturæ patriæque restitui. Paria tecum facio Respublica, quæ propter me unum ciuem perdideras. Hæc me magis decet impensa, quàm uestis quàm argentum, q ubi laus emitur. Vbi. n. pecunia melius poni potest, q ubi fœnus bonitatis extenditur? Magna cõscientia est, felicitatẽ meruisse. Ignotus sane sit & alienus, quid fuerit antè, nõ quero, post hæc erit amicus. Et hercle quo quisq; plus potest, quoq; latius patet ad fortunæ in cursus, hoc magis cogitare debet atq; respicere, quantum in nos fortunæ regnum sit, quàm instabili sede humana consistant. Non me aurata laquearia, nec radiantes marmore columnæ, nec graues crustæ fecerunt immemorẽ fragilitatis. Multa sępe & locupletibus accidunt, sæpe in imũ summa decidunt. Ego uidi pauperem auxilia diuiti ferentem. Sed sane superbius æstimet miserias longa felicitas, & alienum casum facile despiciat securus sui. Ego quoties auxilia calamitatis petere aliquem uideo, nõ possum nõ moueri fortuna mea. Succurrit mihi continuo tempus illud, quo ipse clementiã optabã. Ignosce pater, si penitus animo meo hic insedit affectus, amare misericordiã miser cœpi. Sed inimicus, inquit, meus est. Nã quis uos tantopere laudaret pater, si hoc amico præstaremus? Hæc est celebranda uirtus, hæc animi suspiciẽda moderatio, uincere irã, & inter simultates quoq; meminisse hominis. Vt Fabio Maximo immortalẽ attulit laudem ereptus ex hostiũ manibus inimicus, ut Tiberium Gracchum admirata ciuitas est, Scipione in carcerem duci prohibito, te quoq; similis animi magnitudo memoriæ dabit. Tuis enim opibus uiuit inimicus. Quicquid est istud quod senex inops ex nostra domo accipit, si nõ irasceris, tu præstitisti, tibi hoc pulchrum atq; magnificũ est. Nã ego si quid in patrẽ seruatoris mei confero, nõ sum laudandus. Neq; expectaueris hoc loco pater, ut illa dicã, Semper odiorum honestus occasus est, & dũ simultates nihil aliud habent q nocendi cupiditatem, speciosa in melius animi mutatio est cum exempli honore, iunctæq; ex hostili penè cõcursu in affinitatem manus. Vnde tantũ misero boni ut inimicus sit? Aspice solum egẽtem, senem, omnibus præsidiis destitutum, non ne contumeliam fortunæ tuæ facis, si hunc odisti, & adhuc tua putas interesse ne uiuat? Nulla tibi contingere maior ultio potest, q si talis est, ut illius etiã nos misereamur. Magna mehercle iam de uetere æmulo pœna superest, panem eripere mendico, & grauissimæ se fortunæ, manu pondus imponere. Age si perisset, cadauer calcasses? Feræ mehercle generosiores, iacentes transeunt, & referunt hostes, restituræque urbes maiora caussæ exempla sint, quod scio uictis etiam gladiatores parcunt. Post orbitatem, post egestatẽ, quid amplius potest pati, nisi quod optat? Vlterior ne tibi aliqua ultio quærenda est, aut aliquid rerum natura peius capit? Quis non te omnium mortalium inhumanissimum putet, si hoc aduersus inimicum tuũ saluẽ optasti? Sint mehercle inexpiabiles odiorũ caussæ, & cõpositis quoq; fabulis ulteriores inimicitiæ fuissent, ausim dicere, si propter illum liberos perdidisses, accipienda tamen erat à fortuna talis satisfactio, certè ad uitandam insolentiæ opinionem, quæ ferè immeritam quoq; potentiã carpit, ne uagaretur per urbem inuidiosus mendicus, & calamitatis authori caussas uulgus regereret odiorum. Nescio quomodo omnis pro laborante fauor est, nec ulla perpetuam gratiam seruat nisi modesta uictoria. Nostra potissimum clementia sustineatur, ne illius alii misereantur. Facilis, ut animaduertere uos spero Iudices, defensionis meæ cursus est. Antequam incipiam habere caussam nimium bonam, hic iam cõscientia trepidat, & ratio uelut inter binos deprehensa scopulos, cum aliud obijciatur, aliud defendendum sit, hæret in dubio. cum beneficiis meis computare non audeo. Cognouistis expositionem caussæ, quanta quamque excedentia fidem adolescentis optimi merita narrauerim, hæc mihi omnia sine dubio ille præstitit. Sed quid interest? debitor delicatus sum. Quid in hac parte defensionis agã Iudices? Dicam, referre gratiam beneficiis uolui? Ita ne tandẽ aliquis mẽdicare amici patrem æquo animo uisurus fuit?

At ille me redemit, cui nihil retuli. Dicam moueri me supremis amici mei precibus? Egregia uerò comparatio. At ille mihi præstitit, quod nō rogaui. Vtro me uertā? Tanquā honestū defendā factum, an tanquā necessarium? Alterum absolui facilius potest, alterum laudari rectissimum opinor. Veritatis interest. Audi pater, alimenta ista quæ donata egenti putas, quāti illi constent. Si accepto captiuitatis meæ nuncio, nullis precibus adductus, nullis epistolis uocatus adolescens ad liberandum me uinculis piratarum profectus esset, quibus tamē meritis pensarē, cū id mihi præstitisset, q ego tantum à patre speraui? Intrare maria præsertim tam recenti documēto timenda, & latrones ultro quærere, & cū preter uicarias manus nihil esset, nauigare uoto captiuitatis quis posset alius quàm qui paratus esset pro amico mori? Magnū hoc per se, ac seculo nostro uix credibile Iudices. Illud uero omni prædicatione maius, ad redimendum me profectus est, cum mendicaturū patrem suū sciret. Atqui sperare poterat futurū, ut sine periculo suo redimeretur nihilominus amicus, cū haberem diuitē patrem. Sed noluit ipsum itineris apparatū, & ne qua periret redemptionis hora, præceps cucurrit. pro fidem deum hominumq; quemadmodum ad redemptionē amici festinat etiā cuius pater lentus est? Terentium, quē inter cæteros captiuos secundo Punico bello Scipio Africanus uincula exoluerat, memoriæ tradidere maiores, insigne receptæ libertatis pileo testantē in triumpho ducis esse conspectū. Et ille quidē maioris momenti accessio publicam senserat felicitatem, priuatim tamen debere se putauit uictoriæ beneficiū. Quid me facere conuenit, qui per maria latrociniis infesta solus petitus, sum? qui lucē, libertatē, deniq; quicquid patri debeo, non ignarus, ut primo natalis horæ tēpore, sed uidens sentiensq; acceperim? nec solum donatus his bonis, sed summis periculis liberatus sum? Non ne me ex amici fide natū, & tenacioribus beneficiorū uinculis fatear esse constrictū? Miserrime, amice fidelissime, ingratū me moriendo fecisti. Et quantulum est quod adhuc loquor de mea infelicitate, despirans? Leuis est ista fortuna, hæc etiā nunc recepit morā. Solent expectare latrones redemptorē. In ludo fui, qua pœna nullā ulteriorem scelera nouerunt, cuius ad comparationē ergastulū leue est. Hoc si scisses pater, affirmo, promitto, cuius pietatis es, nemo te antecessisset, Illa certum habeo expectas ut dicā morabar inter sacrilegos incendiarios. &, quæ gladiatoribus una laus est, homicidas inclusos turpiore custodia, & sordido cellarū situ. Iamq; in eam uneram fortunā, ut me uictū recipere non posses, uictorē nolles. Aderat hora supplicij mei, qua nusquā morandum, iam præbendus erat iugulus, & fundenda uita cū sanguine. Neq; enim dubitare euentu licet. exemplar fati mei uidi. Si me ab his imminentibus malis pecunia redimisset, beneficiū tamen potius dicerem magis æstimandū esse, quàm preciū Sed apud malignos interpretes posset uideri uel spē secutus aliquā uenturi temporis, uel præsentis uoluptatem. Hoc admirabile, & uni tantum pietati referendum est. dedit beneficiū quod nunquā reciperet: & cum amicū quē redimebat, habiturus nō esset, nihil aliud emit quàm honestā mortis conscientiā. Transtulit ergo in se fortunā meam, subitóq; nō solum fortiter, sed etiā libēter id quod mihi miserū putabat. Res dictu incredibilis, gladiator dimissus, redemptor occisus est. Recepit pectore aduerso ferrū, ut quasi quam emittebat animam, in meū pectus transfunderet, & hoc uno tristis occiditur, q amplius amicū uisurus nō erat. Eant nunc antiquatū conditores fabularū poetæ, & se ad exhortandā amicitiæ fidem magna quædam composuisse carminibus putent, si dixerint aliquos per maria terrasque asperiorē fortunam amicoū tantum secutos, aut principem Græciæ uirum in ultionē interfecti amici inauspicata bella gessisse. Nam inter fratres quoq; illa maximè admirabilis, tamen alterna mors est. Vna fingitur coniunx, quæ iā perituri uitā mariti uicaria morte sua redemit, adiciturq; miraculo fabulæ, fecisse hoc eā quod non præstitisset pater. En indubitabile seculi decus & fictis maius, ut moreretur pro me amicus, suū reliquit patrem, meum uicit. Et sane quid profuisset festinatio patris, etiā si ad redimendū me prior fortè uenisset? Hoc me precio nemo aliuare demisset. Neq; uerò plurimū fuit præstitisse mortem. nanq; interim specioso titulo bene uita pensatur. illud uerò existimo grauius, nomen gladiatoris accipere, subire dominum lanistani. Minus te amice laudarē si uicisses. An ille animua rediret in cellulā, ferret saginā, magistrum, personam deniq; sceleris? Mea depugnasti caussa, tua peristi. Hæc tamē omnia ultimæ fortunæ nomina, ut mihi detraheret, induit sibi. Venit in arenā homo nec sceleratus, nec infelix. Ecquando iudices hoc audistis? Bonitate sua gladiator factus est. Vtinam Iudices hæc quæ illi speciosa sunt, tam honesta essent & mihi. Quoties ad infelicissimū respexi senē, cuius orbitate uiuo, cū confectum cladibus, & tantū pœnæ suæ residuū considero, uerū fatendū est, pudet me precij mei. Video senē meliore sui parte præsepultum, omnis etiā spei superstitē, orbū destitutū. Illud tamen solatiū est, q nisi talē amicum habuissem hæc de re dicerentur. Huic patri inuidiosa quadā, opinor, & quæ beneficio mortis pensetur, criminosa liberalitas cōtigerit egenti. Alioqui duo egentes, & circa omniū uel ignotorū domos stipem rogabimus pariter. Si quis grandis natu parens est, miserebitur senis, si quis iuuenis filius, miserebitur adolescētis. Fortasse proderit mendicaturo mihi, q ipse aliquando egentem pauperē alui. Accipe satisfactionē, in quacunque parte rerum naturæ es amice charissime. non excedere mihi tua mandata, fortuna defecit, opes auferuntur. Quod unum mihi relictū est, en polliceor patri tuo uicarias manus. Quid uis porrò faciam? Agrestia opera delicatior aggrediar? hoc à fortuna non didici, & quotidiani quæstus operis duobus egentibus non sufficit. Miserum me, si exsoluere fidem uoluero, fortasse mihi in ludum reuertendum est.

SEPVLCRVM INCANTATVM, DECLAMATIO. X.

ARGVMENTVM.

Malæ tractationis sit actio. Quæ amissum filium nocte uidebat in somnis, indicauit marito. Ille adhibito mago incantauit sepulcrum. Mater desiit uidere filium. Accusat maritum malæ tractationis.

Pro uxore contra maritum.

QVanuis Iudices inter eos qui liberorum mortibus destituti, cūcta uota & præparatas spes in senectutē ante se egerunt, id ferè acerbissimū certamē cōflictionis oriatur, ut unusquisq; luctibus ac lachrymis suis credat accedere quandā dignitatē, si miserrimus esse uideatur, hæc tamē fœmina neq; uoto neq; publico genere miserabilis, nō impudenter inter cæteras matres quæ aut unicos aut iuuenes pios filios perdiderunt, eminere & occupare quendā mœrentiū principatū differentia nouæ calamitatis affectat, quæ sola omniū supra fidē infelix in uno filio iam alterā patitur orbitatē. Priorem quidem illā, ut cōmunem cæteris, & fato accidentem, fortius utcunq; tolerabat. Nam & de filio nihil aliud perdiderat misera uisi dies, nec iam timebat ne illo quo fruebatur, mori posset. Planctibus lachrymisq;, pene improbe dixerim, parcius utebatur, nec sibi permittebat dolor lugere uenientē. Nunc destituta solatio, persuasione fraudata, dū non putabat perisse quē poterat uidere eripuit ingrata filio alterū titulū. Miser ille nisi teneretur, iā ad patrē ueniret. Tantū misera petit, ne minus perdidisse uideatur, q ipsa desiderat. Non inani persuasione, nec cogitationibus ficta lugētis umbra ueniebat, nec agitabat incertos leuis imago somnos, ac ne confusi quidē tristi cinere uultus, & infernū fauilla caput noctibus suis obibat, sed filius erat qualis aliquādo, & iuuenis, & pulcher habitu, nec aspici tantū uideriq; contētus, uerum si quid desiderio creditis miseræ quæ sola uidit, amplexus & oscula dabat, & tota nocte uiuebat. Multū perdidit mater, si contingebat hoc illi, non minus, si uidebatur. Nūc tenebras inanes, & longas oculis flentibus noctes, iuxta somnū mariti peruigil, & tantū deserta metitur. Non desiderio fictus, aut fucatus habitu, nec ut somniorū uanitate cōspicitur, sed experta non totū mori hominē, illud qđ nec flāmis uritur, nec cineribus extinguitur, nec cuneis sepulcrisq; satis premitur, expectat. Nūc ista carcere obseratā animā, & repugnantē magico iuuenē cogitat ferro. Infelicissima omniū mater plus aliquid esse quàm umbrā filiū putat, postquam potuit includi, nec sua, tantū modo pœna, proprioq; supplicio deserta consumitur rescissa orbitate, uel magia cruciāt, q non licet filio uenire cupienti. Nunc barbaro carmine grauē terram totis noctibus pulsat, & impositum sibi sepulchrū, quod non possit euoluere, quæ solebat ipsos discutere inferos, umbra miratur. Miser quē non tantum uerba clauserunt (nā forsitan per illa transisset) sed uincula ferrea, solidiq; nexus ad mortem redu xerunt. Quomodo tenetur infelix, qui ne propter hoc quidē uenit, ut quæratur? Misereor fœminæ, cuius inuidiæ totum facinus adscribitur. Maritus sic filium inclusit, tanquā se inquietari mater ista quæreretur. Igitur Iudices nemo miretur, si ad tam crudelem, ad tam immitē patrē umbra nō uenit. Sciebat ubi lachrymas, ubi posset inuenire singultus, à quo magis desideraretur. Nanq; ista ferreum pectus, & dura præcordia, nec sunt de orbitate sensus. Quid n inhumanius patre, quid inueniri truculentius potest? Inuidit matri ne filio frueretur, nec hoc ideo fecit, q a ui-

dere

dere ipse malebat: ne uiuentem quidem adhuc & incolumem tam blande, tamq; debita pietate prosequebatur, ut defuncto seruaturus affectum etiã sepulti patet uideretur. Tanto magis effusa mater, & sui ac patern is metibus occurrẽs. Hæc pallidior ad metus, ad uota promtior, non diebus secura, non noctibus. Et ille miser intelligebat utri promptior ex parentibus & facilior esset affectus. Itaque ab huius osculis, ab huius fœminæ ceruice pendebat. Et quia longum est officia præterita debitæ pietatis agitare, illo ipso languore quo filius caducũ illud & fragile corpus amisit, quã perdite mulier, & usq; in exemplum, modò super ora pallẽtis infelices lacerabat oculos, nunc siccata frustra ubera querebatur, nunc superstitem cædebat uterum? Notabat hæc ille deficiens, mandabatq; morti suæ cui periret. Vbi sunt qui cito iubent stare lachrymas? quibus non placet longum agere mœrorẽ? Retulit umbra gratiã matri. Scio, & intelligo, cum inter gementes cadauer iacet medium, & cũ omnes uidetur remisisse curas, tunc sentit, & intelligit, & inter suos iudicat. Moneo te orbitas, moneo effusius fleas, effusius efferas, nunquã perisse credas. Filii sui umbra cui non apparet, irascitur. Iam gelidi piger corporis sanguis omnes in mortẽ strinxerat uenas, & nutantiũ fulgor extremus uanescebat oculorũ, & iam desperantibus medicis crediderat pater, adhuc tamen sperare mater uidebatur, & quamcunq; corporis partem osculis misera tepefecerat, illi uitæ calorẽ redisse clamabat. Oderat ignes, oderat rogum? reponi corpus, & seruari mẽbra cupiebat. Et nunc infelicẽ magis matrem pœnitet quòd sepultus est, qui poterat reuerti. Scitis ipsi quo exequiarũ die labore extracta sit, quamdiu filiũ tenuerit allambentibus flammis. Vnde enim speraret ut postea uidere contingeret? ut extra arbitratem haberet oculos? Iam magũ misera quærebat, ut umbra tuo careret. Reliqua, mater infelix, tu ad iudices referre debebas. & nisi orbitate, nisi lachrymis uox mutaretur in gemitus, noctes tuas quanto melius tuo ore lugeres? Ego utcunq; potero persequar. Satiare misera, satiare saltem memoria diei illius, quo exequias uinci duximus. Iam planctus, inquit, lachrymasq; consumpserã, & tenebras uelut perpetuas uenire gaudebã. Iam fatigata propinquorũ officia defecerãt, iam plangorẽ familiæ altus sopor uicerat. Rogo ne quis tã contumeliosus sit in matrẽ, ut per quietem contigisse illũ dicat. Vnde miseræ tunc, unde somnus? Nihil de te marite, nihil queror. Satis magnas dedisses pœnas, si totis noctibus mecũ flere uoluisses. Vidisses utiq; non quemadmodũ tenues rerũ imagines solent cogitationibus accipere corpus, cũ uanæ absẽti animo cogitationes singũtur, sed ipsum filiũ qualis blandissimus erat, & si dimittatur, uidebo. Subito ante me diductis constitit tenebris, nõ ille palleos, nec acerbo languore consumptus, nec qualis super rogos uidebatur & flammas, sed uiridis, & sane pulcher habitu. Nescio ubi totã reliquerat mortẽ. non igni torridæ comæ, nec fauilla funebri nigra facies, nec uix leui cinere compositum umbræ recentis igneus squallor. Proclamat te mater infelix, etiam si talẽ uidere desisset. Primo tantum fletus, & se permisit agnosci. Ego tunc plurimũ stupui, non ausa oscula dare, non iungere amplexus. infelix primã perdidi noctẽ, dum timeo ne fugeret. Hanc tu marite persuasionẽ putas, & uanum animi mei lugentis errorẽ? Quicquid est in filio, plus apud matrem sit cum desinit. Vis denique scire quid uxori tuæ detraxeris? ea defuncto filio non habet aliud quod speret. Iam nox altera aderat, & primis statim tenebris prestò filius erat, nõ ille ut pridie procul, & tantũ uisendus, sed audacius & propius, & ad matris manus tanquam corpus accedens. Nec iam nisi cum luce certa, fugatisq; sideribus, inuitus ille uanescebat ex oculis, multũ resistens, sæpe respiciens, & qui se promitteret etiam proxima nocte uenturum. Iam mœreri locus nõ erat, mulier filium nocte uidebat, die sperabat. Quid attinet singula referre? Nullius, inquit, destituta sum tenebris, donec scelerata tacui. Satiabar osculis, satiabar amplexibus. & colloquebar, & audiebam. Misera plus perdidi, si nemo credit. Iam cœperam tuã quoq; marite crudelis agere caussam, rogabamq; iuuenem ut paternis quoq; oculis lætus occurreret, & tibi ingrate dimidia nocte cedebã. Iam miser & ille pollicebatur. hæc me fiducia perdidit, ut cõfiterer. Rogo, quid tam muliebre, quid tam maternũ fieri potest? Gaude, inquit, marite, gaude: filium fortasse nocte proxima uidebis. illum quẽ crudelibus flammis exussisti, ex quo cineres & ossa supersunt, iuuenem uidebis, & forte etiam die speres. Ego certè totis noctibus mater sum, uideo, fruor iam & narro. Extrinũ paterni affectus quærit is? Filium uidere timuit. Sic magũ protinus nescia matre, cuius horrido murmure imperiisq; uerbis dii superi manesq; torquentur, excogitator iste mortis alterius aduocat, non ut extracti manes deducerentur, nec ut euocata nocturnis ululatibus undecunq; umbra properaret, sed tanquam parũ sepulcra premerent, & tumulorum leue pondus esset, filius, inquit, meus non satis periit, adhuc fulgore siderum fruitur, & nocte nostra. Nam cũ dies accedit, imponit morti suæ finem, domum repetit, & maternos territat somnos. Inueni aliqua, inueni uincula uerborũ, sed arte tota, sed labore toto. Magna tua gloria est, si retines filium, qui redit etiam à morte ad matrem. Noxiũ sepulcro circundatur carmen. Tunc horrentibus uerbis urna præcluditur, tunc primũ miser filius mors & umbra fit. Ite nunc & putate uana fuisse matris solatia. Filium ista si cogitationibus & inani persuasione uidisset, adhuc uideret. Ne, quæ supplicia sustinuit infelix illa statim nocte? Iam totam domũ ac familiã quies prima sopiuerat, & tacentibus tenebris uenerat tempus dulcissimum matri. Iacebat hæc insomnis, inquieta, cum diceret, iam statim apparebit, iã statim ueniet: nunquam tamen tardius uenit. Miseram me fili, proxima nocte iam ueneras. Ecce iam medios sidera tenent cursus. indignior, irascor. ita demũ mihi satisfacies, si apud patrem fuisti. Miserã me, iam maligna mundus luce clarescit. Quando uenies? iam redire debebas. At postquam alteram tertiamque noctem deserta uanis questibus duxit, tũ tristiora lugubria, tũ squallidæ magis placuere uestes, tũ repetitis sanguinauere planctibus iam conualescentes lacerti. Nihil est infelicius matre quæ perdidit aliquid in filio postquam extulit? Cum uero cõperit noctes suas iuuenis necessitatibus magicis excãtato perisse feretro, quã tum illa præfixũ clausumq; tumulũ nudis cecidit uberibus? quo fletu sepulchra perfudit? quo gemitu audientem forsitan & exire cupientẽ frustra uocauit animam? O natura crudelis, plus magũ posse quàm matrẽ? Vbi sunt qui acerbas mortiũ necessitates, & ferrea iura fatorum, & inuictas nec ullo mœrore mutabiles manium leges querebantur umbrarũ? Filiũ tuum mulier infelix nõ impositæ inferis clusere terræ, nec spissa perpetuæ noctis caligo cõposcuit, non fabulosa uatibus palus, inusitumq; celebrati curuato igne torrentes: hæc permeabat, hæc omnia nocte transibat, leuioremq; mortẽ suã fecerat, quàm si peregrinaretur & abesset. Et nunc minus mali pateretur, si nõ sentiret. Ille qui nõ uenit in quendã carcerẽ translatus à tumulo, patitur ueneficia uitæ. Magnæ sunt ergo umbram catenæ, & quanquã uolatilem uagamq; imaginẽ, morti stringunt atq; alligant tanquam reũ corpus animam. Ferro uerò ac lapidibus arctare, & ut solent bellicæ robur accipere portæ, ipsam umbrã iam catenis alligare, iam claustris, non dico crudele est, portẽtosum, nefariũ, utiq; si hæc faciat qui sensurum filiũ credat. Et nunc illos miserrima mater in corpus putat & in mẽbra descendisse mucrones. O mage sæue, crudelis, ò in lachrymas artifex nostras, uellem non dedisses tam magnũ experimentum. Irascimur tibi, & blandiri necesse est. Dum clusis umbram, intelligimus solum te esse qui possis euocare. Videtur ita mulier infelix à dignitatis dolore secedere, quòd tam uxorias in forum querelas, & tanquã delicatæ matronæ desideria pertulerit. Non enim uestes, nec aurum, nec ambitiosos quærit ornatus, contenta est orbitas sordibus suis. At ne pellicis quidẽ dolore compellitur, nec tacita gaudia mariti, impatientia & muliebri uanitate complorat. Sed nec relictum torũ desertumq; genialem uelut contempta uilitas uxoris ulciscitur, alia longe, alia de noctibus cura est. Ne timueris, quæcunq; est, dignitas est magni doloris, nihil quæritur misera nisi par orbitati, nisi matre dignũ, quòd publicos consumat oculos, quod ignotas quoq; exigat lachrymas. Quantam enim à marito acceperit iniuriam, scire uultis? Sola mater filium perdidit, nec potest inuidiam facere morti. Ante itaq; quàm sciatis Iudices quis dolor, quis'ue mœror, quæ tanta impatientia eruperit, ut mulier aliquando dulciũ oblita tenebrarum, clarũ nitorẽ publicæ lucis, & diem etiam domi inuisum, in foro, interq; leges notabilis & sepulcris abstracta pateretur, certum profectò habetis, neq; audaciam, neq; impudentiam, nec uanitatem unquam querelas habuisse miserorum. Quàm uerũ est quicquid exclamat calamitas, nec ab infelicibus ficti temere exeunt gemitus? Mulier quæ sanguinantes ad Iudices porrigit lacertos, quæ scisso laniatoq; uultu, quæ liuidis profertur uberibus, magno dolore cogitur ut hoc potius agat, quàm cineres osculetur, quàm complectatur urnam. Grauis testis querelæ suæ orbitas est. Et antequã ad genus illatæ inique iniuriæ uenio, cur marite, quæ ex te filium perdidit, quicquã potest queri? Crudelis orbitatẽ feris adhuc alio dolore, tanquã parũ desideria conficiant, quæ de unico gerit, non pateris animã uacare lachrymis, suis tuis qui finũ debes, qui colloquia & amplexus. Quàm misera est quæ queritur, & de solatio suo non coniugis desiderijs large indulget, nihil aspere, nihil contra uoluntatem? Habet priuilegium suum mater infelix, molles manus, & miria fomenta magnis uulneribus admoueas. Quæ se adhuc secari plaga permittit, in summo est. Viri forsitan quo modo fortior sexus sit, & contra dolorem quàm imbecillis animus magis pugnat. Itaq; totum istud lugere, fœmineum est: & simul orbitas imbelle pectus inuadit, ani-

mus ille qui luctus suos sequitur, incipit indulgentiam sentire lachrymarum. Fidem tuam marite, coniugi flere liceat, satiari gemitu orbitati permitte quandiu uelit flere. Odi patrem, qui cũ filium & ipse perdiderit, putat omnes lugere matrẽ. Quid ergo queritur, inquis? Hoc primũ, filium nõ quomodo debes scelerate desideras. Magno animo orbus es, loqueris fuisse mortalem, & interpretaris nihil superesse post flammas. Flet iuxta latus & plangit uxor, tu siccos oculos habes. Illa totis noctibus funebres exercet ululatus, tu graues somnos, ac placidam quietem. Pater crudelis, pater immemor, quid uis tibi amplius obiectamus? Ex quo perdidisti filium, nunquam sic desiderasti ut uideres. Quid quòd eripuisti matri solatium, puta uanum & superuacuum? Nolo Iudices nolo corripias, scires quãtum esset hoc, si tantundem doleres. Res indignior non est, quàm quòd tibi de eo postulas credi, quod non uidisti. Indulge sane uanæ rei, ignosce, libenter se orbitas decipit. Magnas calamitates uana ratio sustentat, quòd in indulgent mala persuasionibus suis. Quicquid ad miseros pertinet, crudelius eripitur, quo minus est. Clamat itaq;, clamat mater infelix, si mihi aliquam imaginem filii mei, uel paruuli, uel iã adulti, uel nouissimam iuuenis auferres, inicerem tamen misera tanquam corpori manum, illã similitudinem flens tenerẽ, illos oculos, illam gratissimã faciem, & ritus oris expressos, & adumbratos artificis manu uultus. Sed illum perdidi, unde imago, unde similitudo, unde solatium. Fili plus hodie amisi, quàm cũ elatus es. Post mortem te tuum uidi. Si mehercle notas in corpore unici uestes subtrahere tentares, dicerem, succurre solatio meo. Hæc omnia apud me filii mei mẽbra sunt, ergo osculabor, amplectar, flebo supra. Nõ est ratio fortasse. Ideo quicquid rationẽ uicit, affectus est. Nihil est sceleratius prudenti orbitate, Leuia inquit, leuia loquor. Ego filium meum uidebã. Quænam istũ fortuna, quę indulserat conditio naturæ? Non excludebat orbitas oculos tuos. Eras iam consecuta mater, ut iuuenẽ die absentem putares. Maximam perdidit mors acerbitatem, si posses uidere quẽ amiseris. Videre ergo tibi contingebat ò mulier uultum, habitũ, corpus, incessum. Non crederem nisi te perdisse sentires. Tempora ergo cũ morte diuiseras, & superstite filio fruebaris omnibus tenebris. Quantum perdideris, hinc æstima, hoc tibi si non contigisset, non eras tam improba ut optares. Aliquis (ò pietas) sepultus & conditus cæteri corporis cinis & fauilla, tamen corpus fouebat in nocte, & ad solita uiuentis membra reuocatus præbebat se matris oculis, qualem non crederes recessurum. Nec queri de luce poteramus, quantũ licebat aderat. Videbas ergo mulier, ac præsentia fruebaris. Videbam, inquit, & fruebar. Et ad quem pertinebat rogo, etiã si decipiebar? Sed quid ego utor testimonio tuo? Mago credo & uidisse te filium, & nunc non uidere. Ac tu misera nihil crudelius ex marito timebas, quam ne tibi nõ crederet. Nemo, inquit, oculis meis fidem detrahat. Fili indulgentissime adolescens uidi te, nec semel uidi. Certum est, fixum est, eripi non potest. Quatenus impius pater & hoc tibi auferre conatur, ut te uenisse non credã? Nec illud garrula, nec uana uoce uulgaui. uenire te nulli indicaui, nisi qui deberet optare ut hoc posses. Patri tantum tuo, patri (Ignosce deceptæ) confessa, sum dum interrogo an te & ille uidisset. Itaq; das mulier infelix graues nimiasq; pœnas: effecit magus ne filium uideres, & solũ apud te reliquit, ut meminisses q uideras. Totum tamen illud solatiũ tuum refer misera, si potes. & primũ confitere simpliciter, an soporis pondus illud, & nesciæ quietis uanitas fuerit. Apud me quidẽ satis misera, satis eras mater infelix, etiam si tale somnium perdidisses. Miserere, inquit, melius de affectibus meis sentias. Non ego fatigata planctibus sensi uenisse noctem, uidere filium peruigiles meruistis oculi, sed primum dũ metuo, umbra processit subito. dii boni quod ego gaudium, quam uidi felicitatem? Constitit ante me filius meus discussis tenebris, ita dimittatur aliquando. Prosilui protinus, & accessi. uultus, comas, ora perspexi. meus erat. Quàm lætum se, quàm hilarem offerebat? quomodo persuadebat mihi, ne crederem morti? Scelerate nescis pater, quàm similem iuuenti filium cluseras. Circuimbant totum corpus oculi, non inueniebam quid ignis egisset. Subinde dicebam, hunc ego extuli? hunc rogo imposui? ex hoc ego cineres & ossa collegi? Si talis est, quid habeo quod lugeam? Periisse filium meũ hoc uno intelligebam, quòd illum non poteram & patri ostendere. Confitebor, primæ tamen nec ego credidi nocti, & tanquam uictus ira scebar oculis, & erubescebam misera si quies fuisset. Ecce iterum iuuenis, ecce iam quotidie uenit. Quid habeo quod interpreter? Verum est utiq;, quod semper est. Nouissime non tanquã umbra ueniebat, sed assidebat, sed amplexus dabat. Ego sentiebam & recipiebam. Quotiescunq; domus fuerat grato sopore prostrata, aderat ille, quales humanis se offerunt oculis propitii dii, quale lætissimum numen est cum se patitur uideri. Sicut omnis religio templorum omnis religio lucorum, cũ tacuere mortalia, & profani procul errauere sedibus totis, solitudine frui, & de suis dicitur exire simulacris, ita iuuenis meus noctibus totis agebat filiũ, & paterna domo ac penatibus suis fruebatur placidus & mitis, & matri propitius, ut numen & deus delabi sideribus, & uenire de liquido puro aere uidebatur. Quid imprecer sceleratissimo patri? umbram probare uoluit. Miseremini iudices, ut hoc facinus quibus debetis accipiatis animis, maius parricidio, maius quàm si filii sepulcrum funditus eruisset, & sacratos morte lapides, etiam cineres & ossa religiose quiescentia fracta sparsisset omnia. Aduocatur homo, cuius ars est ire contra naturã, qui simul ore squallido barbarum murmur intonuit, fallereq; coegit superos, audire inferos, tremere terras, ut experimentis loquentiũ fama est, constitit iuxta tumulum miserrimi iuuenis mors certior: Nunc operæ, inquit, arcana mea tenebræ adiuuate me digna, nũc omne perinum numen, & religio, quam illi irrogo, propius adesse, succurrire. Magis mihi laborandũ est, quàm cum sidera mundo reuelluntur, cum iubentur hyberni fluuiorum stare decursus, cum potentiore carminis ueneno uicta rumpuntur in mea instrumenta serpentes. Custodiẽdus est iuuenis, alligandus est inferis, & densioribus transfuga claudendus est tenebris. Quanto facilius opus erat si reuocaretur? Mox in ipsam dicitur incubuisse pronus urnam, & inter ossa & inter cineres uerba clusisse. Hoc tamen subinde respiciens cõfitebatur, repugnabat umbra. Itaq; carminibus non satis credo, præligamus omne tumuli latus, & multo uincimus saxa ferro. Iam bene habet, expirauit aliquando, non uideri, non progredi potest. An mentiar, scies proxima nocte. Omnes mehercle parentes, utiq; qui liberos perdiderunt, ire in istos oculos, in ista ora debebant. Tu sic filiũ tuum clusisti, tanquã nocentes ad inferos reuocari soleant animæ, quæ inter languentiũ familiam, & tristes penatiũ morbo uagæ errãntesq; magica uanitate capiantur? Laqueo ne uitam damnatus eliserat? Nox ium per sua uiscera exegerat ferrum? An ex conscientia uenena præsumpserat? nec recipiebat se, nisi carmine inclusus? Quando domum tuã funereus & squallidus, quãdo te terruit? Crudelissime omnium pater, de filio tuo malam umbrã fecisti. Quas nunc putas uxoris miserrime esse cogitationes? qua materna uiscera persuasione torqueri? Nunc filius meus illic unde uenire consueuerat, iacet strictus, alligatus, impatiens. Quæritur solito terrã grauiorem, utiq; cum sentit uenisse noctem, quando umbræ felicieres dimittuntur ad matres. At uero siqua inter manes colloquia sunt, & esse credo, nõ deest qui iuoeni meo dicat, quàm uilis tuis fuisti? quã libenter te perdiderunt? Quid illa mater, ad quã uo cõsueueras? has tibi catenas, hæc uincula pro merito reddidit? Ita infelicissima omniũ mulier, etsi magus etiã recedat, hoc periclitatur, ne filius se putet uenisse ad inuitam. Agit iam hoc loco nobiscũ maritus grauis, altius, sapientius, ut homo sine dolore. Negat ullos esse manes, cõtendit omnia perire cum corpore, nec remeare uiuentes à cinere sensus, nec tam uideri imagines hominum, quàm cogitari, & oculos luctibus credere. Quod si ita est, magnum ad quid aduocauit? Pessimus parentũ, qui dum liberos suos sepeliunt, flere cõtenti, ut obiter ab rogo siccis oculis reuertantur, negat ad manes, negat ad umbras peruenire quod plãgas affirmat perire lachrymas, affirmat perire singultus. O sceleratum hominẽ, quisquis luget, & timet ne hoc perdat. Vana ergo sapiẽtes persuasione frustrati, qui cõstare homines & pertici corporis alimentis animeq; dixerunt, corpus caducum, fragile, terrenum, ut sicca humidis, calida frigidis, resolutis astricta pugnarẽt, partim aut doloribus affici, an nouissimis annis, aut senectute dissolui. Animam uero flammei uigoris impetum, perennitatemq; que non ex nostro igne sumentem, sed quo sidera uolant, & quo sacri torquentur axes, inde uenire, unde rerum omnium auctorem parentemq; spiritum ducimus, nec interire, nec solui, nec ullo mortalitatis affici fato, sed quoties humani pectoris carcerẽ effregerit, & exonerata membris mortalibus leui se igne lustrauerit, petere sedes inter astra, donec in alia fata seculo pugnante transmigret, deinde prioris corporis meminisse. Inde euocatos prodire manes, inde corpus & uultus, & quicquid uidemus, accipere, occurrere suis imagines charas, aliquãdo & oracula fieri, & nocturnis admonere præceptis, sentire quas mittamus inferias, & honorẽ percipere tumultorum. Rogo, cũ filius perit, non ne satius est hoc credere? Tuæ tamen, inquit, hoc quieti præstiti, ne attonitis agitata terroribus, solicitas semper ageres, suspensasq; duceres noctes. Ita parricida commune facinus fecisti, & imputas quòd filium uidere desiimus? Somnum enim antè petebamus, & placidum soporẽ. Crudelis, nunc inquieta, nunc attonita mater est, nunc perdidimus noctes. Vmbram ne tu filii rem formidolosam, rem plenã putasti esse terroris? Quid illa lætius facie? quid illo blandius uultu? quid magis adulanti oculis? quid possunt

uidere

uidere libentius lachrimæ? Non magis metuenda est umbra filij, quàm cadauer. Necesse est ut mors horrida fiat aliena. Sed aliæ fortassis animũ imagines terrẽt, & tunc inferi uocantur cũ ignoti sunt. Itaq; prudenter, si tantũ ad suos ueniunt. Sceleratus ille, ille impius, quicunq; defunctũ filium uidit, & meminit q elatus est. Terrebaris, inquit, & solicitis noctibus laborabas. Ita'ne es ma rite crudelis? Tu elusisse filiũ etiã si ad te ueniret? Nec magus, inquit, inclusit umbrã, sed persuasioni tuæ succurrit, ideoque putas non uenire illũ, quia nec ante ueniebat, quia nec factũ est aliquid in quo auocareris. Hoc ipso incipit mater sibi gratulari. Ita non tenetur, inquit, ille, nũ premitur, nullo carmine, nullo inclusus est ferro. Remouete ergo omnia, & interrogabo. Ego autẽ scelerata tam cito credidi, ita non ille ad me ueniret solutus & liber? nõ ad hos oculos, non ad hos properaret amplexus? Quando enim me iuuenis ipse nisi flentẽ, quãdo non liuidum pectus, & sanguinantes uidit lacertos? quando nõ erubuit matri fecisse terrorẽ? Arte eluditur miser, arte retinatur. Quid uis carmina tibi amplius præstent? effecerũt quod repromiserãt. Desinis erubescere iã q filiũ nõ uides? At tu cuius in leges dij superi manesq; torquẽtur, q nocturno terribilis ululatu profundũ specus & ima terrarũ moues, modò feruẽtiũ reuocator animarũ, nunc idẽ crudelis & inexorabilis custos, aliquando preces & matris admitte. Paciscere quã libet, totos lugentis posce census, nõ ut labores, nec ut horridum carmen exerceas, sed ut ferrũ tuum refigas, ut uerba tua te soluas, ut nihil feceris, dimitte tantũ, & euocasti. Nihil ipse crudeliter patri scio paruisti, sed & huius etiã lachrymis, planctibus huius indulge, consule famæ tuæ. Execrabilem te magis facies & in ausum, si facilius de filio exoratus ut includas. Nec tu, marite, nec tu timueris ne ultricis umbræ uanis exagitere terroribus, ullisq; imaginibus, hinc secura dabitur quies, scit ad quam debeat uenire dimissus. Iuuenis pijssime, iuuenis indulgentissime, nunquam matri tuæ umbra nec manes, si modò ueneficum pondus, & terroribus omnibus uerba grauiora mago patiẽte discusseris, ad me inquit mater infelix, ad meas noctes, ad meas lachrymas, ad illos assuetos mihi semper amplexus miseræ propera. Scio quid mihi nocuerit, scio quid me torserit. Fruar, & tacebo.

DIVES ACCVSATVS PRODITIONIS,

DECLAMATIO XI.

ARGVMENTVM.

Pauper & diues inimici, utriq; terni liberi. Bellum incidit ciuitati. Diues dux creatus, profectus est in castra. Rumor ortus est ab eo prodi Rempub. Processit pauper in concionem, & accusauit diuitem proditionis. Absente eo populus lapidibus liberos eius occidit. Reuersus diues est uictor à bello. Petit ad supplicium filios pauperis. Pater se offert. Contradicit diues. Erant enim leges, ut proditor morte puniretur, & calumniator idem pateretur quod reus, si conuictus esset.

Pro diuite contra pauperem.

Expectaueram quidem ut de inimici mei supplicio nõ quæreretur, nec me decipi posse credideram in ultione quã mihi debeat ciuitas tam liberi doloris, sed quatenus eò malorũ nouitate perueni, ut in uindicta primum mea consulere leges ac iura uelletis, quæso ne quis prodesse pauperi uelit, q nec defendi potest sine genere pœnæ. Plus meretur pati homo, qui (si ipsi creditis) debet occidi. Hoc est quinimmo Iudices, quòd super omnes calamitates meas ferre nõ possum, uidetur sibi satis dixisse pauper, postquam occidit liberos meos. O pretium puta coram impatientia mea felicẽ cõsummare patrem, & gaudiorũ suorum satietati hoc quoq; adijcit, ut orbitatẽ meam liberis suis relinquat. Fidẽ uestrã Iudices, ne pereat q ultioni meæ contingit bonus pater. Actum erat de solatijs meis, si liberos suos pauper mallet occidi. Illud plane Iudices & in hac pauperis impudẽtia miror, liberos meos pudore deceptæ ciuitatis occidit, deinde me crudelem uocat. Paruulos suos ostendit, allegat, tanquam non ego potius querar hoc de quoquã patre fieri, nec intelligit quantũ debeat ad impatientiã nostri doloris accedere, si passus sum quod & in ultione miserũ est. Facinus est Iudices quenquã calamitatũ suarum inuidiã pati. Sic ultionẽ meam debetis aspicere, tanquã & liberos suos pauper occiderit. Nec me fallit Iudices plerosq; credere, callidissimũ pauperẽ nec mori uelle, & hoc q nudat iugulũ, pectus opponit, artes esse pro uita. Sed ego illũ non credo mentiri, ego qui scio q d in aluisset. Nunquã hoc aduersus nos excogitasset, nisi impatientissimus pater, & hãc pœnæ meæ suppliciorumq; nouitatẽ de sua pietate cõmentus est. Nihil magis de inimico efficere uelis, quàm quod ipse ferre nõ possis. Habet hoc mali iudices principum innocentia, q inimicos esse nobis, nisi postquã nocuerint, nescimus, & tunc omnibus patemus insidijs, quoties nos odit inferior. Homo qui omnẽ aduersus superiora rabiẽ de sui uilitate sumebat, qui genus libertatis putabat odisse maiores, nulli charissimi, nullis implicitus affectibus, q humilis, q esset abiectus, in furorẽ se magnæ colluctationis exercuit. Primus se meũ dixit inimicũ. Odit deæq; cuius ego mõstri artes pertuli? in cuius feritatis colluctatione durau? Inimicũ habui, neq; occidere contentũ, & mori paratũ. Gratias ago ciuitati q in illis necessitatibus, in quibus nihil adulationi, nihil præstabatis obsequijs, laudatus sum testimonio periculorũ. Bellum mihi fatumque publicæ solicitudinis credidistis. Sed neq; ego rem melioris ducis facere potui, quàm q sine liberis meis profectus sum, non reliquisset illos dux proditurus. Non puto Iudices adhuc quæri unde illæ falsarũ solicitudinum fabulæ repente proruperint, quis primus trepidæ ciuitatis aures rumore copleuerit, cũ uideatis quis sic egerit ut crederetis. Vidit hanc inter metus uestros occasionẽ, & quia semper apud solicitos in deterius prona persuasio est, abusus est hoc quod poterat uideri timere uobiscum. Igitur homo qui nullũ consciũ meum, nullũ mihi crimen obiecit, de mendacij magnitudine fidẽ ueritatis captauit. Ciuitas deinde cui accusator proditã se esse persuaserat, fecit quicquid hoc de me facere potuit. Liberos meos quos inimicus tota sua concione monstrauerat, occidit genere quo pereunt innocentes. Feretis me Iudices liberius aliqua dicentem? Rem pessimi exempli passus eram, etiam si prodidissem. Scio uos Iudices hoc loco mirari innocentiam meam. Vt primum enim mihi calamitates meas nuncius in castra pertulit, non arma proieci non stationes uallumq; deserui, totã orbitatẽ meam in bella cõuerti, tanquã liberos meos ibi perdidissem. Si unquam Iudices in me habuissent profanæ cogitationes locũ, si patriã odisse uel pro liberis meis possem, proditorẽ me feceratis. Necesse est Iudices huc primũ reuersus exclamem, Ita pauper etiã nunc liberos habet? Adhuc inimici mei plena domus est? O miseræ cogitationes, ò decepta solatia. Sic ego reuertebar quasi uindicatus? Quas ego legionum uestrarũ indignationes, quẽ fortissimi exercitus compesci dolorẽ, dum omnibus promitto liberos suos, dum minus pro uindicta mea, puto, quicquid ipse fecissem? Congerãtur iam licet aduersus omniũ mortalium nocentissimum cuncta supplicia, ego tamen maximum ultionis meæ solatiũ perdidi, quòd pauperi uos potius debueratis irasci. Quoniam igitur adhuc cũ paupere legibus ac iure consisto, liberos eius in supplicium patris peto. Quid facis imprecare homini qui fecit ut quisquam deberet sic uindicari? Calumniator, inquit, idem patiatur. Permittunt mihi iudices calamitates meæ queri de hac lege, tanquam parum nobis in ultione prospexerit, contra uos inuentus est uindictæ modus, quo non debeamus esse contenti. Quisquam'ne mortalium idem uocat facinus & pœnam? Tantum'ne doloris uenire de supplicijs, quantum declamatibus, putat? Nescit profecto nescit quantã patientiam paret mœrori, quantum animo membrisq; rigoris inducat, quod patiaris agnoscere. Innocentia opus est, ut miserum faciat dolor. Constet licet utrinque mortuorum numerus, totidem nobis ultio cadauera assignet, plus tamẽ est de innocentibus. Et quicquid patiuntur deprehensi, licet solatio idem sit, æquitate minus est. Vt idem sit supplicium nocentis & facinus, una ratione efficias ut illud ferre non possit. Frustra æstimatis quàm crudele, quàm seuum sit quod petimus, in quantum excesserit usitata genera pœnarũ. Explicata est iudices, explicata legis inuidia, cũ quis quod patitur, & fecit. Quid quòd hoc solum est pœnæ genus in quo non debeat nocens nisi de se queri, & tanto minùs debeat esse miserabilis, quãto maior est quòd patitur inuidia? Quid æquius excogitari, quid iustius potest? Grassatus aliquis est ferro, præbeat & ipse ceruices. Miscuit noxium uirus, refundatur in suũ facinus authoritatẽ. Oculos rapuit, effodit: reddat de sua cæcitate solatiũ. In nullo mortalium perferre possum sceleris sui impatientiam. Breuissima est iustitia uindictæ cum facinus mensura pœnæ est. Et si naturam ultionis inspicias, optime uindicatur quisq; quo modo miser est. Fidem uestram Iudices ne ideo tantum poteris iustum quod exigit reus, quia ego recuso. Nõ ferretis me pauperis mortem petentẽ, si liberos suos obtulisset. Ex omnibus tamẽ quicunq; incognita, inaudita passi sunt, nullos hac lege magis uindicandos puto, quàm quorum li-

beros aliquis occidit. Quid mihi pro hoc reddunt leges? ubi respiro? ubi claudo gemitus? unde sumo solatium? Bene, bene admones dolor, illos illos liceat inuadere, qui nunc magis amãtur, quos orbitas nostra commendat. Sic quoq; circumscribimur, nisi totidẽ sunt, nisi illis par est ac similis ætas, & ante omnia optimus pater. Deceperas me fortuna, deceperas, si mihi tam grande fecisset facinus homo qui liberos non haberet. Quid quòd ex omniũ scelerum comparatione nihil est detestabilius hominibus qui leges ipsas faciunt nocentes? Vestro mehercle nomine calumniantibus debetis irasci, quorum nefas non potest nisi per iudicium facinus imponere. Actũ est de rebus humanis, si de criminibus nostris tantundem mendaciis licet, nec ullus innocens hucusque felix est, ut diligentiæ fingentium par sit. Quenquam' ne mortaliũ in te quam finxerit, quam cõposuerit, inuenire aliquid quod possit probationem uocare, & facinus explicare facilitate uerborum? Magis odens mẽdacium, cum simile uero est. Quoties manifestum est aliquem perisse sine caussa, calumniantibus irasci debeas, ut possis illis ignoscere qui crediderunt. Adijcite huic accrationi, quòd calumniatus est in bello, quòd de proditione, quòd de duce, quòd hæc omnia fecit inimicus. Non est quòd se publico tueatur errore, nec in excusationem afferat tanquam crediderit & ipse fingentibus. Nemo sic decipitur, ut de inimico suo mentiatur. Rumor, inquit, fuit te prodidisse. Bene admones. Hunc primum calumniæ tuæ obiicio rumorẽ. Quis enim iudices nesciat famæ esse naturam, ut sit primò unius hominis audacia? De nulla re locutus est continuo populus, nec quicquã adeo subito statimque notum est, ut in illo pariter omnium sermo consentiat. Quam non possit mouere ciuitatem, quem non replere populum, si quid omnibus nobis narres, in nullo non cœtu loquaris, & de te quam tam maxime fingas, iam dicas esse rumorem? Quanta tibi deinde mentiendi materia de periculorum nostrorum occasione succurrit? Nihil est tam capax malignitatum sermonumque, quàm bellum. Quid interest unde sumpserit rumor ortum? Quod negari non potest, tu concionaris, accusas, tu crimen de fabula facis. In rumore, cuius probationes, cuius argumenta non habes, calumniæ genus est primum credere. Sed, inquit, mori debeo, quia lex qua te accusaui, hoc proditorem pati iubet. Poteraũ quidem breuiter respondere, legem quæ calũniatorem idem pati iubet, eius pœnam exigere quod fecisset, non quod facere noluisset. Fingamus tamen non hoc pauperem captasse quod accidit, cui debet imputari exitus qui de calumniæ tuæ fluxit errore? Vultis scire iudices aliud quæsitum quàm quod lex quæ mori iubebat? Accusauit me eo tempore quo non poteram damnatus occidi. Dic nunc, non ego effeci ut occiderentur liberi tui, & aude ciuitatis illud uocare facinus? non tamen ullis efficies artibus, ut non potius miserear reipublicæ meæ, nõ minus & illa facinus est passa, quàm pater. Coacta est liberos Imperatoris innocentis occidere. Fallitur iudices quisquis ullum facinus in rebus humanis publicum putat. Persuadentium uires sunt quicquid ciuitas facit, & quodcunq; facit populus, secundum quod exasperatur, irascitur. Sic corpora nostra motum nisi de mente non sumunt, & ociosa sunt membra donec illis animus utatur. Nihil est facilius, quàm in quemliber affectum mouere populum. Nulli, cum coimus, sua cogitatio, sua mens, ulla ratio præsto est, nec habet ulla turba prudẽtiam singulorum, siue quòd minus publicos capimus affectus, siue negligentior est qui se non putat solum debere rationem, & multi fiducia facimus omnium. Quam non possit rempublicam turbare, cõfundere, siquis repẽte proclamet, prodidit uos imperator uester, adduxit? & nunc ille liberos habet. Si mehercle post hanc inimice uocem templa monstrasses, sacrilegum continuo flagrasset incendium, si conuelli simulacra uoluisses, fecisset omne de numinibus suis facinus audacia. Vis scire tuũ esse quicquid ciuitas fecit? Gloriareris illo, si prodidissem. Non est iudices quod uos à grauitate iustitiæ dolor ultionis abducat, quòd mortẽ suã inimicus offert. Non petit illud, nisi quisquis ipse non debet occidi. Seposita igitur paulisper lege mei doloris, hoc tantũ ab affectibus uestris omnium mortaliũ nomine peto, ne cui nocẽti pœnæ præstetur arbitrium. Infinitam iudices sceleribus apertis audaciam, si pœnam licẽt eligere condemnato, nec iam ullã mortalium innocentiam trepidatione cõtineas, si patitur deprehensus quisq; quod maluit. Leuat omnes cruciatus, omnem dolorem, præparata mentem composuisse patiẽtia. Fallitur quisquis humana tormenta sola nominũ atrocitate metitur, nulla pœna est, nisi inuito. Non habemus ullum nisi ab impatientia dolorẽ, & ut aliquid crudele, sæuũ sit, metus facit. Supplicium quisquam uocat, ad quod prosilitur? quod exposcitur? quod circa se non habet moras? Illò per fidem, illò trahite damnatos, quò nõ sequuntur. Tũc est pœna, cum periturus trepidat, hæret, cũ restringit supremo uincula conatu. Volo perituri prius uidere pallorẽ, audire gemitus, uolo circũspiciat, uolo queratur. Fidem uestrã iudices, ne nocentibus supplicij sui contingat electio. Minus iniquũ est euadat nocens pœnam, quàm ut contemnat. Mortẽ uero dãnatis quisquis præstat, indulget, nec sunt alia beneficia pœnarũ. Fallitur quisquis illã uelut omnium suppliciorum summã putat. Occidi non est pœna, sed exitus. Neq; enim habet impatientiã aut dolorẽ, quod possis aspicere quasi fatum. Quid si liberos relinquas, immo si serues? quàm felix exitus est, plenusq; lætitiæ? Lucrifacit mortis atrocitatẽ, quisquis laudatus occiditur. Me, inquit, occidite. Non habet liberos inimice, non habet, quisquis hoc te uelle miratur. Sæue, crudelis, ego tibi permittã mori? At quid iam mihi melius optẽ? Vides quantũ feceris nefas? Idem pro liberis meis offerre non potui. Tu uero paruulos tuos tene, ut in isto potius moriantur amplexu. Tu nũc quuque non euades, non effugies. Quacunq; te duxerit orbitas, sequar, effundam si quod parateris uenenum, subtrahã omne ferrum, incidam quoscunq; strinxeris nexus, ab omni reuocabo præcipitio. Etiam occisis liberis tuis, non idem patieris inimice, nisi uixeris. Nec uereor iudices, ne putetis utriusq; nostrũ orbitatem simili esse ratione tractandã. Admouebuntur ecce contra lachrymas meas liberi, quos nemo noscet. Patris innocẽtis occisi sunt paruuli, quos nunc circa templa fertetis, circa quos se celebrat et uestra lætitia. Facinus est iudices minorem esse trãsactarum mortium miserationem. Non inuenio quemadmodũ liberis prodesse debeat odium patris. Perierunt etiam illi quorũ nec pater debebat occidi. Me miserum, quòd sic quoq; multa habiturus es, quibus ego qui uindicabor, inuideam. Osculaberis antè perituros, alloqueris, accipies suprema mandata, & morituris te cõtinuò promittes. Exonerabis gemitus tuos, cum eorum sepulcra numerabis. Siccabit oculos quòd meam nunc quoq; respicies uacuã domum. Me miserũ, pauperis tantum solatiũ futurum est, quòd patres sumus. Quid quòd in ipsa comparatione mortis non idem patientur liberi tui? Occidentur uno fortassis ictu, & erit illum manibus contenta carnificis. Paruulos meos occidit quicquid fuit tota ciuitate telorum, omnis sexus, omnis ætas, omnis infirmitas. Nihil est crudelius morte hominũ quos populus occidit, & solus hic exitus est, à quo non est nec cadaueribus salua reuerentia. Hoc me nunc cõplorare tantũ potatis, quòd non sum liberis meis ante fatiatus? Miser ego nec ad cadauera accessi, non in sepulchra maiorum meis manibus intuli, nec licuit super ipsa corpora proclamare, non feci. Qualem ego illum Patria perdidi diem, cum duces ab explicito bello reuertuntur? Non me lætæ cinxere legiones, nõ effusi obuiam ciues triumphali currus meos exultauere lætitia, sequebar captiuos meos tristior uictor, mœstus undiq; claudebat exercitus, occurrentium lachrymæ propinquorum, & erubescentis circa me populi timida solaria. O successuum quoq; nostrorum misera conditio. Ergo ego uictoriam meam nõ narrabo sine fletu, nemo amicorum propinquorumq; coram me de bello meo loquetur. Nihil est crudelius calamitate, quàm gaudia reducunt. Quoties redierit ille lætus uobis in supplicia mea dies, lugubres mihi ferte uestes, renouate seruuli planctus, parate solatia propinqui. Nulli liberi impatientius desiderantur, quàm qui propter patrem uidentur occisi. Sed uerũ, iudices, fatendum est, timeo mehercle ne par solatijs meis non sim, ne me iste quo pro liberis irascor affectus, in media ultione destituat. Sed adiuuate, misereimini propinqui, adiuuate amici, & si forte defecero, tu ultionem meam popule consumma. Timeo mehercle ne cum carnifex propius accesserit, subito proclamem, Iam malo patrem. Sed siquis est pudor, oculi differte lachrymas, abite gemitus. horridum, trucem debeo præparare, & miserum. Deprehendam igitur omnium mortalium callidissime hunc quem simulas, quem nunc imitaris affectum. tunc sciemus quo animo rogaueris ut potius ipse mereretis. Sed si bene noui capax omnium maiorum scelerumque pectus, inimice uiues & libenter, & fortiter, & quasi uindicatus.

PASTI CADAVERIS, DECLAMATIO. XII.

ARGVMENTVM.

Cum ciuitas fame laboraret, misit ad frumenta Legatum, præstituta die intra quã rediret. Profectus ille emit, & ad aliam ciuitatem tempestate delatus duplo uendidit, & duplum frumenti modum comparauit. Illo cessante corporibus suorum pasti sunt. Reuersus ad præstitutam diem republica læsa accusatur.

Pro ciuibus contra Legatum.



Vantis Iudices innumerabiles me indignandi caussæ initio statim actionis strāgulēt, quia nec dicere uniuersas semel possum, nec grauiter erumpentes differre gemitus (leuior est enim dolor qui disponitur) primum tamē ille sibi asserit locum, qui est ex hoc iudicii tempore & tam lentæ uindictæ dilatione ortus, animi mei prope dixerim furor, q̄ hominē tam sceleratū, ut nos quoq; fecerit nocentes, legibus accersimus, q̄ defendi patimur, quòd ut puniatur precamur, q̄ damnatus quoque uel morte defungetur, quam nos in illa funestissima fame, dum sepeliri licuit optauimus, uel exilio, quod hic quantopere cōtemnat, apparet, qui tam lente in patriā reuertitur. Quanquā de quo exilio loquar? Quā talibet ignominia dimittite domo notatū, habet quo eat. Non publicis manibus euntē discerpsimus? non (quoniā semel cōsueueramus, & bona fide ferarū esse ciuitas cœperat) hic primus nobis ex iā tardo commeatu placuit cibus? Sic.n. istum laniari, sic confici, sic cōsumi oportuit iure nostro. Quis credat? ego me ab hoc abstinere potui, cum & esurirem, & irascerer? Sed frumento occupati sumus, nec quicquā aliud uidemus. O quanta ea fames, quæ tam grandē iram uicisti? At ego etiam si talis ultio contigisset, si me à nefario grassatore reipublicæ non lingua, sed dentibus uindicassem, nihil tamē iræ, nihil uindictæ præstiteram: hoc & meis feci. Aestuant adhuc intra pectus sepulta uentribus nostris cognata uiscera, & tumescere intus atq; indignari uidentur, & sera pœnitentia redundant. Iam.n. uacat nobis lugere, iam et bos nostros efferimus, ut scera cremamus. nā cætera nobiscum sepelientur. O fames inaudita, in qua leuius est quòd esurimus. Ignoscite tamen uiolati manes meorū, hic uos alloquor ignoscite q̄ ora temerauimus, quòd ab homine desciuimus. Nō ut infelicē animā sustineremus, nō ut inuisum spiritū produceremus, fecimus: una caussa mortē distulimus, q̄ si expirassemus, idē timebamus. Et ego quidem me cōsumptis excuso, qui mihi ipse irasci non possum, at iste interim stat, ut uidetis, longa uia saginatus & satur, atq; abundans publico commeatu, ad mentionem ciborū nostrorum plenū fastidio uultum trahit, & exangues ac pallidos ad calculū uocat, quasi ego nō confitear illum etiam nimium multum attulisse. Tam pauci, rari per uias interlucent, & quamuis odio euersoris nostri euocatis è latebris suis populus subsellia non implet. Pauci sceleribus pasti, alienis mortibus salui, q̄ uiuunt, ipsi sibi rei graues, ægra & tabida mēbra in publicū protulerunt. Hæ sunt ciuitatis reliquiæ, quas uidetis. Sic tabuimus, ut miseri nec uiuos habeamus, nec mortuos. Hic est populus, hæ uires, hæ spes, hæ opes. Nisi tandem ad uadimoniū Legate uenisses, non multorū dierum commeatū habebamus. Quo nunc tantū frumēti? quo classem cōmeatu grauem? Multum hercle negociatione tua actū est. Frumentū habeo, populū non habeo. Nusquam prodest, nusquā opus est, iam licet uendas. Dum tu salutis publicæ nundinator proximum quenq; emptorem dimittis, dum aut funera nostra uendis, aut scelera. dū populo tuo fame moriente, alienæ ciuitati Legatus es factus, nos interim cibos ex malis inuenimus, & fames se ipsa pauit, & miseriæ nostræ crudeles factæ sunt. Patiamur te defendi, si absolui saltē nos possumus. Hæc nunc iudices ego solus queror? ad me magis pertinent? aliquid proprie passus sum? non cōmunē dolorem accusator habeo cū iudicibus? Quisquā in hac uindicta alteri cedit? nō publica inopia, non socius populi mendicitas una fuit? Nisi quia funestas epulas & nefarios inuenimus cibos, non putamus famē fuisse. In omnes gentes, in omnia uentura secula proscripti sumus, omnes hæc prodigia narrabunt, omnes execrabuntur, nisi qui non credent. Famem ipsam infamauimus, & (quod miseris ultimum est) miserationē quoq; perdidimus. Adhuc tamen una defensio fuit, q̄ uidebamur in hæc omnia istius opere impulsi. Si hic innocens est, nostra culpa est. Etiamne publica mala narrabo, & miseriis nostris conuitium faciā? Exibent uerba? subsequetur sermo? non alligabitur lingua? Plane nihil nō possumus. Explorantur ordinē cladis nostræ, & simpliciter omnia indicantur. Decet ista nostro ore narrari. Sed nouimus, & nimium meminimus. iudex doceri non debet, opinor, reo indicāda sunt, qui à malis publicis abfuit, qui hoc certe maximum debet patriæ suæ beneficiū, quòd à fame solus dimissus est. Audi itaq;, audi frumentum istud quod lucrifecisti, quanti nobis constet. Aliquis fortasse iudices miratur, etiā si huius sterilis anni fructus cessauit, q̄ tamē illa superior lōgi temporis beata fœcunditas tabuerit, & secum iste dubitat, & quid sit in caussa cur ciuitas opulenta quondam, nihil frumenti nisi in spe habuerit. Sic fit: ubi uicinis ciuitatibus uendimus, & undecunq; affulsit lucrum, sine respectu salus publica addicitur, in uacuā possessionem fames uenit. Etiam si quid residui erat, ut carius quidā uenderent, ad annonæ incendium suppressum est. Testor tamen conscientiam uestrā, non sumus questi quandiu duplo emebamus. Non.n. uulgaris illa labes frumenti fuit, nec qualis aliis ab agricolis accusari solet perfidia terrarū, & ingratæ messis irritus labor. Noua & inaudita, & abominanda lues, quæ nihil homini reliquit præter hominē. Aut astricta citra conatū sata sub ipsis tabuere sulcis, aut leui rore euocata radix in puluerē incurrit, aut perustis torrido sole herbis moribūda seges impalluit. Nullus imber sitientis soli puluerē tersit, nulla super arentes campos saltem umbra nubium pependit. Calidi spirauere uēti, maturitatem præcepit æstus: etiā sicubi forte ieiunæ herbæ solū uicerant, uanis tantū aristis spem fefellerunt, & inanes culmos tristis agricola iactauit uentis nihil relicturis. Leuiā queror: prata exaruerunt, perierunt frondes, germina non extexierunt: nuda terra, & rudes glebæ, & aridi fontes erant. Nisi hæc omnia inter scientes dicerem, poterā uideri falsò questus de hoc anno, quo tantū frumenti uendidimus. Vtinam saltem nobis rudem uictū syluæ ministrassent, & carpere arbusta, cōcutere quercum, legere fraga licuisset, & quæcunq; primi mortales ante traditos diuinitus mitiores cibos cōtra famem obiecerunt, pestifer annus reliquisset. Non eram delicatus. Sed ô tristis recordatio, funesta necessitas, nihil habuimus quo uiueremus, præter famem. Nec tamen in totum queri de numinibus possumus, maria certe secunda experti. Si uoluisset seruare Legatus diem quem illi felicitas temporis dederat, potuit nobis frumentū bis afferre. Vt primùm tanti mali sensus in ciuitatem percrebuit, cū iam urgente inopia quotidie malū arctius premeret, & præsente fortuna peior tamen esset futuri metus, apparuit nullū ex propinquo esse præsidium, cum finitimas quoq; ciuitates incendium nostrum adussisset. Erat quidem aliquid in uicino adhuc frumenti. sed iā nemo uendebat. Ergo ne uidimus salutem publicā ti aussmare petendam, se in curiā quisq; cogunt. Vt arma bello, ut aqua incendio inclamari publice solent, ita uno quodam consensu, non ætatibus spectatis, nō honoribus, pariter retulimus, probauimus, decreuimus, pedibus manibus iuimus in sententiā necessitatis, nec ordo nos officiorum moratus est. Legationem multi pollicebantur, nec innocentiæ iste beneficio, uel authoritatis meritorumq; respectu electus est, una caussa nos mouit, q̄ se cito rediturū pollicebatur. Pecuniā sine numero infudimus, frumentū sine modo mandauimus, quantum potuisset afferret, festinaret modò. Hoc una uoce supplica acclamabamus, ac ne moraremur, ne hoc quidem diu rogauimus, una tantū uox fuit, quam iste pro quodā præiudicio amplexus est. Nihil agis afferendo frumentū, si post illū diem ueneris. Nostris manibus Legatum in nauem tulimus, ac ne quid moræ esset, pro sua quisq; portione etiā cōmeatum dedimus, retinacula incidimus, & littus ingressi classem publicis manibus impulimus. Inde fugientia uela longo uisu prosecuti, facilem emptionem, secundos uentos, placidum mare, non secus ac si ipsi nauigaremus, precati sumus. Quis credat hoc de tam miseris? Omnia à diis impetrauimus. Vnum superest, ut pro aliena ciuitate nota soluenda sint. Cito peruenit, cito emit, cito rediit quò uoluit. Quid prodest expectare? Alia ciuitas prior est, & sane religiosus Legatus diem expectat. Nos interim coacta primò ex agris pecora diripuimus, & ne uenturo saltem anno prospici posset, non reliquimus qui ararent boues. Iam seruis fugas imperauimus. iam procumbentes ante limina principum pauperes in ipsis precibus expirant. Prolantibus liberis Legatum promittimus. Iam tantū sibi quisq; cura est. Nihil tamen horū etiā nunc in inuidiam Legati queror, adhuc prior cursus est. Hactenus nostra mala tulimus, in reliqua Legatus nos uicarios dedit. Si quicquā tibi humani sanguinis superest, nisi nimia saturitate alienæ fortunæ cogitatio excidit, respice patriæ casum, respice necessitatem grauissimam. Miseri te misimus, expectant pallidi exanguesq; ciues tui, & quicquid extremi spiritus adhuc superest, spe tui trahitur. Figura tibi exesos uultus, decrescentē populum, iā præmortuas uires. nec quicquā horum potes ignorare, si quid tibi credimus, fame laborantē ciuitatem uidisti. Festina dū supersunt quibus legationem renuncies. Festina dum mori ultimum est, frumento digni sumus. Quid in nos cōuertis etiā alienæ ciuitatis famem? Quatenus nobis computandū est, propter te duplum mali tulimus, tu super frumentū publicum stertis, & omnes maris circumuectus oras, littora portusq; cognoscis. Tu inter duas ciuitates fatorū arbiter, alienæ conditor, tuæ euersor, salutem nostram peregrinis admetiris, & secūda tēpestate in patriam ferentes habēs, contrarios uentos exoptas. Nos per arentes effusi campos, morientiō herbarum radices uellimus, eo quidem fortius, ut si fieri possit, in uenenū incidamus, subeuntes insolitis cibis. Et sicubi forte uberius paulo pabulum contigit, de

pascuis

pasciuis r'aa est. Amaros fruticũ cortices, & ramorũ male arentium pallidas frondes decerpimus, morbida quicquid fames coegit, corpus admisit. Iam passim moriuntur, & pestilentiũ more pecudũ subinde aliquis ex populo in ipsis pascuis procumbit. Crebrior cottidie interitus, & latior strages, & me miserũ, iam fames desinit. Quos testor deos? Superos'ne, quos per tantũ nefas fugauimus? An inferos, quos nobis permiscuimus? An nostrã malam conscientiã, omnia nos ante fecisse, quæ nemo præter nos fecit? Pecora cecidimus, campos euulsimus, syluas destruximus, nouissime nihil reliquũ est præter esurientes & mortuos. Siqua est fides, libenter hanc partẽ accusationis subinde differo, adeò ubi tantum nefas narrandũ est, etiam exigua temporũ lucra sectari libet & necesse est reo indicare, qui à malis publicis absuit, quam multis non ad diem uenerit. Ignoscite dij hominesq; sceleri quidem ultimo, sed tamen quod fecisse miserrimũ est. Non habitant unà pudor & fames, & cu semel intrarit impotens domina, feras etiã & ingentes bellnas subigit. Terrã morientes momorderunt. Memetipsum, si nihil fuisset aliud, comedissem. Sed confitendũ est, Legati beneficio non defuit. Postquam omnem patientiam uicerat ignea fames, postquam spes quoq;, quæ miseris ultima est, omnis abierat, & frumentũ toties sibi frustra p omissum animus iam ne cupere quidẽ audebat, subijt furor, & alienatio mentis, & tota sui arbitrij fames facta est. Animus malis deriguerat, os insolitis cibis stupebat. feris inuidere cœpimus. Primo tamen furtim & intra suas quisq; latebras admisit hoc monstrũ, & si paulo citius uenisses, potuisset hoc negari. Si quis ea strage corporũ defuerat, sepultum putabamus, nec tamẽ indicauit quisquã, nec deprehendit aliquis. Nemo ut hoc faceret, exemplo impulsus est, se quisq; docuit, omnes fecit cœpimus, postquã omnes fecimus. Quoties tamen antequã inciperem, in portũ cucurri? quandiu in altum intentus, siquæ essent in conspectu naues, oculos fatigaui? Tibi legate tempus differre facile est, qui tuam tantũ partem non uendidisti. Tu quem habeas diem uideris, ego septimũ expectare nõ possum. Ergo rabidi super cadauera incubuimus, & clausis oculis, quasi uisus conscientia acerbior esset, tota corpora morsibus consumpsimus. Subit interim horror ex facto, & tædiũ ac detestatio sui, & planctus. Sed cũ ab infaustis fugimus cibis, urit iterũ fames & quod modò ex ore proiecimus, colligendum est. Nunc mihi illa fœda uidentur, nunc abominanda, laceri artus, & nudata ossa, & abrepta cute intus cauum pectus. Nunc occurritur effusa præcordia, & liuidæ carnes, & expressum dentibus tabũ, & exhaustæ ossibus medullæ. Quantulum.n. corporis fames relinquebat? Nunc illud horreo tempus, siquando aut manus incidit, aut facies, aut aliquid denique quod hominem propria nota signat. Nunc cibi succurrunt quos imponere in mensam nõ ausus sum. Confitendũ est.n. deuorauimus homines, & quidẽ anxie, qui diu nihil ederamus, & tamẽ cœpisse difficillimũ fuit. Postquam ius factum est, postquã nemo erat in ciuitate quem confiteri puderet, tum uerò iam in posterum prospicimus, & funera horreis condimus. Retro aguntur exequiæ, aut citra aut ad rogos pugna est. Hæres cadauer ceruit. Nouũ & incredibile, nisi nossemus, monstrum habuimus, sine rogis pestilentiã. Mortui ratio non constitit. Perisse ciues scio tantũ, quia inter uiuentes nõ uideo. Aegri assidentes timebant, & labentẽ animam supremis domesticorũ oculis reducebant. Primò tamen nihil rogabant suos nisi tutam sepulturã. Vt maior urgere necessitas cœpit, beneficium factum est expectare dũ moritur. Nemo adeo affinis fuit, nemo tam coniunctus, quo pietas abstineret. nostros comedimus, nostros. Nam si alienos uellemus, nemo audebat, nemo credebat. Nihil est tamen q indignari uelitis, narraui uobis lucrũ nostrũ. Frumentum duplo uendidimus, & callidissimus legatus uicinæ ciuitati imposuit. Plena nũc horrea, bonæ rationes, onustæ naues sunt, & quo magis gaudeamus tanto bono, pauci sumus. Nã quod ad temporis excusationẽ pertinet, nihil est opinor q æstuet. in desertum non incidit populum, nec sanè fuit cur festinaret. etiam nunc expectare poteramus. Sola est nostra ciuitas quæ fame perire non potest. Dissimulaturum me putatis illius patrocinia? Confiteor, necesse ad ultimũ diem, attulit frumentũ, gratulemur, quòd iã nulla ciuitas fame laborat. O si uires sufficerent, latera durarent, aliquid ex aridis diu faucibus residuæ uocis exiret, quanta indignatione opus erat, ubi pro omnibus dolendum est? Quod cum ita sit, uniuersi qui adsumus, proclamemus, hæc tota concio in unam uocẽ consentiat, non esset tamen futura par crimini inuidia. ut omnes accusemus, quota pars queritur? Secum quisque reputet quæ tulerit, quid admiserit. Planè immanis belua est, & nõ tantum necessitatis caussa per nefas pastus, qui q comederit hominem, non irascitur. Succurrat dolor & seri tormentus, & alterius pœnitentia. Ades longi ieiunij imperiosa necessitas, & uos mitius implicitæ, si quid potestis, admouete animæ, & à ferali uentre prorumpite, dum cõmissum nefas deuoto capite expiamus, & quasi lustrata urbe, feralẽ uictimã uiolatis manibus mittimus. Debeor uos tales hostiæ. In iudicium perduxi publicũ scelus, & infamatæ ciuitati quæro uelamentum. Nemo non cõmisit aliquid, habetis tamen, si uultis, unum, & pro omnibus nocentẽ: Reipublicæ læsæ accuso. Mirari uos certum habeo hanc uerbi segnitiẽ, cum ciuitas tota consumpta sit, cum populus in se tabuerit, quo perstricta tantummodo patria, & leuiter (quod aiunt) manu offensa intelligi possit. Sed ferenda est, ut in cæteris, hæc quoq; rerum naturæ iniuria, quòd non tã immanibus factis paria uerba accommodauit, & fames nostra, fames dicitur, & cibi nostri, cibi uocantur. & Respublica nunc læsa. Nec finali peracto legitimo ordine reus punietur. Omnia rogo scrupulose agantur. Videte ut iure irascamur, qui contra ius uiximus. Immo etiã si libet defensionẽ audiamus, & iam nunc nos moretur. Neget læsam Rempublicã, quia plusquam læsa est. Non.n. dirutos alicuius operis angulos nec recisas lucorum frondes, nec publicarũ ædium dispersos parietes obijcimus. Ac si uidebitur, adijciet fortasse nõ esse Rempublicam quæ perierit. Id enim superest, ut iam hoc nomen extinctum audiamus. Procedet eo usq; fortasse, ut esurisse nos neget. Non inficior autẽ parũ propriè hoc legis uerbo nefas illius signari non posse. Maiores.n. ne lædi quidẽ Rempublicã impune uoluerunt, ideoq; cautio etiam hoc esse cõprehensum. Nemo autem uerebatur ne absolui posset crimen lege maius. Quid quòd actionem Reipublicæ læsæ tentas in legem male gestæ legationis deflectere? Eligit reus crimen, hoc est, nouus crucem optat. Non sustineo iudices in tanto animi motu argumenta cõquirere, nec impetus iræ meæ in digitos descẽdit, hoc tamẽ scio, non cadit in formulę publicus dolor. Nec si adeò iudicibus quid passi sunt exciderit, ut has ferant cauillationes non dolentes crimen, sed differentes, populus quoq; impunitum nefas sine lapidibus præscribit. Non præscribes. Te accusare male gestæ legationis possum. Age porrò, si occisos obsecro homines, non tu es caussa mortium? Si uiolata sepulcra, non propter te rogos fraudauimus? Sed legatus fuisti, quod tamen ipsum quid est aliud quàm Rempublicã tractare? Rẽ autẽ qui male agit, ut arbitror, lædit. An existimas hanc legatis dari peccandi licentiã, ut quæcunque scelera in eo officio cõmiserunt, cum his omnibus hac una lege decidant? O nimiũ inuidendã huius legationis conditionẽ, si tibi & famem remisit, & legẽ. Sed errauerim sanè, & quia nullũ in foro nostro iudicium fuit, desuetudine ipsa uerba exciderint, quomodo legẽ meã effugis? Nã nisi malis stupeo, duo sunt omnino quæ in eiusmodi crimine quæri soleant, An læsa sit Respub. an ab eo qui arguitur, læsa. In quibus siquid tibi fiduciæ fuisset, non à criminibus crimina appellares, nec ad alterã pœnam transfugeres, sed te ab hac quæ intenditur, tuereris. Dico læsam esse Rempub. Oratione hic opus est, aut reliquorum more accusatorũ hoc mihi quærendũ, quomodo res uerbis aggrauetur. Adeo infirmata est calamitatũ memoria, quæ si posset excidere non tamẽ narranda nobis, sed ostendenda erat ruina publica. Agedum si uidetur, extra portas prospicite squallida arua, & spinis obsitas segetes, & semesos arborum truncos. Viduus cultore agris, errantia tamen nostra innocẽtes feræ, inanes uillæ sunt, & deserta horrea in ruinam procumbunt. Nullus inuersis aratro glebis campus nitet, nullũ solum opere renouatur. Iam & in sequentẽ annũ famem timeo. Redite in domos uestras, uidebitis noxios focos, & ignes tabo cadauerũ extinctos, & tecta mortibus grauia. Cum maxime inferimus in tumulos ossa insepulta, ducimus opertas exequias, & ad sepulturã residua conferuntur, & tandẽ cadauera igni permittimus. Vbi uero uniuersas familias fames extinxit (quæ pars maxima est) inanes domus situ ducunt, tacent relictæ sine hærede sarcinæ. Inuenitur interim clusa domo conditus dominus, sicuius mors famem euasit, quem remanentes nõ inuenere proximi, qui inter suos ultimus decessit. Quo uos mitto? Ipsam intuemini concionẽ, unius deficientis speciẽ tota ciuitas habet, cauum maciæ caput, & conditos penitus oculos, & lurã cutẽ, nudos labris trementibus dentes, rigentẽ uultum, & destitutas genas, & inanes faucium sinus. Prona est ceruix, tergũ ossibus inæquale, inferis imaginibus similes, fœda etiã cadauera. Aut si quis talis nõ est, confiteatur se usq; ad saturitatem comedisse. Sua quisq; consulat misera præcordia, suum uentrẽ conscientia grauẽ. Dic nũc legate, innocens sum, q ad illum diẽ ueni. At ego propter te nocens sum, q ad illum diem uixi. Quæ cõparata nobis mala, non delicatas lachrymas habent? Aliquẽ populum hostilis exercitus intra portas cogit, solet uenire ultima obsessis inopia. sed euertere licet. Victor captiuũ aut occidet, aut pascet. Tormenta quidam piratarũ tulerunt, felices quibus contigit innocentia. Mora certe finis est, nec sæuitia ultra fata procedit. Aut & siquis adeo hominem exuit, ut ibi pœnam quærat, ubi sensus doloris non inuenit,

ueniat, nempe tamen cadauera feris obiiciet. Circũdati sunt quidam flammis, ipsa tamen pœna habuit sepulturam. Nos incẽdii cinerem perdidimus, nostra etiã ruina tibuit. Nostra mala nõ latent, non ignis defunctos cremauit, non feræ lacerauerunt, non aues attigerunt, & tamen cadauera mortibus annumerare possumus. Citra spem conualescendi afflicti sumus, immo etiam citra uotum. Grauior in dies facti pœnitentia est, pudet uitæ, lucem ac sidera intueri non audeo, cotidie felices mortuos clamo, & malę conscientiæ facibus agitatus, nihil fortunatius in æterna sede utcunq; compositis puto. adeò mors placet. iam etiam cibis nostris inuideo. præterita differo, ipsa ex nimia cupiditate nocet abundantia, desideratos diu cibos auide haurimus, & lassam famẽ saturitate strangulamus. Morimur adhuc etiã frumento tuo. Atqui cæteræ Reipub. partes, quæ sunt ad usum populi comparatæ, & leuiore cum damni sensu pereunt, & facile remedium accipiunt, cum reparari possit amissum. Opera restituã, ærariũ replebo, naues, arma reficiã, hic uulnus altissime penetrat, hic ipsa uitalia feriuntur, ubi populus ruit, ubi continuis funeribus omnis sexus atque ætas semel sternitur. Exhausta est ciuitas, & desolatæ domus tristo florentis quondã fortunæ indicium, laxi muri. Quàm multi in ciuitate nostra perierint quæritis? Minima quidẽ portio superest, sed etiã ex hoc intelligi potest, esurienti populo satis fuerunt. Plurimũ tamen interest quomodo perierint. Felix pestilentia, felix præliorũ strages, deniq; omnis mors facilis, fames aspera, uitalia haurit, præcordia carpit, animi tormentũ, corporis tabes, magistra peccandi, durissima necessitatum, deformissima malorũ. Hæc ad humile opus nobiles manus mittit, hæc alienis pedibus mendicantes prosternit, hæc sæpe sociorum fidem fregit, hæc uenena populis publice dedit, hæc in parricidium pios egit. Adhuc tamen unum uidebatur remedium, nõ expectare mortis diem, & tabescentem cotidie spiritũ superuenientibus malis subducere nam in fame nemo quidem mortis immunis est. At non tua culpa fames cœpit, sed uulneratum iugulasti, titubantem strauisti, fumantem incendisti. Nequid inique faciã, diuisa sunt mala. Primam famẽ fortunæ imputo, ultimam tibi. Moram tuã itineribus separo. Deniq; eã eo inopiam tibi obiicio, ex quo propter te tuli. Itaq; caritas annonæ, rarum frumentum, cædes ac direptio pecorum, fuerint fortunæ, fuerint anni, fuerint temporum. Aliam conditionem habent ciuium mortes, & cadauerum dira laceratio, & peiores inopia cibi. Hæc fames iam tua est. Puta me in præsenti nihil adiicere nisi hoc unũ, tardius quàm poteras uenisti. Nondum tibi obiicio duplicata tempora, nec remensum toties mare, nec graues ancoras, nondum tantam moram, quanta legationi satis esset. Si innocentes essemus, populum septem diebus perdidisses. Angustos humani spiritus terminos fames fecit. morimur, deficimus. festina misericors, omnes excipe auras, etiã si tota secundis flatibus tetenderint uela uenti, tamen remis adiuua. Salutem publicã uehis, spiritum populi tui reportas, omnium nostrum in ista classe nauigant animæ. Iuramus per tuũ reditum, effusi per gradus templorũ uota suscipimus, tendimus manus, nam quas feriamus hostias, non habemus. Quid spem publicam ad ancoras alligas? nõ stat interim dies, & plenis uelis mors uenit. Festina, merita tua non conditorem æquauerint, non ipsi dii plus præstiterint. Tibi nos, tibi liberos nostros, tibi quicquid homini iucundum est, tibi debemus quicquid uicinæ ciuitati præstitisti. Non dico illa quæ poterã, puta cæruleus imber in naues ruit, classis inter fluctus latet, nec inter canentes collisarũ aquarum spumas uela dignoscimus, egerit ex fundo arenas mare, micant ignes, intonat cælum, scissis rudentibus tẽpestas sibilat, denique sidus hybernum conditur, tu tamẽ perseuera, frumentum uehis, nihil horum necesse est feliciter nauiganti. festina. Quereris naues commeatu tardasse, dum uelocitatis ratio haberetur, mallem accipere dimidium. Non delicati sumus, non luxuriæ quæritur abundantia, sed unde spiritum sustineamus, unde mortẽ differamus in præsentia quantulumcunq;. Si plus opus fuerit, redibis. Siccæ fauces sunt, æger anhelitus os tendit. Iam frustra in sinu parentum liberi plorant, & nondum editi conceptus intra uterum famem sentiunt. Iam nemo diues est. Auras capiamus, & rore uescimur, & iam sperare tormentum est. cotidie uires deficiũt. Iam non imus in littus, sed redimus. In editis scopulis populus sedet, dũ naues expectat, in pascua non redit. Aquas ingredimur, & unus ad te spectantiũ rictus est, & cum defecerunt omnia expirant. Te, te expectantes intentis oculis morimur, in mare intenti cadunt. Quoties sole percussa nubes refulsit, nauem putamus quoties fractus uero fluctus incanuit, uela interpretamur. O mobiles miserorum spes, ad unaquæq; solatia, ab unoquoq; quomodo nutant? Hæc certè nauis est, ecce uela panduntur, propius appellitur, & accedendo crescit. nostra est, suos in utramque partem uentos habuit, nostris uotis gubernat, flatus sunt. Hæc dicimus, at illa interim trãsuolat. Fletus inde & desperatio, & lucis odiũ. Nihil. n. grauius quàm destitutæ spes torquent. Ne interrogare quidem licuit, aut quærerere. nemo applicabat. Ergo incerti omnium rerũ pependimus, nihil quisquã cognouit. Saltem si scire licuisset ubi frumentum uendidisses, ipsi petissemus. Iam quomodo ad singula momenta temporum mutabantur animi? Bene est, serenus sol occidit, purus se dies tollit, ad nos uenti ferunt, iã ueniet. Pendet interim fames, & illud quod iamdiu cogitat, differt ita tamen, ut subinde computet quot dies ad mortẽ supersint. uã quid profecit? Meministis cum contrarij uenti flare cœpissent, & in altũ fluctus à terra uolarent, quanta cõploratio, quanti planctus fuerint. retinebitur, stabit, laborabit. At, si diis placet, legatus noster tum maxime bene nauigabat. Nos in hac fortuna, in tam graui casu, in eiusmodi cogitationibus sumus, tu sinus maris circuis, & per omnes curuatorum littorum ambitus terram legis. Sic sit ut te iuuet diu nauigare. Nullus amœnus prætermittitur portus, nulla celebris ciuitas inuisitata transitur. Mentior, etiam ad esurientes applicas. Deinde siquã timoria iniuriam quereris, nõ feram te moratũ, quomodo satis accusabo uendẽtem? Spiritus nostros transcribis, salutẽ nostram exponis. Quæ diu inæstimabilis fuit, innocẽtiam publicam uendis. Frumẽtum non naufragio perdidimus, nõ latrocinio, lucro perimus. Tempestas quoq; aliquam nauem in medium littus impingeret, & e a classe numerosa omnes fluctus exhausisset. Periit frumẽtum, quia classis uenit in portum. Ita nos alienæ ciuitati legatum misimus, & uilia ac deuota capita uicinorum deliciis morimur. Nobis nihil iam residui spiritus superest, nos in conspectu mortis stamus, nos legatum frumentumq; nostrũ ore aperto expectamus, classis nostra uecturam facit, & uicinarum ciuitatum copias reconducit. Proh à cõspectu nostro uela conuersa sunt, quantulũ minus quàm cõgesti frumẽti puluerẽ uidimus? tantum iam temporis transiuit ex quo pecuniam contulimus, legatum creauimus. Iam dinumeratis tẽporibus quæ secundi uenti breuiora fecerunt, cotidie spero, & sanè prope est. At legatus meus ad emendum modò proficiscitur. Tibi ergo tot ciuium mortes imputo, tibi stragem populi, tibi liberorum parentumque miserrimas pœnas, tibi quicquid passi sumus, tibi, quod grauius est, quicquid fecimus. Et .s. speras ut tantam sceleris inuidiã ab animis nostris duplæ pecuniæ strepitus auertat? Nescis q̃ multa uẽdideris. Duplo uẽdidi. Ita'ne infelicitas mea negocianti tibi lenocinata est? Quòd fame perire ciues meos patior, ꝙ ut uestram ciuitatẽ seruem, meam euerto, ꝙ à tam uicinis littoribus classem torqueo, ꝙ ad diem redire non possum, ꝙ precium constituitis, ꝙ occultum datis duplum, patrocinio meo quantulum lucror? At nos inepti ac uesani de fame querebamur, grauis nobis inopia, intolerabilis & misera, accersita mors uidebatur. Nõ agimus gratias industriæ legati? Respub. nostra locupletior perit. Sacrosanctus mercator opportunum, opinor inuenit mercis exactum. Miror hercle, si tam bene negocium gesseras, quomodo nobis pecuniam non retuleris. Duplo uendidi. Decepisti uicinam ciuitatem, circunscripsisti, itaque queritur. Duplo uendidi. Hoc. n. unum supererat, ut deuectũ tandem uenderes. Habita est itineris ratio, habita usurarum. Ego uero malo quod tam magno uendidisti. Apparet. n. te nihil coactum. Sed si semel ponis hastam salutis, si redemptores uitæ admittis, & nos admone, melius uendes. Nos quicquid in domibus habemus, quicquid in templis, quicquid ciuitas suum uocat, congerere parati sumus. Frumentum pecunia remetiamur, libertatẽ nostram addicimus, fines publicos tradimus, omnia licet eadem uicina ciuitas polliceatur, plus non potest. Prosit mihi qđ apud negociatores solet, in antecessus dedi. Triplum, quadruplũ, quantum poposceris accipe, & illa pecunia frumentũ licet uicinis afferas. Si nobis nihil de commeatu nostro partiris, nos uicinæ ciuitati uendemus. Liceat seruire ubi frumentum est. Nõ exigua res est, pro uita, pro sepultura, pro innocentia licemur. Non potest hic cõmeatus tam care emi, q̃ expectari. Sed nisi uẽdidissem inquit, fame laboranti ciuitati, timui ne raperet. Et ita utiq; occupare uoluisti, ut nobis iniuriam tu potissimum faceres. Multũ mehercle uos fallit opinio iudices, si ullã caussam ita euidentem deferri posse in forum putatis, cui nulla ne mendacii quidem uelamẽta cõtingant. Opinione sua defenditur, & quę res minime coargui potest, utitur se teste. Ne nos periremus, nõ timuisti, ne repetiti cõmeatus post diem nostræ mortis applicarentur, nõ timuisti. Nostris certe malis quanquam nihil poterat accidere inopinatum, tamẽ inter metus tempestatum, & ancipites incerti maris casus, confiteor, ne frumentum salua classe perderemus, nõ timuimus. Non dico ne maxima uis parata sit, ut more immanis latrocinii turba raptorum littus premat, uel repugna, uel fuge, uel roga, incensurũ naues depressurumq; minitare potius, quàm totum frumentum utiq; populo pereat. Partire uel gratis dum,

nobis aliquid quo respiremus afferas. Illud quo certe nihil aspetius accideret, rapi patere. Faciat fortuna quod uoluerit, legatus à præcepto non recedat. Refer nobis salutem in urbem nostrã, mitte nuncios, ita famẽ differemus, capiemus furentes arma, & se in obsidionem ciuitatis inimicæ sine delectu populus effundet. Uastabo interim fines, hoc est per aliena prata pascar. Siqua in uilla deprehendere pecora, diripiam, bellum me elet. Citius ad frumentũ perueniemus, quàm tu cum frumento redibis. adiuuabit pugnantem iusta sacramenta. Si contigerit æquum fortunæ iudicium, nõ meos tantum cõmeatus recipiam. Si minus, certe dabitur bene mori. Liceat & manum conserere, in acie confligere. condant se postea licet muris, longa obsidio erit, interim certe hostium potius cadaueribus uiuemus. Sed nulla uis fuit, nulla exterior iniuria, tuũ certe commeatum nemo rapuit. iure miseri sumus, & ea stipulatu legati nostri perimus. Vendidit quantum uoluit, quanti uoluit: & ut hoc ad nostras accederet moras, fortasse diu concinnatus est. Omnis cum fide persoluta pecunia est. Hoc qui colligo? Qui quanti uult uendit iudices, potest non uẽdere. Nam per fidem, si rapere alienum frumentum & possunt, & uolunt, quid ita duplam pecuniã soluunt? Nam quomodo in magna inopia quicquid emi potest, uile est, ita cũ possis habere gratuitum, duplo carũ est. Sed mihi credite, color ille patrocinij est, & diu in saturo ocio cogitata defensio. Non potest similia usquã famet fuisse. Nos graue huius anni sidus afflauit, nostrum hoc fatum fuit, quos non tantum sata, sed etiam empta fallunt, qui nostra pecunia, nostra classe, nostro legato, nostro uento, felicissimo cursu, commeatũ tamen perdidimus. Nos a frumento longius famus ad illã ciuitatẽ potuit frequenter accedere negociator, sæpius applicari onusta classis itaq; non misere legatos, nullos illis cõmeatus longius petendus fuit, quod felicissima annona, affluentibus copiis, fortunatis opibus contingit, nihil emerunt nisi deuectum. Quare nulla caussa istius quẽ fingis metus fuit, nulla utiq; uis. Forum legisti, & quæ adhuc superesset tempus, obiter negociatus es. Rapturos putaui. Quid dicis scelerate? Et cũ hoc timeres applicabas? Onustus uiator apud latrones hospitaris? Cõmeatum publicũ in annonæ scopulos impingis? & plenæ frumento classis ancoras ad famem ducis? Non præcides medium mare? nõ uelut inhospitales Syrtes, aut uoracẽ Charybdim prætereuheberis? non tota in fugam uela torquebis? Nusquã est periculosius legationis tuæ naufragiũ. Tu ut cogi posses, tu ut auferri frumentum posset, effecisti. Tantum habituri sumus, quantum reliquerit pudor esurientium. Quid te duplo frumentum iactas uendidisse? Potuerunt nihil soluere. Quod refers, alienũ beneficium est. Alterum confingitur hoc loco mendacium. Tempestate, inquit, expulsus sum. Ita plane infelix nauigator es, & cuius uotis auræ nõ respondeant? Nescimus te duplo melius nauigasse, quàm sperauerамus? Nescimus singulis cõmeatibus bina itinera confecta? Nescimus in una legatione uentos quater secundos? Sat erat uerbo negare, quod uerbo ponitur. Remoue hanc spem eludentiæ mendacio ciuitatis. Quo damno probas tempestatem? Quid amisisti? Frumentũ certe totum uenit in portum, nec laborasti. quanquã nimium onustas naues simulaueris, duplũ afferre poterant. Non uexata armamenta, turbatosq; funes, aut scissos uelorũ sinus quereris, classis statim ea ijt, & quod magnum integræ signũ est, cito redijt. Utrò tempestas in unũ agebat angulum. nihil potuerunt obliquata uela deflectere. Non potes ultra procedere, citrà applicato. Effuge raptores, effuge non dimissuros. Si aliud fieri non potest, cum tẽpestate decide, naufragio in desertum littus impinge. Quid euitata procella prodest? quid subducta nubibus totius classis? In portu naufragiũ fecimus, & frumentũ ad ancoras perdidimus. Ego uero, inquit, attuli, & quidem duplum. O nos felices, rumpamus saturitate præcordia, pascamur in præteritũ, & famem cruditate pensemus. Frumentum attulisti. Quid quod medicina mortuorũ sera est? Quid quòd nemo aquas infundet in cinerem? Quid q; extincto populo etiam nouendialis tarde uenit? quid q; iam ego frumentum non desidero? Naufrago tabulam abstulisti, mortuo applicas nauem. Dupliũ est, infunde insepulcra, & admetire tumulis ibi sunt qui mandauerunt. Quid aliud effecisti afferendo frumentum, quàm ne nos quod adhuc fecimus, pœniteret? Nunc me magis pudet, nũc cibos meos obiurgo, potui fieri non comedisse. O nefas, in quo me scelere commeatus deprehendit? Siccine parta fecimus? Adhuc nihil habuimus, sed nunc licet reponamus. Quis autem unquam pensabit necessaria superuacuis? Duplum attulisti, sed illis qui perierunt, nihil. Sed non possumus iam non fecisse quod fecimus, plerunq; sera pro nullis sunt. Sed & temporum ista momenta aut preciosa sunt, aut uilia. Vis scire quantum inter hoc tempus & illud intersit? Tene igitur forum tuũ, totum hoc non potes diuidio uendere. Superest adhuc unum patrocinium, in quo spes omnis profligatæ caussæ consistat. Ad diem ueni. Sentite hic certè iudices. nam ferri non potest, exundat altius dolor. Pudorem publicum, quamuis proiectum, & iam olim sepultum, huc usq; protrahis? Cur non expectauimus? Cur famẽ non ad constitutum diem tulimus? Cur ad tantum nefas accessimus? In hac lance publica caussa iudices pendet, aut iste tarde fecit, aut nos cito. Hoc uidelicet expectasti, & ne captiosum esset officio tuo maturius redisse, ea industria tempus triuisti. Non tempestas in caussa fuit, non uis ulla uicinæ ciuitatis. Vna ratione moratus es, nondum erat tempus. Adeó ne nobis miseriæ publicæ exciderunt? Adeo insperato frumento obstupuimus, ut hæc audienda sint? Ultimum omnis memoriæ reum una uox innocentẽ facit? Populatorem euersoremq; ciuitatis nisi ad supremũ damnabo, absoluatur. Publicus reus reddit. Illum, respondet, diem dedimus. Tu tamen si interpellatus tempestatibus serius uenisses, excusantes mare, & ambiguos flatus, & tibi bonam caussam habere uideretis, cum diceres, Ante non potui. Et nos hæc cogitauimus, his casibus ampliauimus tempus. Nos illum tibi diem dedimus, sed quia illud citius emisti quàm sperauimus, supra uotum nostrum nauigasti ad proximum littus maturè classis applicata est. Ego tibi possum satis irasci? Felicitatem nostrã perdidisti. Ergo quantum in te, tempus consumptum est, dies excessit, peius pati nihil possumus, sed pessima diu patimur. Imputa nobis propitios uentos, & secundũ mare, & ciuitatis opulentæ liberalitatẽ, quæ tantum frumenti uendidit quantũ duobus populis satis esset. Quantumlibet uelocitate tua glorieris, computa si placet, quando primum conterminos portus onusta classe comprehenderis, quàm tarde à uicina ciuitate uenisti. At etiam, si dijs placet, animo defenditur, & quã caussam uexandæ ciuitatis habuerit, quærit. Illud ego interrogare debueram. non ubiq; iudices morandum: Alioqui si quid requirere uellem, multa occurrissent. Solent hi negociatores, præter hæc aperta precia, priuatum aliquid ac proprium stipulari, utiq; cum alienam rem uendunt. Potest fieri ut primò lucrari uoluerit precium, serius deinde subuenerit reddendæ rationis dicendæq; caussæ cogitatio. Vænijt fortasse frumentũ lucro, redemptum est patrocinio. Potest fieri ut aliquam gratiã sperauerit à ciuitate seruata. occulta quædam in ciuitate sua odia, quæ plerunque ex inanibus caussis oboriuntur, habuerit. Multa succurrunt, sed (siqua est iudices dicenti fides) ego nihil inuidiosius reputo, quàm q; ciuitatem suã sine caussa perdidit. Quæcunque ratio, quodcunq; propositũ fuit, audi quæ passi sumus postquam redire potuisti. Transeo tormenta nostræ inopiæ, maciem corporis, uulsos terra districtosq; ramis cibos, q; aris altaria non imposuimus, q; populus corporibus suis uias strauit, q; medicus quem rogaret non habuit. Non obiiciam tibi famem. O tristis recordatio, ò tormentis omnibus conscientia grauior, rumpe feruum pectus, & ardentia scelera uiuentesq; intus epulas excute. Luctantur intra uiscera animæ, & uterum funeribus grauidum mortes agunt. Credibiles fabulas fecimus, felices miserias, scelerata innocentia. Omnes quascunq; clades fama uulgauit, solatia hinc petant, hic audient occisos sine sanguine, sepultos sine ignibus cibos. Si quis mentitus est Cyclopas, Lestrygonas, Sphingas aut inguinibus uirginis latratum. Siculæ littus, & quæcunq; miseri didici domi, comitea quæro, hinc argumentũ, hinc fidem accipime. Quædam plane falsa sunt. Sol in ortu suo non occidit, nec ad humanorum uiscerum epulas diẽ uertit. Vidit nos uulneribus pastos, & ad euiscerata corpora luxit. Publice monstra cõmissa sunt, & inexpiabile nefas uno ore ciuitas fecit. Pœnis nostris iã ne fames quidẽ satis est. Hoc non omnes feræ faciunt, & quanuis sensu careant muta animalia, pleraq; tamen innocentibus cibis uescuntur, uti quæq; consueuerunt. Inter homines etiã si qua alienis membris imprimunt dentem, mutuo tamen leniatu abstinẽt. nec est ulla super terras adeo rabiosa belua, cui non imago sua sancta sit. Nos quibus diuina prouidentia mitiores cibos concessit, quibus sociare populos, mutuo gaudere comitatu, sidera oculis animisq; cernere datum est: uisa nõ ante nos fecimus, nigros fame dentes pallidis cadaueribus impressimus, & inter horrorẽ ac famem restrictis labris morsus abrupimus. Cadauera rogis deuoluta sunt, & ad funera tanquam ad naues concurrimus. Deficit aliquis extremo iam spiritu pendens, tamen durat, quia prius moriturum alterũ putat, mutuò expectant, & si spei figuratione tardius cadit, morsibus pugnat. Non in omnibus mortes expectantur, petet liberos esuriens, & oppressa decimo mense mater sibi parit, redit in uterũ laceratus infans. Cludunt domos, ne quis funus eripiat. Sole sunt diuitiæ mortium, uelut in fausta aues supra expirantes stamus. Secreta miseri petunt, in solitudinem fugiunt, & ubi nulla spes uitæ superest, mortes suas abscondunt, iã morituri ad feras cõfugiunt. Dehisce terra, & hãc nouiam ciuitatẽ (si hoc saltẽ fas est) hiatu aliquo ad inferos conde. Cæleste

auras contaminato spiritu polluimus, & sideribus ac diei graues & inuidiã seculo facimus. Nullas iã spero fruges, propitios deos non mereor Quomodo me à scelere meo diuellerẽ? in quas ultimas terras, quæ inhospitalia maria conderem? Meum sanè conscientia urunt animũ inaui scelerũ faces, & quoties facta reputaui, flagella mentis sonãt, ultrices uideo furias, & in quancunq; me partem conuerti, occurrunt umbræ meorũ. Habitant nescio quæ in pectore meo pœnę, & ne morte saltẽ hos metus effugiã, occupant grauia apud inferos supplicia, uolucris rota, & fugacibus cibis clusus senex. Adeó ne apud inferos quidem ulla pœna est fame maior? & ille hæc patitur, qui hominẽ apposuit epulandum Nobis imminet saxum, nobis stridunt ferreæ turres, nostris caussis urna iam stetit, nobis uiuax ipsum crescit iecur, quia illic quoq; uiscera tantum aues laniant. Excipient nos in proximo littore inhumatæ nostrorũ animæ Miserũ me, uerá ne hæc sunt, an mens aspicit? Laceros uideo manes, & truncas partibus suis umbras. Quid hoc est? Non de sepulcris insurgunt, non aliquo serrarum hiatu procedunt umbræ nostrorũ, de populo exeunt, Illuc ite, illi tædas intendite, illũ anguibus petite, & tã lõgæ moræ exigite rationẽ. Vobis dicat, Duplũ attuli. Vobis dicat, Ad diẽ ueni. Ego si huius pœnã uidero, possũ reddere rationem q uixi.

APES PAVPERIS, DECLAMATIO. XIII.

ARGVMENTVM.

Damni per iniuriam dati sit actio. Pauper & diues in agro uicini erant iunctis hortulis. Habebat diues in horto flores, pauper apes. Questus est diues flores suos decerpi ab apibus pauperis. Denunciauit ut transferret. Illo non transferente, flores suos ueneno sparsit. Apes pauperis omnes perierunt. Reus est diues damni iniuria dati.

Pro paupere contra diuitem.

CRedo ego iudices plerosq; mirari, q homo tenuis etiã antequã quod habebam perdidi, pauper ausus sim iudiciu lacessere diuitem utique uicinum, eumq; notæ impotẽtiæ, expertæ crudelitatis, in tãtis fortunæ uiribus perniciosum inimicum etiam si uenena nõ habeat. Neq; ipse hoc periculũ ignoro, ea pertus non leui documẽto, quanti steterit mihi q semel imperata non feci. Sed neq; illud iudices damnũ tolerabile est pauperi, cum tã paruis etiã diuites moueantur. Et mihi quanquam propè nihil iam relictũ est quod perderẽ, si tamen ista impune sustinẽda sint, solatiũ erit istã potius quàm contemptũ pati. Nec sanè uitæ caussa iam superest si ad cæteras humilitatis nostræ cõtumelias hoc quoq; accedat, ut si habemus aliquid, migrandũ sit: si perdidimus tacendũ. Vnũ oro, ne cui minor dignitate uestra uideatur caussa litis meæ. Ante omnia enim nõ debetis expectare ubi pauper magna perdiderim, sed quantulũ est quod abstulerit mihi diues, minue est quod reliquit. Et tamen quis indignatur apes formula uindicari, cum uenenis etiam flosculi uindicentur? Quod tamen iudices (quanquam euersus, & omni spe tuendæ paupertatis exclusus) æquo re animo tolerarẽ, si cuius culpæ etiam si iniustã pœnam, meritã tamen iram tulissem. Sed circunspicienti omnia nihil mihi obiici potest à diuite, nisi q uicinus sum. Est mihi paternus iudices agellus, sane angustus & pauper, non uitibus consitus, nõ frumentis ferax, nõ pascuis lætus, ieiunæ modò glebæ, atq; humiles thymi, & nõ latè pauperi casæ circumiecta possessio. Verum mihi uel hoc fuit gratissima, q non fuit digna quã diues cõcupisceret. In hoc ego uitæ meæ secreto remotus à tumultu ciuitatis, ignobile æuum agere procul ab ambitu, & omni maioris fortunæ cupiditate constitui, & dum molesta lege naturæ transiret ætas, uitã fallere. Hoc mihi paruulũ terræ & humilis tugurij rusticũ culmen æquitas animi regna fecerat, satisq; diuitiarũ erat, nihil amplius uelle. Quid prodest? Sic quoq, me latentẽ inuenit inuidia. Nec ab initio iudices uicinus diuitis fui, pares circa me habitauere domini, & frequẽtibus uillis concors uicinia paruos limites coluit. Quod ciues pascebat, nunc diuitis unius hortus est. Postquã proximos quosq; reuellendo terminos ager locupletis latius inundauit, æquatæ solo uillæ, & excisa patria sacra, & cum cõiugibus paruisq; liberis respectantes patriũ larẽ migrauerunt ueteres coloni, & latæ solitudinis indiscreta unitas facta est, postquam ad apes meas diuitis fundus accessit. Nanq; ego iudices dũ fortius opus permisit ętas, terrã manibus subegi, & difficultatem labore perdomui, & inuito solo nõnihil tamẽ fœcunditatis expressi. Citò labitur dies, & procliuis in pronũ fertur ætas, abiere uires, census meus, defectaq; labore senectus, magna pars mortis, nihil mihi reliquit nisi diligentiã. Circunspicienti quod cõueniret opus inualidæ senectutis curæ, succurrebat sequi pecora, fœtuq; placidi gregis paupertatẽ tueri, sed ex omni parte circumiectus diuitis ager uix tenuẽ ad gressus meos semitam dabat Quid agimus? nunquam. Vndiq; uallo diuitiarũ clusi sumus. Hinc hortuli locupletis, hinc arua, inde uineta, hinc saltus. nullus terræ datur exitus. Quæramus animal quod uolet. Nã quid apibus inuenit natura præstantius? Parcæ, fideles, laboriosæ O animal simile pauperibus. Et sanè dabat occasionẽ mihi opportunitas hortuli mei. Est nanq; positus ad ortus solis hyberni, apricus, omnibus uẽtis medius. Fusus ex proximo fonte riuus, crepitantibus inter radiantes calculos aquis, utrinq; ripa nitente præterfluit. Satis consiti flores, & uiridis quãuis paucarũ arborum coma, nascentibus populis prima sedes, unde ego frequẽter consertũ nouæ iuuentutis agmen ramo grauescente suscepi. Nec me tanta capiebat uoluptas q fluentia ceris mella conderẽ, quòd ad sustinendas paupertatis impẽsas deferrẽ in urbẽ quod diuites emerent, quàm q aduersus omnia lassæ tædia ętatis habebã senex quod agerẽ. Iuuabat aut lenta uimina uernis fœtibus texere, & ne æstiuus ardor aut hyberna uis grauidã penetraret aluũ, hiantes rimas tenaci linire limo, aut fessis apibus ultro præbere mella, aut fugiens examen ære terrere, aut bella sedare puluersi iactu, tũ ne quid periculi saltẽ singulis esset, auidas lõge fugare uolucres, & arcere parua dictu animalia, reclusas interim scrutari apium domos, ne per uacuas aluos fœda pestis insidiosas texeret plagas. Dederã laboribus meis iustã senex missionẽ, habebam quæ pro me opus facerent. Quò non penetras liuor improbe? Quid ue scabræ malignitati clausum est? Inuidit pauperi diues. Cũ euocasset me subitò trepidum, totoq; fortunæ suæ strepitu circunstitisset, Quid tu, inquit, non potes imperare apibus tuis intra priuatum uolent? ne hortorum meorum floribus insideant? ne in meo rorem legant? Remoue, transfer. Impotentissime tyranne, quo? Nunquid iam latum possideo agellum, ut illum apes transuolare nõ possint? Neque tamen tantum inerat pectori meo robur ut non perturbarer denunciatione notæ impotentiæ. Volui relinquere auitos lares, & conscios natalium parietes, & ipsam nutriculam casam, iamq; pauperem focum, & fumosa tecta, & consitas meis manibus arbusculas transferre destinatus exul decreuerã. Volui iudices decedere, nolui, sed nullũ potui inuenire agellũ, in quo nõ mihi uicinus diues esset Nec tamẽ licuit diu quærere. Forte serenus pura luce fulserat dies, & hilaris matutini solis tepor ad cotidiana opera lętius solito agmen effuderat. Quia ipse spectator operis (præcipua nanq; hæc mihi uoluptas erat) processeram, sperans fore ut uiderẽ quẽadmodum aliæ libratæ pennis onera conferrent, aliæ deposita sarcina in nouas prorumperent prædas, & quanquã angusto festinaretur aditu, turba tamen exeuntiũ non obstaret intrantibus, aliæ militaribus castris pellerent uulgus ignauũ, aliæ longum permensæ iter fatigatæ anhelitum traherent, hæc ad æstiuũ solem porrectas panderet pennas. Miserũ me, ignoscite modò gemitibus meis. Non flosculos perdidi, nec caduca folia proximo lapsura uento. Apes cũ uolarent, suffugium tenuitatis meæ, solatiũ senectutis amisi. Nunquã me alias pauperẽ putaui triste me excepit expectatiq; silentiũ, & inanis alui inchoata tantũ opera, & rudes ceræ. Vos iudices æstimate quatenus recipiatis hunc affectum meũ. Libenter bibissem, si inuenissem, uenenum. Hoc mihi dãnum nõ brumę glacialis penetrabilis rigor, nõ suppressi longa siti flores induxerunt ieiunã miseris famẽ, non auiditas iniusta domini nihil mellis reseruantis, non æqualis fessas morbus inuasit, non damnatis sedibus suis auias fuga petiere syluas. Apes pauper miser in opere perdidi. parauit homo nefarius ante omnia tantũ ueneni, quod posset & diuitis hortis satis esse, & liniuit flores maleficis succis, & in uenenum mella conuertit. Sparsit omnibus floribus mortẽ, & quanto plura interim corrupit, quàm quæ apes abstulissent? Illæ studio quotidiani operis excitatæ, ut primũ aurora lucem uocauit, in assueta miseræ pascua uolant, ut antequã noctis humorẽ radii solis ebiberent, matutinos legerent rores, & cælestes aquas ad horreũ ferre possent, nec sibi, sed operi biberent Hic triste spectaculum, & tantum nõ ipsi qui fecerat, miserandum. Illa ad primũ feralis succi haustum insolito consternata gustu fugit, sed fugisse nihil prodest Illa longiores expetitura pastus, in altum tollitur uitamq; in aura relinquit. Hæc primo statim flosculo immoritur. Illa rigescẽtibus morte pedibus exanimis, sicut hæserat, pendet. Alia defecta nisu uolandi, adhuc per terrã languide repit. Si quas tamen usq; ad sedẽ suam distulit mors lentior, sicut ægræ

solent

solent sub ipsis pendere portis, in globum nexas, & mutuo amplexas mors sola diuisit. Quis figurare possit, quis dicere, q̃ multas mali formas, quàm uaria lethi genera fecerint tot mortes? Semel, ut ipse tristē finiā expositionem, dicendū est, omnes perdidi. Celebre illud aluceariū, & domino suo notius, ad nihilū recidit. Audete nunc lacessere diuitē, quibus uitæ caussa superest, eae rite libertatē fortibus uerbis si quid offenderit. &, quod difficillimum fuit, iam expertus est uenenū. Quòd si mihi fortuna uel ingenij uires, uel suas dedisset, crimen illud nō priuatā taxationem formulæ merebatur. Venenū leges habere, emere, nosse denique uetant, ineuitabilē pestem occulta fraude grassantem. Male hæret ibi innocentia, ubi in potestate est secretum scelus, uelut uenenū, & quidem præsentaneum, inuentum, cōpositum, datū est. Quantulū interest quis biberit? Homo dedit, & homini dari potest. Non adeo desunt odiorū caussæ, ut iam rara simultas sit. & ut uideatur aliquis nihil magis q̃ malos odisse, libebit aliquando longius manum porrigere, & indulgere animus. Credite mihi iudices, difficilius est uenenū inuenire, quàm inimicum. Sed me cōscia mediocritatis infirmitas intra meas tantummodo continet querelas. nam dānum id est iudices grauissimū. Pauper uulnus accepi, quod mihi diutius deflendum apud uos quàm probandum est. Nā coarguendis quidē criminibus quis labor est aduersus cōfitentē? Habent diuites hoc quoq; contra nos contumeliosum q̄ non tanti uidemur ut negent. Porrò qui confessum defendit, non absolutionē sceleris petit, sed licentiā. Longius ista quàm timui quæstio peruenit, nō de præterito tantū litigamus, hoc agitur, ut etiā si quid forte reparauero, iterū diuiti liceat occidere. In duas n. quantū animaduertere potui, quæstiones diuidit caussam, an damnum sit, & an iniuria datū. Negat esse damnū, quòd animal liberum, & uolucre, & uagum, & extra imperia positum perdiderit. Negat iniuria datum, q̄ in priuato suo, q̄ eas quæ sibi nocerent, extinxerit, postremò q̄ sparso tantū per flores ueneno, ipsæ apes ultro ad mortem uenerint. Vt nihil esset quod his possem respōdere, æquum erat inter uicinos sic agi? Sed excutiā singula, nec prius meis argumentis nitar, quàm diuersa repulero. Quoniam quidē quæritur an dānum sit perdere, quod lucrū est habere. Liberum est animal puta, non dico fœtus meis manibus exceptos, & in tutam conditos sedē, & reseruatis ad impleměta generis fauis examen uernaculum, quoniā quidē tyrannorum iura defendis, natos in priuato meo, puta me uel inanis arboris trūco, uel cauis inuentos petris, domum fauos retulisse, multa nihilo minus quæ libera fuerant, transeunt in ius occupantium, sicut uenatio, & aucupatio. Nā ut cætera animalia hominum caussa finxerit prouidentia, quod omnibus nascitur, industriæ præmiū est. Quid ante nō liberum natura genuit? Taceo de seruis, quos bellorum iniquitas in prædā uictoribus dedit, nisdem legibus, eadem fortuna, eadē necessitate natos. Ex eodē cælo spiritū trahunt, nec natura ulli, sed fortuna dominū dedit. Cur infrenatis equis uictor insidet? Cur iniusto cotidie iugo boum colla deterimus? Cur in usum uestium sæpe pecori lanæ detrahuntur? (Taceo de sanguine & epulis per mortē paratis) Si omnia quæ libera generantur, naturæ demus, definitis diuites esse. Si uerò hæc conditio est, ut quicquid ex his animalibus in usum homini cedit, proprium sit habēris, profectò quicquid iure possidetur, iniuria aufertur, ut uolucres mites, & aliæ quæ per rusticas uillas, quæq; ditibus cellis saginantur, in quibus tamen domini ambigua possessio est, & uaccæ, & armenta, & omne pecudū genus. Sed illa impositus cohibet magister. Peius ne dominio in iis ius est, quibus custode nō opus est? Nā si hoc dicitis, nihil esse nostrū quod perire possit, ex nullius animalis damno hæc edi formula potest. Nam & errare pecudes solent, & fugere mancipia. Si hoc in cæteris non obstat, uagari tu nolles apes, in opus exire, & ad cotidianū censum laboris assidui non detrectare militiā. An non ipsæ domum sua sponte reuolant, finemq; laboris sui sole metiuntur, & omnis intra solitas domos turba cōditur, noctemq; modesto silentio trahunt? Age porro, ut non sit earum certa possessio dum uolant, nempe cū remearunt, concludi, transferri, donari, uænire possunt, in potestate sunt. Quomodo autē potest sine damno meo perire, qđ cotidie meum est? At extra imperia positum est. Mirū hercle, si negato cōmercio sermonis humani, sunt in cæterorū animaliū forma. Tamen quam dominus dedit incolunt sedē, lasciuientem luxuria fugam tinnitu cōpescimus. Etiam si diuersis regibus concita seditio ad bellum inflammauit iras, exiguo puluere, uel unius pœna ducis resedit omnis tumor. Illa uero admiranda sedulitas, q̄ operi totus insumitur dies, in dominorum reditus ablata supplentur. Age, si obsequi possent, quid amplius imperares? Intelligo his uauis ultra necessitatē esse responsum. Si non sunt apes meæ, ne id quidē quod his efficitur, meū est. Atqui nulla unquā inueniri potuit imprudentia, q̃ fructus mellis in dubiū uocaret.

Hoc ergo fieri potest, ut qđ nascitur, meū sit, qđ generat, alienū? Age, si mihi alui furto abessent, utrū nulla daretur actio? An tu minimis modo alisq; texti prætium formula taxasses, & perinde agerem quasi inanes perdidissem? Nisi fallor, esset æstimatio & apū. An tandē quas surripere non liceret, liceat occidere? Non est damnum q̄ exutus sum? q̄ reditus perdidi? q̄ annuos fructus præsidia paupertatis amisi? Non est damnum id perdidisse, quod (ut proximo utar argumento) si habere uoluero, emendū est? Quid ergo tibi opus est maleficis succis, cum liceret palam trucidare, & plenos uel cremare igni, uel aquis immergere aluos? An est aliquod animal quod nō liceat nisi uenenis occidere? Vt damnum sit, inquit, iure tamen feci, in priuato meo. Per fidē uestrā Iudices succurrite exemplu, non sufficit his partibus unus rusticus pauper, obuiā publice eundum est, & obiciendæ aduersus nascentē licentiam, consensu manus. Credite mihi, maior litis quæstio est. Hoc uobis hodie iudicandum est, ubi scelus facere non liceat. Nam cur non hoc idē de homicidio respondeat? cur non de latrocinio? Non n. iure illa, sed modo differunt. Aperitur ingens funeri uia, & obluctantia diu legū uelut claustris scelera libera porta prorumpunt, si in priuatum iura nō ueniunt, & in manifestissima quaq; noxa non de facto quæritur, sed de loco, non æqua portione cum sceleratis terras diuisimus. Vbi n. non iam diuitum priuatū est. Parum est proximos æquare terminos, & possessiones suas uelut quasdam gentes fluminibus montibusque distinguere. Iam etiam deuios saltus, & syluas uasta solitudine horridas occupant, tot aquæ intra paucorū umbram latent, è finibus suis populus excluditur, ne ultra procedentis finis est, nisi cum & in alterum diuitē inciderit. Adhuc tamen spolia transeuntium, & abacti pecorū greges sub hoc titulo defendebatur iam priuati ueneni transcriptio est. Iterum ac sæpius Iudices admoneo, considerate, discite, aut nihil usquam contra ius liceat, aut in priuato omnia. At enim aduersus inferentē damnum sui ultio fuit. Dicam nunc quàm iniqua sit inuicem iniuriæ compensatio, quamq; non solū legi aduersa, sed etiā paci. Barbarorum mos est populorum, quos procul omnis iuris humani societate summotos proxima beluis natura efferauit. Nos ideo magistratus legesque à maioribus nostris accepimus, ne sui quisq; doloris uindex sit: & assiduæ scelerum caussæ se refellant, si ultio crimen imitabitur. Damnum accepisti. Erat lex, forum, iudex, nisi hos iure uindicari pudet. At mehercle iam ad arma mittitur, & substituitur perniciosa nocendi cōtentio, & in uicē legis ira succedit. Premetur quidē obnoxia infirmitas, & paucorum dominio subiecta plebes triste seruitiū perferet. Est tamen & pauperibus interim dolor, & ut facilius nobis noceri potest, ita nobis latius. Postremò placeas licet tibi opum tuarum fiducia diues, si mihi uiuere expedit, pares sumus. Quid ergo? Si quid tibi damni attulissent apes meæ, non mihi auferretur ratio, sed fortiuan aliqua daretur & tibi. Nūc uero quid quæreris? Credo depopulatos agros, euersosq; reddit. Non n. debet leue esse damnū, quod diues ferre non potuit. Decerpebant, inquit, flores meos. Ecquid intelligitis Iudices quanto dolore dignum sit quod ego perdidi, si etiam hoc damnum est, flores auferre? Ita plane. Alioqui tu illos in uetustatem reseruabas, & durarent adhuc nisi ad hortum tuū apes uenissent. Cuius rei inuenire potest breuior ætas? Nam cū diu immaturos exterior alligat cortex, nondū diaeris floré. Paulatim deinde uiuidiore succo tumescit uterus, & ardentes accipit rimas, needū tamen flos est. At cum se ruptis iam tunicis in paruulū capita fuderunt, & uelut missa in urbem, tamq; eorum uidetur maturitas, & ignotus occasus est, & iam sine uentis quoq; soluta natura, labitur gratia, nec quisquā est flos nisi nouus. Quare si dicerem, abstulere peritura, & quæ protinus humi iacuissent, in usus hominū conuersa, inaudita tamen liuor uideretur etiā apibus inuidere. Nunc uero differendum mihi est, quàm momētosa sit huius animalis rapina. Nescimus qua pernicitate plerunq; uix contactis floribus reuolet, discurratq; per singulos uelox experimento, quàm etiā ubi immorantur, libratis pendeant alis. Quis unquam quod ferentē apem uiderat, ubi deesset inuenit? Quantulum uero est quod ex his manu confisis floribus legant? Prata, syluæq; uel maturæ fructibus uites, & fragrantes thymo colles (quantum coniectura suspicari potest) pabulum nutriant. Non ea omnibus floribus carpunt utilia operi suo, sed in omnibus quærunt. Præsens & quidē protinus illa redditur merces, q̄ omnibus quibus insedere, odorem mellis inspirant, & breui contactu tum sui relinquunt. Hoc tu damnū intelligis? hoc ueneno uindicas, quod mehercle inhumanè etiā fumo prohibuisses? An non te solus uicinus colui? Non frugum mearū primitias omni uere misi? Non siquis ceris nouis candidior incidit fauus, tu asseruatus est, mentis cū paruis mediocritate munusculis illa semper adiiceretur commendatio, Hoc tibi mittunt apes meæ? Puto

relata

relata est mihi gratia. Admonui, inquit, & ut trāsferres denunciaui. Idcirco cōtumacē meritò puniisti. Nō enim uideo quid aliud patrocinio tuo conferat hæc denunciatio, superuacua, si nō licuit sibi facere quod queror: iniusta, si licuit iusta aut sine ista, aut ne cum ista quidem ualeat. Pudoris uero quod uelamentum est, male audere, culpam defendi superbia? An tandē tuas pecudes quamuis diffusa stabula nō capient, tibi omne armētis mugiet nemus, tu gregibus arua sulcabis, & ad excolendos agros procedet ignota etiā uillicis familia, tuis horreis populi annona pendebit, nec tamen inuidebimus, nec quisquam tā graue putabit sibi istud fortunæ tuæ pōdus, nos si paucas apes intra angustias pauperis horti composuimus, quæ tamen nobis mella faciunt, id prorsus indignè ferendum est? &, quod nunquam fando cognitum est, uicinus diuiti pauper molestus est? Adeo p atum est plurimum possidere, ut cum seruis quoq; uestris habere peculium liceat, inuidiosum nobis puteris quicquid egestatis nomē excesserit? Tantó ne his, in hac ut putamus æquissima libertate, legibus uiuimus, ut nobis habere medelam non liceat, uobis liceat habere uenena? Postremò quidem diuitis patrocinio non putaui Iudices respondendum, nisi ridere uestram maiestatē contumeliosa defensione non ferrem. Vltro enim, inquit, ad mortem uenerunt apes tuæ. Ita plane. Alioqui tu uenenum floribus dederas. Impudentiæ ne Iudices eius assignem, si hoc mihi apud uos obtinuerit, an stultitiæ, si sperauit? Si uenenum homini dedisset, diceret ipsum labiis admouisse pocula. Si percussorem posuisset in saltu, ipsum in insidias ultro uenisse clamaret. Si telum abiectasset in tenebris, illatum sua culpa contenderet. Ego iudices quid dico? Duo esse sola quæ omni in crimine spectanda sint, animū, & euentū. Quis animus diuitis fuit, cum uenenum sparsit? Vt apes perirēt. Quis euentus? Perierunt. In summa Iudices quis dubitet quin damnum ei sit imputandum, sine quo non accidisset? Intelligo neq; prudentiam uestram desiderare plura de caussa, neq; uestram fidē ac religionem egere exhortatione uere iudicandi. Quid moror igitur? Tenet me dolor, & assuetæ uoluptatis desideriū. Sunt quædā in hac caussa, quæ sarcire pœna non possit. Maior forsitan materia uideatur affectus. Si pauperes amare nisi paria non possumus, & necessariò nobis preciosa, quæ sola sunt, animum meū excindæ unius horæ momento tot animæ mouent, quot perierūt de me bene meritæ. Quin ipsum lethi genus addit indignationem, ueneno perierunt. Quis hoc ulla satis prosequi possit inuidia? Apes ueneno? Hæc illis gratia refertur, ꝙ fructibus nostris inuigilant? ꝙ cotidiana statione laboris assidui ne damno quidē summouentur? Nam & cætera animalia uidetur mihi natura usibus nostris genuisse, hæc etiam deliciis, cum eo ꝙ in illis quæ uel scindendo solo, uel maturādo itineri comparamus, multus ante redditus insumitur labor, & cum perdomanda, cū alenda sint, nihil tamen possunt sine homine, & tantum coacta prosunt. Apes faciunt iniussæ fauos, sine ullo rationis humanæ ministerio totus fructus ultro uenit. Adijce ꝙ cætera animalia aut satis incurrūt, aut uitibus nocēt, primaq;, ut fama est, hostiæ caussa pecudi fuit læsa fruges. Harū ita innoxius per prata syluasq; discurrit labor, ut tantum factum opus appareat. Qua satis digna prosequar laude? Dicam animal quodāmodo paruū hominis exemplar? Hoc humana excogitare nō potuit solertia. Etiam ratio nostra, quæ sub terris lucrū inuenit, quæ maria inquisitione sua sideribus immiscuit, hoc tamen efficere, consequi, imitari non potuit. Venena potius inuenimus. Iam primum futuræ laudabilis uitæ digna principia, non illas libido progenerat, domitrixq; omnium animalium Venus. Vtq; homines inexcusationem sui fabulis tradiderunt, etiam deorum posteritas has regnis suis excepit. Abest inimica uirtutum uoluptas castis sine labe corporibus. Solæ omnium non edunt fœtus, sed faciunt. Ipsæ paulatim sicut dispatæ sunt per mella niuiscūt, &, ut oportet animal laboriosum, ex opere nascuntur. Inde ut adoleuit iuuētus, & ad similes labores ætas roborata conualuit, relinquitur liber parentibus locus. Et ne coacta in angustum multitudo noua turba laboret, quasi habita uerecundiæ ratione, cedit populus minor, suspensúmque proximis ramis examen, humanas manus expectat. Acceptas cum fide colit sedes. Et cū ingenia nostra (quæ nos.s. ambitiosi nostri æstimatores, proxima diuinis credimus) ad percipiendas disciplinas multo labore desudent, nulla apis nisi artifex nascitur. Quid credas aliud quàm diuinæ partē mentis his animis inesse? Quid præcipuum referas? Non ut cætera animalia per pastus uaga, incertū quieti capiunt cubile, noctis arbitrio semper habitatura, sed tutas sedes continent, urbes rectis, turba populos imitantur. Non ut feræ, uolucres, non præsentis modò cibi memores, in diem uiuunt, duraturus hyemi reponitur uictus, & repletis uere cellis tutus annus est. Etiam cum ad humanos usus opera subducta sunt, reparare amissa contendunt, & labor damno incenditur, & nunquam deficit animus antè, quàm locus. Quid ꝙ inter animalia quæ non uerba coniungunt, non uerba rationis inuicē negant, tantus operis consensus est, tanta difficillimæ rei laboris cōcordia? Non humano ritio in proprios quæq; usus lucrum ducit, in publicū uiuitur, & communes opes congeruntur in medium, nec fas est delibare gustu prius quàm plena horrea securos spondeant menses. Quis porro tantus ardor operis, quæ ue officiorū partitio, ut aliæ congerant onera, aliæ accipiāt, aliæ liniant? Quæ seueritas in castiganda inertia? Multa dictu uisuq; miranda. prænidere tempestates, nec dubio se cælo tradere, nec ultra uicinū nubilo tendere. Iam si leues inmonior aura rapuit, ad dirigendos in destinata cursus, modico lapilli pondere librare pennas. Illas inuiorum pectorum totis pro rege castris procurrere, & inire bella, mortemq; honestam pro duce oppetere. Adiice, ꝙ siquas aut ætas longior, aut morbus oppressit, efferuntur prius corpora, posterorumq; operum quàm funerum cura est. Quid illigare cruribus flores? quid ore succos in publicum ferre? Me tamen ipsius operis præcipua admiratio subit. Non est temere, nec fortuitam figuram, & sedes modò reponendis cibis quæsisse credas, rudius certa cōponitur, accedit usibus inenarrabilis decor. Nam primum tenacibus uinculis fundamenta suspendunt, cum ab exordio in omnem partem opus æqualiter crescit, nec quicquā ex inchoatis parum est, quod non sua portione perfectum sit iam, nec alia parte opus esset. Gemina frons ceris imponitur. & cum foraminibus tantum spatium detur, quantum ad generanda examina putaui spem capiat (ipsi enim sibi inuicem anguli hærent, & ita mutuo uinciuntur atq; alligantur, ut quod uoles, id medium sit) his textis ne uniuersi mellis effluat pondus, interseptæ onera cluduntur. Quis nō stupeat hoc fieri posse sine manibus? nulla interueniente doctrina hanc artem nasci? Quid non diuinum habent, nisi ꝙ moriuntur? An uero authorem uini Liberum colimus, primitiæ frugum Cereri referuntur, inuentrix oleæ Minerua narratur, mella genuisse minus est, & interponenda gustus uoluptate tantum effecisse, quantum ne ipsa quidem rerū natura per se potuit? Ad plurimarum incursus ualetudinum remediū est, & præsentissima medicina? Nam quod ad cibos quidem pertinet, diuites uiderint. His animalibus aliquis insidiari potuit, & insidiari quare mella facerent? Hæc pestiferis succis exquisita per fraudē morte confecit? & quod sit indignissimum, quò facilius deciperet, fortasse uenenum melle permiscuit? Quæ tā inhumana crudelitas? Quis tam inauditus liuor? Nihil enim est ꝙ utaris patrocinio tuo diues, paucorum damno foliorum doluisse te simulas. Dum meas apes occidere, uis flores tuos inutiles fecisti.

ODII POTIO I.
DECLAMATIO. XIIII.

ARGVMENTVM.

Meretrix amatori suo pauperi dedit odij potionem. Adolescens desiit amare. Accusat illum ueneficij.

Pro iuuene contra meretricem.

SEntio Iudices hanc quoq; calamitatibus meis accessisse nouitatem, ut uobis nondum uidear odisse. Nec me præterit plurimū petere de nocentissimæ potionis inuidia, dū me putatis adhuc impatientia priore miserum. Quæso tamē uel hinc totam delati sceleris probationē grauitas uestra prospiciat, ꝙ dolori meo querelæq; nō creditur, nec amo, qui accusare possum, nec odi, qui amare mallem. Quid est aliud quod bibi, quàm uenenum? Licet igitur nocentissima fœminarum rideat, ꝙ accuso, & in manifestissimi sceleris confessione per ludibrium malorum euadere tentet meorum, nō hoc est quod hodie me torquet ac lacerat, ꝙ à deterrimæ mulieris charitate discessi, sed ꝙ remedii mei patior dolorem. Fidem iustitiæ fidem seueritatis humanæ, ne meretrici prosit uel ꝙ præuaricatione uideor explicatus. Pro me forsitan fuerit, ut amare desinerem, contra me inuentum est, ut inuitus odissem. Hoc primum itaq; Iudices à clementia publica peto, ne ꝙ uideris tristem habitu, dirumq; conspectu, uerbis asperum, cōtentione terribilem mores puteris. Hæc est illa sanitas mea, sic omnium in hac corporis mentisq; dierū noctiumque feritate, ille modò lætus, illæ (si creditis) nimium remissus amator excandui. Misereminí Iudices, ne uobis uenefica sic imponat, tanquam hoc mei charitate commenta sit. Suum animum, suum tantum secuta fastidium est. Odii potionē contra se nemo dabit homini, nisi quē oderit.

Quæso itaq; obtestorq; uos sanctissimi uiri, ut calamitatis meæ penitus uelitis æstimare mensura. Perdidi infelix quod quandoque potui amare desinere, patior necessitatem rei quã breuiter utiq; noluissem, excogitatur cõtra animũ futuramq; rationẽ, ne quod relinqueretur, meus esset affectus. Iterũ cum meretrice compositus sum rursus in se cogitationes meas, rursus retorsit oculos, & hominẽ quem ab incõmoda charitate uel satietas, uel ætas, uel fortunæ suę fuit dimissura cõditio, ad perpetuã impatientiã uiribus nimiæ diuersitatis impleuit. Hoc solũ insanabile genus morbi est, ut odisse cogaris. Festina ad cõplorationem præsentis doloris animæ, festina, sed te à prioribus malis recens abducit indignitas. altius gemitus, altius querela repetenda est. Cum meretricis sit quod amator odit, cuius putatis esse quod pauper adamaui? Nõ quidem ego Iudices ex illis unquã fui, quibus nobiles opes, affluentes indulsit fortuna diuitias, quorũ felicitas capere posset in amore luxuriam. Habui tamen unde adulescentiæ necessitates, concessa gaudia parca mediocritate sufficerent. Ideoque meretrice tantum, & quæ certissima est in uoluptate frugalitas, una fui semper eademq; contentus. At ista sera, grauis, quæ nunc amari recusat, ò quàm uoluit amari? quibus artibus, qua calliditate miseram simplicitatem meam sollicitauit primum, deinde tenuit, donec quãtulamcunq; substantiã in huius sinus credulus iam, iamq; serus amator egererem? Iam si ultra captauit uideri miseram conditionem, in quã nos ipsa detraxit. Breuiter totum nocentissimę mulieris accipite facinus. Pauperem me fecit, deinde ferre non potuit. Siue enim Iudices cõmunium quæ ad corrumpendas expugnandasq; mentes excogitant ingenia meretricũ, placuit experimentum, & in me tentatum est quantum quis amare, quantum quis posset odisse, seu mulier omnibus exposita mortalibus, uanitatem fastidio mei despectuq; captauit, et fama inde quæsita est, ut à solis uideretur amari debere diuitibus. Nõ erat profecto quod paulo ante patiebar, iam tunc noster affectus. quod scortorum foribus hærebam, quod (si istis creditis) paupertatem in lupanarium obsequia transtuleram, pallor & deformis macies inde ueniebãt unde nunc quod excandesco, quòd fremo. Nunquam hoc tantũ meretrix fecit, quẽadmodum nõ ametur. Quod negari igitur Iudices non potest, uirus homine firmius, mente constantius, quod immodico ardoris æstu, & exundante impatiẽtia possit etiã recrudescentis animi dolorem compescere, diris utiq; carminibus, & ferali hum præcantationum terrore permistũ, lenitate uultus, & blanda porrigentis dissimulatione protectum, iam perustis, iam laborantibus uisceribus infudit, & hominẽ solatiis potius ac mollium remediorum ratione tractandum, exasperauit ira dolore, conclusit, magnaq; miserum commotione renouauit. An fecerit Iudices ut amare desinerem, uos æstimabitis, fecit ut amare mallem. Explicitum me putatis, & ab incommodo hilariorem dimissum? Nunc nunc me fateor debere sanari. Habet aliquod solatiũ, quod quis in amore miser est. Leuior est calamitas cui blanditur aliquid de uoluptate lætitia. Nunc infelix uror ac laceror, nunc me retinere, nunc regere non possum. Crudelius est odisse meretricem. Venefici ago. Seposita paulisper Iudices noxiæ potionis inuidia, non ne uobis uidetur implere sceleris fidem, quod abstulit fidem conditio personæ? Veneficium Iudices tota uita meretricis est. Parum se lenocinijs, parum putant agere mendacijs. Et cum omnia ad expugnandas mentes cura collata sit, non sufficit tamen ut de sui charitate corpori credant. In hoc noctiũ dierumq; solicitudo consumitur, quemadmodũ de libidinibus fiat affectus, qua ratione transcurrẽtia cotidie desideria teneantur, ne cui prorsus usus, ne quem explicet pudor, ne quem satietas aliquando dimittat. En quam puteria ignorare quibus uincatur oculis, quæ per incommoda desideria flagrantes mẽtes corrumpat primum deinde cõsumat, cum sciat quibus oscula, quibus arctissimi rumpantur amplexus, quæ pro lætitia dolorem, pro blanditiis gaudijsque tristitiam præcipiti uelocitate substituant. Infinitũ est quantum ex hoc medicamento deprehendi possit nomina peiorũ, nemo scit tantum remedium. Tentat Iudices mulier impudentissima sceleris inuidiam nomine potionis effugere, & uenenum negat esse tantũ, nisi quod occidit. Facinus est Iudices euadere nocentes, quia tam facinus plura deuitat. Quid refert, animo noceat aliqua, an membris? Eodem scelere porrigitur omne quod non licet. Vnumquodq; ex his quod datur, uenenum est. Excusatio mehercle adhuc pro sexu tuo, pro conditione mulieris, sed ut illa nosses gratia tui, desideriumq; posses ingerere nolentibus, excogitasti per quod maritos à coniungum charitate diducas, per quod iuuenum mentes abiungas ab alijs fortasse meretricibus. Odii medicamentum nunquam ideo tantũ meretrix habuit, ut illo contra se uteretur. Me quidem Iudices si quis interroget, in cõparatione ueneficii de quo queror, minus odisse debeat quod occidit. Et sicut ex ipsis quoq; mortiferis mitiora sunt, quæ statim tota uelocitate grassantur, & dolorem inter exitum uitamq; non detinent, ita crudelius quod sic ordinatur, ut corpori pareat inuidiæ, & sit tantum animi ueneficium. Quid ais? non est noxium nimis nisi quod occidit? Quid ergo uocaremus illud quo lumina sola raperentur? quo pars aliqua membrorũ debilitate languesceret? Tu te ueneficã negas, quę potes potione facere quantum offensæ, quantum ira, quantum dolor? Amabitur cui permiseris, execrabitur ille quem iusseris. accipient à te desideria nostra ortum, finem, modum. Sane & amor & odium naturales uideantur affectus, ueneficium sunt tum iubentur. Quid quod non potest non habere nimium ueneni, quod contra uoluntatẽ homini datur? Video cur sibi medicina permittat corporum ulla membrorumque morbos infusis medicaminibus expellere, & sine animæ spiritusq; contagione, quæcunque extrinsecus accidunt, potione uincuntur. Nõ potest ullus affectus sedibus suis per uirus expelli, nisi totorum concussione uitaliũ, & cum anima constet ex sensibus, quem cumq; auferre tentaueris, illa statim prima collidit parte corporis retenta, confectoq; quod petebatur, reliqua quoq; uiribus uicinæ tabis expirant. Quædam forte medicamina possunt aliud uocari quàm uenenũ, dare quod non licet, nõ est aliud quàm ueneficium. Quantũ nefanda de pœnis humanis excogitare potuisti? Innocẽtius mehercle fuerat ut amaret aliquis inuitus. Potionem excogitasti, qua bella committere, qua se totum humanum genus posse odisse. Potes efficere ut non ament liberos parẽtes, ut propinquitas, ut fraternitas, ut amicitia se collidat. Odii potionem nemo accipis, nisi contra hominem quem non debet odisse. Tentat hoc loco nocentissima fœminarum de scelere suo facere beneficium. Meretricem, inquit, amaueras. Differo paulisper Iudices affectus huius excusationem. Dii deæque, quantum in hoc contumeliæ est, quòd sibi meretrix uidetur adamata? Tu tibi cuiusquam affectus censoria grauitate præstabis? Tu tibi æstimare permittes, quàm frequenter aliquis lupanar intret? Tu cui non licet excludere debilitates, fastidite sordes, exposita ebrietatibus, addicta petulãtiæ, & quæ nouissima uilitas est, noctibus populoq; concessa, mores iuuentutis emendas? Aequiore animo feras ut meretrix uelit adamari. Eras, inquit, amator, & pauper. Volo iudices sic apud uos paulisper agere, tanquam in hoc me aliẽ ctu propinqui amiciq; castigent. Non ego alicuius matrimonii corruptor inuigilo, nec efferas cupiditates per illicitos duco complexus. Inuentas credo meretrices, ut esset aliquid quod liceret amare pauperibus. Nullam ego circa corpora ista consistere impatientiam puto. Diliguntur immodice sola quæ non licent. Vt in furorem charitas aliqua conualescat, opus est difficultatibus. Breuis de concessis, sed statim satietati uicinus affectus est. Non fouet, non nutrit ardorem concupiscendi, ubi frui licet. Et quæcunq; in mentibus circa permissa coalescunt, non sunt desiderii, sed uoluntatis. Hoc ipsum tibi mulier obiicio, quòd nos in tabulas sermonesq; misisti. Solus debet amare meretricem, quem meretrix oderit. Pauperi dedit odii potionem. Quid si amoris potionem dedisse diuitibus? Si mehercle repente nobis contigerent opes, iterum nos in sui charitatem alia potione reuocaret, & ista nunc lena grauis uellet impatiẽtia priore retinere. Meretrix pauperem amatorem propter se tantũ non potest pati. Amanti, inquit, dedi. Hoc si remedium est, detur scienti. Prima pars sanitatis est, ut libẽter accipiat. Quinimmo cur non potius datur amaturo? Quanto melius, quanto prouidentius, & minore bibentis dolore constabit, ut adhuc labentem aggrediaris animum, ut iũ adulescentis ardoris impetus in paruis extinguatur elementis? Eo tempore das potionẽ, quo pariter duos patiar affectus. Aliã impatientiam paras, & accipio odium, quia iam amorem ferre non possum. Non desino, sed esse aliud incipio, nec emendo ita amore, sed transfero. Illa uera sunt remedia, quæ fugatis morbis, caussisq; languoris, postea non sentiuntur, & ea tantum innocenter dabuntur, quæ potentiæ suæ qualitate cõsumpta desinũt cum profuerunt. tu mihi dedisti quod semper exasperaret. Perpetua res est odisse sine caussa. Ducam licet uxorem, te tamen odero, in peregrinas expeditiones patria dimittat, te tamen cogitationes sermonesq; respicient. Quid interest quemadmodũ possederis animum meum? quemadmodum mihi a te non liceat abire, discedere? Fecisti ut te ubiq; persequar, ut meis fortassis manibus inuadam, uelim dare ueneuum. Qui meretricem odisse non desinit, amator est. Sed infelix, misereris mei. Quid ergo sanitate tam rigida? Paulatim potius ratione compesce, misceantur consilia, blanditiis ueritas temperetur. Alioqui non est quòd abigas, quòd expellas. Exasperant necessitates, & in amore contentio semper accendit. Adiuuabit te interim libertas ipsa qua fruar, tempus satietas, & fortasse amator alius, admonens conditionis. Sed inter oscula, inter amplexus, paupertatem non tanquam exploraris, sed tanquam miserearis allega. quanquam quid opus fide?

gi-le? sine curet ut desinam, si quantum affirmas, inuitam miseraris ac diligis. Amatoria unum remedium est, amari. Si tamen necessariam putas emendationem, quàm multa sunt amantium remedia citra uenenum? exclude, dimitte. fastidium posset quantum non posset præstare paupertas. Fac ut me potius ipse castigem, ut erubescam, ut aliquando desperem. Is tantum in amore sanatur, qui quod desinit, sibi debet. Homo igitur qui merito indignarer si hoc tantum fecisset aliquis ut diligi desinerem, quanto iustius queror, factus cum iam sum alius, infelix, alia patiens? Decipiunt nos rerum falluntque nomina, & ille qui odit, de amore miser est. Non refert, animi, quid nimium uelis, & inter sanitatem languoremque nihil interest, si utrunque ferre non possis. Frustra mihi quisquam blanditur remedio, cuius patior tormenta, cruciatus. Aliud est ut amare desinas, aliud ut oderis. Recessisse nunc me tantum putatis ab amore meretricis? Ablatus est mihi ille hominis melior affectus, perdidi miser quicquid est unde gaudiũ, unde uenit uitæ tota lætitia. Amor ille per quẽ rerũ naturæ sacra primordia, totiusq; mundi elementa creuerunt, qui tenet nunc figitque tixantia, & de contrariis depugnantibusque seminibus molem perpetuæ societatis animauit, fugatus eiectusque est. Non habeo infelix affectum, quo quandoq; possim ducere uxorem, amare liberos, appetere amicitias, spectare cõuictus. Quisquis odii medicamẽtum biberit, unum fortassis oderit, sed amare neminem potest. Dii immortales, quid ego hausi? quale uisceribus uirus ingestum est. Non fuit illud unum uenenum, ibi miser excreationis quicquid totius mortalitatis ira contulerat, quod erat omnium animalium furor, omnium serpentiũ congesta rabies. Odii medicamentum quid aliud est, quàm assiduus animi labor, perpetua tristitia, & homo ab omnibus gaudiis in contubernium doloris abductus? Fieri non potest, ut uirus tam impotens semel in uiscera receptum sit, & in unum tantummodo sensum, mandetur, q; quousque dominetur. Ecce iam mulier odi, quid tamen adhuc facere illud in uitalibus putas? Paulatim se necesse est per totum diffundat animum, quãuis primo statim haustu illud expugnet in quod datur, breui tempore in nominis sui potentiã omnes reliquos stringit affectus. Medicamenti cui tantum contra animum primum licet, prima fortassis uis erat odium, exitus iste, ut uenenum sit. Respõdere Iudices illis liber, qui me pauloante dicunt in amore fuisse miserabilem. Quanto crudeliora, quanto grauiora patior, qui dicor explicitus? Modestior cum amarem, & quietior fuerat sanè pallor in facie, sed ipsa quoq; comis, optanda tristitia. Inueniebam colloquia, merebarque sermones, nunc me omnes fugiunt, auersantur, oderunt. Tum frequenter à lupanari deducebat pudor, abiiciebat occursus, nunc publica detineor, conqueror, assisto, conuitior. Pro miseranda conditio, rideor ubique, narror, ostendor. Ego sum tota ciuitate meretricis inimicus. Sic patior miser illas lupanarium insultationes, illas riualium maledicta, conuitia, non possum satis tormentorũ exprimere mensuram. Odi, nec unquam uisus sum magis amasse. Intelligitis puto Iudices, hominem, qui tantum ad uos detulit animi mentisq; cruciatur, & pro uira queri. Sed potio infelix, quicquid est per quod paulatim proficitur ad mortem, assidue mecum rixatur affectus, & breui necesse est consumat. Quotidie uincor. Quæ putatis est tormenta, quem dolorem, cum mens uetatur oculos sequi, cum à luminibus suis animus abducitur? Quod non proficit, hoc superest ut occidat. Me infelicem, si uenenum istud non habet mortẽ, si mihi inter hos dolores longior uita ducenda est. Cur ergo post hoc animi uices commentaque prospicio? Si meretricis impotentiæ omnia liceat, hoc erit remedium, ut amare rursus incipiam.

ODII POTIO II.
EX SVPERIORE ARGVM.
DECLAMATIO XV.

Pro meretrice contra iuuenem.

Etsi iudices ita à natura comparatum est, ut sit ullus iustior dolor, quàm beneficii sui perdidisse rationem, nihilq; grauius afficiat conscientiam bonorũ, quàm quotiescunq; nulla merita ceciderunt, non efficiet tamẽ nefandũ præsentis reatus indignumq; discrimen, ut misera puella non gratuletur sibi quòd illam pauper accusare iam potest. Timuerat infelix, ne remedio suo sic repugnaret pauper, ut magis amaret, ne iuuenis in omni genere animi contentiosis ac pertinax, potionem illam, dolore coactu sanitatis expelleret. Bene quòd & terribilis & minax est pauper, quòd pœnam nostrã, quòd sanguinem petit. Non expectes ut statim gratias agat, qui sanatur inuitus. Non tamen Iudices hodiernam pauperis mentem non prima fronte tractantibus, misertimus iuuenis nõdum uidetur explicitus, & si bene prioris ardoris impatientiam noui, quod maxime facit, ira, non odium est. Alioqui si profecisset remedium, & à pristino furore iam liber, animo intellectum sanitatis admitteret, omnem adhuc puellæ uitaret occursum, non sibi crederet ultionem, & ipsum quoque iudicij timeret adire complexum. Deprehensa est puto nouissimè potionis superuacua persuasio. Amat Iudices, amat, qui queritur quòd non ametur. Quid agam Iudices hoc loco? sub quo temperamento defensionem periclitantis aggrediar? timeo ne si cœpero simplicissimæ puellæ laudare mores, referre probitatem, amare rursus pauper incipiat. Siue enim Iudices malignitas est persuasionis humanæ formam uacantem uocare meretricem, seu miseræ nomen id ĩma posuit aliquis amator, cui cum corporis bonis fortuna non dederat unde seueri matrimonij castitati sufficeret, laborauit necessitatum suarum custodire probitatem. Nullius unquam per hanc matrimoni turbata concordia est. Nemo quæstua est pro filio pater. Nemo exhaustas facultates in auidissimos sinus pœnitentiæ dolore defluit. Teneat licet ingratissimus iuuenis inuidiam miserę facere prioris affectus, non poterit obiicere meretrici & quòd amarit, & quòd amare desierit. Ne quem igitur accusator hac prima fortunæ suæ comploratione decipiat, tanquam meretricis charitate consumptus sit, securi estote pro innocentia nostra, talis incidit, talis adamauit, nec habuit quod perderet in tam immodico ardore, nisi mentem. Vidistis enim notissimum tota ciuitate miserum, cum lupanari noctibus diebusque deseruiens quamuis indulgentissimæ puellæ simplicitate frueretur, modo tamen maledictis opprobrisque uulgi, modo crebra riualium contentione pulsatus, abigi tamen cum peteretque non posset. mouit mitissimam puellam hic infelicis affectus. laboranti primò sui uoluit facultate succurrere, sed quicquid indulserat, fouebat ardorem, quæque in hac impatientia prona persuasio est, quia nihil præstante meretrix tam sæpe contingeret, amari sibi uidebatur. Postquam nihil miseratio, nihil proficiebat humanitas, tentauit asperitate discutere. Poposcit, exclusit. Non defuerunt misero preces, adhibita sunt ex ipsa iuuenis conditione consilia. Sed ista uincebat, & omnes amoris impedimenta perdebant, donec intelligeret hominem qui explicari ratione non poterat, necessitate seruandum. Puto Iudices frustra male audire in immodico pauper ardore. Meretrix magis amauit hominem, à quo noluit amari. Consumptis igitur optima fœminarum cunctis indulgentiæ seueritatisque consiliis, dum apud omnes de pauperis sui amore conqueritur, incidit remedium, quo iam dicebatur alius amator explicitus. Quæ prima igitur medicamenti pariter ac dantis integritas est, non negatura porrexit, adiuuit deinde quod dederat, imperauit sibi ne quas admitteret amplius preces, ne querelis assistentis, ne lachrymis moueretur, exclusit. Vultis scire Iudices ubi sit medicamenti quod obiicitur, totus affectus? Quisquis odium dedit, omnia post hoc facit ut debeat amari. Quanto iuuenis hoc melius in forum aliquando uenisti? Incipis agere serium, grauem, iam leges, iam iura loqueris, conuitiaris, maledicisque meretricibus. Hunc tu animum modò inter libidines ac scorta perdebas, macie notabilis, pallore deformis, solaque impatientiæ tuæ fabula notus. Perieras infelix, nisi bibisses uenenum. Veneficij agit. Credam mehercle Iudices ad subscriptionem huius immanitatis expectasse publicæ seueritatis aures. Quodnam seculo nefas nunciaret hic gemitus? quæ prosiliret orbitas de nouercalibus quæsitura commissis? Quæ pestiferis hæredẽ medicaminibus enectum tristis complorare affinitas? Non pudet ergo quòd uacatia lupanarũ querelis, & ad nos deferuntur amantium rixæ? Videtis hunc accusatoria fronte terribilem? oscula poscit, destitutos queritur amplexus. Vultis uos abire potius in uestra secreta, ibique gaudia querelasq; mutata conuersatione consumere? Non agnoscunt leges ac iura miseros. Hic audiuntur feriæ calamitatea. Non est ultione dignus, de quo potest efficere meretrix ut queratur. Ecquando unquam Iudices audistis de ueneficio uiuum querentem? Facinus hoc semper ex mortibus accepit inuidiam. Si latrocinium, probes cruore, uulneribus, si sacrilegium, spoliis numinum, prædaque templorum. Ita ueneficium si arguas, oportet ostendas putre liuoribus cadauer, inter efferentium manus fluẽs tabe corpus. Ut iam istud obiicere possis, & uita debet aliquid esse passa, quod inuidiam mortis imitetur. Veneficium uoca quod excitate grassatur, quod in aliqua deprehenditur debilitate membrorum. Profer agedum corporis notas, in quas se noxiæ potionis uagus feruor effuderit, ubi depasta senectus uisceribus sa-

uitura consederit. Aspicio par laboribus corpus, retinere sua ministeria, sufficientē animū serijs actibus, accusatoria firmitate robustum. Crede iuuenis omnibus qui te modò noueramus, nunc acrior tectiorq; residit in sensus uigor, in mēbra sanguis, uiribus uelut nouæ iuuentutia exultans. Bibisse te medicamentū probare nō posses, nisi meretrix fateretur. Quòd si permittitis Iudices, ut quicquid extra cōsuetudinē datur, ad huius uulgi referatur infamiam, beneficium male audiendo uirtutem sanitatis, statimque merebitur sceleris inuidiam, quicquid profuerit inuito. Illud tantum noxium uirus uocauere leges, quod nō admitteret interpretationis incertum. Iniquissimum est uenenū uideri, quod in potestate bibenti est an sit remedium. Sentis Iudices iuuenis crimē quod detulit, nec nomine nec effectu scriptionem legis implere itaq; ex uocabulo mulieris quærit inuidiā. Meretricem, inquit, accuso. Nescis, mihi crede iuuenis, sceleris quod detulisti, qualem mihi debeas probationem. Rem expecto mehercule, ut sit ante omnia minax uultus, feralis habitus, horreant squallore crines, rigeat super nefandas cogitationes efferata tristitia. Facinus quod dicitur inquietare superos, sidera diris agitare carminibus, tumulos busta scrutari, & amputatis cadaueribus ipsas in scelus armare manus, fieri non potest ut authorem suum non statim primo prodat aspectu. Vides ueneficæ non horridos uultus, placidamq; faciem. Si cogitationes, si consilia pertractes, sola cura de forma est, omnia in hoc collata meditatio, ut solicitet aspectu, sermone detineat. Audio subinde exactas mero noctes, tua mulier conuiuia, perditas amantium rixas. Meretricis unum ueneficium est, ne desinat amari. Nunquid inique Iudices in tanti sceleris subscriptione deposco, ne nominibus reos uelitis æstimare, sed moribus? Venefica tua quid prius unquam, quid simile commisit? Cuius per hāc expugnatus animus est? Quis queritur iuuenis? quis senex? quis diues? quis pauper alius? In te ergo solo uenefica, in te tantum aliud ista quàm meretrix. Vultis integritatem puellæ breuiter probem? Hanc quam nunc detestatur, accusat, amare mallet. Omnia Iudices facinora (nisi fallor) caussas uel de cupiditate uel de simultatibus trahunt. Quod odium de amatore meretrici? Quæ præda de paupere? Odium, inquit, accepi. Ecquid Iudices? Satis me contra infamiā ueneni uel solum medicamenti nomen absolueret. Nec inuenio cur debeat idem uideri, quod non potest idem uocari. Agedum iuuenis, potionis imple huius immanitatem, dic, Odium accepi contra coniugem, contra liberos meos, ut à sacris auocarer affectus, ne pignora sancta despicerem. Illud odium in meretrice facinus est, quo utitur in sui charitatē. Ita uel hoc solum sufficit excusationi, quod illa contra se tantum dedit. Odium, inquit, accepi. Nunc te hic reposco iuuenis inuidiā quam fortunæ nostræ paulo ante faciebas. Dic, meretrix dedit, prostituta porrexit. O quàm timueram ne diceres, amatorium sui. Consurge agedum iuuenis, & totis corporis animiq; uiribus imple susceptæ accusationis horrorem. Est quod audiente tota ciuitate proclames, Misereminí mei, adiuuate, succurrite, bibi medicamentū crudele, sæuū, desii pauper amare meretricem. Iamiam non inquietis noctibus uagus uilissimi cuiusque perditos patior ictus, nec exclusus ante lupanarium fores posterū diē peruigil amator expecto. Possum nauigare colere terras, sufficio militiæ, redditus est mihi animus quo fierem maritus, quo senectuti liberisq; prospicerem. Quantum dij deæq; remedium conditioni bibentis ualuit? Fecerat te potio ista fœlicem, si diutem puella. Ita uel hoc non solū Iudicea innocentissimæ puellæ pro defensione sufficeret. quòd nihil fecit sua caussa? Amatorem dimisit, explicuit illa quæ captare dicitur ut ametur, quæ solicitat, quæ corrumpit affectus. Ingrate, quanta de se potuerit gratia frui? Non quidem confers precia, non stipes, sed assides, sequeris, hæres, præstas comitatum, fauorem, laudas ubiq;, miraris. Hinc ergo iratus meretricibus, quòd illas etiam pauperes ament, quod facile contingant, quòd laboribus exonerentur adeuntium facies, hinc amator ut diuitea ament, in crimen maximum captas transferre beneficium? Vt aliquis amare desinat, non nisi ab amante præstatur. Quid ais iuuenis? Ita bibisti potionem, quæ finem cupiditatibus daret, premeret ardorē, desideria restingueret? Abi, recede, dū puellæ publico generis humani nomine gratias agimus quòd hoc fieri posse monstrauit. Furor ille qui (si credimus) numina quoque detracta sideribus misit in terras, qui de sacris uenerandisq; pignoribus monstra commentus est, ardor qui miscuit hominum ferarumque concubitus, ferrum, ignes, claustra laxabat, per interiecta latè maria fugiebat, uetatur, perit. Accipite quod magis debeatis stupere, mirari, remediū amoris mulier inuenit. Desinite nunc incestum timere mortales, nulla pietas horreat nefandæ cupiditatis instinctum quicquid non parētum minæ, castigationes, non seri propinqui, non paupertas, non necessitas poterat efficere, haustus breuis, facilis, unus extorquet. O si quis odium posset omnium bibere uitiorum? Felix profectò mortalitas, si reliquos lapsus incommodosque mentis errores fas esset infusa potione compescere. Facinus est, quòd maximum remedium, gratiam sui authoris uocabulo perdit. Miraremur hominem, qui illud contra meretricem dedisses. Tibi tamen ultra omnes immodica cupiditate flagranti, tibi præcipue succurrendum iuuenis. Cuius homo conditionis adamaueras? Diuitiis opus est, ne simus in amore miseri, & impotentissimi mali difficultatea illi fortasse non sentiant, quos contra fastidia cæterosq; contemptus explicat felicitas magna pereundi. Felix profectò, qui non nisi facultates in lupanari effudit. Tu perdis animū, ille æs, tu bibis uxoria, tu lachrymis rogas, pallore blandiris, & quod ad pessimum spectat euentum, miserabilis sis oportet, ut amator esse uidearis. Finge te nullum huius affectus sentire cruciatum, id amare te pauper saltē non pudet? Homo cui non uacaret agere longa languoris ocia, ægrumque non deceret totarum noctiū quies, excusare non possis si tantum perdideris dies, cuius census ex manibus, ex laboribus substantia, quem quotidie poscit ultra rationem in dies demensus, amētiam pateris, felicitū oscula tantum amplexusq; meditaris, & unde tibi calamitatis huius nō potest nec uenia contingere, de uoluptate miser es. Expectandum uidelicet quando te fames, inopia castiget. sed inter ista cœpisti, quid iam facere potest ratio, consilium? Odii sanidus est, quem non explicat quod pauper adamauit. Non tamen intelligere possumus tecum solam fuisse paupertatem. Iterum, non opes tantū tibi, non facultates defuerunt, non erant, quantum uideo, propinqui, non amici, alioqui illi se potius nostra potione sanassent, uel si ignorassent huius gramimia uires, uinculis nexibusque, tenendus. Quid blandis affatibus impotentissimum eludis affectum? Datuor est remedium dolori, qui sæpe egit in laqueos, in præcipitia compulit, qui cruciatus laborantis animæ uulneribus emisit. Quantū amori in hominē liceat, illi magis sciunt, qui amant. Iunge nunc cum fortuna tua conditionem mulieris adamatæ. Incideras quidem miser in puellam minime superbam, minimeque difficilem. Quasdam tamen non possumus circumire meretrices. Quam multa pro illis exigit sexus, ætas poscit? semper necessitas petit corporum, cultus poscit, stationis tristissimæ impatientia. Totos infelix dies lupanarium foribus impendes, ut quandoque prostituta pauperi uacet. Contentione numerantium dilatus, exclusus, ocium meretricis expectas. Negatur tibi complexus, indignatione persequeris. Contingit, uerum felicitate corrumperis. spem gaudia parant, aduersa contritionem. Ex utraq; fortuna desideria coalescunt. Nobis crede qui uidimus, quis tibi uni fuit corporis habitus? quis pallor? quàm miserabilis, quàm pudenda tristitia? Quoties tu uenenum bere noluisti? Non est igitur iuuenis, quod tibi queraris illam mitissimam partem humanæ mentis ablatam, non charitatem, sed impatientiam, non uoluptatem, sed tormenta, non amorem, sed quod adamaueras, perdidisti. Amoris (si sapientiæ sequamur authores) antiquissimum numen, & cui se naturæ debet æternitas. Sed ille mitis & serius, honestis cupiditatibus & ignibus sacræ charitatis exultans is qui cuncta priscæ noctis operta caligine diduxerit primum, deinde miscuerit. Hic uero quo perditis uisceribus adhæremus inquieti, lasciuientis adhuc ætatis instinctu tumultuosus ac petulans, telis funereis facibusq; armatus. Præstat igitur ille mortalibus liberos hac usitata coniugij pietate, hic incesta, libidines, adulteria, meretrices. Referam nunc fabulosas immodici furoris prodigiosasq; nouitates, conceptum nescientibus oculis ignoti hominis aspectum, formam suis in se luminibus ardentem, uirgines patrum senectute flagrantes, mortalium ferarumque uulsus usque ad monstrosæ fœcunditatis onera perlatos? Ex omnibus tamen quæ nobis patientibus extorquet affectus, hoc sæuissimum patimur, quòd nemo uult in amore sanari. Ego tamen, inquit, amare mallem. Hoc est ego propter quod opus odio fuit. Nihil agebant castigationes, nec preces, consilia perdebantur. Odio debet amator explicari, quem sanat adamata. Interrogare te hoc loco libet, nunquid accusare posses, si quod fecit medicamento puella, fecisset animo? Licuit te reposcere quantum numerare non poteras, fastidire, contemnere. Iam indignaris quòd te maluit remedio quàm dolore sanari? Mulier cui ad dimittendum autorem sufficiebat ut odisset, ipsa pro te commenta est ue illam tu potius odisses. Finge te tamen aliqua remedii tui sentire tormenta, arrogantissime miserorum, tu autem sperabas ardoris immodici fœlicē statim sanitatem. Quid si queratur æger abstinentiæ dolore sanatus? Excussa sunt plerunque languentium uerberibus redemptaque debilitate uitia, ignibus, uulneribus interdum profutura grassata sunt, & quæ fuissent mala sanitatis, in gratiam remediorum de maioris periculi comparatione redierunt. Vix mehercle cōtingere potest, ut hilares ab bac impatientia

patientia

patientia lætiq; discedant, quos pudor, quos satietas, quos pœnitētiæ ratio dimittit. Nec sine aliquo morsu resilitur a malis, quæ uoluptate tenuerunt. Iterum materia amoris est, desinere, nec queri. Opus fuit pari diuersitate, uiribus quantis adamasti, ne respiceres, ne frequenter in media sanitate subsisteres. Quale tibi remedium debuerit adhiberi, uel ex hodierno sentis iuuenis affectu. Pro homine qui post odiū queritur q non amet, parum fuit si amare desineret. Audi igitur ingratissime, quatenus ad publicas aures secreta nostra proferre uoluisti. Dedi. Quid enim, inquit, facerem, quæ remedia tua multa perdideram? Ferre misera non poteram, quòd te iam cœperunt omnes ridere meretrices. Repete agedum illarum colloquia noctium, quibus te frequenter alteriusq; & fortasse diuitis amatoris iniuria receptū, inter oscula amplexusq; monui, Quid miser cū fortuna, quid cum mea conditione rixaris? Parce necessitatibus meis, duo pauperes sumus. Sed & tu quoties in sinus meos lachrymis fletuq; resolutus exclamasti, Sentio furorem, sed imperare oculis, sed animum regere non possum? quàm libenter te mulier odissem? Non est igitur ingratissime mortalium quod beneficium nostrum nomine potionis infames. Remedium bibisti, sed illud odium tuū est. Quid? quòd furis, conuitiaris, exclamas, non est haustus illius affectus, sed amor. Talis fuisti. Aliud sunt, aliud, illi quos in uoluptates suas persuentium facultatū mittit secura fœlicitas. Improbius pauperes amant. Sic tumultuabaris admissus, sic moras, sic impedimenta ferre non poteras. Maledicebas populo, conuitiabaris intrantibus. Cuius unquam fœlicius cōmutata fortuna est, si tunc omnes oderas, nunc unam pauper odisti? Quin potius iuuenis admittis consilij rationem? Quid agis infœlix? Cur redditā modò sanitatem rigore nimiæ contentionis exasperas? Prædico, te flos, consumis odium, nondum totam mentem uis perfusa possedit, adhuc circa te duo maximi rixantur affectus, adiuua potius, adiuua potionē. Cōtrade agedū, quicquid est aliud quod tumultuatur, exæstuat, totumque sanitas componat hominem. Tunc te sciemus amare desisse, cum desieris odisse. Et innocentiam quidem puellæ satis, ut spero, defendimus, magnitudo periculi uocet preces. Consurge agedum miserrima fœminarum, reliquam defensionis tuæ partem tuere lachrymis. Accusator quod speras? quid expectas? Ad genua tua non mittimus eam. Toto licet eam fœlicem terrore conuenias, non exosculabitur manus. Mortem suprema denuncies, te non rogabit. Frustra tibi aliquid de periculo nostro metuq; promittis. Nescis, puella non habet odij remedium. Sanè tamen uiribus potionis effectum sit, ut accusator eius innocentem, sufficit ultioni uidisse pallentem, satis est audisse gemitus, meminerit haec esse quam tu non iuuenis odisti. Quid agis? etiam si ne perferes illud pronunciationis anceps, illud humanæ salutis incertum? Numerabis ergo sententias, & si damnaueris, exultabis nefande, gaudebis? Puto non adamasti. An & sequeris dum carnifex trahit? Intueris dum hos oculos occlusura contingit manus? dum hæc amplexibus tuis nota ceruix, ad supremos nudatur ictus? Non exilies? non pectus oppones? non fidem hominum deorumque clamabis? Accipies percussam super palpitantia membra consistens? Potes hoc uidere? potes hoc ferre? Sanatus es. Quod si quid tristius iudicij huius attulerit euentus, dii rapide pereuntium beneficiorum semper ultores, dii quos iste crudelis in amplexibus puellæ frequenter mœrore, lachrymis, aut finem amoris rogauit, aut mortem, date nobis istam de ingrato iuuene uindictam. Non imprecamur debilitates, naufragia, morbos. Pauper sit, & amet quamcunque meretricem, & amare non desinat.

AMICI VADES, DECLAMATIO XVI.

ARGVMENTVM.

Duo amici, ex quibus uni mater erat, peregre profecti, ad tyrannum appliciti sunt. Mater cognito quod filius haberetur à tyranno, flendo oculos amisit. Oblata est à iuuenibus tyranno conditio ut dimitteret alterum ad uisendam matrem, ad diem præstitutam reuersurum, ita ut nisi occurrisset ad diem, de eo qui restiterat, pœna sumeretur. Et iureiurando adstrictus est. Venit iuuenis in ciuitatem. Mater detinet ex lege, qua parentes in calamitate deserere non licebat.

Pro iuuene contra matrem.

ITa sanctissimi uiri olim uos uideor humanorū pectorū affectus in solā amicitiam cōtulisse, & patior inuidiam hois qui sibi nō reliquerit ut amaret & matrē, quoties tñ uniuersam pietatis meç cōscientiā intueor, in qua minimū est q uideor bonus amicus, nō possū nō hanc penitus excusationis nostræ cōplorare fortunā, q mihi necesse est aut amicū relinquere, aut matrē. Facinus seuerissimi uiri, facinus sit impatientissimis affectibus meis, q succurri nō pōt duobus. Excedit oēm querelæ meæ cōplorationē, q tā diuersis meorū conatibus aduersa cōuenerūt, ut uidear eligere. Quid nō dat̄ miser pro luce matris, qui ut illā uiderē, amicū dedi? Fidē uestrā iudices, ne inter maximas necessitates pereat usus hoīs, qui paratus est duobus impendi. Iā hic est tota ratio clemētiæ, ne ibi me detineatis, ubi nō prosum. Nec dissimulo sanctissimi uiri proferre me cum maximi tū incredibilis exēpli fidē, ut nō immerito possim uideri cū matre colludere. Ego uideor excogitasse istū colorē, & hoc q detineor, amicitiæ uocatur infirmitas. Miseremini iudices, tentate me, & dimittite. An uoluerim reuerti, scire nō potestis nisi reuertor. Illud sanctissimi iudices, illud affectus meos torquet ac lacerat, q sim ingentis expectatione deceptus. Sperauerā futurū, ut hoc loco rē magnā faceret & mater. Parauerā apud tyrannū hāc iactationē, ut me crederet remissū, & genus ostētationis ad amauerā, ut miraretur hois fidē etiā in orbitate. Quo uultis hoc animo ferā, quòd etiam ne reuertar, amico meo mater imposuit? Et quantū ad hāc pertinet, maximū iuuenem decepit, illi qui meos crediderit affectus. Nō possum iudices, litis huius dissimulare facinus, innocentius fuerat ut ego nollē reuerti. Uidetisne sanctissimi uiri, qui receptas hominū persuasiones uelut aliquā seruitutem charitatis attēdunt. Me si quis interroget, nullos affectus tantum nasci puto. Et si quis omnia uera rōne respiciat, quicquid liberos fratres, propinquos inuicem tenet, amicitia est. Homines igitur, quos cū maxime incredibiliū rerum loquitur inuidia, sumus sine dubio nō eiusdē pars animæ, nō eiusdē pōdus uteri, & quanto minus in caussis, tāto plus in affectu est. Admirabilior charitas, in q̄ coimus uiribus nostris. Nō pudet iudices hāc fateri persuasionē. minus debetur homini qui aliquē ideo tm̄ amat, quia necesse est. Ita est iudices, ita est, à primis statim ætatibus in eandē coire uitā, habet aliquē fraternitatis affectū. Sic effectū est, ut nos statim fama cōmitteret, & tali certamine coiuimus, ut si quid accidisset uni, deberet & alteri exemplum. Inde est quod & pariter reuerti contēpsimus, & quasi facilius esset inter fidos, placuit sub incerto pelagi cohærere. Nec tamen uanitate, nec discursu putetis extrancos, magnas & inexplicabiles nauigādi fuisse caussas, uel hinc potestis æstimare, q nos non detinuit hic mater. Uerum ne igitur iudices sumere de nobis certā nunc uoluit experimentū ipsa amicitia? & parū fortuna credidit hominibus adhuc tm̄ feliciter amantibus? An hæc est magnæ semper opinionis inuidia? nec ulli unq̄ tam plena cōfessione laudantur, ut illos non ipsa quoq; amicitia tentare uelit? Litoribus appulsi sumus, homines, quorū omnia casus, fama custodiebat. Cōsumitur errore, qui parētibus statim cæcitas est. Hinc illud euenit, q sumus pariter alligati. Sic magis aduersus solutū carcer inuētus est. Pudet iudices fateri, iā in hoc uictus, iam infatior recessi, ex duobus magis amatur, quē tyrannus paratus est alligare. Quantū tibi amice debeo? Non potuit nos diuidere nisi mater. Tibi primū cçcitas nunciata est, tuis hic affectus fuit q hoc credidit tyrannus. Quid ille non fecit ut rex desiderauerit uicariū corpus? amplexus est catenas. Sponderi sibi uoluit hominē aediturum, per maria, per matrem, repromisit de incertis tanquā de animo suo. Quis hominū pro se tam multa fecisset? Præstitit, inquā, amicus, præstitit rē quam uidebatur ideo tyrannus indulsisset, ne fieret, & homine qui in rebus humanis hunc esse nolebat affectū, decipimus dū tentamur. Ego nō inuenio cur horreat mater carcerem quid sibi uelit quasi destinatas operire ceruices. Nō odit me tyrānus, cuius non interest an aliū occidat. Miserere mater, si quis est magnorū meritorum pudor, querere q unū de cæcitate tu patiētius ex nobis amaris semper absentē. Cui tu fortunas, quibus necessitatibus iniicis manū? Me ad amicū meū admitteret alterius catena, & tyrannus nūc mihi portas aperiret, subsidio nauigiū pirata pstaret. Si mehercle ante morerer, te deberes mater ad diē. Misera nō intelligis quāto te magis plus obligauerit amicus? plus debes hoī, qui nūc tibi remisit, ex quo pati non potera ut reuertar. Libet mehercle iudices, libet misereri hoīm qui me laudāt reuertentē. Amicus mihi credidit ut redirē. Ita nūc ego facio rē magnā, ego sum ille bonus amicus, ille mirabilis, ille narrād^o. Siqua dicētis fides est, facinus mihi uideō, q scio me nō esse peritură. Sētit iudices & ipsa mater rem

se facere turpissimam, si necessitate detineat. Itaque mulier quæ
adhuc de affectu cuncta fecerat, ad legẽ subito conuertitur. Pessi
ma iudices caussa matris est, in qua plurimũ lex. Potest liberi pa
rentes in calamitate ne deserãt, Facinus est iudices hoc dici ho-
mini reuerso. Ita nũc ego cõtemno matrẽ, ego despicio cæcita-
tis obsequia, homo qui omniũ calamitatũ mearũ ambitũ in hoc
consumpsi, ut redirem? qui inter supremas solicitudines non pro
me rogaui? Mihi quisquã contumacium supplicia liberorũ, mihi
neglectæ pietatis minatur inuidiã? Bone Iupiter, quanti mihi cõ
stitit ne malus filius uiderer? Imputem tibi necesse est mater, ꝙ
meũ amicũ propter te reliqui, ad quem facinus est non reuerti.
Nondũ iudices necessitates meas, nondũ amici merita refero, in
terim contendo tunc esse tantũ legis huius usum, cũ in calamita
te soli sunt parentes. Magnã partem mortaliũ fortuna dimisit à
legibus, nec ulla iura tã tristia sunt, ut ea in aduersis patiãtur ho-
mines. Ego cum me necessitas rapit, sic habeo queri, quasi relin
quar. Excusatæ sunt parẽtibus liberorũ calamitates, & si quẽ lex
ista deprehẽderit, in alterius fatũ transeat necesse tanquã arbitra
tem. Quid. n si me detinente matre alter è latere reuocaret? & si
bella militẽ poscerẽt, si Legatũ patria dimitteret, ueluti ad pro-
priã descendam necessitatis meæ cõplorationem? Si me damna-
tũ pœna cõstringeret, uidelicet effringeres carcerẽ mater, iniijce-
res carnifici manũ, & perituri filij iugulũ authoritate iuris operi
res? Dij deæq; ꝙ longè est lex quæ retinet hominem, qui pœnæ
non uenit. Nescis quantũ intelligo mater, quantã inuidiã debeat
facere liberis parẽtes, à quibus relinquũtur. Mater quæ se deseri
queritur, illud exclamet, Filiũ meũ ciuitas peregrina solicita, ut
amœnos nescio cuius recessus orbis petat, debilitati meæ subtra
hit humeros. Iuuenis meus abducitur amore meretricis, & ab of
ficiis ciuitatis uitiis abstrahitur oculorũ. Huiusmodi gemitu filiũ
necesse est persequaris, ut ꝙ detineor, obiter & pœna sit. Nõ fa-
cit ista lex ad liberos qui misericordia detinẽtur. Vt turpe sit ꝙ
recedo, in eo tantũ est ad quẽ reuertor, & ut facinus sit relicta ma
ter, non faciunt nisi caussæ relinquẽdi. Homo qui ad tyrannũ re
uertor, si malo animo relinquo matrẽ, dignus sum qui detineat.
Nõ est itaq; ꝙ subinde nominis uestri beneficia mater opponas
non est ꝙ utilitati tuæ fieri potest, si credimus esse in rebus hu-
manis & alterũ affectũ amicitiæ, quã mihi uidetur natura excogi
tasse ut coire inuicẽ possit totũ hominũ genus, quæ ideo nondũ
circa se tenet omnes admirationes, quia tota nõ contingit, quæ
tamẽ peruenerat ad incredibiliũ fidẽ, nisi illam uos impediretis.
Amicitia plurimorum corporũ, unus animus, uicariæ manus, for
tior ꝙ matris affectus. Rogo quid refert quid uocetur ille qui sic
amat? Quid interest ex quibus magna merita descẽdant? Vultis
scire quid de hoc affectu sentiat mater? Et amicũ meũ putat mal
le ne reuertar. Finge me positis paulisper meritis, quibus obliga
tus sum, hoc tñ dicere, Amicus alligatus est, ire uolo mater ut re-
deat, ut cõsoler, ut dominũ rogẽ, ut si tyrãnus exegerit, uicarium
corpus opponã Quid detines? quid moraris? Hoc est tẽpus pro
pter quod coimus. Nescias an diligat cuius nõ habet experimen
ta nisi solã felicitas, & si uitæ præstet omnia secũda, amicus ocio-
sa res est. Dicturũ me potas, hoc expectat alligatus, expectat to-
tũ immo genus hominum, & uos in hãc fidẽ persuasionis recepe
runt, ut si hoc faciã, nemo miretur. Vis scire mater quẽ affectũ,
quã reuerentiã in calamitatibus amico præstare debeamus? Nul
lam legẽ timuit ne relinqueretur. Differo interim caussam amĩ
citiæ, agere paulisper omniũ liber, & tyrãnus mihi credidit, uolo
reuerti Nulli unquã mater plus cõmisit fides, neminẽ magis obli
gauerũt expectationes. Credidit mihi homo, cui res fauorabilis
contingit si decipitur, qui sibi excogitasse cõtra omnes amicos
uidetur. ut illi imponeremus. Nõ est ꝙ mihi supplicia, quod om
nem mortis apparatũ mater opponas Facinus est, id tantũ homi
nibus bene credere, quod expedit, & actũ est de rebus humanis,
si sola seruatur utilitatũ fides. Infinitũ est quãtũ mihi crediderit
tyrãnus, si me occiderit reuersũ. Intelligit iudices & ipsa mater
quantæ reuerentiæ locũ amicus obtineat, quæ incipit cõtendere
affectu. Nisi fallor igitur, cũ ego sim materia litis, hoc primũ æsti
mare debetis, uter in ea calamitate plus fecerit. Ante omnia per
mitte mihi de hoc affectus tui genere mater queri Quid tibi tã
rabido, tam præcipiti dolore uoluisti? Quid aduersis tuis præsta-
re faciã, & in oculos tuos accipere nunciũ? Non reliquisti tibi ut
redimeres, sine dubio adiecisti ad matris affectus, oculos in media
orbitate fudisti, sed nõ laxat catenas, non explicat corpus. Quid
mihi prodest iste qui se citra filiũ consumpsit affectus? Plus fecis-
set mater quæ isset ad tyrannum. Alligatus sum, tu nunc sic flebis
tanquam soluar in lectulo, tanquã in tuis manibus exspirem. In
quibusdã calamitatibus desperatio nõ est summus affectus & quis-
quis orbitatẽ statim credit, festinat ad impatientiæ securitatem.
Insimules licet mater tantæ pro me impatientiæ, tam incredibi-
lia affectus, amicus tẽ difficiliorem fecit, ꝙ seruauit oculos suos,
ut alligaretur. Dij deæq; quantum ille præstitit qui mihi inuidiæ
pœnam meã, nec recessit? ille, ille terribilem carcerẽ facit, qui in
de procedit. Iam nõ corporis nexus hærebat, nec aliud ꝙ reside
rant põdere catenæ, cõsumpti lõgo squallore uultus, cõcretæ no
ctibus diebusq; super ora lachrymæ. Miseremini iudices, ne per-
dat authoritatẽ meritũ quod ultra expectationem est. Ponite sub
oculis alligatos, quorũ alterum amicus redemerit, alterũ mater.
Rogo uter plus fecerit? Bone Iupiter, ꝙ auide, ꝙ fortiter uincula
nostra tractauit? Quibus ille precibus exegit ut sibi crederetur?
Accipe, inquit, has manus, hæc mẽbra, si fieri põt, ut amicũ matri
remittamus. In totũ explebo, si uideatur, uicaria pœna locũ rece
dentis. Vel si uis utrũq; tibi dimissa mẽbra restitui, spõdeo quẽcun
que iusseris aperto iugulo diẽ. Fidẽ deorũ hominumq;, quid non
factũ est ut amicũ meũ pœniteret? Ingestũ est misero illud carce
ris tenebrarumq; secretũ, grauioribus uinculis opus esse carnifex
dixit ad bonũ amicũ. Accedere ad illud cubile iussi sunt hoies no
centes, & subinde dictũ est, Vide tñ, amicus si tanti est. Vna uox,
unus miseri gemitus, Vrite, lacerate, distrahite, ille tñ reuertetur.
Miserere mater, magna res agitur. amicũ meũ reliqui cõtenden-
tem cũ tyrãno. Excuso me uobis humani generis affectus, & tibi
ante omnia mater excuso, ꝙ hoc fieri passus sum. Vlla ergo in re
bus humanis necessitas tanti fuit, ut illũ amicũ meũ in carcerẽ ip
se deducerẽ? ut squallorẽ meũ, meas catenas in mẽbra festinãtis
exuerẽ? ut tã abrupti cõmeatus diẽ contra tot incerta promitte
rem? Testor te misera cõscientia, & si quod nos in illa necessitate
numen aspexit, quantũ simus rixati circa catenas, ꝙ omnia fece
rim ut ille potius ueniret ad matrem. Fateor iudices, unius cogi-
tationis pudore uictus sum, ꝙ tam magni beneficii difficultatem
ab amico nõ accipere, affectus uidebatur hominis qui non credi
disset. Miserere mater, ne me solutũ putes, amicum alligaui. Hæ
sunt catenæ quæ tegunt mẽbra, quæ ꝑ maria, per infinita terrarũ
spatia restringunt. Sic nõ potest carcer effringi. Inuideo tyrãno,
scit alligare amicos, scit tenere dimissum. Iterũ ac subinde procla
mem necesse est, Ego amicũ meũ alligaui, & ut te uiderẽ, pœnam
meã altero homine amplexus. Scio quo hoc amicus præstiterit ani
mo, sed ego rẽ feci hominis nõ reuersum. Interrogo hoc loco im
patientiã tuã mater, interrogo, quid faceres si nos ad te uidendã
deduxisset alligatos aliquis satelles, si barbarus aliquis? Fruereris
oculis, fruereris amplexibus? Non est ꝙ te ista tanꝙ lenior, tanꝙ
expeditior cõditio decipiat. Quid putas esse ꝙ me dimisit solutũ
ire quò uellem? Crudelis artifex non reliquit nobis ut impone-
remus. Superuacuo igitur hoc uos in matris caussa mouet, quòd
cæca est. Hoc quòd nobis inuidiam facit uulneribus oculorum,
nolite detinendi putare caussas, idẽ uidens faceret. Nec plus est
quod non potest cæcitas ferre quàm mater, ut aliqua filio care-
re non possit, nonnunquã calamitas facit. Quòd si iudices in per
sona mea nec affectu nec meritis inferior est amicus, quid aliud
iustitia uestra debet attendere, quàm uter plus patiatur? Iam sa-
tiauit dolorem mater, egessit æstus, effudit impetum, iam non
desiderant oculi, cum cadunt. Adijce quòd hanc qualemcunque
fortunam inter amicos tenet, inter propinquos habet omnia mi
nisteria sua debilitas, suas cooperationes. Vis scire quanto into-
lerabilius sit quod patitur amicus? Excæcauit te quòd ego sic te-
nebar, ille accipit cibos, quos carnifex, quos tortor apponit.

VENENVM EFFVSVM, DECLAMATIO. XVII.

ARGVMENTVM.

Filium ter abdicare uoluit pater, uictus. Inuenit quodam tempore in secreta domus partę medicamentum terentem. Interrogauit quid esset, cui parasset. Ille dixit uenenum, & se mori uelle. Iussit pater bibere. Ille effudit medicamentum. Accusatur à patre parricidij.

Pro filio contra patrem.

LAssatus per diuersos miseræ mẽtis æstus, & eũ
dem dolorẽ, dum me ab utroq; animi genere
semper quod impulerit abducat, & in pertina
ciam desperationemq; neutrã mihi liceat per
ferre patientiã, hoc primũ à nouissima clemẽ
tia uestra peto, ne miremini ꝙ inter tã uaria
tristissimaque fata consilio diductus sum, nec
pro malis meis quicquã melius inuenire potui, quàm ut more-
rer, nec pro innocentia, quàm ut uiuerẽ. Nouo igitur iudices in-
auditoque

auditaq; genere discriminis utriusq; animi reus, qua satis calamitates meas cōploratione, quo deflebo gemitu? Filiū mori uolentē penè occidit, quòd interuenerat pater. Videtis adhuc illa secreti nostri confessione rixantem. Quicquid citra suprema, citra exitum est, contumaciam uocat, quantum absolutionē aspicit, uitam. Quis post hoc quærat ac dubitet quo me affectu iusserit uirus haurire, qui parricidium uocat quòd non biberim? Permissurus fuit, si bibere uoluissem. Quæso itaq; iudices delationis hodiernæ penitus uelitis perspicere caussas. Obiicere putatis parricidium patrem pro se? Necatur, uritur, sine dubio torquetur uita. hoc enim non potest ferre, quod mori filium iussit, nec coegit, & fecit facinus fuisse in imperio, si innocentia est q̃ recusaui. Suæ quod crudelitatis est, uel ab inuidia se criminibus meis defendit, excusat, & ne uocem illam tanquam peractum facinus oderitis, substituit pro malo patre miserum. Hic est iudices deprehensæ impietatis æstu. Nemo unquam uolet innocentem filium uideri, quem uoluerit occidere. Illud quoq; iudices à grauitate publica peto ne quis me mori uoluisse nō credat contumaciter. Adhuc prioris constantiæ meæ more defendor, alia est mihi ratio cū uici, fortior sum reus quàm absolutus. Sed tunc tantum par esse non possum calamitatibus meis, cū me constare corpis nihil aliud esse quàm miserum. Bene quòd rursus uocauit in forum, iussit integritatem agere caussam, fecit ut mihi uidear perdidisse mortem. Si pœniteret patrem quòd me bibere iussit uenenum, ego ferre non possum quòd effudi. Licet igitur immitissimus senex confundere publicos conetur affectus, querelarū fion se mutata. non sumus noui uobis accusator & reus, nec nos modò pietatis euersæ recens asseruit immanitas, parricidā me olim uocat. Ita est enim iudices, ita est, iam pridem hominum nefandorum solis nominibus accusatur. Sic mihi illa prima patris maledicti asperitas. Hic est ille quem desinere iam iusseratis, qui semper ad uos recurrit, & uincetur. Fallitur quisquis illā de moribus senis lassitudinem uel patientiam sperat. Patri qui abdicare non potuit, minus est filium nocens, quàm absolutus. O pertinacissimum accusatorū genus, uicti parentes. Dum authoritatem nominis uestri iustius imperiosis asseritis affectibus, & ne pudorem pœnitentiamq; fateamini, contumacia uindicatis errorem, calamitatibus meis accessit, ut ter absoluerer. Nanq; ut erat in superuacuo odio meo senex prima luce deprehensus. ferre non potuit quòd reddebar inuito, & quia à iudicibus non impetrauerat ne abdicaret, apud se tenuit, ne desineret hoc uelle. Credidit tamen aliquid profecturum querelarū errore repetito, & sperauit iuxta contentionem suam ut lassesceret aliquando pro me iusta miseratio. Quid facerē igitur? quò uerterem iam fatigatam innocentiam? Nec exire me decebat ex domo, ne uideret quicquid uos non credideratis, agnoscite, nec expectare poterā, cum mihi rursus aliam seriem malorum minaretur, quòd me iam cœperat pater contentione qua nobis irascebatur, odisse. Tandem infelix misertus mei, miserti tui patris, cum de præteritis prospicerem iurgia tam lōga quàm uitam, captaui fateor omnem occasionem, quem mihi uidebar exasperare præsentem, exorare dum morior, & tanquam nouissimi ambitus genus excogitaui, ut me in honorē iui reuerentiamque pereuntem, sic odisse desinere, quomodo parcere solet ira cedenti. Non habet alium quàm mortis exitum filius, qui nec reconciliari potest, nec abdicari. Erat in domo nostra locus, in quem secedebam semper reus in quē reuertebar absolutus, querelis meis lachrymisq; iam conscius, in quē se ferant. In hunc non tanquam custodiæ patris imponerem (nā quid possit inueniri, quo non me captantis aliquid deprehendere cura sequeretur?) sed sicut solent qui immori uolunt, pudore, non ira, ab omnibus quæ uidebantur auocatura, secessi. Nā nec placuerat exitus genus querulum, tumultuosum, siue quod faceret inuidiam. Sed quid mihi tecum est integritatis nimia simplicitas? Non putat se posse deprehendi, quisquis uenenum parat ipse potius. Totus oculis animoque conuersus hærebam miser in opere moriendi (nec dissimulo) cū quadam cunctatione, cum mora, sicuti bonæ conscientiæ lenta mors est, nec præcipiti per suprema trepidatione festinant quos hoc solum quòd sui miserentur occidit. Abiit per tacitas conquestiones meus in obitus contemplatione positæ, & hausturus potionem quare nunciarem rebus humanis, totam apud se repetebat animus innocentiam suā cum pater secretum quod per impatientiam pereuntis impleueram (quantum credo) lachrymis meis gemituque perductus intrauit. Non potest uideri Iudices suspicatus aliquid de parricidio, quid terrerem, cui pararem, nesciebat qui interrogauit. Nunc uobis sanctissimi uiri, nihil à morientibus fingi, nihil uita laborante simplicius. Ad subitum interuentū patris non tanquā deprehensus obstupui, facinus me tacente nō pallui, non est confessa trepidatio, nec, sicut accidere nocētibus solet, illa obuia semper errantium patrociniorum uerba uariaui, cum me repente interrogatione subita auocauit, abduxit, quæsiuit quid tererē, cui pararem, sed ego sine cunctatione, sine tarditate respondi & me mori uelle eadem ueritate, & confessus sum uenenum esse quod terebatur. Date Iudices patrem qui filium mori nolit & credit. Quis habeat Iudices dicenti fidem? Venenum filii quod inuenerat pater, non ille potius effudit, stetit quinimmo intrepidus, arrogans iuxta orbitatem quam uidebat, & mihi mortem quā promiseram, quam minabar, ingessit. Bibe, inquit. Quis post hoc iudices expectat, ut continuo paream iubenti? Ita demum mihi non est aliud relictum, si patri parui. Audite nunc dii pariter atq; homines, quid post tres abdicationes, & querelas toties iudicū grauitate percussas, uelut attonitus amens nunciet seculo pater parricida sæuus, parricida crudelis. Nō bibi uenenum. Hoc est totum facinus meum, uiuo, respondeo, non fugio iudicem, non cedo criminibus. Iam non miror quid sit circa quod impatientia deceptæ crudelitatis exæstuet plus quàm orbitatis gaudiū, quod modo perdidit senex, sperauerat ut occidere me posset meo ueneno. Sed quatinus inuenisse se putat quod crederetis, ut contētionibus subinde damnatis authoritatem de nouo dolore circundaret, inusitata cōmentus est. Quæ sola mihi superest ratio uiuendi, facinus ea simplicitate, ea fide denego, qua confessus sum de ueneno. Parricidii agis. Abstulisti quidem mihi patrem, ut exclamatem hoc loco, fieri non potest. Scio quantum defensioni meę difficultatis adiecerit, quòd iampridem in domo nostra humanorum pignorum ratio non constat, sed pronunciatum liquet utri ex nobis facilior sit impietas, uter iuxta alterius languorem suprema non fecerit. Tu unicum quotidie proturbare conaris è domo, uelles inopiam meam, uelles aspicere squallorem. Ego osculor illas expellentes manus, ego abiicientis genua teneo, & ad patrem qui me iam notabiliter odit, non habeo cur uelim redire, si non amo. Præualeret nominis tui fortassis authoritas, si contentio nostra cœpisset à ueneno. Cōsumpsisti quicquid est quod parentes ab omnium scelerum suspicione defendit. Non habet pater unde parricidium de filio credat, nisi quem posset occidere. Me quidem pater infelicis huius persuasionis simplicitatem si quis interroget, nec è te parricidiū fieri posse credo, nisi meo ueneno. Facinus tamen in omnibus incredibile pignoribus, nullis difficilius quàm liberis puto. Vos adhuc in suprema nostra præcipitat authoritas, qui filium occidere uocatis plerunque grauitatem, sicut abdicationis emendationem, sicut reliqua supplicia nostra rationis fronte protegitis, cunctosq; prærigidæ mentis affectus uocabulo molliore lenitis. Nos nec felices facinus istud possumus concipere, nec miseri. Non perueniunt ad nefas istud nec necessitates. Omnis citra desperationem dolor, ira, languescit. Et quanto dii deæq; difficilius si patraretur sine conscio, sine ministro, totumque facinus & animum filii poscat, & manus? Memento cuius obiicias immanitatis horrorem, patrē occidere uelle. Hinc tantum accipiat uires, ut mori possis deprehensus. Vt sciatis, inquit, uerum esse quod obiicio, & abdicare nolui. Non potest pater efficere genus querendi, pertinacia probationis. Tu cum dicis, filius me noluit occidere, uideris tibi facere prioribus iudicibus inuidiā, exclamare, uos faciles, uos misericordes, hunc mihi redditis. Sed iniquissimum est ne abdicatio, quæ nec in sui ualuit effectum, fidem maiori crimini præstet. Non sum reus inexplorati pudoris, nec anteacta uitæ meæ sub hodierna primùm lite tractantur. Felicior innocentia est citra suspiciones, certior post reatum. Et quantum infamiæ pręstant obiecta dum nutant, tantundem authoritatis absoluta restituunt. An scilicet superatus est grauia pater, & apud senes, & apud parentes authoritate pręualuit? Viderint qui calamitatibus suis sic blandiuntur, ut sibi affuisse credant misericordiam, fauorem, filius, à patre delatus, nunquam poterit superior esse nisi caussa. Sane tamen fateamus ut prima abdicatione non egesseris totū dolorem, multa tibi de criminibus meis uerecundia querendi, multa paternæ pietatis abstulerit infirmitas, quid non implet repetita delatio? Reuersus es in forum iam ad iudices iratos. Quanto terrore cuncta pertulit pudor ille iam uicti & redeuntis in damnatam collustrationem? Acrior semper ex uerecundia dolor. Sed & iudicum cura quanto malignior circa rediturum reum? Quam multis placet illa de dissimilitudine pronunciationis authoritas, & seuerior uidetur diuersa sententia? Tertia uero abdicatio dij immortales quem apparatum, quem moui ambitum? Ego miror quod mihi licuit audiri, quòd me non statim primus querelarum tumultus oppressit. Quid post ista noui pater obiici potest? Inter leges, inter iura consenui, non habeo in moribus meis, quod non melius iudicet sciant. Scilicet cepit natura rerum ut futurae sua parricida non præmiserit notas, nullis ante sit maximi sceleris immanitas tumultuata flagitiis, & quandoque culeo, ser-

pentibus expianda feritas, sub placida mente primam pertulerit ætatem? Aliud est miserorum genus quod clementia, quod succurrendi fauore dimittitur. Absoluerunt me qui sciebant nō profuturum mihi quòd non abdicarer. Proclames igitur licet, Subinde detuli, sæpe questus sum, ter abdicare uolui, hoc tamen res ista debet efficere, ut tibi non oporteat credi, quicquid aliud obieceris. Non.n. sequitur pater, ut me tuis criminibus accuses, q̄ nocentem tuis moribus probes filium. Parricidam non facit seueritas uestra, non sæuitia, nō terror, ad tam grande facinus non ira opus est, sed moribus, non dolore, sed mente. Omnes iniuriæ leuius exasperant, leuius uderunt, innocentis filij ultio est mori. Quod si manifestū est, nihil tunc in moribus fuisse mei, quod posset esse suspectū, æstimemus unde postea traxerim parricidij caussas. Vos libet interrogare hoc loco iudices, quis magis debet innocentiam amare? Vici patrem, omni nunc solicitudine, omni labore custodiā illam gratiā, illum ambitum meū, quo remuneror aduocatus, quo persoluo iudicibus illud propter quod audeo domum reuerti propter quod nō timeo casus, non subita pro patre, nō maligna fata. Fidem nō capit, ut me tres absolutiones & innocētem probauerint, & effecerint parricidā. Præterea pater quàm infirmum me, q̄ trepidū reddit ipsa uictoria? An ſ. ignoro q̄ me reuersum circumstat totius domus maligna cura? q̄ uiuo inter hoīes quibus apud te gratiā parat, si de nobis aliqui mentiantur, fingant? Videlicet hoc nos in facinus præcipitat, impellit, q̄ aliquid speramus de testamento tuo. Quid? ego non sentio quòd simili scelere missus in domum, à charitate tā exclusus, abiectus sum? Rogo qua fiducia facinus paro toties delatus, & paterna cōquestione petitus? Quod uis patrocinīū sperem pro parricidio meo? Defendi non possem, si bibisses tu uenenū. Finge me parricidij uoluntatē, finge habere caussas, unde occasionē, unde fiduciā? Ego nec mori possum, nisi ut deprehendar. Venenū paro, qui nō ministrū, qui nō inuenio conscium? Despicior à liberis, contēnor à seruulis, euitant sermonē meum, colloquia fugiunt, & charitatem tui simulant odio mei. An uidelicet spero posse fieri ut ipse porrigā? Est.n. mihi ad conuictus tuos facilis accessus. Venenum mehercle putabis quicquid dederint hæ manus. Et uirus præsentaneū paro, quod statim, quod subito corripiat? At quemadmodum mihi superest ulla defensio? An lentū, & quod tarda peste cōsumat, ut non statim exclames, ut te meū uirus bibisse non credas? Rogo, cui paraui uenenū, quod dare nō possum nisi mihi? Ita loquit. parricidæ argumentū est & hoc ipsum, quòd habuisti uenenū. Omnibus iudices, quibus ad scelerū conatus adiuuatur deterrorū quotidie fœcunda mortalitas, nō hanc solā potentiā natura concessit, in quā malis mentibus & nocentiū ducuntur ingeniis, sed illis usus ex animo est, totumq; quod faciunt, de cōscientia possidentis accipiunt. Quid.n. si latronē gladio tantum probes? Sic munimus & somnos. Excute peregrinantiū sinus, hærēt tela solicitis. Non uetant ista leges parare, prospicere, nec instrumenta prohibēt, sed æstimant usus. Finge me uelut in media prosperitate uitæ proclamare, Venenum paraui, ad quod incerti casus, ad quod languor, dolor, ad quod confugeret improuisa debilitas. Miramini q̄ hoc fecerim homo qui circa me fortunā, qui discrimina humana lassaui? cui nescio quid adhuc paret toties uicta delatio? Debuit habere in sua potestate mortem, quē iam pater poteras occidere. Non est, inquit, credibile ut mori uolueris absolutus, qui reus noluisti. Poteram quidē dicere pater, Vixi dū spero fas esse ut incipias aliquando misereri, ut te squallor meus frangat, mitigent lachrymæ, pallor exoret, sed dignosce innocentiæ, tunc me decuit pertinax & rigida defensio. Vixi ne me uideretur expulisse de seculo profundorū scelerum deprehensa trepidatio, ne super cadauer meū proclamare posses, Certè merito timui, merito prædixi uenenū, qui uiuendi nō habebat audaciā. Ne supremis meis cōuitiareris, ne quid posset obiicere iā non negaturo. Verū tibi de impatientia mea fatendum est, eadē mente nolui mori cum abdicares, qua nō bibi cum iuberes. Sed fruere iterum fruere sæpius cōfessione tam misera, & quia oculos spectaculo non licuit implere, satientur aures uolui mori. Adiice, si uidetur, hanc malis nostris contumeliā, ut interroges, quare abdicare me subinde uoluisti? Quid ais rerū naturæ pietas? ita iustiores caussas habet impatientia, q̄ corporum damna, q̄ facultatum tristis euersio? In suprema præcipitat me pater. Ita nō hæc una uox cōplectitur omnes calamitates? Non uidemini nunc nobis uniuersos audire miseros? Possimus fortassis aliorum accidentiū sperare finem, nō habent proximorū odia regressum. Quæcunque nexus accepere naturæ, & quæ sanguine uisceribusq; constricta sunt, non laxātur diducta, sed pereunt. Quę de primo tenore nascendi uix in contrariū uicta deflectunt, diuq; prauitatis suæ rigore durata, non in pristinū cursum remissa nō redeunt, sed totum pondus uniuscuiusq; uires inclinata traxerunt, uigore quo sibi permissa creuissent, in ipsius uitij robur adolescūt. In hoc tota est difficultas, ut incipiat nō amare filium pater. hoc cū frontē cōfessionis accepit, reliqua præcipiti furore decurrunt, & redituris claritatibus obstat, quicquid oblitterat odiis. Semel si parētes liberique mutātur, semel auferūtur. Felices qui habēt in cōscientia sua q̄d debeant emendare, corrigere. Illa domū potest ira desinere, quæ coaluit ex uitijs liberorū, Ego quid facio, cui nō luxuria, non est mutanda petulantia? cuius abdicatio non de meis, sed patris moribus uenit? Frustra mihi exhortationes, frustra blandiētur uana solatia. Hominis quē pater odisse non desinit, unus exitus est, ut se oderit. Et quantulū habet de toto dolore nostro ille quo uenitur ad iudicē dies? Ego cum dico, pater me odit, illud exclamo, omnes sine me sunt festi dies, omnis lætitia sine filio, nō alloquitur mœstū, non assidet ille languēti. Grauissimus, quisquis de nobis tristius aliquid attulerit, quisquis maledixerit, conuitiatus fuerit absenti. Ego si hoc possum ferre, merui. Alia sunt aduersa, quę de continuatione sui patientiā parant, quæ durant assiduitate firmantq; mentē. Quòd te pater oderit, quotidie nouū est. Minus fortassis urant inuicē simultates, & mutuis detestationibus inuisa respirent. Odiū is tantū filius perferre poterit, qui & ipse oderit patrē. Vos nunc iudices, uniuersos quinimmo mortales infelicissimus iuuenis interrogo, q̄d me facere uultis? Explicuit nos sine dubio de criminibus exitus, q̄ absolutus sum, tamē non hoc effecit ne mori uelim, sed ut mihi liceat & uiuere. Victus sum.n. mehercle, uictus sum iudices absolutionibus meis, & (quæ certissima est animæ laborātis infirmitas) misera felicitate defeci. Quē mihi uultū domum reuerso, quē sumetis animū? Non decet gaudium meū, exaspero hilaritate, non decet mœror, offendo tristitia, expio sermonē, inuisus sum tanquā arroganter insultē. Doloris caussis dicor si propius aspiciar, uideor si recedo, contemnere. Quousq; uincemus? Nesciunt prorsus abdicationibus mederi, qui nō statim cedunt, qui conscientiæ suæ rigore nituntur. Non uincitur pater, non sum absolutus, cū domū ueni, nemo me diligit, nemo reueretur. Iam ad nos de penatibus illis nō pertinēt nisi secreta, nisi latebrę. Non exuo, nō depono sordes, & mihi quotidie senex tanquā accusaturus occurrit. Attēdo quid faciā, quid loquar, qualis aspiciar, & (quod malignissimū est solicitudinis genus) me ipse custodio. Satiasti me uita, satiasti, & cū felicibus quoque ueniat ex nimia prosperitatis cōtinuatione fastidiū, quod tā diū paras lassitudine miserorum? Consumpta est in lachrymis in precibus ætas, exacti sordibus dies, anxietate noctes. Quid mihi contra tam indigna, tā grauia promittit integritas? Abdicari debet quem nocentē pater odit, mori quē innocentem. Sed ut credamus, inquit, uoluisse te mori, cur potissimū ueneno? Possis quidem pater hanc de omni supremorū genere litem facere morientibus, & quia rerū natura uarias fatorum uias indulsit animæ, in nullo non exitu simili ratione reprehendas quicquid electū est. Sic super strictum nudatumq; mucronem proclamares, cur non ueneno? Sed nihil est delicatius exitu, quē non supplicia, nō metus, sed collecta de calamitatibus cōmendat infirmitas. Mihi tamen præcipuè cū hoc mortis instrumento propria concordia est, non spargit cruorē, non trucem cadaueris relinquit aspectū, placida est, quieta est. Ingratissime senex, ego & hoc sic moriendo prospexeram, ne me occidisse alius uideretur. Te nunc apprehendo, te interrogo pater, ita parricida sum ego, qui uenenū affero in domum tuā imparatum, rude, terendum, cui tam multa restant antequā dari possit? Ita parricida sum, qui intra te quæro secretū, qui de potione tibi incerta, quā nemo detulit, quàm simpliciter tā facile respondi? Secedo in medios penates, nullos ab introitu præpono custodes, non euito transitus, nō excludo uenturos. Rogo utrū hæc omnia sunt occidere uolētis, an mori? Venenum quod tibi pararetur, inuenisses absconsum, recontū, multum circa illud palloris attoniti, concisa uerba, trepida suspiria, & me negantē. Parricida deprehēsus effudisset uenenū, ne fateretur. Cur ergo, inquit, si tibi paraueras, nō bibisti? Breuiter pater & secundam naturā conditionis humanæ respondeo, nihil aliud esse in potestate miserorum, quàm ut mori uelint. Ego cū dico mori uolo, non hoc dico, moriturus sum, de animo meo respondeo, nō promitto de fato. Miraris q̄ quamuis iam teneā uenenum, multum tamen adhuc casibus incertisq; superest accipere? perfossis plerunque uisceribus uitam tamen ab ipsa desperatione redemptam? Strictos circa colla laqueos, aut nexus, aut ipsius corporis ruina decepit, rotatos per abrupta molis iactus explicuit. Tam cōsentaneū est ne moriatur qui uelit, q̄ quòd morimur inuiti. Sed malo, sicut cœpi simplici tecum ratione consistere. Nihil æque parat impetu constat, quàm mori uelle, nec quicquā res humanæ impatientius habent pereuntis affectu. Hunc si retinere uelles, sufficit ut moreris, & rationē quoq; homini mortis eripiet, si quis abstulerit ardorē. Frangit animū quisquis interuenit, abducit,

„ cit, auocat quisquis alloquitur. Ambiuntur cuncta moriendi spa„ tia pro uita. Ideo nos mehercle crediderim eiusmodi exitum eli„ gere secretum. Minimũ est ꝙ confundat hominem infirmitate morientẽ, & exiguis caussis opus est ut displiceat obitus quẽ misero suasit integritas. Quid si interueniat aliquis qui gaudeat? qui uindicari se putet? si testes adhibeat oculos, quibus inuidendum sit? Statim mehercle arrogans uita simulabitur, statim contumax dolor cum deprehensa morte dissentiet. Nescis quantum mihi hæsitationis parauerit cũ interrogas, dũ respondere cogis. Sed quẽ & reddere, iterum litigare, defendi? Me uero tunc pariter omnes tenuistis affectus, indignatio, pietas, reuerentia, dolor. Ego propter patrẽ mori possum, coram patre nõ possum. Adijce nunc quod & dixisti, bibe. Si mehercle sauciũ palpitantemq; iussisses adigere ferrũ, premerem clusis uulneribus animã, si stringere aptatos ad colla nexus, conarer abrupto desilire laqueo, si non inijceres manũ ad præcipitia properanti, flecterem in plana cursum. Meritò prorsus anima secretũ solitudinemq; captaueras. Interuenit pater, actũ est, perit ille susceptæ mortis ardor, & utroq; nos resoluit affectu. Mori nõ debeo si uetuerit, non potero si iusserit. Bibe inquit. Nondũ quidem potioni uirus aptatũ est, sed me ideo deprehẽdisti, quia adhuc terebatur. Multa enĩ mihi pater ante facienda sunt. Volo prius conuocare seruulos, cõtrahere liberos, complorare, conqueri, mandare, defendi. Bibe. Mihi uero tunc adiecisse uisus es, teneris, hæres, eamus ad iudicẽ. Bibe. Sed hoc iubes tanquã negem uenenũ. Interrogare uos uelut in illa secreti nostri præsentia libet, quẽ mihi post hanc uocem animum datis? Dicit hoc accusatur, dicit hoc uictus, dicit secreto, dicit sic ut possit negare si bibero. Bibe. Ego quidẽ nolo, & hoc quam maximè paro, sed totum hunc animum tenex tua auiditate mutasti. Bibe. Quid restat aliud q̃ ut recusantis ora diducas? ut infundas per oppositas manus? Mihi uero tũc excidit quid uelim, quid parauerim. Vidi truces loquentis oculos, uultus parricidali ardore suffusos, iuberi mihi uidebar ut biberẽ tuũ uenenum. Nescisti pater pertinaciã meam seruare, nescisti. Filiũ propter te mori nolentẽ deprehendisti. Vis occidere? uerũ. inuade poculũ ne hauriã, bibam. Exclama, temerarie quid facis? Iam desino irasci, iam reuertor in gratiã. Propetabo, ut hoc secũ sures ferã, ut impatiẽtia tua fruãtur oculi. Tibi imputes quod in me retorsisti, ꝙ ablata sunt sacra„ menta pereundi. Innocenti facilius est mori, si rogetur ut uiuat. Fidem deorũ, in quã me contumaciã pater, in quẽ tunc impulisti contentionis ardorẽ, cũ diceres, bibe? Nec uiuere mihi libuit, nec mori. Ereptus sum miser animo meo, & improuisa uoce perculsus, steti sine affectu, sine negatione, attonitus, amens, & me penè „ aliter occidi. Nihil est profectò improuisorũ dolore torrentius, „ & fractæ malorũ contentione mentes ad inexpectata caligant. Non querelas pulli hoc inuenio, nõ uerba, nõ lachrymas. Ad nullius rei conatum sufficit mori alterius animo, & suo ueneno. Licet igitur noua me reatus mole conuenias, non pœnitet tamen illũ fixisse, non pœnitet illũ spiritũ rigoremq; pereundi, tanquã parricida moriebar. Pater qui queritur ꝙ non bibi, iam nunc diceret, deprehensus erat, negare non poterat. Essem nunc ter abdicatus, & me cõtenderet ad iudices meos redire non ausum. Bene ꝙ sic effudi, tanquã rursus uita placuisset. Venenũ quod uideretur deprehensum, nemo ideo bibisse crederetur, quis tibi parauerat. Dic nunc, non fui passurus si bibere uoluisses. Deinde hoc sic probas, ut me hodieq; coneris occidere. Non eras passurus. Quãdo per fide inijcis manus? potuis eadem, potuit peragi breuitate qua iusseras. Non eras passurus. Deinde non timuisti ne mihi animum pereundi uel hoc faceret, ꝙ putabã me iuberi. Facinus est si morior, ut postea quæratur an uolueris occidere. Tu licet inuidiam uocis illius alterius mentis simulatione defendas, occisuri tamen fuit ipsum experimentũ. Nec interest rigoris, quædã patiaris, sustentes. Nunquã mouebit patrem filius hoc ꝙ moritur quem non mouit hoc ꝙ paratus est mori. Quid nunc faciã iudices pertinacissimo rigori? in quod me componam patientiæ genus? Videtis hominẽ quẽ nullus animi mei status mutat, quẽ constantia nostra, quem ostendit infirmitas. Viuere nolo, perturbat, expellit. Mori conor, interpellat, exagitat. Iam fortassis aliquid, si nobis hodieque clementia uestra succurrerit, parauit, Inuenit. Quis finis, quis exitus incredibiliũ malorũ? De filio absoluto fecit ut mori mallet, de moriente ut uiueret. Vos uero sanctissimi uiri, quo iam ambitu, quibus possem conuenire precibus? Illa uester infelix, ille uester absolutus, flere uetitus est. Non habet gratiam suã toties genua complecti, & ad fatigatã misericordiã noui discriminis pondus attulimus. O mors semper imparata miseris, negata cupientibus, quando succurres? Me infelicem, perdidi uenenum. Sed quatinus aliquid pater expectationi tuæ repromisi, nolo desperes. Fuere quinimmo ante suprema, ante exitum meum hac uoce, uicisti. Nescio quidem quod rursus eligam obitus genus, an placeat reparare uirus infelix. Sed prædico, testor, quæcunque fecerit tradisio lethi, miserere ne iubeas, miserere ne cogas. Facilius me occiderent gemitus tui, lachrymæ tuæ. Et ne mihi putes illam secreti nostri excidisse uocem, Venenum quidem te iubente bibere non potui, quandoque tamen hoc occidet quod bibere iussisti.

INFAMIS IN MATREM, DECLAMATIO. XVIII.

ARGVMENTVM.

Malæ tractationis sit actio. Speciosum filium infamem tanquam incestum cum matre committeret, pater in secreta parte domus torsit, & occidit in tormentis. Interrogat illum mater quid ex filio comperetit. Nolentem dicere, malæ tractationis accusat.

Pro muliere contra maritum.

Etsi Iudices callidissimus parricida facinus suũ sic ordinauit, ut uobis matrem faceret inuisam siue dissimularet misera mortem filij sui, siue quereretur tãtaq; monstrorũ nouitate circundatã eò perduxit, ut sibi uideatur infamaturus iterum uel patientiã nostram, uel dolorem, matri tamen, in cuius calamitatibus ne minimũ sibi uindicat orbitas locum, ideo ad uos fugiendum fuit, ut sciretis non illi præstari ꝙ tacet maritus. Laudo Iudices, laude miseram, ꝙ interrogare noluit domi, ꝙ nihil fecit & ipsa secreto. Hic corã ciuitate, coram liberis ac parentibus, & (licet dissimulare parricida uideatur) corã rumore mater inquirit, quid tormentis unici quæsierit, quid morte comperetit. Respondeat saltem reus, fatetur iratus, cur in peracta crudelitate modestiæ frõte substitit. Nec uxori potest uideri parcere, de qua scire uoluit an esset incesta, nec filio, quem tanquã sciret occidit. Ante omnia igitur Iudices mulier infelicissimi pudoris hoc ab affectibus publicis petit, ne uobis accusare uideatur. Ream se incesti, reã parricidii putat. Exhibet populo conscientiã suam, & aduersus quencunq; sermonem, quodcunq; secretũ, marito famæq; præstat interrogandi potestatem. Vellet innocentiã suis probare uisceribus, uellet in æquuleos, in ignes hanc miseram præcipitare pietatem. Ignoscite Iudices impatientiæ, quæ contra callidissimã dissimulationẽ libertate doloris exæstuat. Incestũ probaretur silentio patris, si taceret & mater. Equidẽ Iudices tam contrarios affectus senis satis admirari, satis stupere non possum. In tumore tã suspicax, post tormenta patiens, modò ad fabulas uulgaresq; sermones pronus ac facilis, in orbitate, in parricidio, etiam quoq; dolore conticuit. Quo repente conuersus est? in quã modestiã desperationemq; defecit? torsit tanquã dicturum, tacet tanquã dixerit. Fidẽ igitur uestram Iudices, ne cui præstet magnæ seueritatis authoritatẽ, non posse defendi, neue ideo spicari nefanda malitia, quia se silentio parricida miratur. Parcere nunc illũ cuiquam tacendo creditis? loqui se cum maximè putat? Et si bene artes & profundæ mentis consilia perspicio, respondere sibi uidetur plusquã mater interrogat. Fallitur quisquis hũc esse credit inexplicabilis doloris æstum, & inter silentij confessionisq; caussas miserũ pudorem. Alium exitum non habet, quàm ut respondere nolle uideatur, quisquis filium occidit, & probare non potest propter quod debuerit occidi. Coniungat quantũ uolet nocentissimus senex cum rumore populi silentium suũ, & relatura ordinẽ tristissimæ sortis collata malignitate cludat ora, cõpescat aditus, securi tamen estote mortales, fas est, fas est innocentissimæ matri uelut in templis, uelut apud ipsos proclamare superos, Amaui filium meũ matrona Iudices, cuius puellares annos, primam rudemq; coniugij mentem nulla libidinum respersit infamia, cui impudens rumor, suspicax maritus nihil unquam potuit obijcere nisi filium. quæ pudicitiæ prima fiducia est, edidit partum quẽ maritus agnosceret. non timuit ne stupra furtiuosq; concubitus, paruuli uultus, aut crescentis infantiæ similitudo detegeret. Natum de se continuo (siquid ipsi creditis) impatientius complexa quàm reliquæ parentes, nõ in nutrices nec in ministeria seposuit, suis aluit uberibus, suo fouit amplexu. Nunquid & hos annos parricida, nunquid & pueri etiam miseri iuuenis infamas? Actum est de sacrorum nominum fide, si ut uideatur innocens mater, ætas tantũ filij facit. Accendebãt hanc erga unicum optimæ matris impatientiam rigidus pater, asper maritus, & sibi uidebatur parum implere quem pro duobus cõferebat affectum. Rarus hic nanq; ad oscula, difficilis amplexibus,

plexibus, & qui unicum aspiceret animo quo quandoq; posset occidere, fecit ut notabilior esset charitas matris. Omnis igitur miseræ sermo cū filio, omnis in publicū pariter egressus. Gaudebat etiam quòd laudandus occurribus, quòd omni frequentia cœtuúq; cōspicuus, populo iam ipse fieretetur quòd plus emaretur à matre. Miseremini Iudices, ne nefandas suspiciones maritum ex ullius traxisse credatis indicijs, suum rigorē, suum tantum secutus est animū. Filiū si non ames, uideatur tibi mater adamasse? Quæ stultū nūc me Iudices putetis de licentia sermonis humani? Ego uerò iusta hunc patiē, non accuso rumorē. Quæ materia fabulæ tam impudentis, quis fuerit author, ille probauit, qui credidit. Facillimū fuit ut loqueretur populus de incestu, de quo mirabatur patrem suspicere. Hæc sunt Iudices quæ mater fecit secure, simpliciter, palam, coram marito, coram ciuitate. Referat nunc suū iste secretum. Iuuenem (quæ integritatis prima simplicitas est) nihil timentē, in partē domus, qua nulla proclamatio, nullus poterat gemitus audiri, repuit, abduxit. Ibi uerberibus, ignibus, omni crudelitatis arte consumpsit. Quis unquam Iudices peius de innocentia temporum, de sacri meruit affectibus? torsit filium, ut probaretur incestum, occidit ut crederetur. Ponite nunc ante, oculos Iudices duorum parentum confessionem. Mater exclamat, filium amaui, pater dicit, occidi. Nefas est utrunq; puteis innocentē. Iam quidem nocentissime senex grande deprehensæ feritatis indicium est, quòd cum filium occideris, ut interrogeris expectas. Non erumpis ab illo secreto tuo terribili in publicū? & homo filii cruore perfusus, non proclamas? nō deos hominesque testaris? non occidis & matrē? Scilicet modestiæ te scelerum tuorū quammaximè decet, & ideo tibi relinquis unde sis quietæ patientiæ. Miser parcis uxori, coniugales deos, & lectuli iura reuereris. O quàm nō habet nec quod mentiatur? Malæ tractationis agimus. Placet ergo Iudices, ut illa uoce qua matrimoniorū conquerimur iniurias, gemitu quo corporū contumelias, dāna, cultus, & negatos in publicū deflemus egressus, orbitatem ac liberorum supreme plangantur? Quid tamen facere uultis miserum dolorem, si nō habet aliam sexus hic legē? si intra iuris huius angustias omnis nuptiarū querela cōstricta est? Mater quæ de morte filij maritū malæ tractationis accusat, non uindicat, sed probare contenta est quòd non debuerit occidi. Omittamus paulisper Iudices orbitatis tristissimæ dolorē, & in parricidio malæ tractationis reddamus aliunde caussas. Ita nō iuste quereretur uxor, si diceret, adulterū de me facilè suspicatus es, citò credidisti? Matronalis pudor tutelam non ex sua tantum innocentia habet iusir ruitas huius sexus non potest totā improbitatis existimationem debere tantū moribus suis, omnia in fœminas uenit maritorum prædicatione reuerentia, omnes sermones originē de uestris pectoribus accipiunt. Tristior uultus, querele, fastidium, factum est coniugij. De pudore pronunciat, mittit in ora populi, mittit in fabulas. hoc proxima ministeria narrant, hoc ceteri putant. Nemo peiore exēplo temere de uxore credit, quàm cui omnes credituri sunt. Sanè faciat uos pro nos ad suspiciones nimia charitas & es impatientiæ diligendi plerunq; descendat, ut credas, facilè quod timeas. Furtiua stupra, reptosque concubitus obijciat uel falso maritus, fas est, fieri solet, pertius tamen si iam sit & mater, si in fidem castitatis uxoria fœcunditate profecerit. Quid si sit iam iuuene quoq; filio secura? Iam nurū nepotesque prospiciet? Miseremini temporū, ne alienæ innocentiæ interpretatione de suis quisq; moribus trahat. Incestum posse fieri pater hoc solo uult probare, quòd filium potuit occidere. Rumor, inquit, fuit. Et hercules cui contra rerū naturā, contra parentes liberosq; creditur. Rumor fuit. Hoc ergo sic audiemus, tanquā si diceres, cōscius detulit seruus, nunciauit ancilla, improuisus astiti, dum non timeor adueni. Rogo Iudices, utrū credibilius putetis incestum de matre, an de rumore mendaciū? Rem impudentissimam populus loquendo fecerat, nisi pater credidisset. Pessimum Iudices humanarum mentiū malum est, quòd semper auidius nefanda finguntur, nec usquā se maius operæpretiū putant maligni facere sermones, quàm cū incredibilia quasi deprehensa narrantur. Necesse est contentiosius loquaris, quod probare non possis, & affirmationē sumit ex homine, quicquid nō habet ex ueritate. Est tamen hoc iniquissimū de loquacitate populi, quòd plerunq; famam accendit cōtentio non credentium. Materiā miraris rumori, de qua nemo nec sibi credit? quem qui narrat, assignat alij? Rumor res sine teste, sine iudice, res ex incertis improbissima, maligna, fallax, & similia silentio tuo. Quid & ipse de rumore sentiens, uis breuiter probē? Tormentis quærendū putasti an uerum diceret. Sanè sit aliqua publici sermonis authoritas in illis, ad quæ fas est populi peruenire notitiam. Video cur adulteria proferantur in fabulas, explicantur ministeria, per conscios. habent inconsulta gaudia. Pars uoluptatis uidetur esse iactatio. Facinus uerò cui si fas est ut illud humanæ mentis capit audacia, circundatur undique nox profunda, densioc caligo tenebrarū, quod nocentes suis quoq; oculis uix fatentur, non seruo, non creditur ancillæ. Quid internuncia, quid opus est ministerijs? sufficit animus duorū, explicat omne filius matereq; secretū. Incestum tanto incredibilius est, quanto & de illo plures loquuntur. O misera conditio sexus cuius ipsæ plerunq; uirtutes, fabulas parant. Cur ista nullis in publicū gaudet egressibus? Vnde aduersum omnes tam rigida conuersatio, tam seuerus affectus? Nihil concupiscit, nihil ergo desiderat? Filius possides cuncta tempora, uniuersos occupauit affectus, filius matris tota iactatio est. Rogo, numquid adamauit? Mihi credite, non est nefandorum ista simplicitas. da ut sic hæc inter matrem & filium cōscientia, patent oscula palam, abstinebunt corā patre complexibus, omnis familiaritas substringetur in publico sermones, occursus, corā seruulis libertisq; uitabunt, & maximi sceleris ardor captabit affectare grauitatē. Elige parricida quod noles, incestū diligens inspectum non erit, negligens deprehenditur. Sed quid ego sic ago, tanquā inauditum, incredibile scelus locutus sit populus? Teneo in hoc sermone facinus unius mali mariti. Non interest incestū de uxore fingat, an credat. Quid, iste ergo nō timuit tam nefandæ rei famā, nec ad aures patris peruenire rumor erubuit? Dissimiles licet, à te malignitas accepit ortum, te secutus est quisquis hoc ausus est narrare, proferre. Da bonū patrem, bonum maritū, dicturū me putas, nō credet? Nesciunt esse rumorē: Ite nunc Iudices, & adhuc dubitate quis famæ fuerit author, cuius pater egit caussam. Speciosus, inquit, fuit. Non magis hoc decimus in matre est, quàm crimen in filio. Speciosus fuit. Vt hoc obijci possit, ut debeat, adijce, & adulter & raptor, in illa matrone maritali dolore penè perculsus, in illa uirgine publica subclamatus inuidia? quanquā hæc quoq; intra notos discurrunt iuuentutis excursus. Quid eis? ab incesto libidines cœperunt? hoc primum unquā iuuenis admisit? hoc solum argumentum sumis ex forma? Dic potius, deprehendi iuuenem mihi uenena miscentē, in necem meam cōscientia sceleris est armatus. Infinitum est quantum debeat ante fecisse filius, ut de illo incestū pater sibi credat. Speciosus fuit. Quis. n. nō est formosus filius matri? Amant debilitates, amplectuntur illum morborum suppliciorumque pallorem, & in uices charitatis accrescit ipsa miseratio. Nō impedit ægræ pietatis animū deformitas pulchritudo non auget. Amare liberos unus affectus est. Liberi marite, liberi, nō amātur oculis, nō cōplectitur mater ore, nō uultu, sed est in filio matri nescio quid homine formosius. Possit forsitan nouitas solicitare uisus, expugnare mentes, in matris aspectu infantia, pueritia cōsurgit, iuuēta surrepit, speciosum suū quotidie uidet, miratur, amplectitur. Quæ tandiu amauit, quando incipiet amare desinere? Non est opus nocentissime senex ad hoc nefas charitate, sed amentia, sed furore. Vt in iuuene suo mater possit cōcupiscere quod formosius est, oderit oportet quòd filius est, & adeo sacris affectibus non aduiuatur in facinus, ut ad illud nisi per obliuionē sui transire non possit. Quid quod & incredibilius est, quod parem duorum poscit insaniam? & ad incestū opus est ut adamet & filius, non ut adametur solū. Ab uno deinde uultis incipere preces, uenire sermonem? Audebit hoc rogare filius matrem? mater hoc impetraturam se sperabit è filio? Huoc animum tuum senex, quo cum maxime taces (si non est callida, non maligna simulatio) de fide tanti sceleris interrogo, an potest mater admittere quod loqui non potest pater? Speciosus fuit. Libet interrogare hoc loco omnes humani generis affectus. Placet ergo, ut si filio obtigerit indulgentior facies, uultus erectior, refugiat mater amplexus? Si uirginē usque ad notabilem speciem natura formauerit, timeat oscula pater, horreatque contactum? Dij deæque male perdant tam impudentes solicitudines, tam nefarios metus. Prope est ab incesto, timere ne fiat. Malo simplicitatem, quæ non ueretur infamiam, malo nudos affectus, inconsultamq; pietatē. Nihil se fingi, nihil credat posse narrari. Teneat insatiabiliter, auide, tanta fama non est, ut amet filium mater solicitudine pudicitiæ. Me quidē marite si quis interroget, omnes matres liberos suos tanquam adamauerint emāt. Videbis oculos nunquam à facie uultuq; deflectere, comere caput, habitumq; componere, suspirare cum recesserit, exultare cū uenerit, conserere manus, pendere ceruicibus, non osculis, nō colloquiis, non præsentiæ uoluptate satiari. Hoc est ergo in tam nefanda suspicione læuissimū, incestum nō potest fingi nisi de optima matre. Execrarer mehercule Iudices, si crimen istud clarius obiecisset filio pater, si usq; ad uerborum processisset amētiam. Nemini minus fas esse debet credere incestū, quàm qui propter illud paratus est filium occidere. Quid quòd non credis tantū nefande, sed quæris? Ita tu non times monstri huius agitare secretū? populus loquatur incestum, sed tu nega. Ciuitas infamat, tanto

magis

magis osculare unicum, & coniugem tene, pariter duos circa tuum ustoge complexum. Pro inaudita feritas, ita patri non sufficit non credere incestum, quod non potest probare? Ferrem tamen adhuc suspiciones tuas nefandissime senex, si dissimulanter indicia tanti sceleris agitasses. Obserua sermones, secreta custodi, omnium dierum noctiumque momentis sagax scrutator insiste. Quid tibi cum abruptis? quid cum supremis? Incestum iam credas oportet ut torqueas. At tu, pro nefas, uerberibus, ignibus, & tota crudelitatis arte scrutaris rem, de qua non debebas interrogare seruos, de qua uernilium quoque corporum patientiam petulanter excuteres. Laminas accendis, equuleos moues, & parricidio suspicaris incestum. Nescis quod præceps, quod abruptum tam nefandæ diligentiæ furore commoueas? Pater qui de incesto filium torquet, non est neganti crediturus. Omnium quidem Iudices incertorum suspiciones pessimè semper à corporibus incipiunt, nec bene de cuiusquam moribus illam partem hominis interroges, quæ non animo sed dolore respondet. Nondum dico quem torqueas, quis inter equuleos ignesque ponatur, cuius arguat prius indicia præcedant, nouissimum debet esse, quicquid torques & punis. Fidem hominum deorumque, ne grauitatem putetis à nouissimis ultimisque cœpisse. Non habet probationem facinus de quo pater non potest alium torquere quàm filium. Video qua possis ratione defendi, si omnia antè fecisti, ut incestum aliter erueres. Quid ais? Interrogasti seruulos, non potuit conscius inueniri. Exquisisti ancillas, non apparuit ministra flagitii. Non obscœna literarum commercia, non fatentis deprehendisti nefandæ blanditias. Nihil iuuenis maritus, dominus, pater. I nunc & dic scisse rumorem, sed ut torqueas ducatur tamen quæstio per coniugis ministeria, per filii seruulos, in illa potius militare desæuiat. Prius est ut repudietur uxor, ut diuortio fiat in domo grande secretum. Excedit omnem immanitatem, filium ideo torquere, ut scias an innocens torqueatur. Vnicum pater ignibus uerberibusque interrogas, rogo quid facturus si pernegauerit? Videlicet ut laudes, deinde dimittas, ut amplectaris perusta uitalia, & laceri pectoris uulnera pietati tuæ sus admoueas. Solus superest pudor homini qui torsit unicum, ut torquere debuerit. Faciat te necesse est res ista pessimũ patrem, & oderis oportet filium, cui satisfacere non possis. Iam iam mala uenena, ferrum, subitos ictus, improuisamque mortem. Incestum qui non credit, torquere non debet, qui credit, statim debet occidere. Quòd si tormenta etiam filii placent, si præstanda est satisfactio tam nefandi rumoris, exigo ne perdas quæstionem, in media ciuitate, in ipsa constitue fama, aduoca illos malignos, illos loquaces, & seculi rem exquire audiente populo. Coram omnibus torqueri debet, de quo loquuntur omnes. Interroget quisque quod uolet, suis auribus, suis credat oculis. Cur in abditam semotamque partem iuuenis abducitur? Secretum quæstionis nec incesto filio debetur, nec innocenti. Dabo adhuc inter secretum publicationemque temperamentum. Aduoca propinquos, adhibe amicos, circumpone iuueni senes senes, intersint magistratus, assistant quibus habere possit ciuitas fidem. Præstare debes aut tibi ut probare possis, si confessus fuerit, aut filio, si pernegauerit. At tu nefande, crudelis, tollis quæstionis alteram partem, efficis ne possit amplius innocens esse qui tortus est. Quid agunt contra populum tormenta secreta? Prædico, testor, iterum dantur malignis alimenta sermonibus, & à quæstione seposita in maius reditur incertum. Coram omnibus torquere debet filium pater & qui uult absoluere, & qui est paratus occidere. Non uultis Iudices ad facinus indignissimæ quæstionis accedat & quod ipse torsit filium pater? Adeó ne non potuit libertis aut seruulis necessitas ista mandari? non carnifex potius adhiberi? Pater in tormentis filii non auersos tenuit oculos, ipse uestes scidit, uelamenta lacerauit, manibus flagella concussit, renouauit ignes. & mori filium contentione non siuit, diduxit os quod iam suprema claudebant, fouit animum, ut longis cruciatibus patientia sufficeret. O dignum patrem, cui dicat innocens filius, feci. Non mehercle improbè mihi proclamaturus hoc loco uideor, hominem qui torquetur in matrem, debere coram matre torqueri. Cur excluditur infelix à sua caussa, à sua quæstione? Adhibe speciosi cruciatibus hanc nimis amantem, huius gemitus excipe, huius suspiria oculosque custodi, si quod facinus admissum est, torquebis quidem filium, sed fatebitur mater. Irrumpere me tum maxime puta in illud tuum parricidii secretum, iniicio properanti quæstioni manum, inhibe ictus, subtrahe paulisper ignes. quicquid est quod eruisti, profer in medium, memento te fecisse de filio propter quod tibi non debeat credi. Quid spiritum dolore præcipitas? Quid miseræ interualla patientiæ pertinaci crudelitate continuas, si frustra tibi sufficere credis quod audieris, nunciare, proferre? Incestum ut creditur, ipse debet audiri. Mirabar & ego Iudices si tam nefanda quæstio alium exitum potuisset habere, quàm mortem. Hic est parricidij pudor, sic desinunt quæ incipere non debent. Facinus quæstionis, operis scelere maiore, exire tibi uideris per orbitatem. Scimus unde uenerit ista contentio, nihil eatorsit sæuitia misero. Vincit torquentem qui acciditur. Iam iam non miror, quòd post ista non habes uocem, uerba non inuenis. Vnicum sine teste lacerasti, unicum occidisti, soli tibi deinde notum uis uideri celare facinus, & in parricidio quæris aliunde tristitiam. Præpostera res est filium occidere, deinde erubescere. Fas non est non esse notum, propter quod se parricida putat innocentem. Eligas utrum uoles, aut tormenta damnes necesse est aut silentium. Quod non debet indicari, quæri non debet. Possis uideri fortassis crudelissime senex silentium filio præstare, si uiueret. Consumpta est paterni nominis religio, omnis pietatis sublata reuerentia. Si hoc ille meruit, parum in quæstione, paruum ultionis in morte est. Vindicare uis confessionem? tradue cadauer, & super illa uulnera omnes pone caussas. Non est eiusdem fateri cur torseris, & tacere cur occideris. Quid ais seuerissime parricida? Filium consumpsisti per flagella, per laminas. Potes agere, uiscera de tuis concepta uitalibus, sanguinem qui de tua fluxit anima, non insania, non furore, sed (quantum uis uideri) consilio grauitate lacerasti. Potes tacere. super uulnera unici, super exutos artus metuendus assistis, & caussas quærente matre, quærente populo, hoc solum dicis, occidi? contenta esse debet incerto? Interrogari nunc te marite credis à matre sola? caussas mortis illius reposcit solicitudo generis humani. Stant circa liberos attoniti parentes, horret inuicem se charitas fraterna complecti, rupta est illa osculorum inter soceros generosque simplicitas. Quousque nos cum silentij tui interpretatione committis? Si nihil factum est quod debeat erubescere temporum pudor, quid sibi uolunt uerba media, suspensa? si nefas prodigiosis simile fabulis deprehendisti, miserere, ne sis una morte contentus. Incestum grauius odisse debes, quòd & uenit in forum, quod audaciam innocentis imitatur, & tacenti uidetur irasci. Cum filium propter rumorem torseris, propter tormenta occideris, non est media res, ut neutrum sciamus. Mater quidem Iudices innocentissima hoc complorat, hoc ferre non potest, quòd nihil parricida respondet. Sed nobis uidetur iamiam esse dicturus. Non fallit nos nefande quid captes, hoc quòd supra silentium trahis alia suspiria, quòd prorumpenti uideris exclamatione deficere, mendacio paratur authoritas, & in fidem erupturæ uocis affertur, ut fateri uidearis inuitus. Dic tamen, par est huic rei matris integritas ut mentiaris? O quanto nunc dolore torqueris, quòd instantem non potes aliqua truci proclamatione discutere. Non uerba tibi contra miseram, sed argumenta desunt, non uoce, sed probatione deficeris. Quod solum datur, relinquis infamiæ, & nos cum perpetua sermonum malignitate committis. Qui interrogantem nec damnat nec absoluit, rumore contentus est. Modestiam matris pariter & patris accipite. De muliere quæ conuinci non potest, sufficere sibi putat ut incesta credatur. Quis unquam tam nefandas artes, tam cruentum, deprehendit ingenium? quia non potest, probare quod dixerit, captat ut credatur quod non dixerit. Dissimulas, taces, sæue, crudelis? inuenisti tormenta patris. Audi quid misera simplicissimo dolore proclamet. Non efficies, inquit, callidissime parricidarum, ut non audeam cadauer amplecti. Ego uerò incesta sum si possum moderari gemitus, comprimere lachrymas. Coite in funus omnes liberi, omnes parentes, custodite planctus meos, obseruate suspiria. si quid feci, si quid admisi, fatebor. Ecce supra lectulum effusa feralem, laceros artus & perustum complexa corpus exclamo, Teneo unicum meum, uelit nolit inuidia, meum misera formosum. Hoc erat quod infelicissimam matrem ultra solitæ charitatis exagitabat affectus, amabam mariti periturum. Infames quantumlibet hanc impatientiam, ego mihi uideor defosse, cessasse, multum de lætitia, multum perdidisse de gaudiis. Nemo unquam filium nimis amauit. Excuso tibi, inquit, iuuenis innocentissime quòd supremis tuis nondum præstiti misera comitatum. Viuere quidem te defuncto continuò non debui, sed mori marito tacente non potui. Rumpam tædium lucis inuisæ, sed prius licuerit coram ciuitate manibus tuis iusta persoluere, cum damnato supra callidissimum silentium parricida, nihil te dixisse constiterit. Ignosce quod ad iudicium istud orbata doratti. Timui ne si ad exitum impatientia, si præcipiti pietate properassem, faceret alium parricida de mea morte rumorem.

EX SVPERIORE ARGVM. DECLAMATIO. XIX.

Pro uiro contra uxorem.

DEbebatur quidē tristissimæ orbitatis misero pudori, ut iā taceremus oēs, & post tam prodigiosas rerum sermonumq; nouitates, oportuerat hoc esse nouissimū de malis infelicissimæ domus, q occidi filiū pater. Sed quoniam mulier immodici semper affectus, super cuncta q̄ uel passus sum paulò antè, uel feci, tacitus quoq; me dolore cōcussit, ueni petiturus à uobis ne me secretem silentiū cōtentioni præstare credatis. Nō quia occidi filium taceo, sed occisus est ut tacerē. Vtinā Iudices negare possem q occidi, utinā totum miseræ necessitatis ordinē fas esset intrare, & oris huius premere secretum. Miratur hanc aliquis patientiā meam? Ardor ille qui me modò impegit in filiū, ipsa sui immanitate consumptus est. Quicquid erumpere posset in proclamationē, parricidio peractu, orbitate conticuit. Non habeo affectum, nisi quò cuncta tantū patiar, & audiā, feram. Verunque de filio fieri non potest, ut & occiderim, & fatear cur meruerit occidi. Quapropter Iudices satis admirari, satis stupere non possū, q mulier cuius præter optimā sane conscientiā, sexus quoq; maiorem malis nostris pudorē præstare debebat, tacere nō potest silentium meū. Nouo quodammodo fabulosoq; secum impatiētiæ genere dissentit. Quæritur de populo q loquatur, de patre quòd taceat. Nec contenta confessione mariti, nihil se dissimulare, nihil scire reatus authoritate testantis, mauult de silētio meo facere secretū orbitatis. Illud amentia sit an innocētia, perditus dolor uiderit. Ipsius animus potest scire quid filius meus dixerit, quæ me putat habere quod dicā. Fidem igitur uestrā Iudices, ne uos orbitatis miseratione cōfundat sola mater, ne'ue maximæ calamitatis ibi tantū putetis resedisse sensum, unde uos lachrymæ gemitusq; conueniunt. Mei magis debetis in uxoris cōparatione misereri, qui filiū & perdidi, & occidi. Ego sum infelicior ex parentibus duobus, qui quicquid Iudices illa cōplorat, & patior, & feci. Felicem ignorātiæ conscientiā matris, quæ sufficit interrogare. Maior me impatiētia, maior urit affectus, cur filiū occiderim indicare nō possum, nec pœnitet q occidi. Infelix senectus, misera patientia, sic quoq; q̄ multa dicendo sunt? Fuimus quondam, Iudices, fuimus felicissimi parētes, cum adhuc rudis unici nobis blādiretur infantia, durauitq; domus tota prosperitas, quādiu pariter fruebamur, pariter diligimus, quandiu ciuitas de nobis hoc solū poterat loqui, filiū nos habere formosum. Vt uerò in eā adoleuit ætatē, in qua corporalibus bonis iuuētus insolēter exultat, superbus atq; arrogans, in nullū uitæ genus, nō in priuatos, nō in publicos actus florentē duxit ætatem. Dij immortales, quantus qualisq; circa iuuenē rumor ingemuit? omniū maledictis infectus matris, omniū denotatione damnatus est, donec & ipse consensum circa se publici doloris agnosceret. Inde rarus in publico, & tanquam patris occursus, tanquam ciuitatis ora uitaret. Non est leue concipere uerbis, in quantam ciuitatis execrationem, in quantam culpam iuuenis inciderit. Dictus est occidere posse patrem, dictus est dignus quem posset etiam pater occidere. Quid facerem Iudices infelicissimus senex? iam iam non euitabat fama nec patrem, iam meis auribus nemo parcebat. Interrogare non audebam, dissimulare non poteram. Fallitur quisquis me putat quicquam fecisse consilio, impetus ac temporis ipsius nescio quis ardor explicuit. Præparari filio tormēta non possunt. Est in miseris penatibus pars remota, seposita, profunda tenebris, tristis accessu, omnibus apta flagitijs, & in qua audeat facere facinus & pater. Illo fateor dum me uariæ cogitationes per totius domus spatia circumagunt, quantū intelligere licuit, improuisus adueni. Et ille quidē ad conspectū meum tanquā deprehensus obstupuit, refugitq; trepidus, poto ne quærentē caussam. Irrumpo festinanter, unde, sine liberto, sine seruulo, sicut me deprehenderat temporis illius fatū, manibus, ictibus, & quæcunq; ex obijs dolor in telorū transtulerat usus, ultra uires senectutis aggressus, ignes ex proximo raptos, uerbera quæ casus obtulerat, non dimisso dolore, non per partes, nō per interualla suspenso, sed semel, sed pariter innado. Pars secreti fuit, ut ipse torquerē. Dij immortales, quæ contumacia, quæ fuit illa patientia, cū domi torqueretur à patre, non inuocare matrē? Non repugnauit iuuenis, non opposuit manus, nullū implorauit auxiliū. Mersis tantum deiectisque luminibus, tanquā unquam flagella sustinuisset, tanquā meis torqueretur oculis, omnes ictus excepit in faciē, uerberibus, ignibus laudatos uultus, uelut illis irasceretur, opposuit. Reddo testimonium nouissimum pudori, cū iam mori uellet, occisus est. Laudo Iudices patientiā matris, cū & ipsa semper plurimū esset domi, & ab illo secreto fortasse nō longè, interuenire noluit, interpellare nō ausa est. Sed & manibus meis gratulor, q non propinquus aliquis, nō amicus irrupit. occidissem quisquis me tūc ausus fuisset interrogare pro filio. Sepeliui tamē lacera mēbra, funus indulsi, ossa collegi. Non mecū uxor lectulo mariti, nō inter exequias planctibus eiulatibusq; uberibus mihi fecit inuidiā. Vnde in hāc impatientiā prorupit, exultat? domi me nihil interrogauit. Possum iam mater infelix corā liberis ac parentibus, possum audientibus dijs hominibusq; clamare, Et ego amaui filiū meū, nō osculis, non infirmitate, nō lachrymis, sed uiribus, dolore, patientia. Vnicū, quem si acie clausisset hostis, uicaria morte seruassem, si subitum cinxisset incendiū, eximissem relicta meorū parte mēbrorum, eripui malignitati, abstuli famæ. Habeo quod imputem tibi natura pietas. Rem difficillimam feci, q non me potius occidi. Malæ tractationis accusat. Adeo'ne uxor tibi parū uideor dedisse pœnarū, post periculū & labores ne locrifaciat pater, q occidit filiū suum? Non pudet ergo si irasceris parricidæ? Quid tibi cū lege quā uos propter minores accepistis affectus? Querelas habet ista, non gemitus, & matre seposita solam complorat uxorē. Rursus ad populum uocas miserum pudorem? materiam noui rumoris accendis? Perdidi ergo rationem secreti mei. Sic omnia feceram, ne quid aut quæri posset, aut dici. Iam uerò quid impudentius, quid indignius, quàm cum sibi deliberis credunt licere tantundem, & æquum ius patris ac matris esse cōtendunt, quasi nesciant nobis arbitrium uitæ necisq; cōmissum? Non est priuilegium, filiū occidere cū fieri potest, nec quisquā tantum ideo fecit, quia liceret. Viscera unici lacerare suffeci. Ignosce, si non potes mihi credere, nemo filiū suum occidit odio, non erit tanti iuuenis inuisus. Illud est in patribus usq; ad parricidiū terribile, q amant, q succurrunt, quòd sibi uidētur aliter nō posse misereri. Non est quod uos ab æstimatione malorū meorū mollior sexus abducat. Maioris affectus est filiū occidere, quàm uindicare. Desine igitur me mulier fatigare interrogationibus tuis. Ita tibi nō uidetur omnis respōdere pro filio, qui dicit, occidi? Et licet comprimātur exclamationes, ora claudantur, nihil negat qui hoc fatetur. Atqui summorū facinorū ipsa immanitas innocētia est. Filium pater nō demens, nō insanus occidi. Hominē extra sensus affectusq; positū quisquis nunc miseratur, occidit. Vides senē sanguine suo fluentē, laceratis exustisq; illis sanctioribus charioribusq; uisceribus super exanime unici corpus cruentis manibus iacentē? Horreo cadauer, & uelut corpora quæ cælestis exanimauit ignis, adire propius timeo. Ad quædā facinora sufficit claudere oculos, uultus auertere, tacere, mirari, & incredibiles calamitates relinquere suis caussis. Miserere, ne quid amplius quæras, ne quid interroges. Dicturū me putas, parce seculo, parce marito, parce patri? Tu uerò parce illi qui occisus est. Nouū Iudices uxoris in maritū crimen audite. Silentiū est de quo queritur. Solebat indignatio uestra cōiuratia nostra ferre non posse, & matronalis indignatio dicere uidebatur, nō parcis erga me marite uerbis, nullā habet nostri tuus sermo reuerentiam, facilè prorumpis in opprobria, facilè quod libet obijcis, exclamas, & dū nimiū libertati uocis indulges, potest populus aliquē de me facere rumorem. Tu mulier obijcis mihi rē quæ nulli unquā criminis fuit, solam in nostris moribus innocentiā uoce reprehensam metuit taciturnitas. Vide cur manus, cur uerba peccare uideantur. Illis infamamus, his torquemus, his occidimus. Vis scire quam nō possis queri de silentio meo? Felicissima fueras, si idē fecissemus omnes. Finge me paulisper sepositis silētij caussis hoc tantū respondere non prodo secretū. Ex omnibus Iudices, quibus humana pectora seriis grauibusque cōplectuntur affectibus, nullā difficiliorem quàm silentij credo uirtutē, adeoq; promptissimo sermone facilè delinquimus, ut constantiā tacēdi neq; in alijs ferre possimus. Crimen hoc in me mulier uocas, quod in priscis illis morū mentiumq; rectoribus fuit prima sapientia, q quosdā totius uitæ pertulisse patientiā magis illa misera miratur antiquitas, quàm quod temporū uices, siderum cursus, & profunda naturæ uelut conscia ratione sanxerunt. Quæ per fidē impotentia est effringere rigens sacra dissimulatione pectus? euoluere animum, quem super sua secreta compositū non lætitia, nō dolor, non necessitas, non fortuna laxauerint? Quisquis de tacente queritur, multo minus ferre poterit loquentem. Nec adeo coniugali societate cuncta miscentur, ut nihil sibi aduersus hanc concordiam propriū relinquat animus. Est aliquis etiā à sanguine suo secretus affectus, genusq; reuerentiæ, ut tacenda in animo uelis scire charissimos, quædā non posse uerberibus, equuleis eruere, & plerosq; uideas fortiter super sua secreta morientes. Agedū (si uidetur) utriusq; sexum, omnē conditionem, omnem scrutemur ætatem; nullum sine

sine conscientia pectus, nulla uita sine caussis tacendi. Si te interrogaret omnia maritus, haberes aliquid & tu quod non fatereris. Et quanto silentium grauius est in sene, uerecundius in marito, sanctius in patre? Pudeat nos mulier infirmitatis. Vicit nos modò iuuenis ille constantia, mori uoluit ut taceremus. Vides mulier quibus interpretationibus præstes tuum dolorem? Diceris ideo me interrogare, quia scis omnia me potius pati malle, quàm loqui. Quis enim in hac ciuitate non nouit taciturnitatis meæ rigorem? Quis ignorat qua cuncta soleā ferre patientia? Ne occisurus quidem suspiria gemitusq; præmisi. Nihil feci unde erupturum quandoq; in orbitatem patris animum aut tu præscio timore sentires, aut ipse periturus. Hanc nunc me iactare cōscientiam putas, quòd nihil in publico, nihil in ullo mihi permisi proclamare conuentu? Ego uerò non sum quæstus de iuuene nec tibi, nec captaui ut illū mecum & mater odisset. Frustra te putas extorquere accusatione posse, quod mihi non ipsæ calamitates, nō dolor, non meditatio orbitatis expressit. Vras licet, durabo, perferam passus sum iam quod erat difficilius, occidi. Torsit, inquit, filium meum. Breuiter Iudices ratio reddatur. Infamem quid refert, an innocentem, si illud omnibus liquet? Iuuenem cunctis pignoribus inuisum, omnibus affectibus grauem maligni fecere sermones. Quid agimus anime? quemadmodum effugimus, euadimus? In tanta infamia nihil facere, credentis est. Vis me circumire singulos, reclamare populo, cum rumore rixari? Tuæ fortassis infirmitati conueniat negare, me tantum fortior assertio unici decet. Eripiendus est non contentione uerborum, sed ut ciuitas stupeat, ut erubescat. Torquere me filium putas? Inuidiam facio populo. Videor mihi illis uerberibus lacerare famam, illis ignibus increpare rumorem. Quæstio de infami filio unam rationem habet, ut probes innocentem. Dij mala prohibeant, ut noueris illum dolorem, quo potest torquere filium pater. Nihil est infelicius homine, cui de unico suo mors sola non sufficit. Iuuenem in cuius animo perdiderant nomina nostra respectū, quem cotidie necesse habeamus excusare rumori, qui inter nos formosum malebat agere quàm filium, uerberibus ignibusq; consumpsi. Vis uis scire quanta tormentorū ratio fuerit? Debuit etiā tortus occidi. Si tamen utique mater uis scire caussas, leniter audi. Prospiciebam miser ingrande quandoque facinus proruptur um, quòd otio uitam, quòd desidem domi perdebat ætatem. Non peregrinationibus excolere mentē, non experiri militiam, non tentare maria, non rura colere, non administrare Rempublicam, nō ducere uolebat uxorem. Præterea traxerat ex frequentibus castigationibus tædium patris, & in execrationē mei, conscientia qua non emendabatur, exarserat. Timebat occursus, non audebat adire, collo quia, oscula, cōnctusq; fugiebat. Breuiter perditissimæ mentis definienda mensura est. Oderat me filius, & timebat. Filium igitur totius ciuitatis existimatione damnatū, quem adhuc uiuere mirabantur homines, torsisse me putatis? Ego uero occidi, tarde, diu. Quæstionem illud uocas? Pœna, supplicium, & malorum meorum exitus fuit. Nulla ratio est interrogandi hominem, cui non est fas nisi negare. Quanta tamen mihi fuit & in quæstione moderatio? Non enim præcipiti raptus impulsu exilui repente, subitò, nec captus dolore cæco impacientiæ meæ uelo a uulnus induxi. Non potest non ratione occidi filius, cū ante torquetur. Dedi moras, spatium, tempus fidelis. Vides quantam hinc malignitatibus potuerim præstare materiam? si in illo secreto, gladio tantum, si uulneribus egissem, exitum fecerat iuuenis deprehensi. Non est igitur mulier quòd mihi facias duplicatæ quæstionis inuidiam, id est quòd torsi, & occidi. Sola est huius necessitatis ratio de morte. Illud est parricidium, filium torquere uicturum. Putas iuuenem uiuere potuisse, cui iam non poterat nisi morte succurri? Quem cōtra malignos sermones asserere cœperam, non reddidi rursus infamiæ, neque in oculos & ora uulgi de secreto patris emisi, prouidentia mea ubi quoque mater, ne in hunc interrogetur, eripui. Ille uerò non fuit post tormenta laturus uitæ pudorē, ut interrogaretur à singulis, ut negaret. Verum mulier affectibus tuis renunciandum est, ad totius domus nostræ pertinere innocentiam credidi, ne se ipse potius occideret. Sentit Iudices mulier ad ius querelæ suæ, nec quòd torserim, nec quòd occiderim, pertinere. Itaq; quærit quid mihi dixerit ille, de quo nescit an dixerit. Quid ais mater impatiens? ita in morte filii tui nihil aliud ad te pertinet quàm quid locutus sit? Ita si respondero, remittis parricidium, tormenta non obiicis? O inconsultam muliebrem semper amentiā, quid iuuenis in tormentis dixerit, tanquam ignoret interrogat, nihil me comperisse nō credit, tanquam sciat quid dixerit. Fidem communis sanguinis, fidem communium malorū, ne parricidii me uelis agitare secretū, ne calamitatibus nostris grauem facias innocentiā tuam. Viderit quid meruerit iuuenis ille, ego iam possum suprema reuereri, & post exitū unici reuertor in patrem. Maior defunctis liberis præstanda reuerentia est, nec quicquā minus conuenit affectibus patris, quàm si insultare uideatur occiso. In gratiā me cū filio reduxit orbitas, iram nostrā mors seuera composuit. Quinimmo recogitanti mihi torū secreti illius ordinē, subit tacita miseratio, quantam ego debeā reuerentiā filio, quem potui torquere solus, quē potui solus occidere. Percueras, cogis, instas? Inuicem te mulier interrogo, cur si tantopere uolebas scire, quid interogarem, quid ille loqueretur, nō irrupisti in quæstionem, quam nullis ministris nullis custodibus uallauerat pater? Quanto melius mater ipsum adisses? quanto fortius interrogasses una? quanto tibi plura dixisset? Quis te mulier affectus abegit, tenuit, exclusit? Agnosco uerecundiam tuam, timuisti, credo, ne si in illo secreto fuissemus omnes, occidisse filiū diceretur & mater. Instas tamen & miseri senis ora diducis. Puta me hoc solum dicere, ex maximi facinoris cunctatione ueniens quid audierim, nondū scio, totus adhuc sum in parricidio meo, & post mortē unici omnia quibus laceratus, occisus est, in animū meum tormēta redierunt. Est quidem difficile, ut aliquem pari pudorē parricida uideatur, ueruntamen stupore, amentia, & silentio in orbitate defeci. Ablata est mihi omnium uerborū fides, omnis sermonis authoritas, nec habet caussam loquendi, cui non potest credi. Desine mulier interrogare. Filiū quē occidit pater, nec absoluere nec accusare iam debet. Quid, inquit, dixit cū occideres? Miseram parricidii innocentiam, quòd hoc me non potestas, non magistratus, non propinquus aliquis, non amicus, non ille semper loquax populus ac malignus interrogat. Quiescitis, tacetis. Me infelicem, nunquid scitis omnes? Puta me mulier hoc tibi respondere, non habent incredibilia uocem. Quædā maiora sunt, quàm ut illa capiat modus sermonis humani. Tu uero crede nihil aliud fuisse quàm furorem, insanisse me puta, uidebam quæ non fiebant, audiebam quæ nemo dicebat. Hoc solum non insanientis habui, quòd tacebam. Finge me respondere, nihil dixit, nihil locutus est, non credis? Atqui multo minus creditura quid dixerit. Accipe mulier breuem ueramq; rationem, cur in quæstione iuuenis occisus est. Torquebam, nec interrogabam. si qua ad aures tuas ab illa quantumuis remota domus parte perlata uox est, meus gemitus fuit, meorum uiscerum dolor. Quæris cur nihil dixerit? quia non habuit quod scire uellem, quod audire deberem. Nihil aliud quæstio illa captauit quàm silentiū, quod præstare uita non poterat. Quisquis in tormentis occiditur, ideo tortus est, ut occideretur. An tu quæstionē illam fuisse credis, qualis uernilibus corporibus adhibetur? Ideo enim equuleos mouebam atque senex, tenebam fidiculas ratione sæuitiæ, ut leuiter sedibus suis emota compago per singulos artus membra laxaret. Consumptus est spiritus silentio sui, & uerbera ignesque animum pariter uocemque cluserunt. Videbatur mihi præmere gemitus, tenere suspiria, & sic nihil dixit, tanquā torqueretur ab homine qui sciret. Miraris hanc in filio contumaciam, in iuuene patientiam? Patri torquenti non potest aliter responderi, quàm ut mori malit quàm confiteri. Quod sufficit igitur interrogantibus respondeo, mulier, occidi. Fallitur quisquis expectat ut obijciamus illa communia, ego uero proclamo, non luxuriosum, non amore meretricis infamem, nihil ille delinquebat quomodo liberi solent. monstrum erat inenarrabile, quod nollem deprehendere, quod ferre nō possem. Miratur aliquis quòd non abdicauerim, nec notissima ultione patrum fuerim tantum expulisse contentus? Tuus mulier nefarius, tuus inconsultus non permisit affectus. Filium cui contra se ueritatem meam ignoscebas, quem mecum odisse non poteras, secuta fuisses abdicatum. Finge iuuenem dixisse nescio quid, ego audire nihil potui. non enim potestatis alicuius more consederā nec torquentibus aliis agebam iudicem patrem. Ego tunc cuncta & passus sum pariter, & feci. Non uacabat aures præstare uerbis, excipere gemitus, æstimare singultus, auocauit me contentio dolor, orbitas, parricidium, omnia facta sunt festinatione præcipiti. Idem patris affectus est torquere ut scias, occidere ut nescias. In meam, inquit, infamiam taces. Ita nunc primum laboras misera de fama, & post unici mortem pertinere ad te cœpit quid loquantur homines? Scilicet filius impensus est ut erubesceres, ut malè audires. Adeo ne hoc captanti non erat satis rem totam commisisse rumori? Ego uero me famæ tuæ mulier opposui, & inter matrem filiumque medius parricidium feci, unicum occidi, ne quid aliud loquerentur homines. Alioqui si hoc capto quod putas, quousq; taceo? in quod tempus differo illam quam me putas premere uocem? Ecce reatui iudiciū pronuncio, ego tamen scire me nego. Egregiam rationem malignitatis, locuturus aduersus uxorem, feci ne mihi crederetur. Fateor igitur, nihil ad certum indubitatumq; perduxi, hoc est quinimmo propter quod ad mortem usque contendi. Non explicant tormenta quæstionem,

ta quæstionem,

ta quæstionem, quæ occidunt. Quid, inquit, dixit? Felicem te misera, si nescis quid dixit. Ita non es contenta conscientia tua? non sufficit quòd non habuit ille quod negaret, quod fateretur? Poscis uerba quæstionis, cogis, extorques. Testor, in facis ne possis negare quod dixero. Quid dixit? parasse se parentibus uenenum, negas. Proditionis agitasse sermones, negas. Tyrannidis iniisse consilium, negas. Et quicquid dixero, negabis. O bonæ conscientiæ incauta simplicitas. Ita non times ne coactus loqui multa fingam, multa componam? Si potes scire mulier an mentiar, scis quid dixerit. Quid dixit? nihil. Quid dixit? omnia. Maledixit seculo, fecit temporibus inuidiam. detestatus est patrem, conuiciatus est matri. Quid dixit? plus quam interrogabam. Vicisti mulier obstinationem meam. Audi breue succinctumque responsum quid dixerit, quod quæris, quod putas. O si quis in illam uos secreti nostri potuisset adhibere præsentiam? uidissetis nouum genus quæstionis. stabam senex furijs monstrosæ feritatis accinctus, manibus exertis, hinc ignibus, hinc uerberibus armatus: super ora, super oculos tacentis assistens clamabam, furiose, demens tace. Et ille uelut exustis amputatisque per quæ dolor exit in uerba, fuit attonitus, amens. Quoties admotis ignibus ad aliquam corporis partem, totū pectus imposuit? quoties hiatu oris auidè flammas aduersus exeūtia uerba collegit? Cum uerò iam totus calor uerberibus expulsus, uiribus nouissimi doloris erumperet, pertractis ab ima pectoris parte suspirijs breuissimè collecti spiritus, ille quo redditur anima singultus, fuit similis exclamaturo nescio quid, quod & tu fortassis audires. Occupaui fateor, & aduocatis quas iam consumpseram uiribus, manibus, telis, totoque corpore pariter adnixus, antequam mentiretur, occidi. Miseri temporis illius recordatio. deficientem in manibus meis filium uidi, aspexi ora pallentia, frigidos anhelitus, interrupta suspiria, & animam magno silentio exeuntem: non tamen tormenta laxaui, non subtraxi restinxique flammas. Miserere mulier, ne quæras amplius uocem huius affectus. filium qui moriebatur, occidi. Non perdidi tamen, non perdidi unici mortem, fortunam non perdidi, iam me non interrogat nisi sola mater. Consiste agedum mulier loco meo, & in habitum paterni furoris accincta admoue equuleos, flagella, laminas, prædico, testor, aliter non possum loqui, aliter mihi non potest credi. Quanquam miserrime iuuenis (fas est enim iam tuos alloqui manes) exprimere mihi uocem nullus poterit dolor, quamuis uolet laceres, uel occidas, uincere me tormenta docuisti. Si tamen fas est cogitationis memoria tractare uerba miseræ quæstionis, cur me corā populo magis interrogas? Eamus uxor in illam desolatam domum, in illud iam patris filijq; secretum, ibi me interroga, ibi, ubi torsi, ubi occidi, ubi adhuc fortasse filij tui uaga per mœstos penates anima discurrit. Porrigat aliquis imaginem iuuenis occisi, ponat in sinu matris illas uestes, quibus ipsa iuuenē misera comebat. Eamus ad tumulū, misceamus super busta lachrymas. Ibi aut tacebimus pariter, aut inuicem confitebimur. Iam iam miser mori possum, explicuit te solicitudo, pietas. Nō scribo tabulas, testamēto suprema uerba nō credo, & ego moriar in tormentis meis. Illud tantum nouissimis precibus à te ciuitas, per liberos, per cōiuges, per natos, à te uxor per occisi iuuenis umbram peto, à te mater, ne quid amplius quæras, tu infamiam ne dicas.

FINIS.



SERIES CHARTARVM.

* ** ABCDEFGHIKMNOPQRSTVX.

Omnes sunt quaterniones præter X, sunt terniones.





VENETIIS,

APVD HIERONYMVM SCOTVM.

M D LXVII.

